Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
37 H
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BARNABÆ

KEARNÆI,

CASSELLENSIS

HIBERNI,

E SOCIETATE IESV

SACERDOTIS

HELIOTROPIVM,

SIVE

CONCIONES DE MYSTERIIS

Redemptionis humanæ, quæ in Dominica

Paſsione continentur.

B. S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconijs.

M. DC. XXXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google



Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO,

AC REVEREND. D.D.

THOMÆ VVAILSH,

ARCHIEPISCOPO CASSELLENSI.

APVD *Perſas ea Colonorum fuit humanitas, vt occurrere Viris Principibus ſine munere nefas eſſe duxerint. Quos ego Illuſtriſſimæ Tuæ D. vtique colonus imitandos omninò ſuſcepi, quòd ſiue Tua Virtus, ſiue me meus amor alliceret. Igitur vt & huic obſequar, & illi*

vel ex parte faciam ſatis; pronis, vt aiunt, manibus hoc exiguum munus offero; quo gratius ſit obſequij genus, quo vel magis Tibi debetur, vel à me libentius offertur. Noui quippe beatiſſimum Patroni Tui B. Thomæ Apoſtoli deſiderium, cui non aliud magis ſaperet, quàm quod de Domini latere proflueret. Noui Tuum in Thoma deſiderium, cui fortaſsis hîc relictæ Cicatrices voces illas Apoſtolo Patronóque tuo familiares exprimunt: Dominus meus, & Deus meus. *Enim-verò cui potius ego laboris mei fructus in Hiberniâ prælibandos offerrem quàm Tibi, cùm probe ſciam, quantis tuis ſudoribus hic ager irrigetur. Alia quoque nomina ſunt, qui-*

bus obſtricti Tibi ſumus, quotquot in hac coloniâ Deo laboramus. Vt enim miſſam faciam virtutẽ tuam, quam certè ſummam Ciues agnoſcunt, quam exteri ſuſpiciunt: ea prudentiâ, moderatione, conſtantia, religione ſemper extitiſti; vt omnibus ijs Te maximè charum feceris, à quibus hæ virtutes amabantur. Et vt alias tuas dotes ego præteream, ne vel in apertiſſimis rebus explicandis aſſentator eſſe videar, facere ſane non poſſum, quin inſinuem Te illis tuis virtutibus apud Exteros inſignem famam noſtræ nationi ſæpenumerò conciliaſſe: adeo prodeſſe ſolet omnibus ea probitas ad commendationẽ, quæ vel in Vno vehementiùs elucet. Hæc

cauſa profecto fuit, cur ob familiæ Tuæ ſplendorem, cur ob Maiorum pietatem, cur ob morum innocentiam, cur ob nominis integritatem Te Tui ciues amauerint, cur exteræ Gentes vnicè coluerint, cur Te Summus Pontifex Vrbanus VIII. Archiepiſcopum Caſſellenſem, totiúſque Momoniæ Metropolitanum conſtituerit. In qua porro dignitate, tàm piè, tàm modeſtè, tàm ſtrenuè Te geris, vt exemplo multis eſſe poßis. Nimirum ſemper ipſe perſpexiſti tam probos, támque religioſos eſſe debere qui ſuos conatus ad Deum referrent, nec aliam mercedem virtutis ambirent, præteripſam, quod vt diutißimè tuóque more ſtrenuißimè faceres, ad ardentes

illos animos Te ſane dignos & acuendos, & accendendos, non prophanum Vilioris Vuæ ſanguinem (quod Elephantis Machab. libro factum legimus) ſed illius de Vineis Engaddi, quem ſuæ crucis torcular expreßit, tuis oculis admouere volui, quo illuſtrius foret hoc Munus, quod iſto ſanguine tingeretur: hoc ſcilicet ornatu, magis quàm cedro miniove, magis diuini Cruoris aliquot guttulis inſperſis, quàm pluribus Gemmis inſertis Tuæ D. placebit; cùm nobiliſſimi muneris inſtar habere ſoleas, quidquid Chriſtum diuinúmque latus, quod animo ſæpe contingis, ſapit. In hoc igitur opere velut in Cænaculo Tibi ſuaues Amoris Epulas ſciens ac volens ap-

posui, quia mihi iamdudum persuasi Te talibus obsequijs abundè pasci: ex horto collectum sudorem simul adieci, quia tuum libentissimè Dei causa profundis: è prætorio quoque funes attuli, quibus Te meus liber obstringeret, quibus ante Christo deuinctus, & demum Milites secutus, Domini latus aperui, vt illud cum Thomâ contingeres, ibíque turbulentissimis hisce temporibus, velut in certissimo perfugio resideres. Itaque Illustrissime D. accipe munus hoc, vt vt est, quod Tuum feciſti merendo, quod maius facies, admittendo. Nam cùm de passione, quasi Benoni senectutis meæ partus hic liber sit, non alium tutorem, vel me viuente cupit, quàm Te il-

luſtriſſime D. quem in tanta dignitate tanta Virtus adoptauit. Hanc verò quibus poſſum votis aternam Tibi totíque patriæ ſupplex precor, vt quamuis cælo matura ſit, nos tamen illius, quamdiu licèt vſura noſtro ſolatio, tuo quoque bono perfruamur.

Ita vouet Illuſtriſſimæ D. Veſtræ
ſeruus in Chriſto,

BARNABAS KEARNÆVS,
Societatis IESV.

Præfatio ad Lectorem.

CVM omnium prope mos ille ſit, in operis aditu ſcripti ſui conſilijque rationẽ reddere: tametſi titulus operis huius id abundè præſtaret, eos tamen imitabor. Itaque de paſſione ſcripſi, maximéque ſpectaui, quæ Concionatoribus in primis vſui venirent. Ne quis tamen ordinem deſideraret, ipſius quoque paſſionis, aliorum more ſecutus ſum. Illius enim myſteria per ſingula capita quàm potui piè dilucidéque diſtinxi. Interea quid à me præſtitum ſit malo tibi, beneuole Lector, ipſe dicas, quàm à me multis audias. Prodeſſe tibi certé conatus ſum: ſi præterea placeo, tuo bono gaudebo; ſecùs à te veniam peto.

Vale.

Digitized by

IN ALTERAM HELIOTROPII PARTEM, QVAM DE PASSIONE VERTIT R. P. BARNABAS KEARNÆVS.

QVIS QVIS adornatos circumſpicis ordine flores,
Ecce tibi nitidas mittit Iërna roſas.
Nã liber, vt floris nomen gerat, hortus habetur,
Vnde tibi paſſi Numinis halat odor.
Inuenies illic, quidquid miramur in agris,
Et quidquid florum Cloridis hortus habet.
Perluſtra latas ſacrati montis oliuas,
Nec tibi Gethſemani prætereatur ager.
Sunt illic ſepes, credo de vepribus iſtis,
Vnde ſalutiferis ſerta ſtetere comis.
Si cupis in vepribus frondentes cernere vultus,
Multa per intextos ſtant ſimulacra rubos.
Herodes, Caiphas, Annas, Pilatus, Iudas,
Ficta ſub attonſis vepribus ora gerunt.
Vis fontes illic (niſi ſat tibi ſanguineus fons?)
Cedrônis mœſtæ conſpiciuntur aquæ.
Vis flores? inter ſacra Germina cernis Ieſus
Vt tremat, auditis ceu ſolet herba Notis.
Cum violas pallere puta, dum pallet; in illo
Dum rubet, aſtantes crede rubere Roſas.

Vis Zephirum pro quo ſuſpiria numinis audis,
Qualia Gethſemâni triſtior audit humus.
Si te delectant montes; Caluaria ſpectas
Culmina, qua dio ſanguine fulget apex.
Vis rupes? iſtæ libro franguntur in illo:
Vis tumulos? illic viua ſepulchra patent.
Vis vmbras illic gelidas? crux inclyta ramos
Explicat, hæc ſiluæ ſi cupis inſtar erit.
Quæris aues? illic Petri vigil excubat ales,
Et triplex memori nunciat ore ſcelus.
Forſitan argenti venas, aurique requires,
Has monſtrat Iudæ non metuenda manus.
Vis ferri venas? dijs has erue membris,
Nec fias miti ferrea vena Deo.
Magdalis ipſa ſuũ rursûs tibi fundet amomũ;
Déque ſuis folijs ſparget aroma liber.
Nunc intra, niſi te rupéſque, rubíque retardant,
Et franget molles ſemita dura pedes.
Pone metum; nihil hîc, quod lædere poſſit aman-
Vt lædat, vulnus, quo medeatur, habet. [*tes;*
Huc intra Ieſu, ſpecta quid Hibernia mittat,
Quam tuus ingenuo flore vireſcat ager.
Ipſe veni, quoniam tali Carnæus in horto,
Te voluit, rursùm ne paterere, pati.

Poſuit THOMAS MACARIVS,
Societatis IESV.

Digitized by Google

IN NOMEN LIBRI.

EN tandem meritam ſpectat pars altera lucem,
Illáque Phœbiſequi nomina floris habet.
Tot fulget radijs, vt ab ipſo nomine Solis
Debuerit tantum nomen habere liber.

Idem.

IN OPVS DE PASSIONE DOMINI, A R.P. BARNABA KEARNÆO compoſitum.

QVI Solymas properare cupis peregrinus ad oras,
Plancturus Domini triſtia fata tui,
Siſte gradum; tanto parcet Liber iſte labori,
Volue, domi lachrymas ſi petis, ille dabit:
Quid Liber ergo lates? totum expatiare per orbem,
Totus vt in lachrymas ſaxeus orbis eat.

Poſuit IACOBVS SAVLVS, eiuſdem Societatis.

Digitized by Google

IN HELIOTROPION

R.P. BARNABÆ KEARNÆI,

EPIGRAMMA.

BISSENOS *menses dum conficit orbita Phœbi,*
Ponè tenet radios ſubſequitúrque liber.
Aſt hominum ex oculis accepto lumine, nunquã
Eclipſin patitur: cætera ſolis habet.

Adpoſuit BARTHOLOMÆVS ARCHER, Theologus Kilkenienſis.

ΠΡΟ'Σ ΤΟ' Η'ΛΙΟΤΡΟ'ΠΙΟΝ.

ΝΥΝ πῖα δεῖ πιεῖν ταραχῆς ὦ βίβλε; σαυτὸν
Οὐ κλαίοντα Θεοῦ εἰς μόρον ἐλπομένη.
Ἀλλὰ τί πόντον ἐρᾷς γε καθημένη ὅσιος ἐπ' ἀκτῇ;
Ἦδ' ὁρμιζόμενος μέχρι πλέω Σολύμοις.
Τίς δ' ἐρέτας; ψυχή: ναῦς, κῦμα: δάκρυ, κῦμα θαλάσσης:
Εἰπὲ (μόνον δέομαι σοῦ) πότε λαῖτμα περᾷς;
Δακρύοις ὥστε κρηνῆ, δοκάω μόνος ὄρνυ:
Τίς δ' ἄπορος κρείσσων; εἷς σόος ἄμμε λύσει.

ROBERTVS KEARNEY Eloquentiæ Profeſſor in Academia Pariſienſi.

Digitized by Google

ARGVMENTA RERVM
QVÆ SINGVLIS TRACTATÆ
Capitibus in hoc volumine continentur.

		Caput.
FILIVS *Dei humiliatur, vt exaltetur.*	*pag.* 1	I.
De Christi per torrentem ad hortum transitu.	9	II.
Christus traiecto torrente, in hortum ingreditur.	20	III.
De Christi in horto tristitia.	31	IV.
De Christi, in horto, oratione prima.	46	V.
Redit ad suos somno oppressos, & inde secundò ad orationem sese recipit.	54	VI.
De sanguineo Christi sudore, &c.	59	VII.
De causis sanguinei sudoris.	76	VIII.
De Angelo Christum consolante.	89	IX.
De Angeli ad Christum legatione.	103	X.
De Christi armis ante pugnam.	115	XI.
Querela Christi à suis derelicti.	121	XII.
De inuitatis ad spectaculum.	127	XIII.
Mortales inuitantur ad sanguinis fontes.	147	XIV.
De Christo discipulos monente.	156	XV.

Digitized by Google

Caput.		pag.
XVI.	*De Christi venditione.*	165
XVII.	*De mala Iudæ mercatura.*	174
XVIII.	*De aduentu Iudæ, & armatorum.*	186
XIX.	*De Christo hostibus obuiante.*	191
XX.	*De osculo Iudæ proditoris.*	203
XXI.	*De Christi comprehensione.*	224
XXII.	*De Malchi vulnere.*	227
XXIII.	*De militum iniurijs.*	233
XXIV.	*De Apostolorum fuga.*	248
XXV.	*De Christi deductione ad Caïpham.*	261
XXVI.	*De testibus in Christum subornatis.*	271
XXVII.	*De malo superioris exemplo.*	287
XXVIII.	*De Christi examine coram Caïpha.*	294
XXIX.	*De Christi responsione.*	302
XXX.	*De cæteris iniurijs Christo illatis apud Caïpham.*	321
XXXI.	*De dolore B. Virginis.*	353
XXXII.	*De causis Petri lapsus.*	363
XXXIII.	*De prima Petri negatione.*	367
XXXIV.	*De secunda Petri negatione.*	384
XXXV.	*De tertia Petri negatione.*	394
XXXVI.	*De galli cantu.*	410
XXXVII.	*De respectu Christi in Petrum.*	424
XXXVIII.	*De pœnitentia Petri.*	443
XXXIX.	*De Petri sui ipsius reprehensione.*	457
XL.	*De lachrymarum hospitio.*	484
XLI.	*Cur permiserit Deus Petrum labi.*	506
XLII.	*De Christi ad Pilatum deductione.*	521
XLIII.	*De Iudæ exitio.*	533

INDEX CAPITVM.	pag.	Caput
De triginta argenteis.	542	XLIIII.
De Christi examine coram Pilato.	550	XLV.
De missione Christi ad Herodem.	556	XLVI.
De prælatione Barrabæ Christo.	564	XLVII.
De inconstantia Pilati.	583	XLVIII.
De dominicæ flagellationis Præludijs.	597	XLIX.
Tradidit Pilatus Iesum flagellis cæsum vt crucifigeretur.	616	L.
De Christi flagellatione.	630	LI.
De inuitatione Mariæ, ad flagella.	651	LII.
Mortales inuitantur ad flagellationem.	661	LIII.
De exulceratione Dominicæ carnis.	680	LIV.
De corona spinea.	690	LV
De arundine.	707	LVI.
De irrisionibus militum.	717	LVII.
De Ecce homo!	731	LVIII.
De ambitione Pilati.	749	LIX.
De baiulandæ crucis figuris.	767	LX.
De baiulatione crucis.	776	LXI.
De instrumentis crucifixionis.	801	LXII.
De dolore B. Virginis.	811	LXIII.
De Christo cruci appenso.	821	LXIV.
De figuris Christi suspensi.	831	LXV.
De varijs Christi nominibus.	852	LXVI
De crucis titulo.	868	LXVII.
De primo Christi verbo in cruce.	873	LXVIII.
De bono & malo latrone.	888	LXIX.
De latronis conuersione.	894	LXX.
De secundo Christi verbo in cruce.	907	LXXI.

Digitized by Google

Caput INDEX CAPITVM. pag.
LXXII. *De pœnitentibus cœlum ingredientibus.* 913
LXXIII. *De B. Virg. ad crucem aßiſtentis dolore.* 921
LXXIV. *De tertio Chriſti verbo in cruce.* 931
LXXV. *De Solis ecclypſi ante Chriſti mortem.* 941
LXXVI. *De quarto Chriſti verbo.* 945
LXXVII. *De quinto Chriſti verbo.* 952
LXXVIII. *De ſexto Chriſti verbo.* 965
LXXIX. *De magna voce Ieſu: Conſummatum eſt.* 975
LXXX. *De ſeptimo Chriſti in cruce verbo.* 981
LXXXI. *De tradito Spiritu Chriſti.* 986
LXXXII. *De ſignis in morte Chriſti factis.* 992
LXXXIII *De ictu lanceæ.* 1003
LXXXIV. *De inuſitata Chriſti morte.* 1012

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM est authoritate Regis, ne quis in regno suo alijsve locis suæ ditioni subiectis: *Barnabæ Kearnei Cassellensis Hiberni, è Societate Iesu, Heliotropium, siue Conciones de Mysterijs Redemptionis humanæ, &c.* absque Sebastiani Cramoisy Bibliopolæ Parisiensis iurati permissu, iuxta proximos sex annos imprimat, aut diuendat à die publicationis. Horum exemplarium, qui secus fecerit, multa indicta, prout ampliùs in diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Parisijs 18. Iulij 1633.

De mandato Regis,

Sic signatum,

POITEVIN.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Franciæ.

BArtholomæus Iacquinotius Præpositus Prouincialis in Prouincia Franciæ, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. May 1583. Henrico Magno 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem hominibus conscriptos, absque Præpositorum ipsius consensu imprimãt, Sebastiano Cramoisy Bibliopolæ iurato, & ciui Parisiensi permitto vt librum, cui titulus est, *Barnabæ Kearnæi Cassellensis Hiberni, è Societate Iesu, Heliotropium, seu Conciones de Mysteriis Redemptionis humanæ, &c.* typis exeudendum curet, excussúmque diuendat ad sexennium. Datum Flexiæ 25. Iunij 1633.

BARTHOL. IACQVINOTIVS.

HELIOTROPIVM

Digitized by Google

HELIOTROPIVM

SEV CONCIONES

PER ANNVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPVT PRIMVM,

ET

PROOEMIVM OPERIS.

Filius Dei humiliatur, vt exaltetur. [*Sapientia humiliati exaltauit caput illius.*] Eccleſ.11.

POSTQVAM Iſaias Propheta illuſtria quædam, & maximè omnibus admiranda, de Saluatoris noſtri ſplendore, & gloria nobis propoſuiſſet, illum ſcilicet, præ reliquis exaltandum, & ſupra omnium, non modò gloriam, verum etiam cogitationem in ſublime efferendum: [Exaltabitur, inquit, & eleuabitur, & ſublimis erit valde; iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt Reges os ſuum;] ſtatim inſeruit inſignem eius humiliationem, & ignominiam, quam

Chriſti exaltatio humiliationi præmittitur.

Iſai. 52.

Digitized by Google

Prophetiæ oculo illi in passione irrogandam præuiderat, dicens: [Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius inter viros aspectus eius.] Quasi diceret: quanta erit omnium de eius virtutibus, miraculis, atque prodigiis admiratio, tanta etiam eiusdem exaltationi ignominia, & contemptus respondebit, vt qui ante passionem speciosus forma præ filiis hominum, fuerit, in ipsa passione inusitata deformandus sit excarnificatione, vt aspectus eius horrorē potius, quam delectationem intuentibus iniecturus sit. [Speciosus formâ (inquit Bernardus) præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species, neque decor, vt sibi speciosam, atque decoram acquirat sponsam Ecclesiam, sine macula, & sine ruga.]

Bern. serm. 28. in Cant.

2. Præmisit itaque æternus pater filij sui gloriam, eiusque nominis exaltationem, ante atrocissimam passionis torturam, ne fidelibus & electis tam crudelis Dominicæ Passionis carnificina scandalo, sicut Iudæis; aut stultitiæ, vti Gentibus, haberetur. Vnde Augustinus: [Christus crucifixus Iudæis videtur esse scandalum, Gentibus stultitia: nobis autem credentibus vbique sponsus pulcher occurrat: pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in intellectu.] Nam quem aliquando Iudæi miracula, & prodigia patrantem suspexerunt, magnúmque appellarunt Prophetam, lætísque acclamationibus Hierosolymam triumphantis more ingredientem exceperunt, paulò

August. in Psal. 44. Christus vbique pulcher.

Digitized by Google

pòst, versa vice, eadem voce, qua Regem, qua Propheram, qua incredibilem prodigiorum patratorem compellarunt, seductorem, blasphemum, latronum antesignanum, & ignominiosæ crucis supplicio dignissimum succlamarũt: [Crucifige, crucifige;] eóque miseriarum per eos tandem adductus est, vt quanta miraculorum, & virtutum gloria apud eos antea celebrabatur, tanta postmodum affectus sit ignominia, vt inter viros nouissimus esset, & inglorius aspectus eius. [O (exclamat Bernardus) nouissimum & altissimum! ô humilem & sublimem! ô opprobrium hominum, & gloriam Angelorum! Nemo illo sublimior, nemo humilior.] Et addit [mirabilis passio tua Domine Iesu, quæ passiones omnium nostrum propulsauit. In hac passione fratres, tria specialiter conuenit intueri: opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Patientiæ recordatio omnem arcet voluptatem, humilitatis recordatio superbiam vitæ prorsus retundit, charitas omnino vitium curiositatis exsufflat.] En quem vidit sedentem super solium excelsum Isaias, modo intuere [non solum infra Angelos, aut inter homines, sed tanquam leprosum, non in carne tantum, sed in similitudine carnis peccati. Tu quoque si desideras videre sublimem, humilem prius videri curato. Intuere prius exaltatum in deserto serpentem, si videre desideras Regem in solio residentem. Ista te humiliet visio, vt illa exaltet humiliatum.] Et ne nobis videretur incredibile ex ea humili, abiecta, tenui, atque ignominiosa specie, ad tantùm postea splendorem, & gloriam

Vulgi inconstantia.

Ber. de pass. Antitheta.

Isai. 6. Ber. de verb. Isa. serm. 1.

peruenire eam potuisse, aut à tanta corporis turpitudine mundari, quantam ipse hoc passionis tempore præ se ferebat; cælestis pater, per prophetam, prædici, & prædicari eius gloriæ, ac pulchritudinis præconia voluit: vt quemadmodum à nostro fœdissimę lepræ tabo, in hac passionis excarnificatione deformitatem ita contraxit, vt inglorius, præ omnibus, haberetur, sic statim à passione regali indutus gloriæ trabea, splendore suo, & ineffabili pulchritudine ipsis etiam Angelis ad stuporem glorioſus colluceret; [Vt sicut in eo (inquit Abbas Ioachimus) aliquando diuinitatis suæ gloriam occultabat humanitas; ita tunc humanitatis eius abiectio exinanita à maiestatis gloria, & ab splendore summæ lucis absorpta videatur.]

Ioachimus.

Isai.53.

3. [Quis (inquit Propheta) credet auditui nostro?] quis credet, quæ de Messiæ gloria, maiestate & splendore superius diximus, si eius ignominias, cõtemptum, humiliationem, opprobria, cruciatus, & ignominiosam denique mortem attentius velit considerare? vel quis credet auditui nostro, si omnia, quæ obiecta sunt mihi diuinitus, de Christi exaltatione, maiestate, & gloria velim exponere; præsertim si in operibus vsque adeò in speciem ignobilibus inesse tantam de prædicem gloriam, aut cui reuelatum est, rebus hominum æstimatione & iudicio infirmis, cæleste brachium sese intermiscere, Deique illis inesse fortitudinem; cùm potiùs indubia infirmitatis, quàm fortitudinis præferant argumenta? quid enim infirmius, quàm in vili præsepio nasci? in Ægyptum, præ metu, fugere? graui in deserto fame affici? pseudoprophetæ instar haberi?

Difficile creditu infirmum fortem esse.

Infirmitatis argumẽta.

populi ſeductorem exiſtimari, & à dæmone poſſideri? columnæ palpitanti pectore, & nudo prorſus corpore alligari, flagellis ſubdi, ſpinis coronari, ad probroſam crucis mortem, inſtar latronis, condemnari; cruci clauis affigi, & anguſto denique ſepulchro coarctari? certè, niſi nos fides aliter docuiſſet, hæc tam indigna, &, in ſpeciem, abſona, in diuinam cadere maieſtatem nunquam crederemus. Sed hæc ab ipſa prima veritate, quæ mentiri non poteſt, didicimus. Ait enim: [Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt, per prophetas, de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur; & poſtquam flagellauerint, occident eum.] Ecce infirmitatis argumenta! & ſtatim ſubditur: [Et die tertia reſurget.] Ecce brachium Domini infinitæ fortitudinis teſſera! Nobis quoque acclamat Gentium Doctor, confirmans, quæ à Propheris dicta de filio hominis: [Humiliauit ſemetipſum, inquit, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.] Ecce infirmitatis ſignum. Sed audi exaltationis: [Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. [Non laborat (inquit Ambroſius) Apoſtolus potentiam Chriſti probare, ſed obedientiam prædicare, ſed demonſtrare quanta ſit humilitatis gratia, quantus eius profectus.] Et infrà, [ſi putas quod Chriſto profuit humilitas ſua, cui ergo non proderit? ſi illum exaltauit, quem non augebit? factus eſt miniſter, omnium dominus, & auctor omnium vapulauit, pedes lauit, crucifixus eſt, mortuus eſt. Sed in his omnibus detrimentum nullum video diuinitatis eius,

Luc. 18.

Philip. 2.

Ambroſ. in Pſalm. 118. *Octon.* 20.

Humilitas exaltat.

profectum operationis agnoſco. Qui nihil habebat quod ad poteſtatem ſuam adderet, habuit quod ad cultum ſuæ maieſtatis adiungeret. Audeo dicere: operationis ſuæ munus amiſerat, niſi id humilitas recepiſſet. Itaque nos quidem redemit, ſed etiam ſibi acquiſiuit. Nihil ergo humilitas affert diſpendij. Ille qui ſe exinaniuit, plenus eſt. Ille qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo formam ſerui accipiens, in gloria eſt Dei patris.] En quam potens humilitas ad exaltandum etiam in cruce Chriſtum, & ad diuinæ maieſtatis cognitionem ignaris hominibus ingerendam!

Humilitas Chriſtum exaltat.

4. Humilitas itaque Chriſtum exaltauit, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Quibus etiam verbis ad illud Iſaiæ Apoſtolus alludere videtur: [Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde: quæ, vt ait Hieronymus, Chriſto, non vt Dei verbo, aut ſapientiæ, ſed vt ſeruo, & puero congruunt, qui cum in forma Dei eſſet, formam ſerui dignatus eſt accipere, factus obediens patri. Habitum itaque piloſi ac hiſpidi Eſau ſumpſit, talémque carnalibus obiectum oculis mundi amatores reputarũt: verum perſpicax nunquam fallentis fidei auditus credit ſub vili humanitatis velo, diuinam celari maieſtatem. Nam, vt optimè animaduertit Bernardus, [ſuum eſt quod auditur ex eo, quod in eo videtur noſtrum, quod loquitur ſpiritus & vita eſt, quod apparet mortale, & mors: aliud cernitur, & aliud creditur: nigrum ſenſus renunciat, fides candidum, & formoſum probat.]

Diuerſa de Chriſto iudicia.

Ber. ſer. 28. in Cant.

5. Huius rei quoque typus Rex Dauid olim

exſtitit, qui regalibus exutus veſtibus, & obiecta amictus lacerna, coram arca teſtamenti gaudio exundans ſubſilijt, & licet à coniuge ſua Michol Saulis filia, irrideretur, & contemptui haberetur, non omiſit tamen humilitatis obſequium Domini arcæ exhibere, & vxori procaciter inſultanti: [quam glorioſus fuit hodie Rex Iſraël diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris,] reſpondit: [Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, & quam omnem domum eius, & præcepit mihi, vt eſſem dux ſuper populum Domini, in Iſraël, & ludam, & vilior fiam plus quam factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus loquuta es, glorioſior apparebo.] In cuius deriſionis vltionem non eſt illi natus filius vſque in diem mortis ſuæ. Quam pulchrè expreſſit hic Saluatorem noſtrum Synagogæ irriſioni, contumeliæ, ac contemptui ſubditum. Sicut igitur [non erubuit Dauid (vt ait Ambroſius) fœmineas opiniones, nec opprobria apud mulieres ſubire, pro religionis obſequio, verecundatus eſt: ludebat enim Domino puer ſuus, & ideo amplius placuit, quia ita ſe humiliauit Deo, vt regale poſthaberet faſtigium, & vltimum exhiberet Deo quaſi ſeruulus miniſterium.] Sic Chriſtus hominum animas in æterna tranſmiſſurus tabernacula, ſplendido diuinitatis paludamento depoſito, vilis ſerui formam induit: [Formam ſerui accipiens, & habitu inuentus, vt homo.] Et quamuis explo deretur, contumeliis afficeretur, irrideretur que à Synagoga; eius irriſiones, & contumelias, præ noſtri amore, nihili fecit, ſed

Typus Chriſti Dauid humiliatus 2. Reg. 6.

Ambr. lib. 4. Epiſt. 30.

Philip. 2.

velut alter Dauid, re ipsa, ait, ad columnam, & crucem nudus omnino expositus, & tanquam vile mancipium flagellis subditus: vilior fiam modo patris voluntatem, quæ est animarum salus, perficiam, plus quam factus sum hactenus, cum in infamem crucis arborem exaltatus fuero, & ero humilis in oculis meis, mecum considerans, quorum personam gero, peccatorum nimirum, quorum causa ad hanc mei vilitatem redactus sum, & cum ancillis, animis scilicet gratia humilibus, meæque passionis participibus in glorioſæ resurrectionis die glorioſior appaream. Quare repudiata Synagoga, instar Michol, desinet procreare in posterum spiritalia germina, quæ mihi pariet Ecclesia vxor agni.

6. Viuit ergo Dominus, vnusquisque dicat, viso arcæ Domino, nostri causa, patiente, vt animæ domos illustrioribus cumulet benedictionibus, quam testamenti arca domum Obedædom: dicat, inquam, viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui me pretioso sanguinis sui lytro redimit, & ludam, & vilior fiam, pluſquàm factus sum, & ero humilis in oculis meis, ludam, vt cum Christo illudar, & lusu meo humani generis hosti insultem. [Bonus ludus (inquit Bernardus) quo Michol irascitur, & Deus delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet, bonus ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Nam reuera quid aliud sæcularibus, quam ludere videmur, cum quod ipsi appetunt in hoc sæculo, nos per contrarium fugimus, & quod ipsi fugiunt, nos appetimus.] Ipsi honores, diuitias, voluptates appe-

Bern. epist. 87.

Bonus ludus cũ Christo illudi.

tunt: nos Christo coram passo, irrisiones, contumelias, opprobria appetimus, vt illi similes simus. [Hoc casto (ait idem sanctissimus pater) & religioso ludo, ludebat, qui dicebat: Spectaculũ facti sumus Deo, Angelis, & hominibus. Hunc ludum & nos interim ludamus, vt cum Christo illudamur, confundamur, humiliemur: donec veniat à passione, qui potentes deponit de sede, & exaltat humiles, qui nos lætificet, glorificet, in æternum exaltet.] Precor igitur illum, cuius vobis nunc admirandam obedientiæ constantiam, in cruciatibus patientiam, mansuetudinem in tolerandis iniuriis, eximiam in nostra salute promouenda charitatem imitandam proponere statui, vt in euoluendis redemptionis nostræ monumentis, contemplandisque cælestis œconomiæ mysteriis sit studium nostrum, & ludus, vt cum pio dolore, ac singulari mẽtis affectu, quod Christiani hominis est, tam horrendæ & luctuosæ passionis tragœdiæ lachrymosissimus spectatores, Christique in omnibus seduli imitatores, vt qui eius glorioſæ resurrectionis participes esse cupimus, eius prius passionis simus socij. 1. Cor. 3.

De Christi per torrentem ad hortum transitu.

CAPVT II.

ANtequam immensum dolorum, ac passionis oceanum ingrediamur, Christum torrentem animosè pertranseuntem comitemur. Et forte rapido torrentis cursu, in ipso ingressu, à

propositō deterreamur, Christum ducem, imperterrito vultu præeuntem, suóque contactu torrentis impetum mitigantem intuentes, saltem à longè, pro viribus subsequamur. Dauid quidem torrentem Cedron, persequente eum filio suo Absalone, timore perterritus, mœrens, ac lachrymas, pudore simul, ac dolore pleniſſimas fundēs, cum paucis transiit. Noster vero Dauid, licet omnes eum ferme creaturæ persequerentur, illique horrendum inducerent bellum, cælesti patre id permittente, tantum abest tamen, vt timore consternaretur, aut mœrens lachrymas funderet, vt potius nostræ salutis amore inflammatus, acerbæ passionis torrentem magno animo, paucis comitatus discipulis pertransierit. Quidni ergo & nos, tanti præsertim ducis virtute animati, si participes cum Apostolis infiniti passionis meriti esse velimus, generosè traiiciamus?

Figura. *2. Reg. 15.*

Christus intrepidus Passionis torrentem aggreditur.

2. Hymno igitur dicto; tum in gratiarum actionem Deo patri ob cœnam; tum maximè ob passionis tempus sibi iam propinquum, cum discipulis progreditur, cuius dilatio, pientissima illius viscera adeo excruciabat, vt iam illa appropinquante, ex intimo animi desiderio, in hæc amoris plena modulando affectu saltem, erumperet verba: [Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec veniat?] baptismo nimirum sanguinis, in quo omnes filiorū Adæ sordes eluam. Hinc sanguineo illi appropinquans balneo, præ patiendi, pro nobis, lætitia mortique vicinus, quemadmodum cycnus semel in vita, idque in mortem abiens, canere solet: sic candidissimus noster innocentia cygnus nusquam aliàs cantasse legitur, nisi hodie mortem obiturus, vt sanctè

Christi patiendi desiderium.

Luc. 12.

Digitized by Google

morientium, morti iam proximus, ſuo cantu nobis ſpeciem exhiberet; ſicuti è contrario ſui magiſtri proditor Iudas, ad laqueum deſperabundus properans, rauco & intempeſtiuo ſtridore dicens: [Peccaui tradens ſanguinem iuſtum,] impie morientium imaginem nobis etiam proponit.

Natura cygnorũ & Syrenum ad mortem properantium.

3. Tradunt phyſici cygnos morti proximos, ſuauiſſima modulatione canere; & è contrario monſtra illa marina Syrenes inconcinno eiulatu, & ſtridula voce mortis horam expectare; quod ſanguinis vtrorumque diſparitati Ariſtoteles aſcribit, qui mortis tempore, natura duce, ad cor, tanquam principem vitæ fontem recurrit, quo imminens illi periculum, quantum poteſt, auertere conetur. Cygnæus vero ſanguis, quia liquidus, purus, & generoſus, vbi ſe deficere perſentiſcit, omnem ſuam vim exerit, vt veluti armatus contra naturæ hoſtem, celerem Principi ſuo ferre opem contendit, cuius vigore animata auis, morte iam appetente, in dulciſſimas erumpit voces, quaſi finem ſibi à creatore præſtitutum, breui conſequuturа. Verum Syrenum ſanguis, licet naturæ etiam inſtinctu, ſeſe ad cor tuendum feſtinè recipiat, quia tamen grauis, virulentus, & ignobilis eſt humor, tantùm abeſt, vt illud corroboret, confirmet, aut vegetum reddat, vt potius grauiſſimum, ac triſtitia confectum efficiat, ac proinde ſua labaſcens mole, ingrato quodam ſono, triſtique ſtridore potius, quam ſuaui aliqua harmonia, fato concedit. Nam ſicuti cygni (quibus iuſti aſſimilantur) quaſi præuidentes quid in morte boni ſit, cum cantu & voluptate moriuntur; ſic illæ quibus impij perſimiles, quid in

Ariſtot. in problemat.

morte mali futurum præsagientes, cum tristitia, & eiulatu pereunt. Idem igitur & nos de Christo, & improbo Iuda dicamus. Christus siquidem instar candidissimi cygni iubilando, canendoque ad mortem properat, purissimo, sanctissimo, ac generosissimo velut virtutum, meritorum ac singularium operum sanguine ad cor sese recipiente, sibique ob oculos versans, & sui corporis ineffabilem gloriam, quam statim à passione erat consequuturus, & simul electorum multitudinem tanto gaudio afficitur, vt à suaui cantus modulatione abstinere non possit, quamuis in quendam cruciatum, ac dolorum Oceanum ingredi incipiat; improbus vero Iudas Syrenum instar, mille anxietatibus, ac doloribus impuram lancinantibus conscientiam, ad laqueum festinat; impurissima enim illa, crassa, ac nigerrima desperationis sanies, & iniquissimæ proditionis tabes menti perturbatæ semper obiecta, eius cruciatus, dolores, ac tristitiam non mediocriter auxit. Hinc ad turpissimam abiens mortem lamentando, gemendo, suspirando, desperandoque vitam cum visceribus medius crepans effudit. Quare optimè, sicut de cæteris etiam male morientibus de hoc diaboli mancipio, ait Psalmographus: [Mors peccatorum pessima.] Noster itaque cygnus, vt nos ad sui in vita, imitationé prouocet, spemque nobis solidi gaudij ingerat (si pie sanctequè vitam agere velimus) in morte, in mortem abiturus suauiter canit. Dulcissimo iam cantu absoluto, aggreditur cum discipulis torrentem Cedron: torrentem quidem Christo cruciatuum, & dolorum; nobis vero flumen perenni gratiarum alueo fluens, cuius impetus totam

Quam diuersa mors piorum & impiorum.

Psalm. 33.

Digitized by Google

Ecclesiam irrigando lætificat.

De torrente passionis cũ Christo bibendum.

4. Ecce modo Christus torrentem transit! animosè igitur eum insequamur, vt sanguineo eius sudore, in horto perfusi, omnem peccati immunditiam exuamus. Et licet huius torrentis aquæ vix fortasse genua nobis attingant; tanto tamen impetu feruntur, vt fortius in vado figi oporteat aliquando, ne abripiamur pedes. Quare Christus ipse prius torrentem ingressus, fortius subinde infigit pedes, vt subsequentes simul doceat, animet, & sustentet Apostolos, nosque eorum exemplo incitati, impauida fronte, subsequamur, cælesti ducis nostri præsertim virtute subnixi. Nec satis illi fuit pedibus aliquando in vado consistere, nisi etiam intrepidus de ipso tribulationis torrente auidè biberet, vt suos doceret Apostolos, electosque omnes, non satis esse res arduas desidetio aggredi, passiones Christi causa, animo solum concupiscere, nisi etiam eas reipsa, pro tuenda virtute parati sint ebibere: [de torrente enim in via bibit Christus, propterea exaltauit caput.] *Psalm.109.*

5. Vere de passionis torrente bibit, ac propterea exaltauit caput, iuxta illud Apostoli: [Propter quod & Deus exaltauit illum.] Vnde Gregorius: [De torrente, inquit, in via bibit Dominus, quia mortem in transitu gustauit, atque ideo exaltauit caput, quia hoc quod moriendo in sepulchro posuit, resurgendo super Angelos eleuauit.] Bibit quidem de passionis torrente sæpius mente, ac cogitatione, ex quo postea pleno hausto, reipsa vsque ad fæces bibit. Bibit, inquam, vt laborum aquas in se amarissimas, suo contactu discipulis, & nobis suaues redderet: bibit vt passionis *Philip.2.* *Gregor. ho. 25. in Euāg.*

Christus labiorum attactu amarum passionis calicem suauem reddidit.

calix, qui amarus esse solet, & gustu formidabilis in posterum formidandus nobis non esset, sed gustu gratissimus. Quem enim Christus ipse labiis suauissimis, & gratiarum donis perfectissimè delibutis gustauit, nequit esse nisi dulcissimus, & gratia plenus. Cum enim gratia sit per labia eius diffusa, quid suauitatis ac gratiæ in illo calice non adhæresceret, cui ipse tam gratiosa admouit labia? Si enim lignum illud Mosaïcum in amarissimas immissum aquas tantæ virtutis & efficaciæ fuisse Scriptura commemorat, vt aquas illas amarissimas, gustuque insipidas, in dulcissimas statim conuerteret; quid de Christi (qui lignum vitæ in sacra Scriptura nominatur) diuinis censendum labiis? nónne par est, vt tactu suo amarissimas etiam passionis aquas, in mellis dulcedinem commutet? quam ob causam (vti reor) Christus filius vnicornium à Dauide appellatur: [Dilectus, inquit, quemadmodũ filius vnicorninm.] Huic siquidem animali à natura insitum esse ferunt, cornu quod in fronte gerit, attactu aquas veneno infectas, expurgare. Quamobrem cætera vbi accedunt animalia ad fontem veneno infectum, licet maximam patiantur sitim, è venenosa tamen fontis aqua bibere non audent, donec vnicornis aduenies, sui cornu attactu, omne ex aqua venenum eximat; tunc & ipsa ex aqua, cæteraque pariter animalia bibunt.

Lignum aquas amaras dulces reddit.

Exod. 15. Apostol.

Psalm. 28.

Vnicornis cornu attactu aquas veneno infectas expurgat.

Passionis sublato amarore Christus audacius bibit, nosque ad bibendum inuitat.

6. Nónne Christus verè filius vnicornium fuit, qui labiorum suorum attactu, tribulationum, passionum, & dolorum aquam alioqui amarissimam, & quasi absynthio medicatam, amarore omni sublato, & impatientiæ veneno, in mellis fauum, vitam gustanti tribuentem, conuerso mu-

tauit? Hodie itaque torrentis aquas amaritudine plenas tranſiit, vt ex iis bibens ſuauiſſimas redderet, cuius ſuauitate veluti ebrius, reliquam paſſionis partem facilius exequeretur, nóſque ſublato omni veneno, ac peccati amaritudine, illas etiam eius gratia, iam nobis dulces redditas ebiberemus. Quid enim aliud Regius propheta voluit, dum de torrẽte in via Chriſtum bibiſſe ait, quam illum dum adhuc viator eſſet, tanto amoris æſtu laboraſſe, vt ſolius torrentis paſſionis calice, tam vehementem ſitim extingui poſſe ſignificaret, nóſque ad illius deſiderium, omni iam ab eo amaritudine deterſa inflammaret? Quare cum torrentem hodie tranſiret, non potuit ſe cohibere, præ ardente animarum ſiti, quin auidiſſimè biberet. Maximè enim optabat pro peccatoribus pati, ac proinde labores, ac tormenta, quæ ſibi ſubeunda vidit, tanquam ſuauem aquam amore exæſtuans, & ſitibundus expetiit; iiſque quaſi frigida aqua ardentem patiendi ſitim, ſicuti febricitans ſolet, excitare feſtinauit, nobíſque etiam ſitim quælibet ſubeundi, ſui gratia; ac propterea torrentem animosè tranſiiſſe dicitur. Et quoniam tãtæ ſitis appetitus, laborum, ac paſſionum ſolummodo recordatione extingui minimè potuit, ſibi in horto ſecundum hauſtum, non aquæ tantùm, ſed ſanguine mixtum, bibendum deſignauit, vt ſaltem aliqua ex parte immenſa eius ſitis, vſque ad paſſionis conſummationem, non tam mitigaretur, quam ſanguinis effuſione magis irritaretur.

7. Quemadmodum ille cui multus ſanguis extractus eſt, mirum in modum ſitire ſolet: ſic Chriſtus in corde amoris vulnere accepto, quaſi ex- *Simile.*

tracto sanguine, ita sitit, vt nihil eius sitim, præter animarum salutem, sedare possit. [Vulnerasti, inquit, cor meum, sponsa mea vulnerasti cor meum.] Ecce cum tot illi in passione inferenda vulnera fuissent, quomodo vulneris tantum in corde accepti, mentionem facit! nónne Domine tot in capite, pectore, manibus, pedibus, ac in toto denique corpore vulnera accepturus es, vt instar cribri, nihil sit sacratissimæ cutis tuæ futurum integrum, nihil quod non largissimè sit sanguinem profusurum, nihil quod nõ sit plagis replendum, adeò vt Isaias te penitus vulneribus deformatum prædicet: [A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.] cur ergo de solius cordis vulnere conquereris? Cordis quidem, respondes, vulnus, amoris iaculo inflictum, ita vehemens esse solet, vt reliquorum vulnerum dolores prorsus absorbeat. Vulnerato itaq; corde meo charitatis sagitta, facile me in toto corpore flagellis, spinis, clauis, & lancea permittam vulnerari. Priùs ergo Domine nostri amore, quàm crucis tormento interficeris? amor nostri Deicida potiùs, quàm Iudæi, & Gentiles? [in vno, ais, oculorum tuorum, & in vno crine colli tui, me vulnerasti:] hæc sunt passionis meæ instrumenta, his armis occidar, amoris nimirum ictibus, quo in humanam feror naturam, hæc me ad transeundas torrentis aquas animarunt. Vestri igitur amor, causa sitis, causa sanguinei sudoris, & mortis erit præcipua.

Cant. 4.

Magis amoris vulnere quam omnibus corporis sauciatur.

Isai. 1.

S. Sed quoniam aquæ debilitas in horto vim quodammodo sanguinis poculo subtractura adeò videtur, vt sitim omni ex parte non sit sedanda, non tãtùm ex puro sanguinis calice, columnæ alligatus

alligatus hauſtum ſumet, ſed ſeſe ita velut ingurgitabit, vt ſalutis noſtræ calice ebrius, in vniuerſum orbem propitiatorium ſit effuſurus. Quare noua exagitatus ſiti, non poterit, quin in cruce, mirum in modum adhuc ſitiens, exclamet: [Sitio.] Ecce quanta hæc noſtræ ſalutis ſitis; quemadmodum ſi in ardentem fornacem aquæ calicem infundas, illam non extingues, ſed eo magis flagrabit, ſuumque incendium intendet; ita quo plures paſſionis, & tormentorũ aquæ in Chriſti pectus, amore incenſum, immittentur, eo magis charitate feruebit, amoriſque incendia augebit. Quid mirum ergo, ſi tranſiens per torrentem, in via bibit, cuius ſitis magis aç magis bibendo creſcebat, quo nos doceret, ſitim etiam noſtram eò magis augeri debere, quò frequentius paſſionis calicem deguſtamus.

Simile. Chriſti ſitis patiendo augetur.

9. Subſequamur igitur ducem noſtrum, per torrentis aquas tranſeuntem, & conſideremus eum nudis pedibus, genuum tenus aquas iam paſſionis pertranſire; conſideremus quam animosè, quam libenter, quam promptè illius magni paſſionis oceani in hoc torrente prælibationem capiat. Tranſire cum eo, ſi velimus, prius calceamenta de pedibus noſtris deponamus, prauos nimirum animi affectus: torrens enim per Chriſti pedes, ſanctificatus eſt. Tibialia quoque deponamus, ſordes nimirum animæ, vt ſic eum promptè, & alacriter ſubſequamur. Et ſi dixerit nobis, præ commiſeratione, vt in littore remaneamus, reſpondeamus ei, quod Ethai Dauidi, per torrentem à furore Abſalonis fugienti. Vidit Dauid Ethai feſſum, ac proinde, vt rediret Hieruſalem, obſecrauit: [reuertere, inquit, & re-

duc tecum fratres tuos, & dominus faciet tecum misericordiam, & veritatem, quia ostendisti gratiam, & fidem.] Respondeamus inquam, Christo, quod ille Dauidi: [Viuit Dominus, & viuit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.] Sed caueamus ne in promissis, cum Petro, & cæteris Apostolis inconstantes simus. Nonne illi cum Ethai Christo respondérunt: [Parati sumus ire tecum in carcerem] imò & ipsam subire mortem, qui tamen promissis non steterunt, sed prælij tempore, ac periculi, tanquam imbelles, ac meticulosi milites terga verterunt.

2. *Reg.* 15. *Sequamur Christum in vita & morte.*

Luc. 22.

Sed transeamus cum illo vadum; at si quis inter nos certamen paueat, quod Christus inturus est cum Iudæis, Gentibus, Dæmone, morte, & peccatis vniuersis, truculentissimis sane hostibus, domi potius remaneat, ne cæteros pauere faciat. Voce præconis olim in castris Israël cautum fuit, ante diem pugnæ, ne quisquam formidolosus ad bellum venire præsumeret, ne in ipso pugnæ aggressu pedes fœdius retrahens, alios terrefaceret. [Quis est homo formidolosus, & corde pauido? redeat, & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.] Militis enim est, in bello non pauere, nec timere mortem, sed potius optare: vt enim ait Epaminondas: [pulcherrima est mors in bello:] quod verissimum est in hoc bello, quod Christus aggreditur. Qui igitur eius sequi vestigia, ac eius causa, sicut ipse pro nobis pugnat, præliari velit, pro iustitia, pro Ecclesia, pro Dei honore, nihil ipsi præclarius, quam

Deuter. 20. *Pauidi in bello spiritali non simus.*

in huiuſmodi bello mori. [Pulchrior eſt miles cæſus in prælio (vt ait Liuius) quam in fuga ſaluus.] Eſto itaque Chriſtiane miles, victima, vt cum tempus fuerit, pro Chriſto immoleris: vox tua illa ſemper ſit cum Cæſare: [Diſce ferire, diſce mori.]

Liu. l. 2. Valer. Max. l. 2. cap. 8.

11. Solebant olim milites Elephantis in bello pugnaturis ſanguinem vuæ, & mori oſtendere, vt eos ad præliandum exacuerent. Sic Chriſtus breui nobis oſtenſurus eſt, non vuæ, aut mori ſanguinem, ſed ſuum pretioſiſſimum cruorem, vt nos ad prælium, cum tartareis hoſtibus generosè ineundum animet, quo vtinam ebrij ad pugnam animoſiores reperiamur! vtinã eius paſſionẽ nobis sẽper ob oculos habentes illâ nos armemus, vt veluti ſtrenui milites contra omnes inimicorum inſultus in acie ſtemus! Vtinam in ore, in corde, in opere, nos de illo generoſo ſanguinis calice guſtaſſe deprehendamur, ſicut ipſe per torrentem tranſiens, amarum paſſionis poculum ſuo admouens ori guſtauit in prælio [Hæc, inquit Bernardus, mihi in ore frequenter, hæc in corde ſemper, hæc ſtylo meo admodum familiaris, hæc mea ſublimior interim Philoſophia, ſcire Ieſum, & hunc crucifixum.] Si ergo inter nos, quiſquam formidoloſus, cui Chriſti paſſio cordi non ſit, deſinat cum eo torrentem tranſmittere: nam à torrente in maris abyſſum, eum nos ſequi oportebit; vnde paratas habere cymbas, animæ ſcilicet noſtræ affectus debemus, vt ſiquando nobis videatur oceano ſanguinis ſui immergi, affectu ſaltem noſtro, ex paſſionis abyſſo, illum eripiamus. Vbi enim torrentem hunc pertranſierit, in hortum veniet, in quo rantum

Elephanti ad bellum mori & vuæ ſanguine propoſito acuuntur, & nos Chriſti.

Bernard. ſer. 41. in Cant.

sanguinis, ac aquæ diluuium fiet, vt iamjam quasi submergendus exclamaturus sit: [Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me] Tanta sane timoris, ac horroris tempestas me circundat, vt aquæ timoris, ac tormentorum, vsque ad animam meam intrauerint. Hæc de Christi, per torrentem, transitu.

Psalm. 68.

Christus traiecto torrente, in hortum ingreditur.

CAPVT III.

Obedientia Christi inobedientiam Adami reparauit.

1. QVonam te, bone Iesu, iam à cœna, traiecto feliciter torrente, confers? ad hortum Gesemani, vt video, properas, vt in eo repares, quod primus homo Adam destruxit. [Pulchre (inquit Rupertus) in horto voluit Adam secundus, id est, Christus, obediens inueniri, quia primus Adam in horto inobediens inuentus est.] Deinde, vt in eo antiqui illius pomi acerbitatem gustes, quo stuporem, quem sua amaritudine nostris intulit dentibus, mitiges, & insipido eius gustu satiatus, omne nobis patiendi fastidium adimas. Porro, [Vt vbi hominum ruina cœperat, ibi eiusdem (vt ait Cyrillus) reparatio exordium sumeret.] Cùm igitur in horto deliciarum, id est, in paradiso, primus humani generis peccauit, & inde in hanc lachrymarum vallem iectus est, ideo Christus secundus in hortum ingreditur, vt peccatum, quod in paradisi horto primus homo commisit, deleat, hominemque, per peccatum penitus destructum, sua gratia

Cyril. l. 11. in Ioan.

Digitized by Google

reparet. Denique seſe ad hortum recipit, tanquam ad locum Iudæ proditori notum, vt ſponte ſua ſe pati declaret. Vnde Theophylactus: [Media nocte, inquit, iter facit Dominus, feſtinatque venire ad locum proditori notum, vt oſtendat quod ſponte veniat ad paſſionem.] Et mox ſubdit: [Qui vincula timet, volat; pedibus enim timor addit alas, loca omnia fugit, in quibus comprehendi poteſt, at Chriſtus vincula minime horret; notum proditori locum non fugit.] Quemadmodum enim ſtrenui Duces minime hoſtem fugiunt, ſed potius in ipſo certaminis loco, aduentantem auidè expectant: ſic Chriſtus fortiſſimus Dux noſter, tantum abeſt, vt hodie dæmonem, Iudam, ac mortem deuitet, vt potius aptum etiam pugnæ locum quærat, hortum nimirum, hoſteſque ibidem diuina armatus virtute, præſtoletur. [Dominus enim ſicut fortis præliator egreditur, ſuſcitans zelum, & ſuper inimicos ſuos confortabitur.]

Theophyl. in c. 22. Luc.

Simile.

Iſai. 42.

Conſidera tamen Domine, te proficiſci ad bellum horribile ineundum, non modo cum Iudæis, ſed etiam cum potentioribus hoſtibus, peccato nimirum, diabolo, ac morte, imo cum patre tuo cæleſti, qui tuam, in ipſo conflictu, humanitatem relinquet deſolatam, meticuloſis hiſce tuis militibus, Apoſtolis inquam, qui paulo ante ferociſſimos ſeſe leones in cœna verbis oſtenderunt, in turpem verſis fugam. Cur non igitur illius potius in domum, vnde venerant, remiſſis, multas Angelorum legiones à patre in ſubſidium petis, qui te nunquam deſererent? promptiſſimi enim ſunt, vt celerem tibi opem ferant, quem ſuum agnoſcunt Deum. Sic cum in

Chriſto cum variis pugnandum.

BIBLIOTECA ROMA

Digitized by Google

deserto quadraginta diebus ac noctibus ieiunasses, tentationibus per diabolum lacessitus, trepidè accesserunt, & tibi ministrarunt. Id ipsum hodie, si velis, præstabunt, vel si mauis omnes tuos hostes, sine conflictu, è medio tollent, quemadmodum olim vel vnus eorum vna nocte blasphemi Senacherib in exercitum irrumpens centum octoginta quinque millia Assyriorum interemit. 4. *Reg.* 19. Nolo, inquis furari victoriam; nolo tam potentes hostes dolo, aut aliquo stratagemate, sed aperte Marte adoriri. Heu quid ais Domine? crucem tibi post horti ærumnas, post tot vincula, post tot flagella, contumelias opprobria, ignominiosam iamiam imminentem, si hortum ingrediaris, non perhorrescis! necem non extimescis? parata tibi supplicia exquisitissima non te exanimant? solus vis horrendum inire prœlium! [per calicem, ais, pertingitur ad maiestatem. Si igitur mens vestra appetit, quod demulcet, prius bibite mecum quod dolet: sic sic per amarum passionis poculum peruenitur ad gaudium salutis.] *Greg. Hom. 27. in Euāg.*

O amor nostri, quo te ducit, bone Iesu! [da Domine Iesu (exclamat Franciscus) vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignaris mori.] *Ingens in nos Christi amor.* Da, vt cum illa virgine Itala amore tui incensa intimo animi affectu tuo ebrius amore exclamem: [ô Deus! ô amor! ô ebrietas amoris! da mihi tantam vocem, quæ audiatur ab Oriente, vsque ad Occidentem, à cælo ad infernum, vt te amorem omnibus inclamem.] O amor quam parum cognosceris, quam parum amaris! ô mortales amate amorem vestrum, qui vos ita amat!

3. Vt video, Domine, sponsa tua te trahit ad



hoc bellum, quæ tibi elegit hortum pro primi certaminis loco, quasi tuæ maiestati imponens delicias præbitura; cum tamen tribulationes, & cruciatus in horto tibi paret! Ecce quam blandè te inuitet, vt blanditiis circumuentum, quo volet, trahat! [Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.] O sponsa, scio innatum tibi blanditiis tuum circumuenire sponsum: hoc didicisti à matre tua Eua, quæ sub specie delicati fructus amaram sponso blanda porrexit mortem. Veni auster, perfla hortum meum, vt omnino tuum esse facias: nisi enim fles, hortus nec fructus nec aromata offeret. Quare sicut tuus est hortus, sic illius etiam fructus tui sunt, qui tuo spiritu, velut Austro flante, emerserunt. En quomodo tibi! ô Christe, sponsa imponat! sed quid hæc tibi in memoriam reuoco, bone Iesu, qui probè intelligis blandiloquentiam sponsæ te allicientis ad hortum, tuo perflante Austro? [Veniat, inquit, in hortum suum dilectus meus, & comedat fructus pomorum suorum.] O quanta latet illecebra in hac inuitantis sponsæ deprecatione! veniat in hortum suum; hortus tuus est, quem plantasti, quem rigasti, cui incrementum dedisti, quicquid igitur ego possideo, non mei fructus, sed tui sunt, omnes deliciæ, quibus fruor, non meæ, sed tuæ. Veni ergo in hortum tuum, vt tuis in horto fruaris deliciis. Quis enim plantat vineam, & de fructu eius non edit. Cùm itaque hunc plantaueris hortum, ius habes, vt illius vescaris fructibus. Dic, ô sponsa, quæ tam magni facis hortum tuum, eiusque fructus, vt illum Christi hortum, non tuum facias, eiusque fructus

Christus sponsæ blanditiis ducitur ad hortum.

Cant. 5.

non tuos ſed Chriſti eſſe aſſeras ; dic inquam, quomodo vis ſponſum in eum intrare, qui armato cingitur cuſtode ? per torrentem quidem iam tranſiit, ſed quid inde ? nonne eo iam traiecto, vides Cherubim ante horti viam flammeo, & verſatili gladio inſtructum, vt volentes ingredi, violenter arceat ? vis, vt cum tanto diſcrimine ſponſus tuus, per ignem, & ſanguinem hortum ingrediatur ? vis deinde, vt fructus guſter, in quibus mors in inſidiis latet ? [Mors in olla, mors in olla vir Dei] Poma illa, ô Chriſte, quæ tibi velut ex amore porrigũtur, adeo acerba ſũt, & venenoſa, vt non modo comedentiũ dentes obſtupeſcere faciant, ſed mortem quoque ſubitam inferant! quod dico ſenties, ſi ingrediaris, ſponſæ illectus blanditiis, ſenties in te etiam illud prophetæ de Adami poſteritate vaticinium impleti : [Patres veſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt.] Pater tuus Adam, & mater tua Eua acerbum in horto manducarunt pomum, quem ſi ingredi velis, illudque delibare, non modo dentes tui obſtupeſcent, ſed toto corpore ſanguineo madidus ſudore, præ cruciatuum tibi imminentium, ex pomi eſu, præuiſa atrocitate cohorreſces. Ad hoc te ſponſa in hortum vocat, & non ad delicias, [vt ſcilicet (inquit Hieronymus) initium paſſioni tuæ, & reparationi noſtræ dares : vt ſicut ab horto voluptatis egreſſa eſt præuaricatio; ſic ab horto Geſemani ortum haberet redemptio. In horto perditio, in horto reparatio ; perditus fuerat homo inter flores & delicias paradiſi, & inter eaſdem modo eſt quæſitus] ſummo Chriſti labore, amaritudine, & dolore.

4. Reg. 4.

Hiere. 31.

Hiero.

Digitized by Google

4. Suaues quidem tibi, in ſpeciem, fructus ſpõſa porrigit, ſed quemadmodum Ponticum mel ex venenoſa aconiti herba collectum guſtu quidem dulciſſimum; verum quia veneno infectum, ſugentes adeo inſenſibiles reddit, vt ſui compotes minime ſint: ſic fructus tibi in horto, per ſpõſam offerendi, in ſpeciem, guſtu ſuauiſſimi, ſed peccati veneno infecti, adeo te, præ humanæ ſalutis amore, velut inſenſilem reddent, vt omnes, ſi illos guſtaueris, cruciatus obliuiſci te factuti ſint: hæc eſt ſponſæ tuæ intentio, hæ ſunt deliciæ in horto tibi proponendæ. Et quia in hiſce acerbiſſimis horti fructibus humana ſalus tanquam paſſionis præmium tibi proponitur, amore noſtri, velut aconito ſopitus, duci te permittis à ſponſa, per torrentem in hortum, vt inſipidis ſemel deguſtatis horti pomis, omnem in te ex iis ortum & oriturum acerbitatis ſtuporem Adæ poſteris debitum, ſolus ſuſcipias. Quid tecum igitur ratiocinor? cum Sapiente potius, præ amoris tui in nos exceſſu, exclamandum: [Aquæ multæ (dolorum, ac paſſionum) non poterunt charitatem tuam extinguere.] Audio enim te dulci hoc velut ſopitum amoris melle, in hunc modum de noſtris operibus, quaſi de fructu delicatiſſimo, quo libenter veſceris, ſomniãtis more, ſponſæ liberalitatem in te admirantem: [O vocem liberam, ac confidenter prolatam! ô animam liberalem, & ſplendidam, quæ omnem quantumuis magnam ſuperat magnificentiam! Quemnam ad conuiuium ſuis excipit fructibus? quõdnam parat epulum? quemnam vocat ad veſcendum iis, quæ ſunt parata?] cui ſponſa (vt ſolent vigilantes dum audiunt inter ſomnia dor-

Ebrius noſtri amore Chriſtus.

Cant. 5.

Nyſſen. ho. 10 in Cant.

mientis verba, ſubtilibus reſponſionibus, quicquid in mente habet elicere) [Eum inuito ex quo ſunt omnia, & per quem omnia, & ex quo omnia, qui dat omnibus alimentum in tempore ſuo: qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione: panem qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo, & qui ex proprio fonte ad omnia quæ ſunt, vitam facit emanare.] Ecce quibus blandiloquis verbis ſponſa agit, vt paulatim ex ſomniatis mente cordis ſecreta furetur, ita enim ſponſus illius reſpondet blandiloquentiæ. [Ita ita ſponſa apponit menſam: hortus autem eſt menſa, plantatus per arbores animatas,] ſed cum nec dum cordis ſecreta reuelet ſponſus; pergit porro ſponſa, vt tandem abſcondita ſponſi myſteria cognoſcat. [Nos quidem ſumus, ait, arbores, quandoquidem nos quoque ſumus, qui tibi cibum noſtrarum animarum ſalutem apponimus: fructus autem noſter eſt, noſtri arbitrij electio, Deo, qui nos metit, ac decerpit, tanquam per quendam ramum, tradens animam.] Cui Chriſtus ſtatim ſecreta ſibi à patre æterno commiſſa manifeſtat: [Ego, inquiens, cibum habeo manducare, quem vos neſcitis, cibus meus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me. Voluntas autem eius ſanctificatio veſtra.] Hæc eſt cauſa mei in Virginis vterum deſcenſus, hæc me vrget ad horti ingreſſum; hæc me denique in crucis patibulum aget!

Ioan. 4.

Lucij in Scipionem amor.

5. Magnus ille Africæ ſplendor Scipio in vincula coniectus, quod eius negligentia populi Romani exercitus fuſus, fugatuſque crederetur, à Lucio familiari ſuo luctuoſum amici caſum miſerante, clam inde abductus eſt, non ſine præſenti

tum ſuo, tum Scipionis diſcrimine. Cui amoris magnitudinem, animique robur Valerius admirans exclamauit: [proh! magnum & inexſuperabile Numen amicitiæ!] Idque merito: quamuis enim omnes Romani Scipionem, inuidiæ ſtimulis acti, ad mortem depoſcerent: vnius tamen Lucij amor, & incredibilis amicitiæ nodus, ita præualuit, vt eum è vinculis; incaſſum omnibus odium, & vindictam in eum ſpirantibus, feliciter exemerit. Ecce quomodo ſyncerus amici affectus, animique robur, amicitiæ vinculo confirmatum præualuerint omnium Romanorũ odiis, & inuidiæ! Quid igitur de tuo amore & charitate infinita, bone Ieſu, dicere par eſt, qui hodie in hortum ſponſæ ſuaſu ingrederis, vt frementibus ne quicquam non modo Iudæis, ſed tartareis etiam hoſtibus, non amicum aliquem, aut inuiolato amicitiæ fœdere tibi deuinctum, ſed inimicum tuum, humanum ſcilicet genus, peccati vinculis conſtrictum, in tetro concupiſcentiæ carcere hactenus detentum, vendicare non ſine certo neſcis periculo, velis? amor certe tuus in nos, & infinita charitas omnibus hoſtibus odio, & inuidia frendentibus, præualebit. Cuius amoris abyſſum, mecum alius reputans, potiori iure, quam Valerius in Lucij amoris magnitudinem, exclamem: proh magnum & inexſuperabile amoris in nos argumentum! O exceſſus admirandus ex amore noſtri profectus! ſponſa noſtro omnium nomine, in hortum te abducit, vt amara deguſtes paſſionis tormenta, gratulationis loco, quæ licet amara, libenter illius amore incenſus guſtare appetis, vt illis quaſi ebrius totum paſſionis calicem poſtea vſque ad fæces ebibas! ô ineſ-

Valer. Max. l. 4.

Ingẽs Chriſti in nos amor.

Digitized by Google

fabilem sponsi in sponsam,& nos amorem ! ô incredibilem sponsæ circumuentionem,qua sponsum in suo amabili complexu vincit, vt velut altera Dalila suis illecebris Sampsonem decipiat, deceptum suis illecebris,vt illa Sampsonem Philistæis,vinciendum Iudæis tradat. Illa coniugem suum, (quem antea adeo constantem inuenit, vt quamuis toties importunè illecebrosis verborum ambagibus eius constantiam labefactare conaretur,nihil tamen effecerit) tandem ita suis lenociniis , & sinuosis perfidiæ gryphis velut infesta musca circumuenit,dementauitque,vt omnia illi,quæ volebat , aperiret , & illum sic eius deceptum illecebris,& fraudulento amoris philtro intoxicatum Philistæis vinciendum tradidit ; hæc te,bone Iesu , amoris colligatum funibus , hostibus tradere festinat. Illa infractum coniugis robur vicit, hæc vincit inuincibilem,ligat omnipotentem, funibusque peccatorum ita stringit , vt quamuis tui semper compos sis , ô bone Iesu , sponte tamen velis , per illam , quasi amore dementari,omnia illi arcana communicare , teque libenter vinctum hostibus tradere, vt sponsa tua, à peccatorum vinculis expedita , tua illi donata virtute, tartareos vincat hostes. [Illa meretriciis (vt loquitur Ambrosius) delinimentis , fessum amoris in soporem compulit , & tonsore adhibito septem crines capitis,admota nouacula,abscidit, continuóque interdicti præuaricatione vires imminutæ.] Et te,ô animarum sponse,vbi semel illa in horto amore simul,& dolore lassum inuenerit , blanditiis circumueniens in amoris soporem, ita compellet , vt non vni tonsori,sed pluribus traditura , insanæ nimirum militum turmæ,

Iudicum 16.

Amb. Epis. 30.

Christus inhumaniter tractatur.

qui tanquam crudeles tonſores non modo exteriori velleris tegumento nudabunt, ſed veſtem quoque interiorem, quam noſtra tibi natura neuit, ſacratiſſimam, inquam, cutem deglubent, lacerabuntque, te amoris ſomno in ſponſæ amplexu penitus conſopito: quod præuidens Propheta Iſaias minime tacuit. [Sicut, ait, ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutescet, & non aperiet os ſuum.] De qua ſpontanea ſui oblatione ſic piè ac appoſitè Bernardus: [Oblatus eſt, inquit, non quia meruit, non quia Iudæus præualuit: ſed quia ipſe voluit. Voluntariè ſacrificabo tibi, Domine, quia voluntarie oblatus es pro mea ſalute, non pro tua neceſſitate. Sed quid fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? ille pro nobis obtulit hoſtiam pretioſiorem, quam habuit, nimirum quia pretioſior eſſe non potuit. Et nos ergo faciamus quod poſſumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod ſumus vtique noſmetipſi. Ille ſeipſum obtulit, tu quis es, qui teipſum offerre cuncteris? quis mihi tribuat, vt oblationem meam dignetur maieſtas tanta ſuſcipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus, & animam dico: vtinam hæc tibi perfecta poſſim in ſacrificium laudis offerre! Bonum enim mihi longeque glorioſius atque vtilius eſt, vt tibi magis offerar, quam deſerar mihi ipſi. Nam ad meipſum anima mea conturbabitur, in te vero exultabit ſpiritus meus, ſi tibi veraciter offeratur.]

Iſai. 53.

Ber. ſer. 3. de Purifica. B. V.

6. Quod Ælianus de Milone Crotoniate ſcribit, id de te, Domine ſentiendũ putem. Ille ſi quidem tanto fuit robore præditus, vt ſi manu po-

Ælian. l. 2. var. hiſt.

mum aureum, siue ferream sphæram tenuisset, nemo ei pugilum extorquere posset, cum tamen facillime digitos illius remoueret, manum aperiret, & illud offerret amica. An in sponsa, & te Iesu non idem? quis enim vnquam potuit tibi pomum illud aureum, animum scilicet tuum, quem potentissimus ille Rex, ac crudelissimus Herodes, & Iudæi toties tibi tollere conati sunt extorquere? & tamen facili negotio in hortum introducto suis sponsa blandimentis tibi eripiet, quæ armatis te militibus torquendum & vellendum amore sui consopitum inferet, qui & capitis, & barbæ non septem crines, sed omnes penè, corpore prorsus dilacerato tibi, ô Nazaræe, euellent, ruumque tandem robur eneruabunt, vbi affixus in cruce, præ siti simul, ac doloribus, inclinato in humerum capite, peccatorum pondere presso, expirabis. Ad hoc te in hortum suum vocat. Si dormientium multorum (vt author est Herodotus) vnus rasit maxillas, quanto facilius tibi sponsæ incredibili amore ebrio furiosa militum turba maxillas radet, qui te sponte eorum crudelitati offers tondendũ ad columnam ligatũ, vbi sponsæ gratia, te penitus deglubi, & lacerari permittis, vt tua nuditate illius turpitudinem albis gratiæ vestimentis tegas, vt non appareat confusio turpitudinis eius. Perge igitur perge in hortum iam peracta cœna, vt proposita tibi per sponsam bellaria, delibes, quibus delibatis senties efficacissimam eorum operationem, non secus ac fortissimi medicamenti, vbi præ interiori animæ dolore in sudoris sanguinei profluuium cor angustiis vndique pressum velut resolui percipies.

Milonis robur expugnatur ab amica.

Dormientiũ maxillæ raduntur.

Digitized by Google

De Christi in horto tristitia.

CAPVT IV.

1. ASsumpsit Iesus Petrum, & duos filios Zebedæi Iacobum,& Ioannem, vt suæ eos calamitatis,doloris,& prodigiosi illius sudoris testes haberet. Hos verò, præ cæteris, assumpsit,quod hi tres, & gloriæ,& maiestatis ipsius in transfiguratione fuissent, & quia his, præ aliis, confideret, quibus secretorum suorum arcana committere soleret. Coram his ergo tribus cæpit contristari, & mœstus esse: [Tristis est, inquiens, anima mea vsque ad mortem.] Considerate, obsecro, mecum hoc loco immensam Christi tristitiam,quæ adeo fuit acerba, vt acerbior esse non posset. HincB Thomas hanc Christi tristitiam summam fuisse in intensione, & acerbitate asserit, & B. Bonauentura,tanta Christum in horto affectum tristitia, tanto, ac tam inusitato dolore lancinatum tradidit,vt omnium hominum dolores, passiones,tristitiam longè superauerit, idq; optimè probat, tribus nobis propositis,quæ dolorem, & tristitiam acerbiorem reddunt; causa videlicet passionis, modo patiendi,& conditione patientis. Causa,ob quam patitur,est aliena culpa, nec pro amicis tantum; sed etiam pro inimicis, imo & pro iis,quos videt ingratos fore,hunc dolorũ,tristitiæ, ac cruciatuum Oceanum aggreditur, quod certè mirificè tristitiam, ac dolorem eius auget. Deinde patiendi modus acerbissimus: nam præterquam quod in

Mat. 26. Testes sui doloris adhibuit Petrum, Iacobũ & Ioannem.

Bona. in 3. de D. 15. q 2. Tres tristitiæ & doloris causæ.

inferiori saltem animi parte incredibili torqueatur tristitia, in omnibus etiam membris sese mire affligendum videt [Christus enim (inquit B. Thomas) secundum tactum fuit flagellatus, & clauis confixus: secundum gustum, felle, & aceto potatus: secundum olfactum, in loco fœtido cadauerum mortuorum, qui dicitur Caluariæ appensus patibulo: secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium, & irridentium: secundum visum, videns matrem, & discipulum quem diligebat, flentes. Passus est Christus in capite pungentium spinarum coronam, in manibus & pedibus fixionem clauorum; in facie alapas, & sputa, & in toto corpore flagella. Passus est in omnibus, in quibus homo pati potest. Passus enim est Christus in suis amicis eum deferentibus; in fama, per blasphemias contra eum prolatas: in honore, & gloria, per irrisiones, & contumelias ei illatas: in rebus, per hoc, quod etiam vestibus spoliatus sit.] Quorum omnium viua illi obiecta in horto imago, ita illum tristitia affecit, vt cum maiori, vita vix conseruari posset. Denique qualitas & cõditio patientis, tristitiam mirum in modum exaggerat; quippe præterquam quod vnigenitus æterni patris, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius sit, nullis doloribus, ærumnis, aut cruciatibus obnoxius, natura indutus humana, corpus adeò tenerum, adeò temperatum, adeò sensus viuacitate præditum habet, vt omnes penitus creaturas tam naturæ æqualitate, quam optimo corporis temperamento, ac teneritudine longè excedat, quo acerbæ passionis tormentis subdito, omnium dolorum dolorem acerbissimum simul & acutissimum sensit.

Tho. 3. par. q. 46. art. 5.

gitized by Google

Ex quarum rerum conſideratione mirum in modum in horto, in anima, per triſtitiam, tædium, & timorem paſſus eſt. Hinc ait: [Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Aliorum quidem hominum triſtitiæ (inquit Simon de Caſſia) non ſunt vſque ad mortem, quia nullus adhuc viuens dolorem mortis experiri poteſt; at Chriſti triſtitia vſque ad mortem fuit, quia antequam moreretur, dolorem mortis nouit. Dolor meus in conſpectu meo ſemper (Dauid aiebat) eſt & iam dolor eius ad mortem, & ibi triſtitiæ terminus præfigitur, quia poſt mortem nulla eſt futura triſtitia.]

Simon de Caſ. in illud Mat. 26.

Pſal. 37.

2. Hanc Saluatoris noſtri triſtitiam expendens Cyprianus: [Domine, inquit, triſtem te vſque ad mortem, præ nimia anxietate, coram Apoſtolis es profeſſus. Audiens hæc ego expaui. Quis enim non timeat, ſi timet ille, quem omnia timent, ſi pauet ille, cui omnia genua curuantur, ſi ille qui mors eſt mortis, & morſus inferni, morte propinquante pertimeſcit? Nonne tu docueras & inſtruxeras fideles tuos, vt non timerent eos, qui corpus occidunt, quia vſque ad animam tyrannica violentia non attingit?] & tu tamen cuius anima adeo ab omni vel peccati ſuſpicione immunis eſt, vt in ſe diuinitatis plenitudinem complectatur, paues, & times! qui paulo ante tanta animi promptitudine ad hortum, per rapidum Torrentis impetum feſtinare videbaris; nonne tu es ille, qui vocis tonitruo Danielem animo conſternatum recreaſti dicens: [Noli timere vir deſideriorum, pax tibi, confortare, & eſto robuſtus!] Et tu tamen ipſe hodie ita times, vt paſſionis imagine tibi propoſita, quaſi perter-

Cypr. ſer. de paſſio. Chriſtus timet & triſtatur. Actor. 27.

Dan. 10.

ritus cohorreſcas, qui paulo ante Petrum te impedire ab hoc prælio cupientem, non alio, quam Sathanæ nomine appellaſti: nonne tu es ille, ad cuius pedes, præ ſacro horrore Ioannes cecidit, quaſi mortuus, cui impoſita manu dixiſti: [Noli timere] & tamen ipſe hodie times! nonne tu es ille, qui nobis omnibus cauiſti dicens: [Nolite timere puſillus grex]: & tamen ipſe modo timore, ac triſtitia abſorberi videris! O Angelorum alacritas, quomodo metuis, quomodo triſtaris, qui omnibus alacritatis, gaudij, & lætitiæ cauſæ eſſe ſoles! ô fulgentiſſime iuſtitiæ ſol, quis te denſis timoris, ac triſtitiæ nubibus circundedit? terrenæ vapores ſurſum, an potius terrei hominum affectus aſcenderunt, qui in caliginoſam coaleſcente nubem, ita ſerenum vultum tuum timoris, triſtitiæ, ac mœroris nebula obſcurarunt, vt nobis eius fulgorem ſubtraherent? ita eſt profecto. Hinc tenebricoſam hanc metus ac triſtitiæ nubem, amoris tui igne conaris perrumpere, vt nobis abſconditam ſub illa manifeſtes tuæ diuinitatis lucem, qua pectoris tui ineffabilem penetremus ſimul metum, & triſtitiam, quaſi ſolatium aliquod tuæ humanitati ſic derelictæ, à nobis expectes! Heu! ſi ipſa cœleſtium alacritas, & totius vniuerſi lætitia per timorem, & triſtitiam abſorbeatur, quomodo à nobis conſolationem petit; cum potius nati ſimus ad metum tibi incutiendum, & triſtitiam ingenerandam, quam ad alacritatem, aut lætitiam procurandam! Sed audiamus quomodo hæc à nobis efflagitet [pati, inquit, volui, vt compati ſcires, miſer fieri, vt miſereri diſceres.] Voluit itaque, vt idē ait, [experiri in ſe, quod illi faciendo con-

Apoc. 1. *Luc.* 12.

Bernar. de grad. humi.

tra ſe meritò paterentur: non ſimili curioſitate, ſed mirabili charitate, non vt miſer cum miſeris remaneret, ſed vt miſericors factus miſeros liberaret, & vt ſua trepidatione robuſtos, & mœſtitia lætos, & tædio alacres, & turbatione quietos, & deſolatione conſolatos faceret.] Hæc tua timoris & triſtitiæ cauſa. *Ber. ſer. 1. de B. Andræ.*

3. Alia timoris, ac triſtitiæ cauſa fuit, viua mortis breui ſubeundæ apprehenſio. Ezechias Rex, iuxta humanæ naturæ modum, & morbi conditionem moriturus, cum veracis Prophetæ verbis audiſſet: [Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.] Tam dira perculſus denunciatione ad parietem conuerſus, lachrymas vbertim fudit, eoque potius, quod tanti doloris, & ægritudinis cauſas ſibi obiectas coram viderit: vidit enim in primis, mortis ſententia in ſe fulminata, ab omnibus ſe deſeri medicis. Vidit ſe iuuenem triginta nouem annorum ſine prole, ex qua Chriſtus naſceretur Abrahæ, & Dauidi promiſſus, iam moriturum.) Fleuit (inquit author mirabilium ſacræ ſcripturæ) Rex, non quod de ſuo, vtpote perfectus, merito in conſpectu conditoris ſui incertus fuit, ſed quia in Chriſti venturi generatione ſui generis proſapiam in throno Dauid lucernam non reliquit. [Vidit præterea ſe mœſtiſſimo cognatorum, & amicorum cætu circumſeptum de ſua ſalute deſperantium! vidit inſuper honorarios ephæbos, per aulam diſcurrentes tanti Principis iacturam lugentes! vidit etiam domeſticos, & copioſam aſſeclarum turbam pullas ſibi comparantē veſtes, vt ſui Regis breui lachrymoſum funus mœſti proſequerētur! Porro vidit vndequaque aduentantes Principes *Iſa. 38.*

Ezechias dolendi cauſis ſibi obiectis amarè fleuit. Lib. 2. c. 28

viros sibi subditos, tam benigni Regis morientis fama excitos! Ad hæc sensit corporis vires paulatim debilitari, partim præ ingraueſcentis morbi magnitudine, partim præ nimia animi triſtitia, quam ex circumſtantium mœrore, & ſimul morte ſibi appropinquante concepit! Auxit vero eius triſtitiam iugis ſepulchri cogitatio, in quod breui mortuus ex Regio palatio transferendus; vermiumque horror carni ſuæ inhiantium, vnde meritò etiam tum exclamare poterat: [Domine vim patior, reſponde pro me. Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerit? dicebam (vt Hieronymus hunc interpretatur locum) ad eum: plus patior quam mea poſcunt merita. Sed & ſi quid erraui conuerter ad melius: tu reſponde pro me: non eſt enim volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Rurſumque in ſe reuertitur: quid dicam, quidve cauſabor contra factorem meum, aut quid mihi reſpondebit qui fecit ipſe, quod voluit? ſuſtinenda ergo ſunt quæcunque decreuerit, cum ipſe, qui punit, ſumma ſit iuſtitia.]

Cui ergo mirum videri debet, ſi magnificus noſter Ezechias Chriſtus, inquam, Rex Regum, & Dominus dominantium, ex certo patris decreto inſtante ſibi morte, quam nullis vidit precibus, aut lachrymis differri poſſe, abſorptus quodammodo triſtitia, ac pauore, in horto vbertim fleuerit, augentibus præſertim ſeſe mirum in modum doloris, & angoris cauſis. Vidit enim ſe in hac vltima vitæ periodo à ſuis Apoſtolis deſerendum, & circumcingendum non mœſtis amicis, aut cognatis ſuam deplorantibus calamitatem, ſed crudeliſſimis hoſtibus, & trucu-

Chriſtus flẽdi & dolendi cauſas habuit.

lentiſſimorum luporum rapacitati exponendum! Vidit & Petrum amicum ſuum integerrimum conſternato animo ad ancillæ vocem tremulum ſe negaturum! vidit & alterum Apoſtolum, infelicem nimirum Iudam, & ſui magiſtri proditorem ex deſperatione in malam abiturum crucem, atque adeo ſe ſpiritali prole priuandum! vidit accurrentes ad ſe capiendum crudeliſſimos ſicarios, ſeque cum latronibus deputandum! præſentit horrendas Iudæorum blaſphemias, & falſa in ſe teſtimonia producenda! vidit & Angelos ad ſuos cruciatus, præ ſtupore, attonitos opem minime laturos! vidit omnia furoris tela collimata, & patris iram in peccatores euibratam, in ſe conuerſum iri! vidit dæmonem impios milites impellentem, vt quæliber ignominioſa ſibi irrogarent! vidit totius vniuerſi peccata in ſuum dorſum tranſlata, quorum pœnas dare oporteret! vidit omnibus pœnè hominibus, nihil ſibi compatientibus, elementa, cælum, ſolem, & lunam, cognatorum, amicorum, famulorum, & ſubditorum vicibus fungentia inſolitis motibus, & natiuo quodam mœrore, calamitati, miſeriæ, ac morti ſuæ condolitura! quid mirum igitur, ſi præ tantorum malorum pauore, mortiſque imminentis acerbitate ingenti afficiatur triſtitia? ô mors quanta tua eſt crudelitas, cuius vel cogitatio filium Dei ad tantam cogit triſtitiam, vt breui ſanguineas è toto corpore, velut lachrymas vbertim effuſurus ſit.

Mortis memoriã magnum incutit terrorem.

5. Magnus ille Perſarum Rex, & Monarcha Xerxes cum grandi peditum exercitu terram, & mare claſſibus ſterneret, ad ſublimem cuiuſdam montis verticem conſcendit, ex quo omnem

hanc multitudinem ſuis ſubiectam oculis in acie iam inſtructam poſſet contemplari. Verum oculis in eam coniectis, ingemuit,& copiosè lachrymas fundere cœpit. Sed quid, potentiſſime Rex, interrogemus, ingemiſcis? quid hæ lachrymæ tuæ infauſti portendunt? quid Leoninos magnanimi pectoris tui ſpiritus effœminatos repentè reddidit? quidnam hæc in te puſillanimitatis argumenta præ ſe ferunt, qui paulo ante tanta fortitudinis & excelſi animi ſigna exhibuiſti? quis infauſtus modo rumor aures illas omnibus rumoribus imperterritas, percellere potuit? quod infortunium præuidenti ſuſpiria, gemitus, & lachrymas elicere valuit? gemituum ſane ac lachrymarum, tantæque Regij pectoris mutationis anſam, tanti exercitus præbuit interitus, quod ex hiſce omnibus, qui ſub eius vexillis militarunt, viderit poſt centum annorum curriculum ſuperſtitem fore neminem. Quid? tantane tua, ô mors, crudelitas? tantane potentia, & virtus? tantane tyrannis, vt vel ſola tui memoria, vel tenuis vmbra inuictiſſimum illud alioqui Regis pectus potuerit horrore concutere, trepidatione percellere, & ad ſuſpiria, gemitus & lachrymas prouocare! Verum hoc nemini mirum videri poterit, ſi tacitus ſecum velit attendere, quis hic in horto ita mortis terrore circumſeptus, vt re ipſa illud vſurpet [timor mortis conturbat me.] Nam ſicuti Balthazar Babylonis Rex viſa manu ſcribentis in pariete, quæ mortem ipſi imminere ſignificabat, adeo perterritus fuit, vt tota facie derepentè commutaretur, mentiſque cogitationibus ita ipſe conturbaretur, vt compages renum eius ſoluerentur, & genua ad ſe inuicem

Cauſa pauoris.

Timor mortis hominem conturbat. Dan. 5.

colliderentur, & iamjam morituru ipſe ſibi videretur. [Sic, inquit Theodoretus, digitorũ ſcribentium ſpecies ita perterruit eum , qui maximum adminiſtrabat Regnum vt etiam articulorum compages præ metu diſſoluerentur, & artus tremore occupati concuterentur.] Ita Chriſtus ſummus ille vniuerſi Monarcha diuinæ iuſtitiæ manum, illud patris decretum ab æterno ſanctum, & à ſe acceptatũ, decretum, inquam, mortis ſubeundæ coram in crucis cathedra exarantem cernens, tanto pauore, ac trepidatione perterrefactus fuit, vt animi ſui formidinem celare neſciret, ſed exclamare cum lachrymis cogeretur : [triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.] Tanta premitur mœſtitudine cor meum, vt maior vix poſſit æſtimari, ita vt ſufficiens videatur animam meam è corpore eijcere, vitamque finire, niſi meæ diuinitatis virtus ad perferenda, quæ ſuperſunt paſſionum tormenta illam ſuſtentaret; idque humanę ſalutis gratia. [Doles ergo (exclamat Ambroſius) Domine , non tua, ſed mea vulnera, non tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem : & nos æſtimauimus te eſſe in doloribus, cum tu non pro te, ſed pro me doleres. Infirmatus enim es, ſed propter peccata noſtra; non quia illa tibi infirmitas erat ex patre aſſumpta, ſed pro me ſuſcepta : quia mihi proderat, vt eruditio pacis noſtræ eſſet in te , & liuore tuo vulnera noſtra ſanares] Nihilominus tamen perſpecta tam ignominioſa morte tibi imminente triſtis eſt anima tua vſque ad mortem. [Sed quid mirum, (infert ibidem Ambroſius) ſi pro omnibus doleat, qui pro vno fleuit ? & quid mirum ſi moriturum pro omnibus tædeat , qui Lazarum re-

Theo. in illud Dan. 5.

Amb. l. 10. in Luc. c. 22.

Digitized by Google

ſuſcitaturus illachrymauit.]

Triſtatur Chriſtus vt Eccleſiam lætam faceret. Epheſ. 5. Chryſol. ſerm. 50.

6. Triſtari porrò voluit, vt ſua triſtitia Eccleſiam lætam redderet. Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & Eccleſia : Dei verbum, cum ſit ipſamet fortitudo, & omnipotentia, pro Eccleſia, quam ſibi in ſponſam adſciuit, triſtari vſque ad mortem, vt ſponſam triſtem, lætam efficeret. [Chriſtus enim, (vt ait Chryſologus) venit ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes, humana quærere, præſtare diuina : accipere iniurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre ſanitates : medicus qui non fert infirmitates, curare neſcit : & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem. Triſtis, ait, eſt anima mea. [Nuſquam, inquit Ambroſius, magis pietatem Domini maieſtatemque demiror. Minus enim contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum. Ergo pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit, quod doleret: & ſequeſtrata delectatione, diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suſcepit enim triſtitiam meam, vt mihi ſuam lætitiam largiretur: & veſtigiis noſtris deſcendit vſque ad mortis ærumnam, vt nos ſuis veſtigiis reuocaret ad vitam.] Et paulo poſt ſubdit : [homo in plaga, & ſciens infirmitates ferre, nos voluit erudire, vt mortem vincere diſceremus in Chriſto, & quod eſt amplius, quemadmodum futuræ mortis mœſtitiam vinceremus.] & inferius: [& hic alto operatur affectu, vt quia in carne ſua peccata noſtra perimebat, mœrorem quoque animæ noſtræ ſuæ animæ mœrore aboleret.]

Amb. l. 10. in Luc. c. 22.

Ber. ſer. 1 de B. Andræa.

Hinc meritò (exclamat Bernardus) [agnoſco planè in Duce belli puſillanimorum trepidatio-

nem : agnoſco ægroti vocem in medico; agnoſco infirmantem gallinam cum pullis, conſidero charitatem, ſtupeo miſerationem, expaueſco dignitatem. Quid magnum fuerat, Domine Ieſu, ſi accedente hora intrepidus ſtares? annon longè glorioſius fuit, vt non modo paſſio corporis, ſed etiam cordis affectio pro nobis faceret? In nobis ergo (vt ait Leo) Dominus noſtro pauore trepidarat, vt ſuſceptionem noſtræ infirmitatis indueret, & noſtram inconſtantiam ſuæ virtutis ſoliditate veſtiret.] *Leo. ſer. 3. de paſſ.*

7. Deus, immiſſo in Adam ſopore, tulit vnam de coſtis eius, & eius loco carnem ſubſtituit. Quod ſane expreſſa fuit figura transferendæ aliquando noſtræ infirmitatis in Chriſtum, eiuſque in nos fortitudinis. Hinc Auguſtinus [mulier, inquit, facta eſt de latere viri dormientis, quæ per ipſum firma facta, quia ex oſſe eius; ille propter ipſam infirmus, quia non coſta, ſed caro ſuppleta eſt.] Hoc nunc os ex oſſibus meis, ait Adam, & caro de carne meà. Quo certè facto, inquit Lippomanus hic, magnum quoddam & mirum neſcio quid, indicare voluit omnipotens Deus, nempe ex coniunctione mulieris cum viro in matrimonio, aliquid, & non parum ſoliditatis, conſtantiæ, & virilis fortitudinis virum amittere, quaſi coſta oſſea erepta, pro qua carnis mollitiem induit, fierique ſeipſo quodammodo fragiliorem: ſic Chriſtus Eccleſiæ, ſpiritali iunctus matrimonio, contuliſſe videtur ſuum robur, ſuſcepta eius infirmitate. Hinc Chriſti martyres tanta præditi fortitudine ad cruciatus, ad beſtias, ad mortem etiam pergunt, parentis ſui inſtructi virtute, tanquam ſi ad epulas inuitentur. Vnde *Gen. 2.*

Noſtram Chriſtus ſuſcepit infirmitatem ſua in nos collata fortitudine.

Digitized by Google

Leo. ser. Leo [merito, ait, tristitiæ eius fuerant postea Apostoli gaudentes à conspectu concilij, & martyres alij, merito timoris mortis, qui fuit in Christo, imperterriti omnia tormenta vsque ad mortem alacriter pertulerũt.] Vnde Dominus oraturus est vt à se transeat calix. vbi Hilar. ait, qui vt à se transeat rogat; non vt ipse prætereatur orat, sed vt in alterum id quod à se transit, excedat: transeat calix à me, id est, quomodo à me bibitur, ita ab iis bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis: ideo autem si possibile est, quia & carni & sanguini horum grauis terror est, & difficile est eorum acerbitate corpora humana non vinci, facile autem erit, si quis aduertat, & beneficia esse diuinitus concessa, & monitum esse Iacobi dum ait: omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis Iac. 1. Hinc Andræas visa sibi parata cruce, cœpit exclamare: [O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit.] Et S. Paulus tanto moriendi desiderio, Christi gratia, afficiebatur, vt identidem ingeminaret verbis & affectu [cupio dissolui & esse cum Christo. [Non

Augus. est (inquit Augustinus) proinde fortior miles, quam Imperator; miles ergo coronandus gaudet mori, & Dominus coronaturus timet,] sui milites timore in se suscepto, & in militem suo robore collato. Hinc Bernardus serm. 66. inter paruos: [quod inquit de ipso fonte virtutis, id est, de spiritu Dei hauriantur aquæ præsidij in tor-

mentis,oſtendunt & illi tres pueri in fornacis æſtuantis incendio poſiti, quibus ipſa flamma refriguit:& præcipue inclytus ille Martyr Vincentius , qui cum grauiter torqueretur, non ſolum toleraſſe , ſed etiam tortorem ſuum conſtanter prouocaſſe fertur, his verbis:inſurge & toto malignitatis ſpiritu debacchare : videbis me Dei virtute plus poſſe dum torqueor,quam poſſis ipſe qui torques, Tali etiam armatus fortitudine fuit Laurentius , qui aſſatus, ad Decium conuerſus,ait: [verſa & manduca] Nec minori prædiri robore fuerunt Macedonius,& Theodorus , qui animosè tyranno hilari inſultantes vultu clamabant: [Amachi aſſum deſideras , conuertito nos in alia latera , ne ſemiaſſati palato tuo minus ſapidi videamur.] Porro huiuſmodi animi fortitudine inſtructus Thomas Morus , clarum Angliæ lumen,ad mortem abiit,qui carnifici de more veniam poſtulanti, oſculum , & aurum hilariter dedit , dicens: [Tu mihi hodie id beneficij dabis,quod hactenus nemo mortalium præſtitit, aut præſtare potuit.] Sic Roffenſis Epiſcopus capitis damnatus , cum ad martyrij locum accederet, cui ſenex innitebatur baculo à ſe abiecto : [Eia,inquit,pedes, officium facite, parum itineris iam reſtat.] Mutauit igitur ſuam Chriſtus animoſitatem,cum noſtra puſillanimitate , ſuam fortitudinem cum noſtra imbecillitate , ſuam in rebus arduis aggrediendis, ferendiſque conſtantiam , cum noſtro timore , ſuum honorem cum noſtra ignominia,ſuam pulchritudinem cum noſtra turpitudine , ſuam ſanitatem cum noſtris infirmitatibus, ſuam alacritatem cum noſtra triſtitia,ſuam denique vitam cum noſtra morte.

Sacramento pœnitentiæ vim Christus tribuit vt ex attritis contritos faceret.

8. Voluit denique Christus pro nobis tristari, dolere,& conteri, vt ingenti suo dolore , Sacramento pœnitentiæ , tantam vim ad peccata totius mundi delenda inderet, vt nostri imbecillis ac imperfecti doloris insufficientiam suppleret, **ex attritis** nos virtute Sacramenti contritos reddens. Hinc Christo non modo ob imminentem probrosæ crucis mortem ; sed ob totius humani generis etiam peccata, tristari, ac dolere placuit, quemadmodum B. Thomas disertis verbis significauit [Christus, inquit, non solum doluit pro amissione vitæ temporalis,sed etiam pro peccatis omnium aliorum , qui dolor in maiori sapientia & charitate processit,ex quibus dolor contritionis augetur ; tum etiam , quia pro omnibus simul doluit:] iuxta illud Isaiæ:[Vere dolores nostros ipse tulit.] & addit:[Christus voluit genus humanum liberare, non solum potestate, sed iustitia;ideo non solum attendit quantam virtutem dolor eius haberet , ex diuinitate vnita,sed etiam quantum dolor eius sufficeret,secundum humanam naturam , ad tantam satisfactionem.] Si (Climacho authore) quidam religiosus,in leuius prolapsus peccatum, adeo vehementer indoluit, vt tristitia absorptus , intra dies octo mortem obierit. Si quidam (vti Antistius est author) in grande lapsus peccatum,tanto eius horrore consternatus est , vt B Vincentio singularem eius contritionem perpendenti , ac proinde tridui ieiunium in pane & aqua imponenti, responderit: [nunquid pater sceleratus adeo homo tam leni pœnitētia æternas flammas euadet? Etiam fili, adiecit Sanctus,quamuis nisi solum ter Dominicam recitaueris orationem.] quo audito, tantam Dei

D. Thom. 3. p. q. 46. ar. 6. ad 4.

Isa. 53.

Ioā. Clima. c. 5. de pœnit.

Vim Antistii invita B. Vin. Ferra. p. 1. c. 31.

Digitized by Google

bonitatem admirans, & ſimul incredibili contritionis dolore confectus, Dominicam recitans orationem, rupto quaſi medio corde, animam in diuinas manus feliciter dedit. Si igitur peccatores diuino illuſtrati radio, peccati grauitatem ſimul ac fœditatem, ſemotis illius illecebris, quibus homines ad peccata alliciuntur, ita aliquãdo intelligant, & deteſtentur, vt præ eius horrore, ſubita præripiantur morte: cui mirum videri debet, ſi Chriſtus peccati malitiam, illiuſque indignitatem penetrans, & quantum diuinæ bonitati repugnet probe intelligens, tanto ſimul dolore, ac triſtitia affectus ad mortem vſque properet, niſi diuina virtute ad cætera paſſionis tormẽta ſeruaretur. Si duo illi prædones ob turpiſſimum facinus, ad ſupplicium ducti, propoſita ſibi à B. Vincentio Dominicanæ familiæ alumno, peccati deformitate, ac fœditate, præ doloris ac contritionis magnitudine, primum æſtuauerint, deinde ardere cœperint, denique in veros carbones, quaſi igne deflagraſſent, conuerſi ſint: Et ſi quidam turpiſſimo inceſtu patrato, tam acri confectus dolore, ſedulo ſecum perpenſa criminis magnitudine, cum venerabilem virum Petrum Corbellum Archiepiſcopũ Senuenſem in Francia, confeſſionis gratia adiiſſet, cum facta homologeſi leuem accepiſſet ab Archiepiſcopo pœnitentiam, vt nimirum ſemel Pater noſter recitaret, certo ſciente ob magnitudinem contritionis peccatum illi condonatum, ſtatim horrendo edito clamore, præ ingenti cordis triſtitia, ac contritionis vehementia in terram corruens, expirauerit, quanto conflictatum dolore ſimul, ac triſtitia Chriſtum iudicabimus, qui omnium ſi-

Platus de Boſta. relig. l. 2. c. 32.

Tho. Cant. l. 2. c. 51 p. 7.

mul peccatorum pondere oneratus, considerata, & penetrata eorum turpitudine ac indignitate, illorumque pœnis, quas ipse subiturus erat, ad viuum sibi propositis ingeminat : [O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus!]

Thre. 1.

De Christi, in horto, oratione prima.

CAPVT V.

1. IOsaphat Rex Iudæ intelligens Maobitas, & Ammonitas magnum exercitum contra se ducere, plenus timoris, & pauoris, prostrauit se in oratione coram Domino, vniuerso Iuda, ieiunio prædicato, obsecrans, vt manus hostium posset euadere, Qua instructus armatura, finem pugnæ optatum consequutus est. Deus enim terrorem, & consternationem (vt Iosephus est author) immisit aduersariis, ita vt alij in alios ruentes, hostiliter in se inuicē debaccharentur: [Tanto, inquit, furore, vt ne vnus quidem, ex tot millibus, reliquus fieret.] Et Christus de tribu Iuda oriundus Rex Regum, & Dominus dominantium, Torrente Cedron traiecto, sciens grandem turbam, duce impio Iuda, ad se capiendum parari; tristitia affici, pauere, tædere, & mœstus esse cœpit, seque in oratione coram æterno patre prostrauit, quam minime exauditum iri probè sciebat, quamuis aduersarios, quasi spiritu vertiginis correptos in terram leni in speciem telo : [ego sum] ab oratione surgens animosè prostraturus esset. Orauit igitur, non vt absolutè hostium ma-

2. Paral. 20.

De prima Christi oratione.

Ioseph. l. 9. Antiq. c. 1.

nus effugeret, ſed, vt ſalutem humani generis quam citiſſimè promoueret. Audiamus modò eius orationem in terra proſtrati: [ipſe, inquit ſacra ſcriptura, auulſus eſt ab eis, quantũ iactus eſt lapidis:] auulſus, inquã, velut vi ramus à trunco, aut vnguis à carne, Chriſtus ab Apoſtolis eſt. [Et procidit, vt ait Marcus, ſuper terram: pater, inquiens, omnia tibi poſſibilia ſunt: transfer calicem hunc à me: ſed non quod ego volo, ſed quod tu.] Prima petitio, inquit Leo, infirmitatis eſt; ſecunda virtutis. Illud optauit ex noſtro, hoc elegit in proprio.] Quamuis igitur poſito diuino decreto, quo ab æterno, viſo Adæ peccato, conſtitutũ erat, vt pro nobis calicem hunc amarum vſque ad fæces biberet; tamen hodie patrem deprecatur, vt ſi fieri poſſet, calix tranſiret, naturam enim humanam partes ſuas agere ſinit, ſicut egiſſet, ſi neque cum diuinitate copulata fuiſſet, nec de diuino decreto quicquam ſciuiſſet. Hinc velut cautionis cauſa, profitetur omnia patri poſſibilia eſſe, & ſtatim, poſt calicis à ſe tranſlationis deprecationem addit: [ſed non quod ego volo, ſed quod tu.] Qua perfecta voluntatis reſignatione clarè indicat, cum dixit: [ſi poſſibile eſt] nihil aliud dicere voluiſſe apud Matthæum, quam: ſi vis, aut ſi rebus integris, ſi ſalua gloria tua velle potes; omnia (inquit Marcus hic) tibi poſſibilia ſunt: quo ſignificatur Chriſtus ſeſe de Patris poteſtate minime dubitare, licet de voluntate eius, quaſi dubitans loquatur.

Luc. 22.

Mar. 14.

Leo. ſer. 5. de paſſi.

2. Quam inuſitatum hoc filij Dei orationis præludium, vt non ſufficiat illi in genua ſe prouoluere, niſi etiam in terram corruat! [proſtratus in terram (inquit Cæſarius) orat medicus, & non

Casa. Epis. Arela. ho. 30.

inclinatur ægrotus: orat Iudex, & orare dissimulat iudicandus.] Prosternitur nimirum oneratus totius mundi peccatis, & susceptа in se peccatorum verecundia, quam ipsi inueterata peccandi consuetudine à se excluserant, ad paternæ gloriæ thronum accedens, vultum attollere quodammodo erubescit! heu! carnis peccatricis similitudine indutus, ad terram, quasi indignus cælo conuerteris, conuerso à patre vultu, ingeminans: [ædificauit in gyro meo!] quis Domine? pater æternus: quidnam in gyro tuo ædificauit? inimicorum munimentum, quo breui cingendus sum, & insidias ex vna parte ab hostibus mihi tendi permittet; ex alia à meis discipulis hostium furori derelinqui, ac propterea [circundedit me felle, & labore:] alternatis tristitiæ ac doloris fluctibus obruor. [Sed & cum clamauero, & rogauero, excludet orationem meam] sciens quid sit meis membris profuturum, dissimulabit exaudire dolentis vocem, vt augeat membrorum vtilitatem, & per meas afflictiones eorum purgetur vita, & discant quietis locum, qui hic inueniri minimè potest, alibi quærere, post nimirum huius vitæ labores.

Christus peccatorum nostrorum pondere onustus in terram corruit.

Thren. 3.

3. Sed quorsum, bone Iesu, his veteris ceremoniis cum terra? quid tandem solatij ab illa accepturus es? quid tibi cum illa negotij? cur procidens in faciem illam, quæ tibi facta est nouerca, amoris amplexu stringis? cur amicè oscularis, quę tibi infliget breui plurima vulnera, hostibus suppeditando vulnerum corpori tuo inflingendorum instrumenta; hanc amplecteris, quæ amplexu suo te euiscerare, instar crudelissimæ vrsæ suo amplexu hominem enecantis, aggreditur, vt

quam

quam citiſſimè te non viuum, ſed mortuum intra ſua condat viſcera, & huiuſmodi pacis oſculo dignaris! an fortaſſis cum ea pactum, & pacem vis inire, cui antea maledixeras? quid ergo agis, ô fili Dei! cur te illius committis perfidiæ, cur eius partes tueris? iuratamne tibi hoſtem tuo amplexu à patris iuſtitia tueri optas, quæ in te ſæuiendo patris tui iram in ſe exaſperat, quam ipſa in te, idque breui, ſubdola conuertet? Cur eius igitur patrocinium ſuſcipis? cur te tanquam ſcutum patris iræ, pro illa, opponis, vt omnia in ipſam iuſtitiæ tela iamjam euibranda in te excipias, illa incolumi, & ab omni ictu vendicata? Ecce iam produxit arborem, in qua ſuſpendendus es, iam ferrum è ſuis viſceribus procreauit, ex quo crudeles claui confecti ſunt, & lancea, quibus ſacratiſſimæ manus tuæ, & pedes inhumaniter perforandi, & latus vulnerandum, vt tibi quoque mortuo, aperto latere, inſultet, teque, ſi poſſit, in ſuis ſemel receptum viſceribus, tanquam mortis reum adamantinis conſtringat vinculis. Iam ſpinas protulit, quibus ſacroſanctum caput tuum crudeliter pungendum eſt; iam linum ſuppeditauit, ex quo immanes contexti funes, quibus manus illæ potentiſſimæ, quæ cælos, ac totum vniuerſum crearunt, ligandæ; iam lignum illud, ex quo ſcalæ confectæ, & lanceæ illius haſta, quæ tuum aperiet latus, hoſtibus ſubminiſtrauit; iam diu hominem, cuius culpa tot afficiendus es tormentis, ex limo ſuo compingi voluit; & ex cuius progenie impij tortores, animæque tuæ inſidiatores prognati ſunt, qui alapis, ſputis, flagellis, ſpinis, ignominiis, blaſphemiis te breui exagitabunt; iam varios genuit fabros, qui ſcalas confecerunt, cla-

Gen. 3.

Terra ingrata paſſionis inſtrumenta ſuppeditat.

uos, ac lanceam excuderunt, & ignominiosam crucis cathedram fabricarunt; iam omnia probrosæ passionis tuæ instrumenta hostibus suggessit, & tu tamen eam deoscularis! ô video, video, ac penetro infinitum cordis tui amorem, & incredibilem; nostri gratia, patiendi desiderium, quorum causa illam deoscularis, & quasi gratiam agens, quod tam promptè omnia suppeditauerit instrumenta, quibus nostram salutem, quam citissimè operareris.

4. Sed singula modo eius orationis verba perpendamus. Pater, inquit: Patris nomine vti maluit, quam alio, vt patris in se, tanquam in vnigenitum suum filium, qui dicto illi semper audiens fuit, dulci hoc Patris nomine, paternum commoueret affectum: [omnia tibi possibilia sunt:] quibus verbis Patris sui omnipotentiam asserit: [transfer calicem hunc à me] passionis nimirum, qui natiuo appetitui amarus esse solet [nostræ vtitur (inquit Leo) voce naturæ, & causam fragilitatis, & trepidationis agit humanæ: vt in iis, quæ toleranda sunt, & patientia roboretur, & formido pellatur. Sed non quod ego volo, sed quod tu: cessans hoc ipsum (inquit idē) petere, excusato quodammodo nostræ infirmitatis metu, in quo nobis remanere non expedit, in alium affectum transit] Hoc fiat, non quod humano affectu loquor, sed id, propter quod ad terras tua voluntate descendi. Ecce quanta in hac Christi oratione in diuinam voluntatem resignatio; licet enim humano affectu passionis calicem auersetur, tamen rationis dictamini obsequens, quod per natiui affectus infirmitatem respuit, per rationis firmitatem fieri voluit. Hinc

Leo. ser. de pass. 7.

ibid.

Magna in Christi oratione resignatio.

Digitized by Google

Beda [Apptopinquans etiam Passioni Saluator, infirmantium in se vocem sumpsit , vt cum hoc imminet , quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus, vt non fiat, quatenus per fortitudinem parati sumus, vt voluntas Conditoris nostri etiam contra nostram voluntatem fiat.] Quam promptè igitur Patris mandato contra naturæ appetitum obedire studet, cuius perpetua in sua deprecatione hæc vox est: [Sed non quod ego volo , sed quod tu] vt nimirum primi parentis inobedientiam, prompta obedientia compensaret. Vnde Augustinus [Christus animam suam vsque ad mortem contristauit , ne obedientiam quoquo modo læderet. Adamus Euam suadentem, vt pomum ederet, exaudiuit ; Christus carnem suam sanctissimam naturaliter postulantem, ne mortem atrocissimam oppeteret , non exaudiuit. Adamus voluntati suæ , & vxoris obtemperauit; Christus Dei voluntati suam subiecit: non mea, inquit, voluntas, sed tua fiat , non sicut ego volo, sed sicut tu.] Ecce quomodo Christus perfectæ resignationis documentum nobis proponit! [reuertens enim in semetipsum , quod ex hominis persona trepidanter renuerat , ex Dei filique confirmat: non, inquiens, quod ego volo, sed quod tu: Fiat ergo voluntas tua. Hæc vox, (vt ait Leo) capitis, salus est totius corporis, hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accedit, omnes Martyres coronauit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines , quis posset persecutorum superare terrores , nisi Christus in omnibus , & pro omnibus patiens Patri diceret : fiat voluntas tua?]

Aug. l. 11. de Gene.

Hieronym.

Leo. ser. 7. de pass.

5. Vtinam in omnibus , licet carni repugnanti-

bus, noſtra ſemper vox ſit, cum Chriſto: [non quod ego volo, ſed quod tu!] vtinam perpetuo noſtram in Dei voluntatem perfectè reſignemus, quamuis natiuo affectu, in contrarium nos abire ſentiamus. Ardenti exæſtuans febri bibere quidem naturali impulſu deſiderat, cum tamen bibere poſſit, minime bibit: nam quamuis naturalis bibendi appetitus vrgeat ad bibendum; ratio tamen bibere prohibet, cum hoc valetudini nocere iudicet. Et nos, proh dolor! quotidiana laboramus febri: febris enim eſt habendi cupiditas; febris eſt ſuperbiæ typhus, febris eſt exæſtuans carnis libido, adſit igitur ratio cœleſti inſtructa gratia, quæ multiplicem illam vitiorum ſitim, propoſito beatitudinis præmio, exſtinguat, quo minus ad gratiarum fontem nobis properantibus noceat. Et quanquam inordinato appetitu ad illam ſitim, vel opibus, vel nominis gloria, vel fœdæ carnis illecebris ſedandam propellamur, adſit rationis dictamen, quod nos huiuſmodi illicito potu inordinatam illam ſitim explere interdicat, cum hoc animæ ſaluti plurimum obſit.

Quilibet perfectum reſignationem in Dei voluntatem habere ſtudeat.

6. Errantium aſtrorum orbes, veluti furtim proprio cientur motu, qui tamen primi mobilis ſimul rapiuntur impetu: ſic errantia animæ noſtræ aſtra, errantes, inquam, appetitiones, ſi quando furtim aduerſus diuinum imperium moru ſuo ferantur, nonne par eſt, vt primi noſtri motoris, diuinæ nimirum voluntatis raptu rationis gyro circumſcriptæ ferantur? Hæc igitur ſtella ſemper in noſtræ rationis firmamento infixa ſit: [non quod ego volo, ſed quod tu.] Non moueatur noſtra voluntas, niſi ad motum primæ ſphæræ, ad motum, inquam, diuinæ voluntatis.

Simile. Noſtra voluntas diuinæ conformanda.

Siue ergo sit in Oriente, siue in Occidente, siue in Meridie, siue in Septentrione, sicut in prosperis, sic in aduersis semper primo motori, diuinæ scilicet voluntati, nostra inhæreat voluntas. Conijciamus perpetuo oculos in Christum nobis exemplo præeuntem: [non quod ego volo, sed quod tu:] [sublimem certe, ait Chrysostomus, admirabilis Philosophiæ virtutem tradidit Dominus, cum exemplo nos docuit, etiam naturæ horrore perculsæ, ac renitenti esse Deum sequendum: sit ergo perpetua vox nostra: [Non quod ego volo, sed quod tu.] *Chry. ho. 84.*

7. Proprium est, inquit Origenes, omnis fidelis hominis, primum quidem nolle pati aliquid doloris, maxime quod ducat vsque ad mortem; quia homo est carnalis: si autem sic voluerit Deus, acquiescere etiam contra voluntatem suam. Quam perfecti essemus Christi discipuli, si vel repugnante etiam natura, hanc vnicam eius prælectionem auidè arriperemus; [Non quod ego volo, sed quod tu:] Præceptum menti fortasse graue, suam semper voluntatem in diuinam resignare, sed [qui fingit (vt ait Psalmista) laborem in præcepto,] præcepti executionem sua emolliet gratia: & quamuis naturæ affectus nonnihil calcitret, ratio tamen illum cœlesti munita gratia ad executionem impellet, dicens: [Non quod ego volo, sed quod tu.] *Psal. 93.*

8. Et si forte arduum nobis sit, ad illam Christi perfectionem voluntatis aspirare; in eius saltem Discipuli promptitudinem, Pauli, inquam, intuentes, eius insistere vestigiis conemur, cuius rei monet nos Bernardus, vt si non magistri, saltem discipuli, voluntatem nostram diuinæ con- *Imitemur saltē Pauli resignationem.*

Act. 9. Marc. 10. formando, alacritatem imitemur, dicentis: [Domine quid me vis facere?] non autem cæci illius Euangelici minus promptam ad obediendum voluntatem; cui Christus potius, quam ille Christo, ait; [quid tibi vis faciam?] [Quam pauci, inquit Bernardus, inueniuntur in hac perfectę obedientiæ forma, qui ſuam ita abiiciunt voluntatem, vt ne ipſum quidem cor proprium habeant; vt non quod ipſi, ſed quod Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione: Domine quid me vis facere? Heu plures habemus Euangelici illius cæci, quam Pauli imitatores! quid vis, ait Dominus ad cæcum, vt faciam tibi?] Si magiſtrum ergo in tam præciſa obedientiæ promptitudine imitari detrectemus, Diſcipuli ſaltem promptitudinem conſectemur. Vox noſtra communis ſit illa cum diſcipulo [Domine quid me vis facere?] vt quemadmodum ille diuinam ſibi voluntatem, tanquam ſuæ regulam propoſuit, illius etiam nos æmuli (vt ipſe nos docet, ſimus: [Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti] [Corrigenda itaque (vt monet Auguſtinus) voluntas tua, ad voluntatem Dei: non voluntas Dei curuanda ad te, & rectum habebis cor: dic cum Chriſto: [Non quod ego volo, ſed quod tu:] dic cum Diſcipulo: [Domine quid me vis facere?]

Ber. ſer. 1. de conuerſ. S. Pauli.

1. Cor. 4. Aug. Pſ. 35.

Redit ad ſuos ſomno oppreſſos, & inde ſecundò ad orationem ſeſe recipit.

CAPVT VI.

ECce qui fuit auulſus à ſuis, quantum iactus eſt lapidis, diu non potuit tanta retineri tri-

stitia, quin instar ignis locum sibi proprium expetentis, ad dilectos sibi discipulos, tanquam ad amoris sui centrum rediret, & tanquam mater de sua prole solicita dormientibus inuigilaret discipulis, & quasi gallina, cui se Christus aliquãdo comparauit, de suis pullis anxia, illos circuiret, ne & ipsi cum Iuda à tartareo raperentur miluo. [Vt exprimatur (inquit Bernardus) incomparabilis affectus charitatis Christi, gallinæ comparatur : nullum enim animal circa pullos suos tanta compassione mouetur, sicut gallina; fit enim toto corpore hispida, voce rauca, toto feruens animo, & omnibus membris infirma, & ad supremum defectum deueniens.] Hinc cum à miluo pullorum aliquis rapitur, amplius non audet cibum petere, neque sibi quietem quærit, sed reliquos suos pullos solicitè circumit, ad alas suas conuocat, ne forte & ipsos etiam miluus rapiat: Sic Christus Iudam à tartareo raptum miluo, videns, reliquos circuit Apostolos, Patrem pro eis orat, eosque ad suæ protectionis alas inuitat: vigilate, inquiens, & orate; sicut me facere videtis. Sed ah ! inuenit eos dormientes, solet enim mœror, animique anxietas, sicut lacrymas elicere, sic & vapores in cerebrum transmittere, quibus facile conciliatur somnus. Hinc videmus & infantes à magno fletu altè dormire, & adultos etiam cum in luctu sunt, somno opprimi. Quare discipuli in mœrore positi, somno facile occupantur, cum tamen potius hoc ancipitis pugnæ tempore, cum Christo, illorum gratia, & nostri, vigilante, vigiles orassent. Vnde ad Petrum Saluator noster conuersus, qui ante sibi præfidens ait: [Etiamsi oportuerit me tecum

Ber tract. de pass. c. 5. Christus instar gallinæ, de suis Discipulis solicitus.

mori, non te negabo: [conuersus, inquam, ad illum dixit: Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum?] Mecum, inquam non solum vigilante, sed etiam orante, sudante, pugnante cum morte; non potuisti ad temporis momentum vigilare, qui tui semper solicitus fui! ô Simon, Simon, qui, præ cæteris, paulo ante iactabas te vitam pro me positurum, siccine modo me tot circumsepto angustiis, somno succumbis! ô Simon, Simon, quam dispar tua de me à proditoris Iudæ solicitudine! ille tota hac nocte vigilat, vt me prodat, ac perdat: & tu vna horula, vt me defendas non vigilas! ô Simon, Simon, quam solicitè armatam hostium manum Iudas ad me capiendum colligat, & tu tamen dormis! Simon, Simon dormis, cum diabolus aduersarius Vester, tanquam Leo rugiens circumeat, quærens, quem deuoret, quem absorbeat, quem deglutiat, & tu tamen dormis! nullo alio satiatur diabolus cibo, quam Electo: [cibus enim eius electus] Et quod de Leone fertur, non nisi rapto viuere, seu venatione, ac præda, idem de diabolo dicendum, qui non satiatur mortuorum cadaueribus, sed gratia viuos absorbere contendit, & tu tamen Simon dormis, tibi diabolo insidiante? Ad debellandos Dei seruos inquietus & semper infestus est, in pace subdolus, in persecutione violentus, & tu Simon iuxta eiusmodi hostem, securè dormis! solicitus est, vt vos omnes cum Iuda mactet, & perdat, cuius vna cura, & solicitudo, ne forte qui auersus est à me semel reuertatur; Et tu Simon in tanto dormis discrimine! Magnum, Simon, in militibus excubiarum est momentum; nam illis dormien-

Habac. 1.

Reprehenditur Petri intempestiuus somnus.

tibus hostis surrepit,& omnia, si potest, diripit, & tu Simon dormis! Esto vigilans, & confirma cæteros.

2. O peccator, quanta diligentia sceleribus patrandis,instar Iudæ,inuigilas, & tamen si,vt recipiscas, monearis, statim cum Simone obdormis! heu quam solicitè impura Dæmonis mancipia, noctes insomnes ducunt, vt suam ac dæmonis, cum Iuda, nefandam perficiant voluntatem! & quam segnes,& tepidi Dei omnipotentis serui;in perficiendis eius mandatis;torpore ac somno sæpè;cum Simone, obruti? quoties illis negligentiæ ac torporis somno sepultis, Christus,hac suaui vocis admonitione, aures demulcet; Simon dormis? qui præceptis meis dicto audientes esse debueratis, illis neglectis cum Simone obdormiscitis? insidiatur in occulto leo hic in spelunca sua, insidiatur, vt rapiat pauperem & tu Christiane [frondosæ (vt ait Hieronymus) arboris tectus vmbraculo,molles somnos, futurus præda,capis?] in mysticis animalibus nec labor sufficit bouis,nec leonis robur,nec volatus aquilæ,nec hominis ratio:oculis opus est ante, & retro,vt sedulo aduigiletis contra rugientis, ac ferociſſimi leonis impetus, & tamen cum desit vobis bouis labor,leonis robur,volatus aquilæ, & vigilans hominis ratio,oculis somno clausis, vos in direptionem hosti traditis, qui rugiens circuit, quærens, quem deuoret,& quasi res vestra non agatur in vtramque dormitis aurem! Ecce quanta interim cura, ac solicitudine circumeo, quærens oues perditas, vt eas à tartarei lupi faucibus eruam, & quasi hæc cura vos non tangat,dormitis!

Hier. Epist. 1. ad Heliod.

3. Sed relictis Discipulis somno oppressis, ad Patrem rursus rediit, & in genua positus, secundò orauit dicens: [Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.] Quam aptè apposita moderatio: [fiat voluntas tua.] Sic enim naturæ infirmitatem ostendere voluit, vt vltra diuinæ voluntatis terminos non egrederetur. O nate Dei, nonne anima tua diuinam semper intuetur essentiam? cur ergo ex eius aspectu tantus animi tui dolor, & mœstitia non absorbetur, cur modo ad discipulos, modo ad patrem curris, quasi solatium quærens, cum omne solatium intra animæ tuæ viscera reperiri possit? Sed, ô immensus in nos amor! gaudium illud immensum, quod à diuinæ essentiæ conspectu hauris, inaudita quadam dispensatione, nostri causa, tristitiam secum in superiorem animæ partem etiam admisit, & sicuti tuam hactenus cohibuisti beatitudinem, ne in corpus defluereret, vt pati posset; ita premere eam hodie voluisti, & quodammodo abscondere, vt ad breue tempus tristitiæ locum daret, quæ non infima fuit passionis tuæ pars, vel, sicuti alij volunt, ita in superiore animæ parte, gaudium illud, & beatitudinem contines, vt in inferiorem non redundet. Quemadmodum enim in supremo cælo empyreo lux contenta, infima hæc nullo modo illuminat, sic beatitudinis, supremique gaudij lux adeo superiore animi tui parte constringitur, vt in inferiorem non exuberet, & sicuti in hoc orbe, duo sunt hemisphæria; sic in tuæ animæ cælo duæ sunt partes: & sicuti ex duobus mundi hemisphæriis, vnum solis splendore irradiatur, alterum tenebris obuoluitur; ita ex duabus animi tui partibus, altera qui-

Similia.

Superiore animi parte lætitia perfusa, inferior summa afficitur mœstitia.

Digitized by Google

dem superior nimirum, maxima semper lætitiæ, & gaudij luce illustratur, altera inferior scilicet, derisa tristitiæ caligine, nostri causa, quasi obscuratur. Quare quod aliis Christi causa, patientibus (vt ait D. Thomas) ad solatium conceditur, hoc Christo denegatum fuit. [In aliis patientibus mitigatur tristitia interior, & etiam dolor exterior, ex aliqua consideratione rationis, per quandam redundantiam à superioribus viribus ad inferiores, quod in Christo patiente non fuit. Quia vnicuique virium permisit agere, quod est sibi proprium,] cui illud B. Iustiniani concinit; [Deus in puris naturalibus sensibilem Christi partem reliquit. Fluenta enim æternæ voluptatis continuit, ne impetu, quo solebant, emanarēt in illum.] Cum igitur neque Pater, neque Angeli, neque Discipuli, neque ipse Christus, tanto dolori remedium adhibere velint; nos saltem illi ex animo compatiamur, eumque contemplemur ingenti confectum mœrore, nostri gratia, deducantque oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis, luctuosa lamentationis voce de horto exaudita huiusmodi [ô vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus.]

D. Thom. 3. p. q. 46. art. 6.

Quod aliis patientibus ad solatium conceditur, Christo negatur.

Thre. 1.

De sanguineo Christi sudore, & tertia eius oratione.

CAPVT VII.

1. DE Leone proditum est, superiori eius parti, nimirum capiti, brachiis, & pecto- *Leo symbolum fortitu-*

Digitized by Google

dinis, imperij, & poteſtatis. Simile.

ri ſolem dominari; qua ratione imperij, poteſtatis, ac fortitudinis ſymbolum eſſe perhibetur; inferiori vero, ventri, ac pedibus, terram à qua timorem, ac infirmitatem haurit. Quare licet ferociſſima quæque animalia vel vocis ſuæ, quaſi tonitruo icta proſternat, tantò tamen ipſe aliquãdo percellitur pauore, vt viſo imbelli gallo criſtis expanſis, ſtatim fugiat, & tremulus conſpectis quercus foliis, terga vertat. Et Chriſtus leo fortiſſimus de tribu Iuda, qui quamuis ſecundum ſuperiorem ſui naturam, Dei nimirum, infinitæ fuerit fortitudinis, ac potentiæ, cui nihil reſiſtere potuit; ſecundum tamen inferiorem, hominis ſcilicet, mortem timuit, peccatorũ pœnas, quas, noſtri gratia, ſubire decreuit, omnino expauit. Hinc ſanguinem præ cordis anguſtia, ſudat, [vt ſuſcipientis, & ſuſceptæ (quemadmodum loquitur B. Leo) naturæ eſſet manifeſta diſtinctio; quod enim erat hominis, diuinam deſiderauit potentiam, quod erat Dei, ad cauſam reſpexit humanam.] Factus eſt igitur ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram! ô quantæ molis fuit noſtræ redemptionis opus, vt ſanguinem Deo exprimere potuerit! quàm graue peccati onus, vt Dei humeris impoſitũ, ad terram vſque tantam incuruarit maieſtatem, & ad tantum adegerit laborem, vt ad mortis portam venire cogeretur. Anguſtias Domine cordis tui certiſſimè, inquit Bernar. ſer. de paſſio. indicat ſudor ille ſanguineus qui de carne tua ſanctiſſima guttatim decurrit in terram. O infinita Dei dignatio, vt noſtræ mederetur infirmitati, ſuam, cum noſtra, naturam copulare voluit, & quo noſtris peccatis debitã æternæ mortis in ſe extingueret triſtitiam vſque ad mortẽ ita triſtatus eſt, vt totus in ſangui-

Chriſtus infirmus ſecundum humanitatem: potens ſecundum diuinitatem.

Leo. ſer. 5. de paſſio.

neũ ſudorẽ abierit! ô inaudita adinuentio! cũ enim diuina natura triſtitiã pati, nec ſanguinem ſudare poſſet, humana vero ſine diuina, licet omnẽ pateretur triſtitiam, & in ſanguineũ penitus ſudorem reſolueretur, diuinæ tamẽ iuſtitiæ ſatisfacere nequaquam poterat, vtramque in diuina hypoſtaſi inexplicabili vnionis vinculo copulauit. Hinc humana effecit, vt Deus pati poſſet; diuina, vt diuinæ iuſtitiæ Deus homo ſatisfaceret. Vnde egregie Anſelmus: [Satisfactionem, inquit, nec poteſt facere niſi Deus, nec debet niſi homo; neceſſe ergo eſt, vt eam faciat Deus homo.] O admiranda filij Dei in nos charitas!

Anſel. l. 2. cur Deus homo c. 6.

Magnæ animi anxietas ex qua ſudor ſanguineus ſequitur.

2. O Chriſtiani mentis oculos ad tantam Dei charitatem conuertite, ex qua factum eſt, vt Deus fieret homo, & ſponte ſua humani generis gratia, tanta voluerit triſtitia affici, vt in ſanguinis ſui profluuio, ex interno animi mœrore vbertim emanante, in terra proſtratus, quodammodo volutaretur. Conſiderate, qua intentione hanc animi anxietatem in ſe ſuſcepit; [Hos, inquit Auguſtinus, humanæ infirmitatis affectus, ſicut ipſam carnem infirmitatis humanæ, ac mortem carnis humanæ, Dominus Ieſus non conditionis neceſſitate, ſed miſerationis voluntate ſuſcepit; vt transfiguraret in ſe corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, cui caput eſſe dignatus eſt, hoc eſt membra ſua in Sanctis, & fidelibus ſuis, vt ſi cui eorum inter humanas tentationes contriſtari, & dolere contingeret, non ideo ſe ab eius gratia putaret alienum, & non eſſe iſta peccata, ſed humanæ infirmitatis indicia, tanquam voci præmiſſæ concinens chorus: ita corpus eius ex ipſo ſuo capite addiſceret.] Chriſtus igitur humanos cepit affectus. [Neque enim, (vt ait idem) in

Auguſt. in Pſal. 87.

quo verum erat hominis corpus, & animus verus, falsus esse potuit humanus affectus. Christus igitur affectum, & animi motum ita cum voluit suscepit; sicut cum voluit, factus est homo.]

Aug. l. 14. de ciui. c. 4.

Lucan. l. 9. Hæmorrhoidis natura.

3. Refert Lucanus quendam esse serpentem, qui à sanguinis fluxu Hæmorrhoidis nomen sortitur. Hic si quempiam momordetit, extracto statim sanguine, totum cruentat: huic serpenti persimile est peccatum, quod in quemcunque venenatum semel infixerit aculeum, illius animã cœlesti gratia, tanquam viuifico sanguine spoliatam, insanabili, per humanam industriam, vulnere, sauciet. Quid ergo mirum, si Christus, in oratione prostratus, sanguineo sudore toto corpore perfundatur, infinitis penè peccatorum serpentibus in horto Gesemani circumseptus, quorum admodum crudelibus aculeis ita pungitur, vt in terra iacens, totus cruentetur, & quasi sanguineo balneo vndique rigetur. Verum paulisper Iesum cominùs in hac agonia amari prægustata calicis potione intueamur, quem iam tertiò orando, ex Patris decreto, & ex libera eius acceptatione, humanus affectus non potuit effugere. Intueamur, inquam, & à tot circumcinctum peccatorum serpentibus, quorum intolerabiles sustinere pœnas debet, in illum certatim suos infigentibus aculeos.

Pugna appetitus sensitiui cum ratione.

4. Tam atrox sanè certamen hoc, vt licèt ratio, naturæ affectum ad pugnam cum morte, & vniuersis peccatis vrgeret; ipse tamen huiusmodi prælium, tanquam naturæ dissentaneum, ita refugeret, vt inter ipsum, & rationem, quædam exoriretur pugna. [Nonnè voluntatiè, in-

Digitized by Google

terrogat Bern. ſer. de paſſ. omnino Patri ſacrificium obtuliſti? vtique Domine. Arbitramur autem quod hoc ad conſolationem infirmorum membrorum tuorum aſſumpſiſti, ne forté deſperet quis, ſi caro infirma remurmurat, vbi ad paſſionem promptus eſt ſpiritus.] Sicut enim equus loris adhuc ac bello minimè aſſuetus, armorum ſplendore perſtrictus, in conflictum progredi detrectat; cui vbi ſeſſor calcaria admouet, eiuſque maxillas fræno conſtringit, ſtatim in prælium impellitur, obuia quæque calcibus proterit, ſtragemque edit ingentem: ſic ſenſualis Chriſti appetitus, mortem tanquam ſibi contrariam refugiebat, ac per difficilem Paſſionis viam progredi tergiuerſabatur, donec ſeſſor, eiuſque gubernator, rationalis nimirum appetitus, rationis calcaria illi ſubdés, animosè in prælium eum pergere, & peccatum, mortem, ac infernum, diuinitatis inſtructum armis proterere coegerit, ſed non tantum illi pugna, cum ſenſuali appetitu; verum cum diuina etiam iuſtitia, quæ ſibi voluit ſatisfieri. Quare potentiæ ſuæ brachio per flagella, ſpinas, & mortem patris iuſtitiæ ſatisfacto, cœlum miſericordiæ velut adminiculo, in terram inclinare, terræque pondus, eadem virtute ad cœlum vſque attollere decreuit, vt in pacis medio, homo, & Deus, perpetuo fœdere, arctiſſimè copularentur. Vnde in tanto conatu, per omnes corporis poros, ſanguineo emanante ſudore, ſubſtratam ſibi terram cruentauit. Vicit tamen tandem calicis horrorem, membrorum ſalutis deſiderium, vicit ardens terræ, cum cœlo reconciliandæ, & ima ſummis copulandi ſtudium. Hinc copioſa ſui ſanguinis effuſione,

Digitized by Google

salutem membris afferente, licet natura, mortem, tanquam sibi contrariam, abhorreret, velut amantissimus simul animarum medicus, & strenuissimus pugil delectatur.

Simile.

§. Quemadmodum enim æger, oblatam sibi potionem, iam horrore eius amaritudinis concepto, reijcit, mox tamen considerata eius necessitate, in manus trepidè illam resumit, & ori admouens, rursum eam, nouo concepto horrore, à se remouet, sed tandem valetudine, id omnino exigente, audacius illam repetens, hianti ore, vno impetu, vsque ad fæces exhaurit: & licet in stomachum traiecta, tonitrua imitetur, suoque strepitu ilia inter se collidere videatur; ita tamen, per omnia paulatim membra suam diffundit vim, vt omnes peccantes in corpore humores, ad vnum trahens locum dispellat. Sic Christus, ob peccata nostra, quasi æger, calicem sibi à patre exhibitum iam horret, ac natura mortem auersante, à se remoueri expetit [Pater si possibile est, transeat à me calix iste.] Quem rursus, considerata eius, ad peccata delenda, necessitate, quamuis non sine trepidatione videtur acceptare: [verumtamen, inquiens, non mea, sed tua fiat voluntas.] Et quasi eum ori admouens, nouo horrore adhuc concepto, iterum, iterumque Patrem deprecatur, vt calix à se transeat. Nimirum vt maioris erga te amoris, inquit Bern. ibid. & gratitudinis stimulos habeamus, naturalem carnis infirmitatem his indiciis in te expressisti, quibus doceremur quia verè, languores nostros portasti, & non absque sensu doloris passionum sentes percurristi. Sed salutis nostræ amor, calicis horrorem tandem vincens,

Considerata calicis necessitate licet amari Christus illum exhibit.

vincens, partisque sensitiuæ trepidationem mitigans, & calicem generoso animi impetu acceptans, [Fiat, inquit, voluntas tua, non mea.] Quamuis amara sit potio, æterna tamen membrorum salus, adeo me vrget, vt eam libenter pleno bibam haustu, quæ licèt in stomachum immissa meum amaricatura sit ventrem, tamen eius virtus, per omnia mea transiens membra, eorum peccata dissoluet. Quamobrem etsi naturali appetitu ab illa abhorream, cum tamen certa sit ægris medicina membris, perfecta charitate foras mittente timorem, ecce generosè prægustatam calicis potionem breui penitùs eporabo. [Quod vero promptus ad passionem (inquit Bernardus) fuerit eius spiritus, euidenter ostender; quando venientibus vna cum proditore suo viris sanguinum, & quærentibus animam eius cum laternis, & facibus, & armis per noctem, vltro occurret, & ne quid accipiant à duce flagitij seipsum manifestabit.] *Ber. ser. de pass.*

6. Interim conuertite mentis oculos in eum humi iacentem, nostri causa, orantem, sudantem, patientem! conuertite, & videte quomodo nostras in se suscipiens infirmitates, & veluti ignea inardescens febri vehementer affligatur, vt non immerito venerabilis Beda exclamet in hunc fere modum: [ô dulcissime Domine Iesu, quanta passionis tuæ futura acerbitas breui exhibendæ, cuius adhuc absentis distincta apprehensio ita naturam terrendo concutit, vt sudare sanguinem cogeretur: Assistat hîc deuota anima, & passionis colligat fasciculos, in quos, ne pereant, pretiosas guttas suscipiat, & rubicundum dilecti sui corpus fletu abluat, & gratiatum *Acerba passio, cuius cogitatio sanguinem elicit.* *Bed. serm. de pass.*

actione tergat.] Ecce in terra proſtratum totius vniuerſi peccatis, velut graui tegmine coopertum, quorum mole oppreſſus, ardentiſſimæ veluti febris cryſim expectans, totus in ſanguineum ſudorem reſoluitur, ſicut enim humanus ſudor ardentiſſimæ febris cryſis eſſe ſolet, & argumentum medicis, quod natura, coniunctis viribus, contra peccantes in corpore humores pugnet, vt eos expellat, & foras emittat: ita ſanguineus Chriſti ſudor ardentiſſimæ humani generis febris cryſis eſt, & certum nobis indicium, quod Chriſti humana natura, totis viribus, aduerſus omnium mortalium peccata certet, quorum graui preſſus pondere ſubiecto ſibi lapide genuum (vt Beda eſt author) impreſſit veſtigia. Quomodo igitur Chriſti paſſio noſtris cordibus ſua non imprimit veſtigia? quia nimirum cor noſtrum omni adamante durius, quod in ſe non ſuſcipit paſsionis memoriam, quomodo non finditur ſanguineo Chriſti ſudore perfuſum? quia ferro omni pertinacius. Egeſippus memoriæ tradidit, arborem in ea horti parte, vbi Chriſtus ſudauit, creuiſſe, cuius ſingulis foliis inſcriptum fuiſſe aſſerit; [ô mors, quam amara es!] Sic cum nos viuæ ſimus arbores dominici ſanguinis virtute in fertili Eccleſiæ horto inſitæ, cur non in ſingulis arborum folijs, hoc eſt, in omnibus tam animi potentijs, quam corporis ſenſibus, actionibuſque inde procedentibus impreſſa ſit acerbæ paſſionis memoria, præſertim cum noſtri cauſa, peragatur, vt in nos eius tranſeat fructus. O ſi attenderemus quibus angoribus in hac feruentiſsimæ febris cryſi eius animus conflictetur, & cuius animus? Dei haud dubie! tantæ dignationis

Simile.

Beda in Luc.

Eccli. 41.

memoriam noſtris imprimeremus cordibus! ô ſi attenderemus quibus afflictionibus eius corpus horribiliter torqueatur, & cuius corpus? Dei! *Iſa. 40.* Dei, qui cælos eo ipſo temporis momento, quo in ſanguineo ſudore, tanquam in balneo iacet, palmo ponderat! Dei, qui nunc tribus digitis appendit, & librat in pondere montes, & colles in ſtatera! Dei, qui vniuerſam creaturam ſua omnipotentia hoc ipſo triſtitiæ eius, & ſanguinei ſudoris puncto ſuſtentat. Si hæc, inquam, attenderemus in ſtuporem verſi tam inuſitati beneficij ſemper memores eſſemus. Conuertamus itaque iam ſaltem in eum mentis oculos, præſertim cum ipſe hoc ipſo triſtitiæ, ac prodigioſi ſudoris tempore nos omnes quaſi præſentes ſibi habeat, & in ſingulorum colla irruat, noſtra ſanguineis lacrymis deflens peccata: non ſecus ac Ioſeph, qui præ commiſeratione illacrymans in fratrum amplexus irruit lamentabili voce ingeminans: [Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægypto.] Sicut igitur hæc inopina vox, quaſi fulmen (authore Ruperto) perculit fratres, eoſque attonitos, elingues, & tanquam amentes effecit: à formidabili enim potentia Ioſephi fratris ſui, ſceleri ſuo non niſi meritam expectabant mortem; ſic Chriſti lamentabilis vox, in hoc ſanguineo ſudore poſiti: Ego ſum frater veſter, & Redemptor, quem peccatis veſtris ad tantas redegiſtis anguſtias, vt nihil propius ſit quam, præ animi anxietate, expirem, hæc, inquam, Chriſti vox, inſtar fulminis, nos percellat, attonitos, elingues, & quaſi præ timore ſimul, & amore amentes quodammodo reddat: à formidabili enim Chriſti potentia ſceleribus noſtris *Gen. 45.*

non nisi merita æternæ damnationis mors, nisi cito resipiscamus, expectanda. Quare ne extremum hoc de nobis supplicium sumere cogatur, instar Ioseph, singulos saltem affectu osculatur, & singulorum colla sanguineis perfundit lacrymis, vt nostri cordis duritiem emolliat, & nos ad seriam peccatorum pœnitudinem reuocet, quo sanguineis hisce lacrymis nostra penitus deleat peccata. Hinc ex ipso sanguineo balneo, velut lugubri ad nos clamitat voce, vt in hac anci-
piti agonia illi condoleamus, ingeminans [Deducite quasi torrentem lacrymas per diem, & *Thre. 2.* noctem, ne detis requiem vobis, neque taceat pupilla oculi vestri; effundite sicut aquam cor vestrum ante cõspectum Domini.] Cur ita? quia *Leuit. 23.* moritur flos Israel. [Omnis igitur anima, quę afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.] quid ita? quia moritur flos Israel, cuius sanguine expiandi estis.

Christi lachrymosa querela ad Patrem. Christus in tam inusitato positus sudore, magna vocis contentione suam ad patrem petitionem iam tertiò dirigit: [Pater mi, inclamans, si possibile est, transeat à me calix iste] Scis, pater mi, quanti me semper facis ! vides modo pectoris meis angustias ! vides sanguineo me sudore, præ tristitia, animique mœrore perfundi ! vides & veluti æstuante febri me amburi, præuidentem omnium mortalium scelerum pœnas in meo corpore persoluendas ! respice in faciem Christi tui, filij, inquam, tui! Nõne, ô pater, charior tibi sum quam Isaac? hunc tamen licet impetio tuo mortis periculo expositum, liberasti: *Gen. 22.* priusquam enim gladius in collum eius descen-

diſſet Angelus tuo juſſu obediẽtiſſimi patris brachium tenuit, & à facinore tam inuſitato cohibuit. Ecce non modo filium tuum mortis diſcrimini obijcis; ſed mandatum quoque dediſti, vt amarum paſſionis calicem bibã, qui mihi mortẽ, & inimicis vitam operabitur! Sic iuſtus nunquã à te, ô pater derelinquitur, vti Propheta tuus Dauid aſſerit, nec à refugio tuæ protectionis excluditur; quomodo me derelinquere videris, & à tua protectione abigere. Nõne adiutor es in opportunitatibus, qui innocentem Iob in Angelorum concilio, non tantum laudaſti, ſed omnia illi, quæ Sathan abſtulerat, duplicata reſtituiſti? & me agnum Dei innocentiſſimum tot circumſeptum anguſtiis, non iuuas, neque in cœtu Angelorum, quos à me abegiſti, laudas, ſed omnia mea diripienda Sathanæ mãcipiis relinquis! Non deſeruiſti Dauidem, quem regno ampliſſimo honoraſti, & Imperij ſui pulſum finibus, in priſtinum ſtatum reuocaſti. Non reliquiſti Iacob, nam per deſertum errantem ſuſtentaſti, & Angelos per ſcalas aſcendentes, & deſcendentes ei oſtendiſti. Non reliquiſti Eliam, ſed ereptũ à perſecutoribus in paradiſũ tiãſtuliſti, innumeris in terra ornatũ miraculis.] Ille enim (vt loquitur Ambroſius,) geminatã ſpiritus hæreditatem diſcipulo dereliquit, vt vna melotide hæres donatus, fluuios ſiſteret, Iordanem reuocaret in fontem, Regum exercitus paſceret in deſerto, & potũ ſitientibus miniſtraret, ad eius arbitriũ de cælo profluebant pocula, in terris mortui reſurgebant.] Non reliquiſti Eliſæũ, cui Angelos poſuiſti cuſtodes, proclamanti ad ſuũ famulũ Giezi: quia plures nobiſ-

Pſ. 36.

Iob. 2.

1. Reg. 4.

Gen. 32.

Ambr. in Pſal. 36.

4. Reg. 6.

Dan. 13.

cum sunt, quam cum illis. Non reliquisti Danielem in lacu leonum, sed postquã illum cibo miraculosè reficeres, ab immanitate belluarum eripuisti. Non reliquisti Susannam, cuius pudicitiæ, & famæ ita prospexisti, vt ab impudentibus oppressoribus, & iniquis criminationibus liberatam toti populo glorioſam effeceris. Quid plura? nonne quosdam è magnis eximere soles calamitatibus; sicut olim Israelitas à plagis Ægyptiorum eripuisti? Nonne alios, licet ad tempus, fame, morbis, aut bellorum tumultibus exagitari permittis, ad extremum suauissimè consolaris, & ad eorum preces miseriis finem imponis? Nonne alios à crudelitate tyrannorum eripis, & inter tormenta, ne dolores, & cruciatus sentiant, occulta quadam dispensatione, efficis? Pater ergo mi, quæ culpa mea, vt isto amaro passionis calice vsque ad fæces epoto inebriatus, tot tormenta, ac cruciatus, sine vlla consolatione, peccatorum causa, gratis sustineam?

8. Heu pater mi! hoc admodum mihi graue est, decretum tuum à me acceptatum vrget, naturæ horror tam ingentes cruciatus respuit: quid faciam, pater, intestino huiusmodi bello lancinatus? Pater mi ergo, si possibile est, transeat à me calix iste! Quid commisi, vt tam acerba mereat pœna puniri? quæ ægritudo mea, vt tam violenta indigeam purgatione amarissimi passionis calicis haustum? Transeat à me, pater optime, calix iste; vox hæc Christi lachrymosa ex reuerberatione mentis numerosiore repercussu multiplicata

miro cordis affectu ad patris aures, quasi aëris vehiculo cælos penetrans peruenit, paternumque ferijt pectus, & inde obiectu reflectitur reciproca ad filij aures lugubri sono instar Echo: calix iste, hic est fili mi, calix æterno decreto tibi vsque ad fæces exhauriendus, quandoquidem in te susceperis omnes filiorum Adæ ægritudines, si vis eos saluos fieri. [Propterea, ô fili, damnationi mortis te subdidisti, vt eos à iugo damnationis erueres: suscepisti mortis seruitutem vt illis tribueres vitæ æternæ libertatem.] Quo responso, per aëris vehiculum reciproco sono ad filij aures delato, suam ipse nihilominus prosequitur vrgere petitionem, illis Iobi lamentabilibus verbis, reipsa vtens, vt saltem modus aliquis sit in tam acerba calicis potione exhaurienda: [Nunquid, ait, fortitudo mea, fortitudo lapidum?] quid, pater mi, putasne fortitudinem filij tui durissimæ rupis instar esse, quæ ferratis instrumentis incidi, elaborari, & atteri debeat? caputne meum ex ferro conflatum, vt retundat spinatum aculeos? manusne meæ ex ea materiæ specie, vt necesse sit illas obtusis terebrari clauis? pedesne mei ex marmore compositi, vt oporteat illos, antequam in crucem tollar, ferro perforari? corpusne meum delicatissimum ex chalybe factum, vt non alia re, quam viuaci igne emolliri queat? nunquid fortitudo mea, fortitudo lapidum? statim è summo cæli vertice reciproca reflectitur, vox Echo: fortitudo lapidum, fili mi? Nonne fortitudo tua fortitudo lapidum,

Amb. super beati immac.

Iob. 6.

Fortitudo Christi, fortitudo lapidum.

qui lapis es, & firmissima petra, quæ ex cęlesti illa lapidicina aluo Virginea sine manibus, sine viri opera, sed Spiritus sancti virtute excisa solidissimum totius Ecclesiæ fundamentum poneris? Nonne fortitudo tua fortitudo lapidum, cuius olim robur potentissimi illius Regis Nabuchodonosor inuictum quasi pectus terrefecit, cum è cælesti monte ipse quasi excidendus lapillus significareris, qui cadens in illam superbissimam statuam, cuius caput ex auro optimo, pectus & brachia ex argento, venter & femora, ex ære, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis, in pulueres redegisti? Nonne etiam ipse fassus es, in quem ceciderit lapis iste comminuendum? nonne tu es ille lapis oneris, de quo olim Zacharias: [Ponam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes qui leuabunt eum, concisione lacerabuntur?] Tu es ille lapis oneris, qui tanta virtute Hierusalem, Ecclesiam nimirum, corroboras, vt omnes persecutores, qui volent exercere, & ostentare vires suas eum persequendo, veluti grauissimi lapidis pondere opprimi se sentiant. Fortitudo ergo tua, fortitudo lapidum. Et Christus cum neque hac ratione petitionis suæ effectum consequi possit, neque pœnis modum, grauius aliquid petitioni suæ addit: Sed nunquid caro mea ænea? Cuius vox statim à patris pectore reflexa in eius auribus insonat; ænea est, fili mi, quid conquereris cum ænea sit caro tua, cedere verberibus, flagellis, spinis, clauis, cruci, nescia? Quid enim aliud, fili mi, serpens ille æneus à Mose in deserto

Descriptio statuæ Nabuchodonozoris.

Daniel. 2.

Luc. 20.

Zachar. 12.

Christi caro ænea.

Christus serpens æneus.

erectus, in quem filij Israël à serpentibus morsi, vbi intuebantur, statim sanabantur, quid inquam, aliud significauit, quam te carne tua æneâ flagellis, spinis, clauis, assueta, in Cruce erigendum, vt quicumque fidei oculo in te intueretur, à tartarei morsu serpentis subito sanaretur? [Fratres (inquit è tuis electis vnus) vt à peccato sanemur Christum crucifixum intueamur: quomodo qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur fide Christi mortem, sanantur à morsibus peccatorum.] *Auguſt. in Ioan.*

9. Porro nonne tu es ille murus æneus totam cingens Ecclesiam, qui nulla potest violari rubigine, nec imbribus deperire, sed vetustate fortior euadit? nonne de illa olim dixi: Ecce ne formides sponsa filij mei, Ecclesia inquam sancta: dedi enim filium meum tibi in murum æneum, vt à nullo hostium incursu timeat. Caro igitur tua fili mi, ænea est. Verum obediens filius patris esse voluntatem, vt pro humano genere pateretur, videns, non mea, inquit, voluntas, sed tua fiat. Cui reflectitur à patre vox eadem: tua fiat fili mi, qui peccatorum in te suscepisti patrocinium; de te enim scriptum reperies: [Iesus Christus venit in mundum peccatores saluos facere] Tua itaque est voluntas, vt peccatorum soluas debita. Quid ergo magis tuum, quam tuum? quid hoc est? voluntas mea, non est mea, cum tamen voluntas tua sit peccatores saluare. Voluntas tua (vti scriptum est de te) est sanctificatio hominum, voluntas mea, dixisti, est sanctificatio vestra. Hominum vero sanctificatio fit per redemptionem, quæ per te fieri debet co-

Christus murus aeneus. Hiero. Hiere. 1.

1. Timot. 1.

1. Thess. 4. Heb. 9.

pioſa ſanguinis tui effuſione. Nam remiſſio nõ fit ſine ſanguine. Ergo, fili mi, voluntas tua eſt, vt redimas peccatores, illoſque ſanctifices tui ſanguinis balneo: in te ſiquidẽ habituri ſunt redemptionẽ (per ſanguinẽ vt ſcriptura diſertiſſimis teſtatur verbis) non fit remiſſio, neque conſequenter Redemptio ſine ſanguine. Vincor, pater mi, quod vis, non abnuo, tua voluntas fiat, quæ mea etiam eſt: cui pater reflexo ſono eſt. Et filius: cum ita ſit vtriuſque, quæ vna iam eſt voluntas, fiat: & iterum eadem vox ad filij aures repercutitur: fiat [ſublimem admirabilis philoſophiæ virtutem tradidit, (inquit Chryſoſtomus) Dominus, cum exemplo nos doceat, etiam natura horrore perculſa, ac remitente eſſe Deum ſequendum, non mea, inquit, voluntas, ſed tua fiat!]

Chryſo. ho. 84. in Mat.

10. O quale fiat! quam diſpar fiat hoc, quo reparas mundum, ab eo quo illum fabricaſti! quã diſſimile hoc fiat, quo mortis ſententiam in te ſuſcipis ab eo, quo conceptus in virgineo vtero es! [fiat mihi ſecundum verbum tuum.] quam diſſentaneum hoc fiat, quo omnes dolores, cruciatus, ignominias, opprobria, contemptus, flagella, ſpinas, clauos, ſputa, blaſphemias, & mortem denique crucis probrosã tibi ſubeunda, ab eo, quo Chananææ ſuccurriſti calamitatibus: [fiat tibi ſicut vis]! ô hodiernum fiat, fiat, horribile! ô fiat, quo traderis Iudæis ligandus, conſpuendus, flagellandus, ſpinis coronandus, clauis crucifigendus, & ignominioſa morte interimendus! hoc fiat veluti recluſa paſſionis cataracta, ingentes aquarum tribulationũ, facta quadam inundatione, gurgites in eum irruerunt, qui eius coradeo circumdederunt, vt neceſſe fuerit ipſi naturæ ex-

Luca 2.

Matt. 15.

Digitized by Google

perientis medici partes ſuſcipere, quæ inundantes illas aquarũ tribulationũ moles per plurimos corporis meatus foras deriuet. Factus eſt ſudor eius tanquã guttæ ſanguinis decurrentis in terrã. O ſanguis terræ cælique pretium! Dei ſanguis! ſãguis ſine pretio pretioſus! ô fili Dei, quem caro ſtetit tibi illud hodiernũ fiat, qui olim vno [fiat] ſine dolore, ſine ſanguineo ſudore vniuerſam hãc terræ machinam condidiſti, & ſatis pulcherrimè ornamentis diſtinxiſti! O fiat, quod filio Dei ſanguineum elicit ſudorem! ô fiat, quo velut ponderein terra proſtratus iacet, quaſi in ipſa feruentiſſimæ febris cryſi, non ſudorem aliquem communem, ſanitatis indicem, ſed ſanguinis diluuium, mortis prognoſticon efficiens. Fiat, inquit, tua voluntas: ô ſingulare obedientiæ exemplum, gratiſſima Deo victima [per victimas enim aliena caro, per obedientiam voluntas propria, inquit Gregorius, mactatur. Eximiam igitur victimam offert, qui voluntatem propriam offert diuinæ voluntatis mactatam gladio dicens: non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, fiat inquit voluntas tua; qui ergo trepidatione carnis (vt loquitur Leo) eiecta, iam ad paternam tranſierat voluntatem, & toto mortis terrore calcato, opus ſuæ conſtitutionis implebat: cur in ipſo tantæ victoriæ exaltatus triumpho poſtea dixit: quare me dereliquiſti, niſi, vt oſtendat alium eſſe illum affectum, quem ad humanæ formidinis excuſationẽ excepit, alium illũ, quem ex æterno placito patris pro mundi reconciliatione præelegit? Vnde ipſa vox nõ exauditi magna eſt expoſitio Sacramẽti; quod nihil humano generi conferret Redẽptoris poteſtas, ſi quod petebat noſtra obtineret infirmitas,

Greg. l. 35. Mor. c. 10.

Leo, ſer. 16. de paſſ.

Voluntatem itaque noſtram in diuinam reſignat: tua fiat voluntas, non mea. Vtinam ex hoc ineffabili obedientiæ exemplo diſcamus prompte obedire, & ſi Chriſti obedientia nimis ardua nobis videatur, imitemur ſaltem hac in re Paulum, potius quam cæcum, Paulus enim in terram præcipitatus ſtatim exclamat: Domine quid me vis facere? ſed cæcũ Chriſtus inuitat vt viſum petat, quid tibi vis, inquit, faciam? Paulum imitemur non cæcum, voluntatem ſequamur Dei, non noſtram. Noſtra voluntas, voluntas Dei ſit; non ſit nobis voluntas vlla propria, quæ à Dei voluntate diſſentiat. J.

De cauſis ſanguinei ſudoris.

CAPVT VIII.

Prima cauſa ſanguinei ſudoris probroſa mors.

1. VAriæ ſunt huius ſanguinei ſudoris cauſæ: & in primis triſtitia, quam animo cõcepit, ob omnia, quæ non modo paſſionis tempore, ſed quæ vſque ad mundi finem in ſuam maieſtatem indigniſſimè committenda vidit. Hinc tanta fuit, vt intenſione, & acerbitate omnem ſuperaret triſtitiam, quæ de humanis, ac temporaneis malis concipi poſſet. Obiectum enim illius triſtitiæ ſecundum ſe maximum, & formidoloſiſſimum. Quid enim formidoloſius, quam acerbiſſimis innocentem tormentis ſubdi? quid ignominioſius, probroſa crucis morte Deo parata? quid vitæ Chriſti dignitate præſtantius, quæ diuina eſt, ob vnionem, qua cum diuina natura arctiſſimè copulatur? Cum itaque vita filio Dei

ignominiosissimè adimenda sit, & probrosissimæ mortis, quam subiturus est, omnes perfectè circumstantiæ sese illi præsentes offerant, permittatque voluntatem, & appetitum naturæ suæ, vt circa tam ignominiosas, & acerbas mortis circumstantias, sibi ad viuum propositas, operentur, & singulari efficiat dispensatione, vt vnus actus alium non impediat, nec gaudium vnius partis in alium redundet, nec denique aliquod aliud illi solarium adhibeatur, quod tristitiam posset minuere, vel leuare. Humanum enim habet nullũ, qui ab intimis etiam amicis omnino videt se derelinquendũ, & ab vno ex inimicis vendendum, & ab alio breui negandum. Diuina vero etiam consolatione prorsus priuatur, cum eius diuinitas adeo permittat humanam affligi naturam, ac si nunquam illi fuisset, per vnionem hypostaticam, copulata. Cum ergo corpus eius ob tot animi anxietates debilitetur, & quasi exhauriatur interiori afflictione, ex viua passionis, & humanæ ingratitudinis imaginatione semper crescente, fieri potuit, vt deficiente sudoris materia, sanguis ex vehementia interioris afflictionis foras fuerit expulsus. Sicut enim (vt ait Caietanus) magnitudo passionis pellit violenter sudorem; ita si vehemens sit passio, & deficiat sudoris materia, fieri potest vt sanguinem foras expellat, sicut deficiente in nutricibus lacte, si vbera fortius sugantur, pro lacte, sanguinem dare solent; sic fortassis Christo contigit, deficiente tandem sudoris materia, pro sudore etiam sanguinem dedit, ex viuaci rerum imagine, menti obiecta. *Simile.*

Deinde hunc sudorem vrgebat mirum in modum, ob oculos illi posita, incredibilis illa Iu- *Secunda causa In-*

dæorum & Gentilium ætrocitas.

dæorum,& Gentilium atrocitas, catenæ, & vincula,quibus illum inhumaniter ligaturi erant,raptationes,quibus, inſtar nefarij homicidæ, eum inhonoraturi, colaphi,quibus liuidam reddituri faciem illam, in quam Angeli intueri perpetuo deſiderant; ſputa, quibus vultum æterno patri gratiſſimum contaminaturi, crinium & barbæ euulſiones,quibus,inſtar mancipij, eum ſunt cõtempturi:ſannæ,increpationes, irriſiones, contumeliæ, quibus illum exagitaturi,flagella, quibus totam corporis cutem laceraturi: ſpinea corona,cuius aſperrimis aculeis caput eius puncturi,crucis baiulatio, cuius pondere ter in terram decidet: ſuſpendium ignominia plenum, mors tandem ipſa dedecoroſa,qua eum ſine vllo commiſerationis ſenſu crudeliſſimè affecturi ſunt. Hæc ad viuum illi,propoſita,tanta affecerunt illum triſtitia, vt quaſi ad mortem properans natura in profluuium ſanguinei ſudoris exæſtuaret.

Tertia cauſa patris ira.

3. Porro patris in ſe iram breui deſæuituram videns, vehementi interno animi dolore, & triſtitia conflictatur, cuius horrendi conflictus euidentiſſimum fuit argumentum ſudor hic ſanguineus, quo toto perfunditur corpore. Iram vero in ipſum paternam excitauit, quod perſonam non modo vnius peccatoris, ſed omnium penitus gereret. Odium autem patris, vel in vnicum lethale peccatum tam ingens eſt, vt magis illi diſpliceat, quia infinitæ quodammodo malitiæ eſt, quam omnia Sanctorum ſimul opera, quæ finiti ſunt meriti, placeant. Quare incredibilis ſit oportet patris ira in omnia vniuerſi ſimul peccata, atque adeo in eum, quorum omnium

pœnam subiturus erat: præsertim cum infamiè peccatis confecto veluti centone confectus, & iisdem tanquam satellitibus circumcinctus à patris misericordia ita abscondi videatur, vt pro filio ab eo quasi non agnoscatur. Quemadmodum enim satellites semper malefactorem comitantur, quousque illum in extremum supplicium præcipitent: ita & vniuersi peccata Christum, circunstant, donec ipsum in crucem agant. *Iob.* 10. Hinc in persona Iobi hanc instituit quærelam: [instauras testes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduersum me: & pœnæ militant in me] nulli acriores testes peccatis contra Christum, quorum pœnas in se soluendas suscepit, ac proinde suam pater iram aduersus eum, quę omnibus simul peccatoribus debebatur, multiplicat, quorum pœnæ in filium Dei militant. Ex hominum igitur peccatis quasi magnus militum, & satellitum globus conscribitur, seu magnus pœnarum, ac cruciatuum exercitus *Psal.* 39. contra Christum armatur. Quare non immerito; insurgentibus in se ipsum huiusmodi satellitibus, cum Dauide exclamat: [circumdederunt me mala quorum non est numerus:] circumdederunt, inquam, me humani generis peccata, & in me velut peccatorem, tanquam diuinæ iustitiæ lictores irruunt. Hinc viua harum pœnarum imagine mihi obiecta, & patris in me ira sæuiente ex interna animi mœstitia sanguinem aqua mixtum sudare cogor, & ad vos me mœsto vultu cõuertere, & lugubri voce ingeminare: [ô vos omnes, qui transitis per *Greg. l. 9. Mor. c. 3.* viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. [Hinc ergo (inquit Gregorius)

colligitur diſtrictus iudex quanta illic feriat diſtrictione, quos reprobat, ſi hic ſic cruciat, quos amat!]

Iob. 6.

Magna Dei ira in peccatorem.

Greg. lib. 7. mort. c. 3.

4. Pater igitur cæleſtis omnes ſuas in Chriſtum vindictæ ſagittas cœleſti furore imbutas, peccatoribus debitas, breui collimaturus eſt. hinc ipſe [ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Quid (inquit Gregorius) ſpiritus hominis, niſi ſpiritus elationis? ſagittæ autem Domini ſpiritum hominis ebibunt cum ſupernæ animaduerſionis ſententiæ afflictam mentem ab elatione compeſcunt.] Sicut ergo ſagittæ Domini ſuperbi hominis ſpiritum ebibunt; ſic in me omnium ſuperborum pœnæ, ſuperbis debitæ, deriuandæ ſunt, ſicuti omnium penitus peccatorum debita mihi perſoluenda ſunt. Quamobrem omnes Domini ſagittæ quaſi meo ſanguine ebriæ, ſine vllo diſcrimine, in me irruent. [inebriabo (inquit pater cæleſtis) ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes.] O quanta in vnigenitum Dei hæc patris, in ſpeciem, crudelitas! quis enim vnquam ſagittas audiuit ebrias, & ſanguine ebrias? Illas ergo omnes in me conuertet pater, quia in carnis peccati ſimilitudinem illi appareo, ebriæ igitur, & ſanguine meo, & patris accenſæ ira, necnon dæmonis capitali odio ebriæ; ebriæ omnium peccatorum, quorum perſonam ſuſtineo, flagitiis, ac ſceleribus in me ſumma vi intorquebuntur. Et ſicut ebrius indiſcriminatim ictus multiplicat ſuos, nec in quam corporis partem feriantur, conſiderat; ſic ſagittæ hæ tot indignationibus ebriæ, & à patre ſimul, & à diabolo, licet diuerſa ratione, atque adeo ab omnibus peccatoribus

Deu. 32.

peccatoribus in me crudeliter intortæ, ita ſingulas corporis mei partes ſine diſcrimine inhumaniter ferient, vt nullus à vulnere locus futurus ſit vacuus: à planta enim pedum, vſque ad verticem capitis in me ſanitas non erit. [O bone Ieſu, (exclamat Bernardus) quid tibi eſt? mori nos debuimus, & tu ſoluis! nos peccauimus, & tu luis! opus ſine exemplo, gratia ſine merito, charitas ſine modo.] Imo furoris Domini gladius adeo carnes tuas deuorabit, vt quinque millia, & eo amplius vulnerum acceptus ſis. Quid mirum? ſi enim quodlibet peccatum lethale æternam mereatur pœnam; quid omnia ſimul in vnum collecta merebuntur? cum hæc itaque omnia in te vnum, quaſi congeſta ſint, omnium eorum pœnam perſoluere incredibilis eſt mœroris ſimul ac ſanguinei ſudoris cauſa. Vnde merito dicere potes. [Et terrores Domini militant contra me] eoque potius illud vſurpare licet, quod non ſolum (vt loquitur Gregorius) perpendis quod modo in horto toleras, ſed etiam paues quod reſtat. Terrores itaque totius paſſionis militant contra me: ac ſi aperte diceret, ait idem, percuſſus quidem de præſentibus doleo, ſed hoc in dolore fit grauius, quia & in pœna poſitus adhuc crudeliora ſupplicia pertimeſco.]

Bern. in quodam ſer.

Iob. 6.

Greg. l. 7. Mor. c. 3.

5. Quod vero illa Chriſtus in ſe ſuſcepturus ſit, iam olim hoc exemplo declaratum eſt. Dauidi de peccatis ſuis pœnitentiam agenti ait Nathan: [Dominus tranſtulit peccatum tuum: veruntamen filius qui natus eſt tibi, morte morietur] Tranſtulit, inquit, ergo in alium, in Chriſtum ſcilicet. Neque dicere voluit, dimiſit tibi Deus peccatum tuum, ſed tranſtulit, quaſi graue pon-

2. Reg. 12. Omnia peccata in Chriſtum translata, vt eorum ſoluat pœnas.

dus, quod de vno humero iam peccati grauitate laſſo, ad alium nondum laſſum, transferat: ſic peccatum illud Dauidis ab eius humeris iam peccati pondere laſſis, [iniquitates enim meæ, inquit, ſupergreſſæ ſunt caput meum, & tanquam onus graue, grauatæ ſunt,] ad Chriſti humeros, quibus cælum terramque velut firmiſſimis columnis ſuſtentat, tranſlatum eſt. Et licet de peccati pœna, iuxta literam de filio Dauidis, per adulterium concepto, perſoluenda intelligatur, illud tamen [filius qui natus eſt tibi morte morietur,] myſticè de Chriſto dictum eſſe, quis ambigit, qui filius eſt Dauidis. Sicut ergo Deus peccatum illud Dauidis in eum tranſtulit; ita etiam totius humani generis adulteria, homicidia, rapinas, periuria, vſuras, blaſphemias, ſacrilegia, odia, diſſidia, furta, atque vniuerſa denique penitus hominum flagitia in Chriſti humeros congeſſit, iuxta illud Iſaiæ: [poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrum] Vatablus pro poſuit, vertit, coniecit; Forerius incurrere, vel irruere fecit: vtroque autem modo (inquit Forerius) peccata noſtra in Chriſtum incurrerunt; irruerunt enim vt eum perderent; inciderunt vt ab eo perderentur. Hic mecum, Chriſtiane lector, exclama, conſidera peccata tua, ac mea, partem illius exercitus fuiſſe, qui in Chriſtū irruit, eumque trucidauit. Tranſtulit igitur Dominus non modo pœnam Dauidi debitā in Chriſtum, in quem tranſlata fuit perfecta ſatisfactio, ſed eam quoque quæ totius humani generis debebatur peccatis, quam, noſtri amore accenſus, lubenter ſubiit. Hinc exclamat Bernardus in noſtram ingratitudinem [ô duri, & indurati, & ob-

Pſal. 37.

Pſal. 53.

Ber. ſer. 15. in Cant.

durati filij Adam, quos non emollit tanta flamma, tanta benignitas, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus ſarcinulis, tam pretioſas merces expendit]

Figura, qua ſignificatur peccata noſtra in Chriſtum transferenda. Leuit. 16.

6. In transferendorum in Chriſtum peccatorum figuram in die illa expiationis celeberrima, quæ ſingulis annis menſe ſeptimo (Septembri nimirum, vti in Leuitico proditur) recurrebat, ſummus ſacerdos ſuper hirci emiſſarij caput, vniuerſa populi peccata, quaſi imponens imprecabatur, & poſita vtraque manu ſuper caput eius, omnes filiorum Iſraël confitens iniquitates, hircum, per quendam ad id officij deſignatum, pellebat in deſertum : imo plerique Hebræorum (vt refert Hugo Cardinalis) aſſerunt ſolitam poni ſuper hircum chartam peccatis populi exaratam, & ſic in deſertum ablegari. Qui typus Chriſti fuit manifeſtiſſimus, quemadmodum etiam diſertis verbis B. Ambroſius indicat [Caper, inquit, emiſſarius ſignificat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Sacerdos igitur ſupra caprum emiſſarium peccata filiorum Iſraël confeſſus eſt, quia filius Dei peccata generis humani ſuper hominem, quem aſſumpſit, poſuit, vt pro eis ipſe moreretur. Per deſertum vero, cuius habitationem omnes delicioſi perhorreſcunt, crux deſignatur, cunctis reis valde horribilis. Duxit ergo homo paratus caprum emiſſarium in deſertum, quia Iudæi, qui ad hoc ſcelus perpetrandum præſtiti fuerant, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum crucifixerunt.] In Chriſto igitur cruci affixo pater poſuit iniquitates omnium noſtrum, vt vniuerſa mundi peccata, per debitam ſatisfactionẽ tolleret. Hinc

Hug. in illud Leuit.

Amb. in c. 6. Apoc. circa medium.

Digitized by Google

B. Ioannes [Ecce, ait, Agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi;] quæ in delicatiſſima carnis eius membrana inſcripta ſemper illi ob oculos obſeruabantur: quorum grauiſſimas pœnas ſibi infligendas contemplans animam ſuam in tantas coniectam anguſtias ſenſit, vt triſtitia, pauore, & tædio mirum in modum conflictaretur, quæ eo acerbiora extiterunt, quo magis cum potentiis ſenſitiuis coniuncta erant. Eò itaque fuit progreſſus triſtitiæ, vt in agonia poſitus luctam cum morte acerrimam habuerit: vnde ſudor, ſanguineis commixtus globis, è toto eius corpore manans, ſubiectam ſibi terram irrorauit. [Tanto igitur Deus (inquit Gregorius) ab hominibus dignius honorandus eſt, quanto pro hominibus indigna ſuſcepit.]

Ioan. 1.

Greg.

Cauſa Chriſti ſudoris, paucitas ſaluandorũ.

7. Quarta denique ſanguinei ſudoris cauſa extitit, quod ex tot tormentis ipſi infligendis, atque adeo ex ipſa ignominioſa crucis morte in paucos tantæ ac tam acerbæ paſſionis fructus deriuandos ſciret; cum tamen minima ſanguinis eius gutta tantæ ſit virtutis, ob carnis illius & ſanguinis cum æterno verbo coniunctionem, vt ad mille mundos ſufficiat redimendos, vt Clemens Sextus affirmat. [Licet enim Chriſti ſanguineus ſudor, & tota etiam paſſio nudè conſiderata, ſecundum entitatem ſuam, & eſſentiam, finita ſit, ac proinde quælibet eius pars; ſecundum tamen meritum infinita, atque adeo quælibet eius pars, ex infinita verbi perſona, cuius actiones, Chriſti actiones cenſentur. Cum ergo actiones ſuppoſiti infiniti, dignitatem, meritumque habeant infinitum, atque adeo quælibet eius actio; minima Chriſti ſanguinis

Clem. in extra. vnige. de pœni. & remiſſ.

Chriſti paſſio infiniti meriti.

Digitized by Google

gutta, animi anxietas, & triſtitia, quæ tam vehemens fuit, vt ſanguinem vbertim eliceret, ad omnium prorſus peccata delenda ſufficiebat. Hinc magnus Leo [Effuſio pro iniuſtis ſanguinis iuſti tam potens fuit ad priuilegium, tam dives ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in Redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent] Quamuis eadem prorſus ratio eſt de minima Dominici ſanguinis gutta, charitati tamen ac patientiæ magis conſentaneum fuit, tot ſuſtinere cruciatus, quot in paſſione ſuſtinuit, totumque ſanguinem, ac vitam profundere, quam ſi vel vnica ſanguinis ſtilla, vel vnico amoris, aut triſtitiæ actu nos redemiſſet. [Cum enim (inquit Gregorius) poſſet nobis etiam non moriendo ſuccurrere, voluit tamen hominibus moriendo ſubuenire; quia nos videlicet minus amaſſet, nec vim ſuæ dilectionis nobis oſtenderet, niſi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipſe ſuſtineret.] Et mortales tanti beneficij, ac ſalutis ſuæ obliuione obruuntur, vt pauci Dominicæ paſſionis fructum percepturi ſint.

Leo. ſer. 12.

Gregor. l. Mor.

Eccle. 2.

8. Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam (inquit Eccleſiaſtes,) qua ſub ſole ſtudioſiſſimè laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro, vtrum ſapiens ſit, an ſtultus.] Si patri cuilibet meritò dolendum ſit, cum amplam hæreditatem, ſudore ſuo, ac labore, comparatam, filio relinquit, natura prodigo, aut inſipienti, qui illam luxuriosè, aut ſaltem male diſſipaturus putatur; quanto exiſtimatis dolore affici Chriſtum, cui certò conſtat, plurimos, infinita ſuæ paſſionis merita, in ſuum potius

æternũ conuerſuros interitũ, quam illa ſibi applicando, largam æterni patris benedictionẽ commerituros. Hinc non ſine animi dolore [in vacuum, ait, laboraui, ſine cauſa conſumpſi fortitudinem meam.] Hæc vox (inquit Hieronymus) eſt Chriſti conquerentis tot, tamque validos labores, & fatigationes ſuas, quas in docendo, concionando, diſcurrendo, patiendo, exhauſit, apud fideles fuiſſe ſine fructu : pauci enim ex eis conuerſi ſunt] [Hanc quoque de nobis querelam inſtituere heu ! poteſt, quorum negligentia, & ſalutis oblinio illi ſemper ob oculos verſatur : noſtræ enim malitiæ (vt ait Hieremias) non ſunt conſumptæ : [defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator : malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ : argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.] Sicut metallo alienæ materiæ permixtione adulterato, plumbum immiſceri ſolet, quo in conflatione fæces ſecernantur ; ea enim plumbo vis ineſt, vt metallum, fæces ab eo diſgregando, purget : [plumbum (inquit Mathiolus) miſcetur conflationi, quia plumbi adminiculo facilius metalla igni cedunt.] Sic naturæ noſtræ, per peccatum adulteratæ, humanitatem meam, quaſi plumbum in paſſionis fornace conſumendam quodammodo (inquit Hugo Cardinalis) immiſcebo, vt omnes peccatorum fæces à vobis ſeparem : ſed heu ! vt video iure optimo, de vobis conqueri debeo, quod malitiæ veſtræ non ſint conſumendæ, & quod fruſtra conflator conflaue-

Iſai. 49.

Hiere. 6.

Simile.

Matthi. in Dioſcor. l. 5. c. 58.

rim, eo quod pauci purgandi ſint : & quam plurimi velut argentum reprobum à ſufflante argentario in æterni ignis fornacem proijciendi. [Quod ergo, infert B. Thomas, aliquis frequenter rigetur præceptis ſalutaribus, ſignum eſt reprobationis, ſi perſiſtat in peccatis: terra enim (vt ait Apoſtolus) ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, proferens autem ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima.] Quare tanto afficior interno animi dolore, ob duritiem cordis veſtri, qui paſſionis meæ fructus à vobis excluditis, vt neceſſe ſit exterius in ſanguineum erumpam ſudorem.

Thom.

Heb. 6.

9. Si Onias Pontifex, ob templi, ab Heliodoro, expilationem, ita indoluerit, vt [facies eius, & color immutatus, declarauerit (vti ſacra ſcriptura commemorat) internum animi dolorem :] Si, inquam, Onias pius Pontifex, tanto fuerit affectus dolore, ob pecuniæ direptionem ; quanto affectum putamus piiſſimum noſtrum Pontificem cruciatu, ob tot animarum à diabolo deprædationem ? nonne videtis faciem eius, & colorem prorſus immutatum? nonne ſanguineum cernitis ſudorem, incredibilem animi demonſtrare angorem? nonne circumfuſa illi admirabilis mœſtitia, & horror; ex quo totum eius corpus ſanguineo perfunditur ſudore, qui admirandum animi dolorem nobis manifeſtat ? & ſi (vt ait ſcriptura) [qui videbat ſummi ſacerdotis vultum, mente vulnerabatur] Quomodo, obſecro, nos qui noſtri ſummi ſacerdotis vultum, ſangui-

2. Machab. c. 3.

Quanto dolore Chriſtus afficitur ob animarum iacturam.

neis madefactum grumis, coram intuemur, quomodo, inquam, non commouemur animo, non vulneramur mente, non conterimur corde? Si Rex Dauid, infauſta filij ſui Abſalonis morte audita, contriſtatus, cum lacrymis ingemina-
2. *Reg.* 18. bat: [Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi; quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Abſalon fili mi, fili mi Abſalon? quanto magis Chriſtus, tot filiorum iacturam præuidens, quos, tot flagellorum, ſpinarum, ac ignominioſæ mortis doloribus pariturus erat, ſanguineis lacrymis, per tot oculos emiſſis, quot in corpore poros habuit, deflere debuit! Si Iacob, viſa filij ſui Ioſeph veſte ſanguinolenta, ratus à fera deuoratum, tanto animi dolore, exclamauerit: [Tu-
Gen. 37. nica filij mei eſt: fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph:] quanto Chriſtum dolore lancinatum putabimus, cum infinitos penè filios, infinito ſanguinis ſui pretio redimendos, à tartarea deuorandos beſtia vidit? & tamen nos ſiccis oculis, hanc Chriſti ſuſceptam, noſtri cauſa, mœſtitiam intuemur! & non commouemur animo, non vulneramur mente, non conterimur corde! Ecce toto corpore coram in terra proſtratus, noſtri gratia, ſanguineas effundit lacrymas, & tamen ne vllam lachrymarum ſtillam ex oculis, vel illius cauſa, vel noſtræ perditionis compuncti dolore effundimus. [Vſque (inquit Bernardus) tertiò factus in agonia orabat, vbi quidem non ſolis oculis, ſed quaſi membris omnibus fleuiſſe videtur: vt totum corpus eius, quod eſt Eccleſia, totius corporis lachrymis purga-

retur.] O quanta hæc tua in nos charitas! quanta misericordia, vt non immeritò Paulus te, in misericordia, diuitem dixerit! verè diues es in charitate, diues in misericordia, qui infinitum misericordiæ thesaurum, hactenus in pectore tuo occultatum, iam prostratus in horto aperis, vt totum terrarum orbem, fulgentibus, infiniti pretij, sanguinis gemmis, redimere aggrediaris! Infœlices qui has sibi gemmas, bonis operibus, non emunt! Quinam, obsecro, adamantes, qui pyropi, aut smaragdi, aut topazij pretiosiores, aut fulgentiores, hisce tui sanguinis guttis pretiosissimis esse possunt? quarum vnaquæque toti orbi, imo infinitis hominum animis redimendis sufficeret. Ne igitur sanguinis eius merito priuemur, ex intimo animi affectu cum D. Thoma clamemus: [Pie pelicane, Iesu Domine, me immundum munda tuo sanguine, cuius vna stilla saluum facere totum mundum posset omni scelere.]

Ber. Ser. 3. de ra. pal.

Ephe. 2.

In Hymn. Eccle.

De Angelo Christum in horto consolante.

CAPVT IX.

1. SEd tandem aliquando apparuit Angelus de cœlo confortans eum! ô stupor! apparuit Angelus confortans eum! ô inusitatum, post hominum memoriam, spectaculum! apparuit creatura, vt suum confortet creatorem! ô incredibilis commutatio! quid? nonne, ô Domine, tu es ille, quem in cœlo adorant Angeli, tremunt

Angelus Christum confortat.

Digitized by Google

poteſtates, tua attonitæ Maieſtate? nonne tu es ille, qui cæli columnas, cæleſtes, inquam, virtutes tuo concutis nutu? nonne tu es ille, qui omnium creaturarum perfectiſſima conſolatio eſſe ſoles? Cur ergo modò in terra proſtratus, quaſi ſolatium, quod, noſtri gratia, hactenus tibi denegaſti, ab Angelo petis, qui omnium cæleſtium verus es conſolator? [vſque adeo (inquit Bernardus) præualuit ea, quæ fortis eſt vt mors dilectio, vt Chriſtum Angelus Dei confortauerit? Quis? quem? Euangeliſtam audi: apparuit, inquit, Angelus confortans eum, quem eum? planè eum, cui naſcituro clauſus patuit virginis vterus, cuius nutu in vinum aqua mutata eſt, cuius tactu lepra fugata, ſub cuius plantis ſolidum mare ſtetit, ad cuius vocem mortui ſurrexerunt. Denique eum qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, per quem facta ſunt omnia, per quem vniuerſa ſubſiſtunt, etiam & Angelus ipſe. Et quid dicam? quem eum? minus enim morarer, ſi non penitus eſſet indicibilis. Confortans eum. Quem eum? cuius ne ipſe quidem confortator ſuus capere poterat Majeſtatem!] O quam ſe demiſit tua auguſta maieſtas, coram qua viginti quatuor ſeniores, demiſſis in terram vultibus, ſuas deponunt coronas, tibi ſine intermiſſione acclamantes, honorem, gloriam & virtutem in ſæcula ſæculorum! & tu modo in terram proſtratus veluti inglorius iaces! nonne tu es ille, in cuius vultum Seraphini obtutus ſuos defigere non audent, ſed alis ora tegunt, & pedes reuerentiæ amoriſque ſui erga te exiguitatem erubeſcentes, oculoſque in ſummam

Ber. ſer. 1. de ſanct. And.

Apoc. 5.

illam lucem intendere, præ sacro horrore, detrectant! & tu modo in terram depressus, vultum sudore simul ac sanguine infestum in Seraphinos conuertere veluti erubescis! Considerate, ô Christiani, patris sapientiam, in qua reconditi sunt omnes diuinitatis thesauri, vestri causa, in terra iacentem, sudore madentem sanguineo, & ab Angelo consolandi causa visitatum! Considerate pectoris illius angustias, tum omni solatio destituti [vbi Princeps tanta afflictione (inquit Cassiodorus) plangebat, quis illo flente, non fleret? quis illo dolente non gemeret, quando pro geminato diademate Rex cinerem gestabat in capite, canus puluere non ætate?] Ecce Deus pulueruleuto sanguine consperſus humi iacet coram Angelo. Ecce Deus perturbatis quasi sensibus in agonia positus aquam, & sanguinem sudat, vt nostris medeatur vulneribus. [fusus est (inquit Augustinus) sanguis medici, & factum est medicamentum phrenetici.] O inauditum Angelo spectaculum! ô incredibilem mundi ingratitudinem, in quem merito Augustinus exclamat: [O munde immũde, venit qui te redemit, & turbaris: & tunc vis eum perdere, quando ille te disposuit liberare.] Obstupescis ad hoc haud dubiè Dei Angele, ac proinde nobis minime Christo cõpatientibus, veluti co solationem illi ingeris.

Isa. 6. *Chryſoſ. in illud Iſa. Vidi Dominum.*

Caſ. in pſ. 50.

Aug.

2. Hic est ille, quem olim æternus pater cælos, terram, maria, homines, vniuersasque creaturas secum creantem vidit, ô Angele, licet modo velut sui impotens in terra prostratus, & per totum corpus sanguine perfusus, hæc omnia in suam conspirasse necem intelligat,

neque ſe à patre, neque à te, conſolationis ergo miſſo à tanta triſtitia, vel ab imminente crucis morte vendicandum! hic eſt ille, quem totus terrarum orbis aliquando obſtupuit, cum diluuij inundatione omnes obrueret impios; & ipſum hodie ſanguineo obrutum diluuio, vt nos ab æterno miſeriæ diluuio liberaret! Heu! nemo obſtupeſcit; neque ipſe Angelus ſua illum conſolatione à tanto eripit triſtitiæ, & ſanguinis diluuio! Hic eſt ille, quem cælum, & terra admirata ſunt, cum ſulphure, & flammis diuinitus Pentapolim abſumeret; & illi hodie noſtri amoris flamma abſumpto, triſtitia, ac mœrore confecto, quis condolet? nam licet Angelus, vt eum confortet, venerit, tamen illi ita condolet, vt cætera paſſionis inſtrumenta exhibeat, quibus maiori torquendus eſt cruciatu! Hic eſt ille, quem totus Iſrael ingenti animi gaudio olim conſpexit, cum grandem Pharaonis exercitum maris rubri vorticibus implicaret: & hodie ſanguinis eius vortice humani generis hoſtibus pene ſubrutis, nemo illi mortalium congratulatur, & quamuis Angelus de tanta illi victoria congratulari videatur; ad plura tamen, noſtri cauſa, tormenta ſubeunda, ſua potius conſolatione animat, quam præſentem ipſius triſtitiam mitiget! Hic eſt ille, qui aliquando tonitruis, fulminibus, ac tempeſtatibus hominum pectora perterruit, adeo vt, vel eius vocem Iſraelitæ ita extimuerint, vt illa mortem ſibi inferri exiſtimauerint: [non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.] Et pater hodie ipſum videt in terra iacentem, ira in amorem verſa, videt vniuerſus orbis, fulmine depoſito, & tonitruis in

Gen. 7.

Gen. 19.

Exo. 14.

Exo. 20.

miserationis voces commutatis, & tamen commouetur eius angustiis! Obstupescite, obstupescite super huiusmodi hominis intitudinem, cuius causa sanguineo sudore mas humi iacet Deus! visitat eum Angelus, cu- *Aug. ser. de Natal. Domi.*
gratia minime homo factus est, minime in ulo natus, minime in paleis cubauit: [homo nen factus est hominis factor (inquit Augunus) vt sugeret vbera, regens sidera, vt esuri: panis, vt sitiret fons, dormiret lux, ab itinere a fatigaretur, sanguineo sudore perfunderetur, lsis testibus veritas occultaretur, Iudex viuom, & mortuorum à iudice mortali iudicareir, ab iniustis iustitia damnaretur, flagellis disiplina cæderetur, spinis botrus coronaretur, in gno fundamentum suspenderetur, virtus inirmaretur, salus vulneraretur, vita moreretur!] ingratus tamen homo, cuius gratia hæc subijt, non modo eum non visitat, sed ab eius etiam abhorrens consuetudine, se aspectui eius subducit [Nihilita (inquit Bernardus) displicet Deo, *Ber. ser. de septem misericor.*
præsertim in filijs gratiæ, quam ingratitudo: vias enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, locum non habet.] cecidêre è cœlo Angeli, & in æternum crudelibus tartari tormentis subiacent; at cecidit homo, & ecce manum, & sanguinem hodie in terra Deus iacens porrigit, vt in peccatis iacentem erigat! O stupendum Dei in nos amorem! ô inauditam nostram in Deum ingratitudinem. [Dilexit nos, inquit Bernardus, Deus dulciter, *Ber.*
sapienter, fortiter: dulciter nempe dixerim, quod carnem induit: sapienter, quod culpam vitauit: fortiter, quod mortem sustinuit! sed super omnia

reddit te mihi amabilem, bone Ieſu, calix, quem bibiſti opus noſtræ redemptionis: hoc enim omnino amorem noſtrum ſibi vendicat: hoc, inquam, noſtram deuotionem blandius allicit, iuſtius exigit, arctius ſtringit, & vehemẽtius afficit] 3. Sed ad te ô Gabriel, qui huius myſterij nuncius es, & ad filium Dei è cælo, conſolationis cauſa, miſſus, conuertor: tunè ergo, ô Gabriel, illum conſolatum veris, qui vnicus, & verus eſt omnium creaturarum conſolator! [Rogo te (inquit Bernardus) quem conſolaris? an ignorabas, quis eſſet, ad quem conſolandum veniebas? certe conſolator eſt, certe paracletus eſt: alioquin non diceret; alium paracletum à patre mittendum Apoſtolis, ſi non eſſet & ipſe paracletus. Agnoſco & in hoc ipſo paracletum maximum, agnoſco paracletum benigniſſimum, qui prope ſit his qui tribulato ſunt corde. Non deſpero iam, Domine, etiamſi moleſta mihi videatur tribulatio, quam patior, etiamſi puſillanimus ſum, etiamſi deſidero, vt transferatur calix à me. Non deſpero, inquam, dummodo audiam ipſe, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Didici etiam ex hoc non ad carnalem, ſiue caducam recurrere conſolationem, ſed ad Angelicam, ſed ad ſpiritualem, ſed ad cæleſtem, Agnoſco enim vocem meam in Saluatore: & de ſalute deſperem? plane in patientia mea poſſidebo animam meam.] Vide igitur tu, ô Gabriel, quid facias; ſuggerere ne vis conſolationem maximo conſolatori? an proinde id attentas facere, quia torcular ſolus in horto calcat? quia ſolus in terra iacet, ſanguineo obrutus ſudore? ô Gabriel, licet hunc infra te humi proſtratum videas, ſupra

Ber. ſer. 1. d. D. Andreæ

te tamen, cæteroſque Angelicos ſpiritus in cælo ſublimiter collocatum omnes cum tremote adoratis, & tu ad illum ſolandum venis? quid, obſecro, ô Gabriel, ſolatij Deo tuo, qui omnis conſolationis fons eſt, afferre potes? quid ſolatij Deo creatura, domino ſeruus, Regis ſubditus ſuggeret? an quia fortaſſis qui fuiſti incarnationis nuncius, aduenis paſſionis, tuo tantum aduentu ſolatium Chriſto ingerere putas? cum tamen ex æterni patris decreto, ſponte ab illo acceptato, nullum admiſſurus ſit! & ſi ſolatium aliquod illi erat ſuggerendum, cur non id factum per patrem potius, quam per te? quiſnam, quæſo, filium eiuſdem cum patre ſubſtantiæ, potentiæ, maieſtatis, ab eo diuiſit, vt inter ſe, & filium internuncio vteretur, [de cuius omnipotentia (inquit Leo) quæ ei cum patre vnius, & æqualis eſſentiæ eſt, nemo ambigit, [quoties vt poſſumus, cogitamus mirabilior nobis fit in Deo humilitas, quã poteſtas, & difficilius capitur diuinæ maieſtatis exinanitio, quam ſeruilis formæ in ſumma prouectio. Licet ergo aliud ſit creator, aliud creatura, aliud deitas inuiolabilis, aliud caro paſſibilis: in vnã tamen perſonam concurrat proprietas vtriuſque ſubſtãtię, vt ſiue in infirmitatibus, ſiue in virtutibus, eiuſdẽ ſit contumelia, cuius & gloria.] Hinc, ô Gabriel, verbis, amore, & dulcedine refertis hũc eſſe filiũ ſuum, dum baptizaretur, agnouit pater; nonne tiam ipſe filius palam faſſus eſt, ſe in patre, & patrem in ſe eſſe? Quid agis ergo, ô pater æterne, cũ lius tuus nunquã à te ſeparari poſſit, & hũc eſſe, ui corã Gabriele modo in terra iacet, filiũ tuũ, oc grauiſſimo cõfeſſus aliquãdo eſt teſtimonio:

Leo. ſer. de paſſ. 11.

Ioan. 14.

Digitized by Google

Mat. 17. [Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi com-
Leo ſer. 12. placui, ipſum audite.] Quod ſine verbi poten-
de paſſ. tia (inquit Leo) non diceret vox patris de cælo, & ſine veritate carnis non proteſtaretur Ioannes: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sine verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum; & ſine veritate carnis, nec cibus ieiuno, nec ſomnus eſſet neceſſarius fatigato,] nec Angeli ſolatium in terra proſtrato: tamen hodie ad te voce, lacrymis, ſudore ſanguineo, vultu, affectu, corde, omnibus denique corporis animique viribus, coram te iacens clamat, ingemiſcit, ſuſpirat, & non reſpicis; mutatus es illi quaſi in crudelem, cuius vitam, mores, ac doctrinam in transfiguratione approbans, filium tuum dilectum vocaſti; cur ergo tot anguſtiis circumſeptum, & in oratione poſitum, ſanguinem toto corpore ſudantem non audis, ſed conſolationis loco, dura, per internuncium, præter morem tuum, mandata, non ſine grauibus tormentis, breui explenda, humani generis redimendi gratia, proponis? ſcio, ô cæleſtis pater, te nunquam tam inuſitata vnigenito tuo mandata velle dare, ſine eius conſenſu, & propenſa ad illa perficienda, voluntate, qui tanti nos facit, vt ne capillum quidem de capite noſtro periturum permittet. Hinc audire videor te, ô cæleſtis pater, filij tui
Greg. hom. 35. in Euāg. nomine mihi reſpondentem: [Scitis quia caro inciſa dolet, capillus inciſus non dolet. Cur timetis ne pereat, quod inciſum dolet, quando & illud in vobis perire non poteſt, quod inciſum non dolet?] Ecce propenſam filij mei voluntatem, vt vos, per paſſionem ſuam ab omni inimici vinculo

vinculo liberet, præsertim, si filio meo, pro vobis summa animi lætitia patienti, vestras rependere tribulationes velitis [Si pro me (inquit ipse) seruus cum gloriam existimasset, non tam in gloria esse, quam cum pro me crucifigeretur, putabat, quid me pati non deceat? audi enim dicentem ipsum: glorifica me pater. Quid ais? ad crucem raperis, cum prædonibus & sacrilegis, vt execratorum hominum mortem luas, sputis pollutum iri, & alapis pulsatum iri, & hæc gloriam appellas? multo magis ego istam gloriam putare debeo:] cuius gratia hæc filius tuus patitur, & suas esse delicias ducit, pro me mori. [quam mirandi (inquit vnus ex electis eius) generis mors est, cui parum fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper in delicijs.] Ex quibus ingens patiendi desiderium pro nobis filij tui colligitur; cur nihilominus quod ordinariè filiis tuis adoptiuis, pro te aliquid patientibus vltro concedis, solatium scilicet inter tormenta, quo facile illa, tui gratia, perferant; naturali tuo filio; non per aliquem Angelum, sed per teipsum, inter crudelia hæc passionis tormenta, quæ peccatorum causa, ex decreto tuo lubens sustinet, non tribuis?

Chrysost. ser. 35. de patient. Iob.

Ioan. 17.

Aug. trac. 63. in Ioan.

4. Scimus Pater, & videmus adolescentes maxime delicatos, tenellasque virgines summo animi robore, cælesti delibutas consolatione, ad supplicia, velut ad conuiuia duci, & tamen vides filium tuum ad grauissima, breui, trahendum tormenta, & modo graui conflictatum mœrore, ac tristitia, & illum omni priuas solatio. Imo eius augere tristitiam videris magis per Angelum, qui passionis illi instrumenta

Pater filio consolationem denegat, quam martyribus abunde tribuit.

præsentat. Vide quanta induisti fortitudine virginem illam delicatissimam Christianam, quæ impauido vultu, patris sui Vrbani Idola argentea confringens, blandimenta illius voluntate firmissima despexit, minas irrisit, non flagellis, non vngulis dilaniata constantiam mutauit; quin imo laceræ carnis frustum in patris vultum proijciens dixit: [Satiare carnibus miser, quas genuisti, filiam comedere potes, at certè, vt impietati tuæ consentiat, facere non potes.] Quis, inquam, virgunculam hanc tanta animi fortitudine donauit? nonne, ô cœlestis pater, diuina cœlitùs à te immissa consolatio? & tamen filium tuum, omnium virginum lucidissimum speculum, in tanto animi angore desolatum relinquis?

5. Quis tanta animi constantia Liberatum Abbatem, Bonifacium, Rusticum alioque à Vvandalis Arrianismum solicitatos induit, vt in naui positi, igne, Regis iussu, in medio mari absumendi alacriter cantarint: [Gloria in Excelsis Deo. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis!] Nonne, ô pater, tua illis impertita consolatio? & vnigenito tuo charitatis igne accenso, in medio sanguinei sudoris, veluti mari, consolationem non suggeris? Quis Symphoriani Adolescentis Matri incredibilem illam indidit virtutem, qua ad Martyrium Adolescentulum, vteri sui filium, ignitis hisce verbis incitauit: [Nate, nate memento æternæ vitæ, cœlum suspice, & ibi regnantem intuere, tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius!] Quibus verbis Symphorianus mi-

rificè inflammatus, datis fortiter carnifici ceruicibus, Martyr in cælum auolauit. Nonne, ô pater, diuina tua, & Matrem, & filium consolatio, ad huiusmodi heroicum actum incendit? & filio tuo ad infinitos penè heroicos actus, sese modo accingenti omne subtrahis solatium!

6. Quis inauditum mentis robur illi Heroinæ, cuius meminit Prudentius, addidit, quo animata, paruulum suum filium, ob Christi fidem, Antiochiæ ab Asclepiade præfecto loris diriſſimè cædi, constans sine fletu spectabat; quin & filiolum aquæ haustum, viribus iam deficientibus, ob crebra verbera, poscentem obiurgauit, dicens [calicem eum expecta, quem occisi in Bethleem infantes olim biberunt, lactis & papillarum immemores; Isaacum respice, qui cum immolandus, aram & ensem inspexisset, vltro colla præbuit.] Quibus Matris verbis puerulus omnino accensus à potu abstinuit, sed interim capillis à vertice illi tortore crudeliter reuellente, acclamat Mater: [Patere fili, mox enim ad eum venies, qui caput nudatum nunc tuum, per contumeliam, regio vestiet diademate.] puer lætus virgas, & dolores vulnerum ridet, damnatur, ducitur cum Romano ad supplicium: peruentum est ad cædis locum, puerum, quem in complexu mater foras extulit, carnifex poscit; Dat illa, præter osculum, nihil morata. Et [vade, inquit, Nate dulciſſime.] Ceruicem dum ense carnifex ferit, accinit illa: [pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

In hymno de B. Romano Martyre.

Ecce ſeruus tuus,& filius ancillæ tuæ:] Quis, inquam matri, & puerulo tantum animi robur tribuit, vt obliti naturæ, tot admiranda facinora angelicam quaſi virtutem ſuperantia ludibundi patrarint? nonne, ô pater, tu ſolita conſolatione illos ad hæc animaſti? & tamen velut detracta filio tuo omni virtute, ita in eum agere permittis triſtitiam, mœrorem,& viuam illi omnium tormentorum imaginem propoſitam, vt nequeat, ſtante tuo decreto voluntariè ab ipſo acceptato, aut ipſe ſibi conſolationem ingerere, aut ab Angelo accipere.

7. Denique quis Matronæ illi generoſiſſimæ, fidei cauſa, poſtremis Elizabethæ Regni temporibus, in Anglia ad mortem damnatæ horribilem,tantas ſuggeſſit vires,vt ſaxo præacuto incubans, ſupernè impoſito, graui pondere preſſa, dum vita ei, & anima exprimeretur, circumſtantibus, præ oſſium fragore, ac mulieris conſtantia ſimul horrentibus, & admirantibus, huiuſmodi lætiſſimo vultu cygnæum caneret: [Tam breuis via eſt, quæ ducit ad cælum; poſt ſex horas ſuper ſolem, & lunam euehar, aſtra pedibus premam, empyreum inibo?] Nonne tua, ô pater, hanc illi alacritatem conſolatio tribuit; & tamen omnem filio ſolatij cauſam ſubtrahis, licet Angelum, confortandi gratia, cælitus ad illum mittas, cuius legatione triſtandi magis, quam lætandi materiam accepit.

8. Sed, ô Chriſte, quanta noſtri tibi cura, vt fortitudine tua in nos ingratiſſimos collata, tu ipſe omni carere ſolatio velis; neque ab ipſo patris tui nuncio, vel minimam accipere conſolationem; vnde colligo, non tam tui gratia,

Digitized by Google

quam ad nostram spem, in periculis & tormentis erigendam, Angelum de cælo missum, vt te, sanguineo perfusum sudore, modo cõsolaretur. Non tui igitur tantum gratia, sed vt nobis indicares, sicuti nunquam sanguinei sudores Ecclesiæ membris deerunt: sic nunquam defore cæleſtes adiutores. Hinc cum egrederetur Iudas Machabæus Hierosolymis, vt dimicaret aduersus Lysiam, apparuit præcedens eos eques, Angelus nimirum in veste candida, armis aureis, hastam vibrans, designans eis victoriam affuturam. Et in extremo illo Antichristi certamine, sanguineaque agonia, in Ecclesiæ auxilium, princeps cælestis militiæ Michael à Domino mittendus: [in tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui] Nonne sic olim Eliæ Iezabelis furorem fugienti, Angelum tuum Domine, misisti, qui eum alloquio, & cibo recrearet, quo corroboratus ambulauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in fortitudine illius, vsque ad montem Dei Oreb? Nonne etiam tres illos pueros, in ardentem ignis fornacem missos Angelus à te destinatus corroborauit, & ab incendij periculo vendicauit? Nonne insuper procurasti, vt Angelus Habacuc Prophetam è Iudæa in Babylonem capillo capitis apprehenso, adduceret, vt Danielem in lacu Leonum prandio reficeret? Nonne præterea Angelus tuus insignem illum exercitus tui Ducem Gedeonem confortauit, & ad confligendum cum Madianitis animauit, inquiens: [Dominus tecum virorum fortissime, vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian?]

Angelus ad Christum veniens, significat Angelos nobis præsto fore in angustijs.

2. *Macha.* 11.

Dan. 12.

3. *Reg.* 19.

Dan. 3.

Dan. 14.

Iudic. 6.

Orantibus Angeli astant.

9. Porro orantibus etiam nobis, tui astant Angeli, vt vota precesque nostras tanquam internuncij, in conspectum tuum deferant. *Ber. ser. 7. in cant.* Quare Bernardus: [credimus, inquit, Sanctos Angelos astare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum. Probat hoc Angelus ita *Tob. 12.* loquens ad Tobiam: quando orabas, cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & mortuos abscondebas, per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.] Venit ergo Angelus ad te, ô Domine, vt potius significaretur auxilium nobis desuper, in nostris afflictionibus semper præsto fore, quam *Epi. in Alcho.* vt te confortaret. [Non enim (vt ait Epiphanius) vt dent ipsi robur Angeli veniunt: nec enim indigebat Angelorum confortatione, sed confortant ipsum, hoc est, confitendo proprium ipsius robur ipsi attribuunt:] & paulo post: [Quapropter admiratione ductus Angelus, dicebat ad ipsum glorificans, & benedicens proprium Dominum in stadio consistentem: tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, & fortitudo, vt impleret id, quod à Mose scriptum est: confortent ipsum omnes Angeli Dei.]

Digitized by Google

De Angeli ad Christum legatione.

CAPVT X.

Summa Angeli legationis & confortationis.

1. AD te rursus, ô Gabriel, conuertor, lubet enim nostri Saluatoris nomine, iam audire confortationis, & legationis tuæ summam. Attendite (Auditores) attendite, & Angeli verba vobiscum diligenter perpendite : Ecce vt proloquitur! Cæli Princeps, & primogenite omnis creaturæ, Pater æternus me ad tuam maiestatem, tanquam legatum, destinauit, præcepitque mihi, vt tuæ celsitudini indicarem, tuam exauditam orationem, qua animi tui desiderium illi declarasti, & quamuis Echo tibi responderit, eiusque exposuerit voluntatem, placuit illi tamen, vt expressius tibi significarem absolutam eius voluntatem. Cum itaque ab æterno, viso Adæ peccato, peccatorum causam propugnare decreueris, illam, vt tuam, in te suscipiens, patris tui iustitia exigit, vt quemadmodum iam tertiò submissè rogasti, vt transiret à te calix iste : fiet tibi, vt desideras; transibit quidem fructus eius, & meritum in summum humani generis emolumentum, idque citissimè, postquam nimirum à militibus, à sacerdotum principibus, à scribis & Pharisæis, & ab infima Iudæorum plebe mirum in modum agitatus fueris, postquam caput, vt loquitur seruus tuus Bernardus, Angelicis tremebundũ spiritibus, densitate spinarũ pungatur: facies pulchra, præ filijs hominum, sputis Iudęorum deturpetur; postquam oculi lucidiores sole caligentur in morte: postquã aures, quæ audiunt *Ber.*

Angelicos cantus, audiant peccatorum insultus; postquam os, quod docet Angelos, felle & aceto potetur; postquam pedes, quorum scabellum adoratur, Cruci clauo affigantur: postquam manus, quæ formauerunt cælos, in cruce extendantur, & clauis affigantur: postquam corpus verberetur, latus lancea perforetur. Et quid plura? postquam nihil in te remaneat nisi lingua, vt pro peccatoribus ores, & matrem discipulo commendes.] Postquam tuæ ignominiæ, ac mortis probrosæ instrumenta tuis humeris baiulaueris, tunc demum transibit calix iste, amarus quidem tibi, sed mundo persalutaris, cuius fructus in omnes electos redundabunt. Veniam siquidem peccatoribus impetrabit, gratiæ augmentum iustis, & martyribus in suis cruciatibus singularem conferet constantiam. Quare cum non ignores potionis efficaciam ad membra minimè deriuari, nisi prius caput illam sumat; cum tu humani generis sis caput, atque adeo omnium hominum, qui tua sunt mystica membra, opus est, vt calicem bibas, si vis eius virtutem ad illa diffundi. Et cum sis fideiussor omnium hominum Trinitati, æquum est, cum ipsi soluendo non sint, eorum soluas, vsque ad vltimum quadrantem, debita, maximè cum sit hæc tua ipsius, & patris voluntas; ex decreto æterno hac de re sancito. Scis etiam, ô fili Altissimi, si hunc recuses passionis Calicem bibere, neminem, ne matrem quidem tuam, saluatum iri. Quare æternus pater, pro sua potestatis amplitudine, te iubet in passionis oceanum ingredi, vt omnia, quæ dicta sunt de te, per prophetas penitus impleas. Apoc. 2. [Esto igitur fidelis vsque ad mortem, & dabitur tibi corona vitæ.]

Digitized by Google

2. Addit præterea Angelus: sic Patris iustitia te, ô Angelorum gloria, absque vlla commiseratione cruciatibus subijcere statuit, vt de te vno supplicium sumatur, quod de singulis peccatoribus sumendum erat. Optime enim, Nate Dei, nosti lege vsitatum, atque obseruatum esse, vt, in cuius manibus furtum inuenitur, ipse furti pœnas ordinarie luat, diuinamque iram in eum sæuire, in peccati odium, qui vel præuaricatoris induit similitudinem. Quis etenim tua alioqui sanctissima excruciare membra attentaret, nisi Patris iustitia, in te, ô Angelorum solatium, omnia hominum furta, & peccata esse translata reperiret, teque illis veluti sordidis vestibus indutum cerneret? scriptum habes misericordissime Princeps, præ foribus, in tuis insignibus; [hic peccatores recipit, & manducat cum illis.] Hinc Patris iustitia te tanquam peccatorum receptorem, & quasi socium grauiter puniendum censet, cum ea sors maneat furis receptorem, quæ ipsum furem. Insuper in ipso aulæ tuæ ingressu insculptum esse palam voluisti; [nolo mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur & viuat,] si ergo illius mortem nolis, cum mortis reus sit, ipse mortem eius nomine, quo iustitiæ fiat satis, subeas, necesse est. Nonne præterea in ostio tui cubiculi introeuntibus prælegendum exposuisti: [non veni vocare iustos, sed peccatores?] Cum igitur peccatores patris iustitiæ debitores sint, & ipsi soluendo non sint, tu eorum gratia, fili Dei, omnia in tuo corpore debita solues, quorum causæ mordicus patrocinaris. Porro nonne supra mensam elogium illud peccatoribus iucundissimum exaratum habes: [amicus peccatorum,

Christus peccatorum propugnator.

Luc. 15.

Ezech. 18.

Matt. 9.

Matt. 11.

Digitized by Google

& Publicanorũ:]ita vt tua eſſet cõmunis cum illis mẽſa, & hoſpitium. Cum igitur huiuſmodi hominũ genus iuſtitiæ leges violet, & tu, miſericors Princeps, illorũ ſis amicus, vel illorũ illata iuſtitiæ damna, per mortẽ, tibi reparanda, vel amicitiæ fœdera inter te, & patris iuſtitiam ab æterno icta (quod nefas eſſet vel cogitare) violata cenſebuntur, niſi ipſi, te viuente, pro ſuis moriantur delictis. Nonne denique eos in manu tua deſcriptos eſſe voluiſti: [In manibus meis deſcripſi te.] Imo in capite, pectore, latere, pedibus, atque adeo in tota corporis tui delicatiſſima membrana inſcriptos eſſe ab æterno deſiderabas. Hinc propheta de tua humanitate, tanquam de ſingulari aliquo libro præſagiens ait: [In libro tuo omnes ſcribentur:] non leni aliquo calami ductu, ſed ſanguinolentis tortorum penicillis, idque ſtyleo ferreo, in innocentiſſima cutis tuæ membrana exarandi. Vbi itaque tot amoris in peccatores argumenta inueniuntur, haud iniuria Patris iuſtitia in te vnicum, tanquam in peccatorum ſingularem patronum, ob eorum ſcelera animaduertet. Et vt omnibus innoteſcat, quomodo illorum cauſam ab æterno in te ſuſceperis, æternus pater, omnes veteris legis figuras, quæ tibi, præ patiendi deſiderio, ob oculos ſemper verſabantur, quibus tua olim acerbiſſima paſſio ſignificabatur, in medium adduci voluit, quas te implere oportet.

Iſa. 49.

Pſal. 138.

Gen. 2. Variæ figuræ Chriſto in paſſione implendæ.

3. Meminiſti ergo, cælorum Rex, ex dormientis Adami latere, in mundi exordio, formatam eſſe Euam. Hæc tibi imprimis figura, in duro crucis lecto dormienti, implenda, vbi paulo poſt,

Digitized by Google

latere tuo, militis lancea aperto, fluxerit sanguis, & aqua, è quibus Ecclesiæ fabrica significatur formanda. [Sacramentum hoc magnum est ; dico autem in Christo, & Ecclesia. Dormit Adam, vt fiat Eua, moritur Christus, vt fiat Ecclesia. Dormiente Adam, fit Euà de latere : mortuo Christo, lancea perforatur latus, vt supereffluãt Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.] Meministi, Angelorum princeps, impium Cain, inuidia agitatum, conquestum de Dei prouidentia, & æquitate in agro, & disputasse etiam contra Iudicium extremum, contra mercedem bonorum, & vindictam malorum, & è contrario hæc asseruisse Abel. Deum defendisse, Fratrem reprehendisse, ideoque ab eo interfectum esse, ob quod immane scelus, profugus, & vagus super terram factus est. Tu es ille, ô innocentissime Agne, iustus Abel. [In Abelis enim (inquit Cyrillus) innocentia mors oppignorata est, quasi prius transmissa foret in eum, qui postea sine culpa morereretur.] Abel igitur Christi fuit pignus ad mortem. O vere ergo Abel, qui occidendus es à fratre tuo, secundum carnem, à Gente nimirum Iudaica, ex mera malitia, (vti ipse Pilatus testatur) [sciebat enim, quod per inuidiam illum tradidissent,] quod Deum te habere patrem assereres, illamque ex malis operibus, ex diabolo patre esse conuinceres. Quare profuga, & vaga sine duce, sine lege, sine patria, sine Rege vsque ad mundi finem, per vniuersum terrarum orbem, ob tam horrendum facinus obambulabit.

Ephes. 5. Aug. in sententiis. 328.

Gen. 4. Targum Hierosolymitanum.

Cyr. in fragmen. Euan.

Matt. 27.

Noë figura Christi crucifixi.

4. Meministi præterea, ô fili Dei, Noë vineam plantasse, & ex ea inebriatum fuisse, qui figura

crucifixi extitit, quemadmodum dilecti tui patres indicant, & in primis B. Hieronymus [Noë, inquiens, vineam plantauit, & bibens de ea inebriatus est: natus quoque in carne Christus Ecclesiam plantauit, & passus est.] Deinde D. Augustinus: [illud, ait, quod de vinea, quam plantauit inebriatus Noë nudatus est in domo sua, cui non appareat Christus passus in Gente sua? tunc enim nudata est mortalitas carnis eius: Iudæis scandalum, gentibus stultitia: ipsis autem vocatis Dei sapientia, & Dei virtus.] Rupertus quoque, Glossa ordinaria, Eucherius: [vinea, inquiunt, Domini domus Israël, in amaritudinem vitis alienæ conuersa ipsum plantatorem amaræ mortis poculo potauit, & consummata amaritudine inebriauit, ita vt obdormiret somno mortis nudatus: id est, infirmus vel passibilis inuentus. Noë itaque nudatus in tabernaculo Christi è cruce pendentis typum gessit.] Porro, ô mundi Saluator, meministi Arcam olim à Noë fabricatam, vt à diluuij aquis pauci homines, & pauca munda, & immunda animalia ad propagationem seruarentur. Tu es ille iustus Noë, Saluator, & totius orbis consolator, qui in Ecclesiæ Arca, à te, per labores & cruces fabricanda, iustos & iniustos seruabis Christianos, hereticis, & infidelibus, extra hanc positis, & in infidelitatis diluuio penitus absorptis.

Hiero. aduers. Lucif. c. 8.

Aug. l. 12. contra Faustum.

Gen. 9.

Christus iustus Noë.

5. Meministi etiam, vnigenite Dei fili, illius fœderis Arcus, inter Deum & homines in cælo positi, variisque exornati coloribus, ad cuius benignum aspectum, cælestis pater furorem in peccatores deposuit, sui fœderis, cum terra initi, memoriam sibi refricans, quo sanciuit nun-

Christus Arcus fœderis. Eccli. 45.

Digitized by Google

quam ſe diluuij aquis terram amplius obruturum. Tu es ille Arcus, de quo etiam Eccleſiaſticus: [vide Arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo.] Per iſtum Arcum (inquit Gloſſa) ſignificatur Chriſtus, in quo eſt forte lignum, & mollis chorda: per quæ ſignificatur virtus diuinitatis, & fragilitas humanitatis: & ſicut in Arca chorda mollis flectit lignum, ſic in paſſione humanitatis flexus fuit rigor iuſtitiæ, & ſeueritatis. Huius cornua, duæ ſunt naturæ, intima vnione, veluti chorda ad ſe inuicem copulatæ, & in terram conuerſæ. Et ſicut cœleſtis ille Noë Arcus, triplici inſignitus colore, nimirum cæruleo, viridi, & rubeo eſſe videbatur: ita tu diuinæ pacis, ac fœderis patris cum hominibus Arcus, cæruleo imbutus colore es: quippe qui cæleſtis, vita, & moribus ſemper extitiſti: iuxta illud Apoſtoli tui: [Secundus homo de cælo cæleſtis:] viridi etiam exornaris colore, per vitæ innocentiam, & gratiarum affluentiam. Denique rubicundo nobilitatis colore, nunc maxime in horto, & toto deinceps paſſionis decurſu. Hinc ſponſa: [dilectus meus candidus, & rubicundus.] Candidus vitæ innocentia, rubicundus ſanguineo purpuratus ſudore. [ſanguis enim Chriſti (inquit è tuis electis vnus) purpura eſt, qui inficit Sanctorum animas, non ſolum colore reſplendens, ſed etiam poteſtate, quia Reges facit, & meliores Reges, quibus regnum donet æternum.] Huius vero Arcus ſagittæ in patris pectus, velut in album tibi propoſitum collimatæ, ex lata paſſionis area, non aliæ, quam amoris ſunt. Has porrectis, breui, in cruce brachiis, ſputis, & vulneribus, tamquam

1. *Cor.* 15.

Cant. 5.

Ambr. ſer. 17. *in Pſal.* 118.

Digitized by Google

diploide indut⁹ in miſericors patris tui pectus eiaculaberis, hominibuſque reconciliabis, vulnerũque oſtenſione, diuinam in ipſos iram mitigabis.

Gen. 22. Chriſtus vt Iſaac ad immolandum ducitur.

6. Non meminiſti inſuper, ô Nate Deo, quomodo Abrahamo, per triduum ad montem Morian pergente, ignem & gladium, ad filium ſuum iugulandum, portante, Iſaac lignum in humeris, ad ſui ipſius immolationem, baiulauerit? typus nimirum tui, qui tanquam alter Iſaac, ad montem Caluariæ, graui onuſtus crucis ligno, patre æterno ignem, & gladium præferente, ignem nimirum amoris, in humani generis ſalutem, & diuinæ iuſtitiæ gladium, Iuſtitiæ zelo exacutum, & limatum, ad cædendam hoſtiam, te ſcilicet, qui in crucis ara breui ſacrificandus es Hinc Ambroſius [Conſecratur, inquit, ſacris hoſtiæ myſteriis, & commendatur futura Quæ pietatis hoſtia, pij ante miniſterij vectura eſt. Ligna Iſaac ſibi vexit, Chriſtus ſibi patibulum crucis portabit. Abraham comitabatur filium, pater Chriſtum. Nec Iſaac ſolus, nec Ieſus ſolus.] Meminiſti quoque, ô Beatorum gloria, Iacob Patriarcham hædorum pilis à matre indutum, vt ſpurio Eſau fratri ſuo patris benedictionem præriperet, quo fieret, vt qui benediceret illi, eſſet benedictus, & qui malediceret illi, eſſet maledictus [Aptauit (vt loquitur B. Proſper) mater filium, muniuit contra cæcutientis attrectationem eum qui erat, vt poſſit videri qui non erat: tanquam iam nobis illum figuratum oſtenderet Chriſtum, qui accepit, non carnem peccati, ſed ſimilitudinem carnis peccati.] Tu es ergo ille Iacob diaboli ſupplantator, hædinis veſtitus pellibus, ex humani nimirum generis peccatis in te ſuſceptis,

Amb.

Gen. 27.

Proſ. l. 1. de prom. & prad. c. 21.

quorum pœnas in tuo ſacratiſſimo corpore lues, quo fiet, vt à patre æterno benedictionem impetraturus ſis, fratre tuo natu maximo, populo ſcilicet Iudaico, à patris benedictione excluſo. Quare qui tibi benedixerit, benedictus erit, & qui tibi maledixerit, maledictionibus replebitur.

7. Meminiſti porro inuictiſſime pugil, Ioſephum fraterna venditum inuidia Iſmaelitis, ſuadente Iuda, ne inter fratres principatum obtineret: ſed pater tuus, iiſdem modis, quibus eius gloriam obſcurare illi nitebantur, magis illuſtrauit. [Venditus eſt à fratribus (inquit famulus tuus Gregorius) ne ab iis adoraretur; ſed ideo eſt adoratus, quia eſt venditus: ſic diuinũ conſilium dum deuitatur, impletur, ſic humana ſapientia dum reluctatur, comprehenditur.] Et tu cæli ſplendor, per Iudam venditus, tamquam alter Ioſeph, qui tuum geſſit typum. [Quis enim (inquit Ambroſius) ſub figura Ioſeph venditus eſt, niſi ille, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens? neque enim nos eum emiſſemus, niſi vendidiſſent ſui. Male vendiderunt, peius emerunt. Vendiderunt negotiatoribus boni odoris, emerunt à proditoribus. Vendidit eum Iudas, emerunt Iſmaelitæ, qui ſignificantur latina interpretatione, odio habentes Deum ſuum.] Vendidit & Iudas Iſcariotes, & male vendidit odio habẽtibus Deum ſuum, Iudæis nimirum.] Ideo vero alibi viginti & quinq; aureis, alibi triginta inuenimus emptũ Ioſeph. Nõ enim omnibus vna æſtimatione prævalet Chriſtus, ſed aliis minus, aliis amplius Fides ementis incrementũ eſt mercis, religioſiori pre-

Gen 37. Ioſeph venditus typus Chriſti.

Greg. l. 6. Mor. c. 12.

Amb. l. de Ioſeph. c. 3. Philip. 2.

tioſior eſt Deus: peccatori pretioſior Redemptor. Pluris & illi valet, qui plus habet gratiæ.] Iudas ergo ſuum vendidit fratrem; & Iudas Iſcariotes magiſtrum, diuerſa tamen ratione. Nam Iudas Ioſephum bona mente, & intentione: ſed Iudas proditor te, ô mundi Saluator, malo, & ſacrilego fine vendidit. Verum, ſicut Ioſeph à fratribus adoratus: ſic tibi omne genu flectetur; cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confitebitur, quia tu es Saluator mundi. Meminiſti etiam, Agne Dei innocentiſſime, quomodo Agni Paſchalis ſanguine poſtibus illito, & ſuperliminaribus, pereunte Ægypto, ſolus Iſraël manſerit illæſus. Quia nimirum ſanguis ille poſtibus & ſurperliminaribus illitus crucis formã depinxit. Et tu Agne immaculate, breui, ſanguine tuo crucis poſtes illinies, Ægyptiis, dæmonibus mimirum, eliſa penitus virtute percuſſis, & à deuaſtatore Angelo Eccleſiæ domo, per te, præſeruata, ſoli fideles tui illæſi euadent [Si enim Angelus (inquit Chryſoſtomus) primogenitos Ægypti percutiens vbi viderat litum ſanguinem Paſchalis Agni, formidabat, & à cæde abſtinebat, quid faciet, te, ô Domine, præſente, & tuos defendente? ſi enim Angelus (inquit Chryſoſtomus) ceſſit exemplo; quanto magis terrebitur inimicus, ſi ipſam proſpexerit veritatem?]

Exo. 12.

Chry. hom. quadam ad Neophyt. 5.

Exod. 17.

8. Nonne meminiſti quoque, nate Dei, quomodo Moſes per manuum extenſionem crucem deſcribens, Amalechitas profligauit? & tu verè Moſes, populique fidelis ductor, ac propugnator, (cuius ille figura extitit,) manibus breui in cruce extendendis, dæmones tibi ſubiges? nonne meminiſti ſimul, quomodo Moſi, olim, pater

tuus

tuus præceperit, vt ſerpentem æneum conflaret, illumque in altum attolleret, quo quilibet à ſerpentibus morſus, in illum intuens ſtatim ſanaretur? Et tu es ille ſerpens, ſine veneno, in cruce erigendus; cuius aſpectu, per fidem, & contritionem à mortiferis peccatorum morſibus peccatores ſanabuntur: [effigies enim ænei (inquit Tertullianus) ſerpentis ſuſpenſi, figuram deſignauit Dominicæ crucis, quæ à ſerpentibus, id eſt, ab Angelis diaboli, & peccatis nos erat liberatura, dum per ſemetipſam diabolum, id eſt, ſerpentem interfectum ſuſpendit.] Hinc Bernardus ad electos tuos conuerſus ait: [non te pigeat videre ſerpentem in patibulo pendentem, ſi vis videre Regem in ſolio reſidentem.] Nonne præterea meminiſti, acertime pugil, animoſi illius adoleſcentis Dauidis, qui inermis in funda, & quinque lapidibus in arenam cum gigante ſuperbius ſeſe efferente, deſcendit, & impacto eius fronti lapide ſuo ipſius gladio illum iugulauit: [vt virtus Dei (inquit Chryſoſtomus) apertè monſtraretur: & non armis, quæ fiebant mira, adſcriberentur: Et tu es ille Dauid, qui inermis quinque ſolum vulneribus, & crucis funda inſtructus, vt victoria non armis, ſed tuæ diuinitati aſcriberetur, ſuperbiſſimum illum gigantem, diabolum ſcilicet, qui hactenus in humanum genus debacchatus eſt, ſuo ipſius gladio, crucis nimirum ligno, quo ipſe primos parentes deiecit, proſternis.

Numer. 21. Chriſtus ſerpens ſine veneno Tertul. l. de Idolola. c. 5.

1. Reg. 17. Dauid Chriſti figura.

Chry. hom. 46. in Gene.

9. Nonne meminiſti virgæ ictum, quo Moſes ex petra aquam eduxit, ex qua ſitibundus populus bibit? Tu es illa petra diuinæ iuſtitiæ crucis virga percutiendus, & vulnerandus, ex quo non

Exo. 17. Chriſtus petra.

modo aqua, ſed ſanguis etiam, pro humani generis ſalute eliciendus. Aqua, qua baptizetur, cuius virtus ex cruce, & tuis vulneribus manabit, & ſanguis in Euchariſtia fidelibus propinandus, à quo vitam & ſalutem haurient. Nonne
Leuit. 16. meminiſti denique ſcriptum eſſe de homicidis inuoluntariis, vt maneant profugi, vſque ad mortem Pontificis in vrbe refugij: poſtquam autem ille obierit, in terram ſuam reuerti debeant? Tu es ille Pontifex, cæleſti Spiritusſancti oleo vnctus, diuina nimirum gratia, in ſanctiſſimo materni vteri templo, præ conſortibus tuis, quo viuente, peccatores animarum ſuarum homicidæ non omnino ſponte, ſed illecti, & impulſi à concupiſcentia, ſeſe in vrbe refugij, in limbo ſcilicet patrum abdiderunt, donec tu, ô hominum liberator, morte tua eorum laxes vincula, eoſque à limbo liberos, ad terram ſuam, ad cæleſtem nimirum patriam, in forti brachio introducas. Hæc tibi, ô cæli gloria, implenda, præſertim ſponte tua per te à patre acceptata, humani generis perfectæ, & copioſæ redemptionis gratia. Quare ad anceps te certamen compara, quod, vt animoſius aggrediaris, & fœlicius perficias, vtque infinitum in te patris amorem intelligas; ecce arma, quibus in hac admiranda vſurus es pugna, tibi ſubminiſtrat!

Digitized by Google

De Christi armis, quibus instructus ad hoc prælium seſe accingit.

CAPVT XI.

1. HAc te armatura, pugil inuictissime, ad anceps proficiscens certamen, quam tibi iam olim Isaias aptandam prædixit, indue. [Indutus, inquit, est iustitia, & lorica, & galea salutis in capite eius, indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio zeli, sicut ad vindictam, quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis: Insulis vicem reddet, & timebunt, qui ab occidente nomen Domini, & qui ab ortu solis gloriam eius. Cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit] Hæc tua, ô Rex cælorum, arma præcipua, quibus hostes deijcies. Postquam enim hac iustitiæ lorica, & salutis galea, & vestibus vltionis, zelique pallio fueris ad pugnam indutus, & veneris ad certamen, atque vindictam, vt retribuas hostibus tuis, peccatis nimirum, morti, ac diabolo, tunc alienigenæ, horum hostium iugo hactenus oppressi, à tanta vendicati tyrannide, venient ab Occidente, & Oriente, vt requiescant in tuto Ecclesiæ sinu inuicem, præ lætitia, acclamantes: [O Ecclesia sacræ militiæ tabernaculum, procinctus triumphatoris exercitus, castrum Dei, turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille

Isa. 59. Christi arma.

Basil. de laud. vit. solit.

clypei pendent ex te ; omnis armatura fortium. Tu campus diuini prælij, ſpiritualis arena certaminis, Angelorum ſpectaculum.] Hi ſunt qui timebunt te, eo timore qui eſt initium ſapientiæ, tuæ Reſurrectionis gloria ſibi perſpecta, vbi triumphator è Limbo veneris, & quaſi fluuius violentus, quem patris tui ſpiritus coëgit gratiarum inundantia Eccleſiæ agrum lætificaturus. Indue igitur hæc tibi à patre miſſa, huic apta certamini, arma, illaque magni æſtima. Si enim miles victoriam exoptans, qua opulentum aliquod ſpolium eſt obtenturus, magni faceret arma, quibus certo ſciret ſe hoſtibus præualiturum, & palmam reportaturum, quanto magis tu, Nate Dei, æſtimare debes cæleſtia hæc arma, quibus certa victoria de tam potentibus hoſtibus promiſſa eſt. Eſto igitur ſuccinctus lumbos in veritate, indutus loricam iuſtitiæ, in omnibus patientiæ clypeo inſtructus, & galeam ſalutis aſſume, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.]

Epheſ. 6.

Arma Chriſti in paſſione.

2. Huic igitur nobili loricæ, hoc ſcapulare, veſtem ſcilicet inconſutilem, ſuperpone. Manu rape hanc ſpineam coronam, quia Rex es, tuo aptandam capiti, tanquam ſalutis galeam. Ecce funes, quibus tanquam militari cingendus es baltheo. Hoc cæleſti diuini verbi gladio ſeptemplici exacuto acie, ſeptem nimirum verbis in cruce à te proferendis, quæ etiam adamantina penetratura ſunt hominum corda, ita, vt plurimi animis compuncti, ex vero pœnitudinis affectu acclamaturi ſint, te in mediis etiam tormentis, verum Dei filium eſſe. Hoc, inquam, gladio accinge lumbos tuos, gladio ſancto munere à patre tibi

Digitized by Google

diuinitus dato, in quo deijcies aduersarios populi Israël. Ecce tibi crux veluti nobilissimus equus, cuius generoso impetu hostium acies perfringes. En claui, quibus tanquam stapedibus equo insidens vteris, vt deijci, donec victoria potiare, nunquam possis. Accipe dextra manu lanceam, quam veluti inuincibilem hastam in hoc conflictu animosè euibrabis, quæ paulo post, tanquam in ingeniosam conuersa clauim, omnium Dei thesaurorum in te gazophylacium aperiet, & sicuti altera Mosis virga fontem in te perenni gratiæ fluxu exuberantem, afficiet, in quo omnes filiorum Adæ sordes detergendæ sunt. Scio quod omnium merita hominum sibi non sufficiant, quod illis ergo deest, audacter vsurpabunt ex visceribus tuis, quæ misericordia affluunt: nec deerunt foramina, per quæ defluãt. Patebit enim breui arcanum cordis, per foramina corporis; patebunt viscera misericordiæ, in quibus visitasti eos oriens ex alto.] Et ne forte in tam acri certamine, ex vehementi conflictu, sitias, ecce tibi pater calicẽ, musto & felle plenum, porrigit, cuius suauitate, & salubritate saturandi simul, & inebriandi sunt peccatores, te fellis amaritudine excruciato. Fel enim tibi amaræ passionis exhibebitur, vt labiorum tuorum attactu, & peccatoribus ad pœnitentiam redeuntibus, & martyribus amarum calicis fel, in dulcissimum salutis mel conuertatur.] Stabit enim martyr tripudians, & triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circumspiciet ebullire cruorem. Vbi tunc anima martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe

Ber.

Ber. ser. 61. in Cant.

in viſceribus Ieſu; vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in ſuis eſſet viſceribus ſcrutans ea ferrum profecto ſentiret, tunc autem in petra habitans, quid mirum ſi in modum petræ indureſcat? neque mirum, ſi exul à corpore dolores non ſentiat corporis. Neque hoc faciet ſtupor, ſed amor: ſubmittetur enim ſenſus, non amittetur.] Hic, calicis à te vſque ad fæces epotandi, fructus. Sume igitur animos, ô cœli, terræque princeps: nam ecce iurati tui hoſtes, præeunte, tanquam latronum anteſignano improbo Iuda, tartareis agitati furiis, iter ad te breui arripient, cum gladiis, & fuſtibus, vt te miris modis vexent, ligent, verberent, conſpuant, flagellent, ſpinis coronent, & denique in crucem agant. Quibus nunciatis, Chriſto valedicens angelus diſparuit.

3. O fili Dei, hæccine tibi patris conſolatio atrociſſimæ paſſionis inſtrumenta, quibus acerbiſſimè cruciaberis proponere? ô verè virum dolorum, & ſcientem infirmitatem præ ipſo Iobo, in horto ſanguineo madidum ſudore, iacentem: hanc patris legationem tacitè tecum cogitantem contemplor, & ad te, ô homo, tantis circumſeptum doloribus, infirmitatibus, pauore ac tædio conuerſum audio ingeminantem [vide, ô homo, quid pro te patior: non eſt dolor ſicut quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior! vide pœnas, quibus afficior, vide clauos, quibus confodiar! vide crucem in qua ſuſpendor! cum ſit tantus dolor exterior, interior tamen planctus eſt grauior, tam ingratum dum te experior.] O immenſam, nate Dei, in hominem charitatem, quam paucis,

Charitas Christi in nos. Bonauent. 3. d. 15. q. 2.

electus tuus Auguſtinus ſic perſequitur: [dicit (inquit Chriſtus) homini ægro: bibe calicem tentationum, & tribulationum, vt ſaneris & viuas. Et ne reſponderet Deo languidus: non poſſum, non fero, non bibo: prior bibit medicus ſanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum eſt in tali poculo, quod ille non biberit? Si contumelia, prior audiuit, cum dæmones expelleret, dæmonium habet: & quod in Beelzebub eijcit dæmonia. Vnde vt & ipſe conſolaretur ægros, ait, ſi patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos eius? Si dolores amari ſunt, triſtis eſt anima mea, inquit, vſque ad mortem, poſtea ſanguineo perfuſus eſt ſudore, deinde ligatus, flagellatus, & crucifixus eſt. Si mors amara eſt, etiam mortuus eſt. Si genus mortis exhorreſcit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominioſius, quàm mors crucis.] *Aug. ſer. 18. in Matt.*

4. O vere pelicane, noſtri amantiſſime, qui ſanguinem, & vitam nobis veluti pullis tuis, peccati veneno mortuis, vt reuiuiſcamus libenter impendis. Nam ſicuti ille roſtro ſeipſum ferit, & ſanandis pullis venenoſi ſerpentis morſu ictis viuificum elicit ſanguinem [dicunt (vt ex aliis refert Auguſtinus) matrem ſe ipſam grauiter vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper filios fundere, quo illi ſuperfuſi reuiuiſcunt: ſic tu noſtræ ſalutis, ô Chriſte, auidiſſimus, cum præ amoris noſtri magnitudine, neſcias expectare, donec hoſtes tuum effundant ſanguinem, te ipſum acerbiſſimis feriens cogitationum aculeis, & noſtri ſimul amoris ſtimulis, noſtro vulneri propitiato- *Chriſtus pellicano cõparatur.* *Auguſt in Pſal. 101.*

rium elicere ſanguinem vbertim voluiſti! ô ſtupenda hæc tua in nos charitas! ô amor, in tuos pullos, ineffabilis. Amor noſtræ ſalutis horrorem calicis vincit, licet tibi ſanguinem exprimat! ô ſeuerus amor, qui ſeueram mortis ſententiam, antequam illam hoſtes ferant, in tui authorem ferre non perhorreſcis! ô ſeuerus amor, qui amarius paſſionis poculum Deo propinas, quam ipſi inimici! ô ſeuerus amor, cui minime ſatis, eſt Chriſto ſanguinem elicere, niſi etiam eius manus, ac pedes columnæ funibus vincire feſtinet: crudelioribus ſanè illis vinculis, quibus ab hoſtibus ligandus eſt, vt toto corpore non ſanguineum ſudorem, ſed flagellorum ictibus ſanguinis riuos funderet! ô ſeuerus amor, qui Chriſtum, exhauſto fere totius corporis ſanguine, ſpinea redimitum corona, in ignominioſam agere crucem, quam noſtris nobis ſceleribus meruimus, anhelas! ô quanta hæc tuæ in filium Dei ſententiæ ſeueritas!

Quam crudeliter amor noſtri in Chriſtum ſæuit.

Zeleuci iuſtitia.

5. Zeleucus Locrenſis (vt Valerius Maximus memoriæ prodidit) legem ſanxit, vt quicumque de adulterio conuinceretur, oculis priuaretur. Filius vero eius, Regnique hæres, primus de hoc crimine conuictus eſt, vnde & legis ſubiit ſententiam. Sed tota ciuitate reclamante, & Adoleſcentulo veniam deprecante, pater aliquamdiu repugnauit, ſed tandem populi conuictus precibus, pœnam inter ſe, & ſuum diuiſit filium, ſibi primũ vnum eruit oculum, deinde filio alterum, ſicque ſe, inter miſericordẽ patrem, & iuſtum legiſlatorem, moderatum exhibuit. Sic Deus in paradiſo legem tulit, qua cautum fuit homini vetitum guſtare pomum, idque ſub du-

Chriſtus pœnam nobis debitam inter nos & ſe diuiſit.

Digitized by Google

plici mortis interminatione, corporis nimirum & animæ, cuius legis præuaricator, duplici hac morte, puniendus ſtatuebatur. Quare legis tranſgreſſor primus extitit adoptiuus ipſius Dei filius homo; vnde ſtatim legis ſubiit cenſuram. Sed ita latam à ſe ſententiam Chriſtus miſericordia interueniente, temperauit, vt ipſe ſe ipſum corporis morte mulctaret, ne adoptiuus & corpore, & anima omnino periret. Ita debitum ſupplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, vt inter miſericordem Patrem, & legis præuaricatorem partita pœna, & iuſtitiæ ſatisfieret, & præuaricator viueret. ô ſtupenda Dei adinuentio, qua ſuum nobis ſimul declarauit amorem, & rigori iuſtitiæ abundè ſatisfecit. Et nos tamen adeo ingrati ſumus, vt Chriſto noſtri cauſa patienti non condoleamus.

Querela Chriſti à ſuis derelicti.

CAPVT XII.

Queritur Chriſtus ſe ab amicis deſeri.

1. IOb quidem tres ſaltem inuenit amicos, qui eius condolerent calamitatibus: & Chriſtus tantis afflictatus miſerijs ſe neminem inter nos inuenire conqueri grauiſſimè mihi videtur, ſublato paululum vultu è terra ſanguine inſperſo, omnique commiſeratione digno, ingeminans, [ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni.] hinc Cyrillus: [nemo, inquit, patienti adfuit: nemo ex vlla gente condoluit: omni prorſus humano de-

Pſal. 68.

Cyr. in illũ locum.

ſtitutus auxilio fuit:] imo tantum abeſt, vt ei condoleamus, noſtraque illum tanquam amici præſentia conſolemur, licet maxime eius beneficiis, præ cæteris nationibus obſtricti teneamur, vt etiam longè ab eo cum illis, quos olim ſingularibus affecit donis ac priuilegiis fugiamus. Audiamus, obſecro, Iobum ipſum in Chriſti perſona, hanc nobis, ac illis ingratitudinem exprobrantem: [dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerunt obliti ſunt mei:] quaſi dicat: ecce quomodo ab iis ipſis, quos ſingulari amore ſemper perſecutus ſum, & præſertim à Iudæis deſeror, quos mihi, præ cæteris, in electum adſciui populum, quos tot beneficijs affeci, quorum morbos ſæpius curaui, & filios aliquando mortuos, vitæ reſtitui; è quibus etiam non modo Apoſtolos, ſed matrem quoque elegi: quomodo, inquam, ab his deſeror, quos tot mihi deuinxi amoris ſinceri argumentis: omnes ſuo deſunt officio: nemo ex illis mihi extremè laboranti adeſt, vt partem oneris, ac laboris imminuat, nemo me viſitat; nemo vlla mei commiſeratione tangitur-nemo amicitiæ iura ſoluit, pauciſſimis exceptis, ſed incredibili vel ſtupore perculſi, vel ingratitudine obdurati; omnem gratiæ memoriam, illis à me exhibitæ, abiecerunt [Iudæi etenim propinqui per carnem, noti per legis inſtructionem, quaſi obliti ſunt, quem prophetauerant, dum eum, & incarnandum verbis legis canerent, & incarnatum verbis perfidiæ negarent.] Et quod acerbius mihi eſt, illi ipſi, quibus ego ipſe adeo familiaris ſum, quique me plurimum adhuc obſeruant, vt in il-

Iob. 19.

Greg. l. 14. Mor. c. 19.

Digitized by Google

Iorum ore, & oculis aſſiduè verſar, & quibus mei pectoris arcana libenter credo, eorum amicitiæ fiſus, me breui obliuiſcentur, & negligent, neque de facie benefactorem agnoſcere dignabuntur; imo re ipſa ſeſe cum hoſtibus quodammodo iungent! & præſertim Petrus, & Iudas, quorum alter trinæ negationis ſcelere ſeſe obſtringet: alter ſui magiſtri proditor, deſperationis laqueo adactus, me hoſtibus prodito, fœdam in tartarum animam euomet.

2. Si ingens Saulem inceſſerit dolor, intellecta Ionathæ cum ſuo inimico Dauide amicitiam inita, vt indignabundus exclamauerit: [coniuraſtis omnes aduerſum me, & non eſt qui mihi renunciet, maximè cum & filius meus fœdus inierit cum filio Iſaï, quanto affectum dolore Chriſtum iudicabimus iamjam tradendum per diſcipulos ſuos, in primis dilectiſſimos, ſuæ turpi fugæ hoſtibus, licet non ex induſtria, ſed ex quadam animi trepidatione, prodendum etiam ab vno, & altero negandum, de quibus omnibus in perſona aliena iam olim conqueſtus eſt; [extraneus, inquiens, factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.] Quam grauiter, obſecro, Deus per prophetam exaggerat Dauidis perfidam ſtrophàm, qua adulterij ſcelus celare putauit, quod Vriam virum integerrimũ hoſtium gladio interimendum obijceret intonans: [Et occidiſti eum gladio filiorum Ammon!] nihil enim grauius amico, ac familiari, quam ab amico prodi, & tradi inimicorum furori, quod Chriſtus per prophetam iam olim ſignificauit:

1 *Reg.* 22. *Nihil grauius quam ab amico amicum prodi, & tradi inimicis.*

Pſ. 68.

1. *Reg.* 11.

Psal.54. [quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimis dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.] Nonne Iob qui ad iacula inimicorum callum obduxerat, amicorum iniuria ita exulceratus fuit, vt magnam doloris significationem ostenderet? [Iob (inquit Chrysostomus) omni lapide, & adamante tolerantior, cum quidem patrimonium amitteret, malaque innumera sustineret: cumque subito numerosa sobole esset orbatus, cum quasi fontem quendam vermium toto videret corpore bullientem, supraque hæc, vxorem sibi molestius imminentem, perfacile cuncta superauit: vbi vero exprobrare sibi amicos, atque insultare vidit: & malignam illam de se existimationem fouere, & dicere, quod talia, propter peccata pateretur, atque malitiæ suæ solueret vltionem: tunc demum vtique turbatus est ille vir maximus, ille fortissimus.

Chry. ho.15. in Matt.

1. Reg. 25. 3. Quorsum Dauid iniurias Saulis facile sustinuit, cum ad iniurias Nabalis exardesceret? quia ille ex alia tribu, ex tribu Beniamin: hic ex eadem cum Dauide tribu, nimirum Iuda, iniquissimum itaque iudicabat, vt cognatus à cognato iniuriosè tractaretur. Dauid quoque à Saule hoste suo ad necem expetitus, sibi insidiis omni penè in loco positis integerrimo amico suo Ionatæ animi sui angustias aperiens dixit: [si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.] Maluit enim ab

1. Reg. 20.

Digitized by Google

amico interimi, quam ab eo crudelibus inimici manibus tradi, qui nullo commiſerationis motu tangeretur, donec expleret crudelitatem ſuam. Et Chriſtus grauius ac crudelius iudicauit ab amicis Iudæis gentibus iuratis ſuis hoſtibus interficiendum tradi, quam ſi ab ipſis Iudæis, vel Iuda amico ſuo neci traderetur. Quare optime Moſes fratrum Ioſephi perfidiam, & atrocitatem exaggerans, qui incredibili in eum odio & inuidia ſtimulati in innocentis ſanguinem coniurarunt, ait [vendi, erunt eum Iſmaelitis alienigenis infidelibus, & incircumciſis in mancipium viginti argenteis.] Quid acerbius, quam à fratribus inimicis, & talibus inimicis diuinæ legis contemptoribus vendi! maledictionis iaculum Deus tum in ſerpentem, qui Euam & Adamum deceperat, tum in Cainum, qui fratrem occiderat intorſit [nam ſicut Diabolus (inquit Chryſoſtomus,) qui odio, & inuidia mouetur, ferre non potuit tot ineffabilia beneficia, quæ in hominem ab initio collata ſunt: & inuidia ad deceptionem ſtimulatus eſt, quæ mortem induceret: ita & hic Deum erga fratrem ſuum videns beneuolentia magna affici, ex inuidia ad homicidium proſilijt.] Quid igitur Iudæi leuiorem pœnam ſperetis, qui culpam nihilo leuiorem in fratrem veſtrum commiſiſtis? inuidiſtis enim, & occidiſtis Chriſtum tradendo gentibus crucifigendum, quo nihil Chriſto intolerabilius: quid ergo mirum ſi grauioribus, quam illi maledictionibus obruamini, vt quot argenteis, quibus venditus eſt Chriſtus, tot maledictiones reſponderent? Hinc Rupertus [omnes, ait, maledictiones iſtæ propriæ Iudæorum ſunt:

Gen. 37.

Gen. 4.

Chry. ho. 19. in Gen.

Rup. l. 2. c. 9.

Digitized by Google

& ecce hodie super illum infelicem populum venerunt, eumque manifestè apprehenderunt. Sunt autem numero triginta. Et merito triginta maledictionibus obruti sunt, qui triginta argenteis emptum, datorem benedictionis Christum Dei filium occiderunt.] hæ igitur merito maledictiones tam in ipsum emptorem populum Iudaïcum, quam in ipsum venditorem Iudam distringuntur, vt iniquissimo pretio meritissimum supplicium responderet, qui fratrem suum, ac communum benefactorem Dei filium inimicorum manibus interficiendum tradiderunt. Hinc Christus amici sui Iudæ aggrauans in se perfidiam, & ingratitudinem, & in eo Iudæorum, ait se Ioſephi instar, per ipsum in manus gentium, & infidelium traditum iri, [tradetur inquit Gentibus,] quo quid grauius! ab amico scilicet, & Apostolo triginta argenteis inimicorum atrocitati cruciandum, & interficiendum tradi? gratior certe hero suo miles ille extitit, qui ad Ioab ait: [si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis.]

2. *Reg.* 18.

Adam, Dauid, Moses, Magdalena sponsa, & Maria ad hortum Gesemani inuitantur, vt Christo sudanti obsequium præstent.

CAPVT XIII.

O Adam, vbi tu iam latitas, qui amaram hanc passionis potionem Creatori tuo immiscuisti? vbi, inquam es, qui tam audacter olim in hortum ingressus, vetitæ arboris fructum, cuius modo acerbitatem in horto Gesemani Christus persentiscit, sumpsisti? veni in hortum, & aliam contemplare arborem, sine specie, sine decore, sine aspectu, cuius tamen fructus si semel gustaueris, vel stillanti ex eius poris sanguini labia illa præuaricantia admoueris, venenum serpentis antiqui vetito fructui insertum, statim euomes. Pone ergo te sub huius salutiferæ arboris vmbra, & auido excipe ore pretiosas ex ea in terram decidentes, velut nobilissimi balsami guttas, viuis virtutum eius patientiæ, humilitatis, & charitatis quasi odoribus respersas, quibus quatuor, per tuum peccatum, inflicta humano generi vulnera, intellectus ignorantia, voluntatis peruersitas, irascibilis appetitus peruicacitas, & concupiscibilis efferuescentia impotens sanentur. Considera quanto desiderio ad hũc hortũ venerit, vt pro tuis, posterorumque tuorũ peccatis diuinæ iustitiæ satisfaceret. [Mira res (exclamat Iustinianus) proximus erat passioni, noueratque quantas ferre deberet

Adam ad hortum inuitatur.

Lauren. de agon.

Christi patiendi desiderium.

contumelias, & tamen ex hilaritate cordis noluit seſe continere, quin desideriorum suorum æstus exprimeret: attendebat aliorum commoda, proprij immemor ludibrij, pœnarum intrepidus, & de nostro profectu solicitus, atque amoris flamma succensus, qualis latebat intus, per eius apertionem, manifestauit foris, vt ignem igne, desiderium desiderio, & amorem excitaret amore, inquit: desiderio desideraui!] vide, ô Adam, hic quibus impensis Creator tuus tibi, posterisque tuis quærat remedium: ex proprio nimirum sanguine, peccatis humani generis abolendis conficit antidotum. Nemo igitur est, quem passio hæc Christi salutaribus præceptis non excipiat; nemo cui tanti Saluatoris afflictiones, cruciatus, atque sæuæ malorum omnium procellæ solatium, medicamentum, & portum non præstent. [Passio tua (inquit Bernardus) Domine Iesu, vltimum est refugium, singulare remedium, deficiente sapientia, iustitia non sufficiente, sanctitis succumbentibus meritis, illa succurrit. Cum enim defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido: scio quid faciam, calicem salutaris accipiam; scio quod merita mea non sufficiunt.] Ego vero fideliter quando quippiam mihi deest, vsurpo ex visceribus Domini, ex vulneribus pedum, manuum, ac lateris, mei gratia, apertis, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo, & gustare, & videre quam suauis est Dominus.] Benedic igitur, ô pater Adam, hanc ineffabilem eius benignitatem quæ nullis circumscribitur limitibus, omnem excedens mensuram. Audi non eius terribilem olim, in paradiso, vocem, in

Ber. ser. 22. in Cant.

scelus

ſcelus tuum, vindicta armatam, ſed internis animi auribus, voces miſericordia, ac benignitate plenas, effluentis in te Chriſti ſanguinis. Audi tot altiſſimarum virtutum clamores, quibus apud æternum patrem clamat, non vltionem, vt Abelis ſanguis, ſed miſericordiam, peccatorum veniam, pacem inter Deum & hominem: [Pater, exclamaturus eſt, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt!] Quare tu interim huic te arbori vitæ ſuppone, ſub cuius cruce tua ſepulta iacent oſſa, vt viuifico eius ſudore, & ſanguine, breui, vegetatus cum Creatore tuo glorioſus reſurgas.

2. Et tu Moſes, qui adeo deſideraſti Dei vultum intueri [Oſtende mihi, inquiens, faciem tuam,] tot ac tantis ſublimationibus elatus, ſi adhuc ardes deſiderio, adhuc tanquam fameſcens, ac ſitiens, tanquam eo carens, quo ſemper fruebaris, oras, vt videas, non vt ipſe capere potes, ſed vt ſe habet, qui deſideratur. Sic adhuc immenſo deſiderio atque ardore erga Deum ita es affectus, quod viſionibus tibi emit, vt ferre non poſſes; quin ab iis, quæ comprehendis, ad occultiora compelleret, ſi ſupremæ pulchritudinis amator, quod iam videras tanquam imaginem eius quod non videras credens ipſo frui primitiuo deſiderabas:] Accede ad hortum, vt aliam amati contempleris ſpeciem, qui paulo ante in monte Thabor illam cæleſtibus fulgurantem radiis vidiſti. [Certè (vt ait Hieronymus) fulgor ipſe & maieſtas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.] Aſcende nunc in hortum, & reſpice in faciem Chriſti tui, ſan-

Exo. 33.
Greg. Nyſſ. in illud Exo. de vita Moſ.
Moſes vt faciem Chriſti contempletur in horto, imitatur.
Hiero. in c. 9. Matthæi.

guineo rorantem ſudore. Conſidera eius admirandum hodie exceſſum, de quo in monte ſimul agebatis, conſidera inquam Dei vultum, in quem Angeli ſuos defigere hodie obturus erubeſcunt! cerne, ô Moſes, qualis iſta tui creatoris transfiguratio! depone tua iam cornua: nam ex aſpectu Dei tui pulcherrimo, cæleſtes illi radij, quorum reuerberatione facies tua pulcherrimè coruſcare ſolebat, iam ſanguine deturpato minime emergunt: & veni, & vide viſionem hanc magnam: Deus igne charitatis accenditur, quo ſanguineas aquas inflammat. Vnde & Iſaïas iam ſuum expletum deſiderium videt: [vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes: aquæ arderent igne.] Verè ſudor tuus charitatis igne accenſus noſtra peccati gelu algentia pectora incendere incipit, & defluentes è genis lacrymæ tanto amoris igne inflammantur noſtri cordis duritia penitus emollita. [dum enim Chriſtus (vt ait Gregorius) ſe per ſpiritum ſuum animæ deſideranti infundit, omnem duritiam cordis mox diſſoluit, & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, vt vix capere poſſit hoc, quod ſe capere intra ſe exultat, & intus miretur quid fuerit, & quid factam ſubito ſeipſam videat.] Veni ergo, ô Moſes, in hortum, & vide creatorem tuum ſanguineo charitatis igne accenſum, quo ipſe mirum in modum corpore afflictatur, animo gaudet, effectum illius in te, & alios deriuari cernens. Veni igitur, tuũque iterũ Chriſto obſequium præſta, vt qui fuiſti glorioſæ transfigurationis teſtis, modo ſis & laborioſæ, vt ita dicam, etiam defigurationis, vt quemadmodũ tunc ex Chriſti gloria, glorioſus apparuiſti; ſic

Iſa. 64.

Greg. in Cant. c. 5.

Digitized by Google

nunc ex eius mæſtitia, mæſtus appareas.

3. O Dauid, Dauid, cur non modo ad fontem, quem tamdiu deſiderabas, feſtinas? ô quomodo olim ingeminabas: [quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad Deum fontem viuum.] Verè fons tibi viuus hodie patet, ô Dauid, & aquam in vitam æternam ſalientem tibi gratis haurire licet. En ipſe ad hunc fontem te inuitat: [qui ſitit veniat; & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Hoc bonum ſolo voluntatis pretio emendum tibi proponitur. appetitionem ipſam Deus ingentis pretij loco habet.] Feſtina igitur, vt pleno hauſtu bibas de fontibus Saluatoris. Clamat ipſe: [Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat:] Solam ſitim, non aliud pretium requiro, inquit, vel, vt loquitur Chryſoſtomus; [nemini vim facio, neminem traho: ſed ſi quis libens, & promptus accedit: ſi quis ardet deſiderio, hunc ego aduoco.] Huiuſmodi iam olim deſiderio ardebas, dum exclamares: ô ſi quis mihi daret potum aquæ, de ciſterna, quæ eſt in Bethleem! video quò tuum tendit deſiderium. Quod ſi altius velimus ſpectare, & introſpicere myſterium [ſitiebas, ô Dauid (vt aſſerit Ambroſius) non aquam de lacu, qui eſt in Bethleem, ſed oriundum ex virgine Chriſtum in ſpiritu præuidebas. Volebas ergo bibere non aquam fluminis, ſed potum gratiæ ſpiritualis: hoc eſt, non aquarum ſitiebas elementum, ſed ſanguinem Chriſti. Denique non bibiſti oblatam aquam, ſed Domino profudiſti: ſignificans ſitire te Chriſti ſacrificium, non naturæ fluentum: illud ſacrificium in quo eſſet remiſſio peccatorum: illum

Dauid ad fontē aquæ viuæ inuitatur.

Pſal. 41.

Apoc. 22.

Greg. Naz. orat. 40.

Ioan. 7.

Chry. ho. 50.

2. *Reg.* 23.

Amb. in Apolo. Dauid. c. 7.

sitire te fontem æternum : non qui periculis quæreretur alienis, sed qui pericula aliena depelleret;] ex hac cisterna gratiarum haud dubiè bibere desiderabas. En tibi hodie in horto proponitur Christus tanquam cisterna tot episto-mijs plenus, quot in toto eius corpore pori. Bibe itaque, ô Dauid, non aquæ modo potum, sed viuifici etiam sanguinis poculum, vt vires, ex pugna, debilitatas instauras tuas. Hæc vox non solum tua erat : [ô si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem.] sed antiquorum etiam Patrum, qui promissum sibi aquæ viuæ fontem auidè desiderabant. Illorum vtinam desideria, nostris, torpore, languidis animis addant stimulos! vtinam illorum longa suspiria, nostrorum inflamment pectorum tepotem! vtinam nobis cordi forent, sicuti sanctissimo, & ardentissimo Christi amatori Bernardo! [Ardorem, inquit, desiderij Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam, frequentissimè cogitans compungor, & confundor in memetipso, & nunc vix contineo lachrymas, ita pudet teporis, torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum tantum ingerat gaudium, gratiæ huius exhibitio, quantum veteribus Sanctis accenderat desiderium promissio ?] Eadem igitur hæc sit vox nostra cum sanctis Patribus, & Bernardo, Christo, nostri gratia, in horto sudante. [ô si quis nobis daret potum aquæ, de cisterna, quæ est in horto,] potum qui animis salutem affert, qui peccato mortuis gratiæ vitam tribuit, qui terrenarum rerum sitim extinguit, qui fons fit in cordibus seria purgatis pœni-

Ber. ser 2. in Cantic.

Digitized by Google

tentia, fons aquæ ſalientis in vitam æternam. [Non videtis (inquit Chryſoſtomus) quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? accedamus cum tanta nos quoque ad hanc ciſternam & vber ſpiritualis populi: quinimo cum longè maiori trahamus alacritate tanquam infantes lactanei ſpiritus gratiam: & vnus ſit nobis dolor hac ciſterna priuari.] *Chry. ho. 60. ad pop.*

4. Sed tu, ô Magdalena, vbi es? quam audacter aliquando in medios conuiuas, vt Chriſti fruereris præſentia, te ingeſſiſti!) [Quia nimirum turpitudinis tuæ (vt loquitur Gregorius) maculas aſpexiſti, lauanda ad fontem miſericordiæ cucurriſti, conuiuantes non erubuiſti. Nam quia temetipſam grauiter erubeſcebas intus, nihil eſſe credidiſti, quod verecundarere foris.] Ingredere hortum, & quæ hactenus ad pedes Domini conſidere geſtiebas, vt eius ſermones melle & fauo dulciores auidè haurires, audi & eum hodie, mutata ſpecie, ſanguineo aſperſum ſudore, in terra proſtratum, & lugubri acclamantem voce: [ô vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus] videt ſe turpitudinis non modo tuæ, ſed noſtræ etiam maculis foris velut contaminatum: & quia ſemetipſum ſordido noſtrorum peccatorum pallio indutum videt, grauiter erubeſcit foris, qui nihil habuit quo verecundaretur intus. Te igitur, ô Magdalena, fons miſericordiæ ad hortum inuitat, vt quæ antea Chriſto obſequia exhibuiſti, modo promptè exhibeas. Reuoca igitur in me- *Greg. 33 in Euan. Magdalena ad hortum inuitatur.* *Thre. 1.*

moriam, quomodo Christi pedes aliquando officiosissimè vnxisti [compuncta (vt ait Rupertus) doloribus, præ cunctis mortalibus, propter dilectum tuum:] recordare etiam eosdem te lachrymis tuis madidos, capillis deuotissimè terssisse. Accede igitur nunc, & admirandam renoua rerum mutationem, riget terra cælum [stans enim retro secus pedes Domini, vt Christi vestigijs innixa percurreres per viam vitæ, quæ per viam cucurreras mortis, lacrymis rigabas pedes eius.] [En mutatur (inquit Chrysologus) ordo rerum: pluuiam terræ cælum dat semper: ecce nunc rigat terra cælum: imo super cælos, & vsque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lacrymarum: vt iuxta psalmistam, & de aquis fletuum cantetur illud: & aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini, lacrymis rigabat pedes eius. ô quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cælum, terram diluunt, extingunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam.]

Rup in illud cant. 7. oculi tui sicut piscinæ.

Luc. 7.

Chrysol. ser. 93.

Psal. 148.

5. Hoc experta es, ô Magdalena, cum dimissis peccatis, in quæ alioqui mortis sententia in cælesti tribunali lata fuit, à Pharisæi, per Christum, calumniis vendicata, audisti: [dimittuntur tibi peccata tua,] audisti [obtrectantis Pharisæi murmur (vt loquitur Ambrosius) obuerberans occultam mentis tuæ cogitationem, audisti manifestam fidem tuam admirabili probatione collaudari, & præferri apparatibus inuitantis, confitentis obsequium. Hinc magis delectatus est Christus facto tuo, quam prandio, cui plus fuit conuersione delectari,

Amb. l. de pœni. c. 17. paucis mutatis.

Digitized by Google

quam paſſi; vt qui ſibi deſiderio minime ducebatur, tuæ confeſſionis epulis paſceretur.] Ingredere igitur hortum Geſemani, & repende dilecto tuo, pro tam inuſitata beneuolentia, omne pietatis obſequium, eo feruore, ea fide, eo auſu, ea obſequij nouitate, qua peccatrix adhuc exiſtens ipſius vēſtigia contigiſti Dominicos pedes lacrymis lauiſti, crinibus terſiſti. ingredere, matrique Saluatoris tui iam abſentis vices ſedulo ſupple, & Chriſti caput, & pedes etiam tuis terge capillis. [vacat enim ab excuſatione pauperas, inhumanitas veniam non habebit: quia in totum ſibi natura ſufficit ad obſequium creatoris.] Noli ergo te excuſare, ſed feſtina: ſolus enim eſt. Perge ergo, vt huiuſmodi iam Deo tuo integerrimo amico præſtes obſequium. Vbi tuæ modo duæ pelues, oculi inquam duo lacrymarum aquas ſuppeditare ſoliti, quibus Domini pedes laues? vbi illa tuorum capillorum lintea? modo opportunum foret, non tantum pedes, & faciem Chriſti, ſed totum etiam eius corpus lauare, & tergere. Recole igitur quomodo [in peccatricis tuæ caput purgandis aliquando criminibus refluxerit vnda, vt ſuo fonte tu in nouum baptiſma tuorum dilueres illuuiem peccatorum.] Recole porro quæ tibi benigniſſimus Dominus eodem temporis momēto beneficia præſtitit, dicens: dimittuntur tibi peccata tua] Ipſe tunc à tuis te inquinamentis, ſui ſanguinis lauacro abluit, & ſuaui gratiæ ſpōgia animæ tuæ maculas abſterſit. Vices itaque modo repende: laua eius corpus, & capillis terge.

Chryſolo. ſer. 94.

Chryſolo. ſer. 93.

Chryſolo. ſer. 93.

6. Heu! vt video, condonatis illi peccatis, valedixiſti Domine: [remittūtur tibi, inquis, peccata,

vade in pace.] O verbum delectabile, & ſuaue, verbum, quo ſignificas peccata prorſus deleta eſſe, abolitaſque ipſas peccatorum cicatrices. [Quamuis (inquit Chryſoſtomus) innumeris modis adnitatur medicus interlinire cicatricem, & eam è medio auferre non poterit, tamen repugnat huic facto naturæ infirmitas, artis inſuper vis inualida; denique tenuitas medicamentorum. E diuerſo Deus quando peccata abolet, nullam reliquam facit cicatricem, nullum veſtigium ſinit manere: ſed vnà cum ſanitate eximium etiam confert formæ decus.] Hinc Dominus, dimiſſis Magdalenæ peccatis, vade, inquit, in pace. [Quod enim ſibi turpiter, inquit Gregorius, exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. oculis terrena concupierat: ſed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat: ſed iam capillis lacrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat: ſed pedes Domini oſculans, hoc in redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamẽta, tot de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerũ, numerum criminum, vt totum ſeruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa:] audijt propterea: dimiſſa ſunt tibi peccata tua. [Parum eſt hoc, inquit Ambroſius: poſtmodum autem vide quid audierat: filia, fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. Dudum peccatrix, abſoluta mox filia, & in Domini pace confeſtim abſoluta dimittitur, quæ ſuorum bello criminum vaſtabatur.] Vade igitur in pace. vade, inquam, tu Magdalena, in pace: remiſſa

Chry. præc. in Iſa.

Greg. hc. 33. in Euan.

Amb. l. de pœni. c. 17.

Digitized by Google

iam ſunt tibi peccata tua: vade ergo in pace: ego enim tua ſoluam debita, tu in pace vade. Turpanda eſt mihi facies, quia contra Dei præceptum, tuam purpuriſſo, & ceruſſa & ſtibio ſæpe depinxiſti, tu in pace vade. Affligendum mihi corpus, quia tuum multis vacauit deliciis: tu in pace vade. Longus tuus riſus perpeti compenſandus eſt mihi fletu. tu in pace vade. Mollia linteamina, & ſerica pretioſiſſima, aſperitate flagellorum mihi commutanda: vade tu interim in pace. Ego pro tuorum crinium vanitate, ſpinea pungar corona: tu in pace vade. Ego pro tot fœdis contactibus tuis, manus figi clauis patiar: tu in pace vade. Ego pro ſingulis paſſibus, quibus poſt concupiſcentias effrænis abibas, clauis pedes perforari permittam: tu in pace vade. Ego ob tot tuæ luxuriæ actus, toto corpore iam perfuſus ſanguine, breui dilaniabor: vade tu interea in pace: tibi enim omnia dimiſſa ſunt peccata, quorum pœnas in dorſo meo perſoluam, ſicuti omnium vniuerſi peccatorũ: vade ergo in pace. *Hiero. epiſt. 27. ad Euſtoc.*

7. Sed, ô Magdalena, & ſi dimiſſis tibi omnibus peccatis in pace te Chriſtus dimittere velit; noli tamen committere, quin ſolita pietatis ac beneuolentiæ officia, illi aliquando exhibita, hodie hortum ingreſſa animosè reſumas: memineris quomodo ipſe te tanquam perditam ouiculam quæſierit: memineris quomodo relictis nonaginta nouem ouibus in deſerto, etiam ad vnam te ouiculam errantem, & labantem, ducendam in ſuum ouile feſtinauerit. [Grex (inquit Tertullianus) vna charior non erat, vna illa conquiritur, vna pro omnibus deſideratur, & tandem inuenitur, & humeris paſtoris ipſius *Tertul. l. de pœn. c. 8.*

Digitized by Google

refertur : multum enim errando laborauerat.]

Vide quanti faciat Deus vel vnum pœnitẽtem. Hier. Epiſt. 61. ad Pammachium.

Vides,ô Magdalena , vel te vnam pœnitentem , tot Angelorum millibus à Chriſto prælatam ! Imo [Dei filius propter te vnam morbidam ouem (vt loquitur Hieronymus ,) alapas , crucem , flagella ſuſtinuit : & ſuis humeris portauit ad cælum , baiulans & patiens delicatam peccatricem.] Ingreſſa igitur,ô Magdalena,horti Geſemani veſtibulum , vlterius perge:vtere illa audacia , qua dum te inter conuiuas ingereres , vſa es. Et licet Chriſtus tuo vti nolit obſequio , vrge tamen , teque officioſam præſta , & nunc ſaltem tange corpus illud , quod tibi à reſurrectione tangi minime permittetur : tange inquam , iterumque vnge hoc corporis eius ſcutum , in quo tot , tui cauſa , & totius humani generis , mortifera excipienda ſunt tela , in quo tot diuinæ iuſtitiæ ſagittæ ad viuum configendæ , in quod omnia peccatorum miſſilia dirigenda. Vnge inſuper capitis eius galeam , quæ tot impuri pectoris ſputis commaculanda , tot tortorum ictibus ſubijcienda , tot aculeatis compungenda ſpinis. Vnge denique pedes , ac manus in crucem clauis ſuffigendas , vt ſtrenuus hic miles,prœlia Domini prœlietur.

Sponſa ad hortum vocatur.

8. Et tu , ô ſponſa , quæ toties in hortos exire anhelabas , vt myrrham primam tibi colligeres , veni etiam hodie in hunc Geſemani hortum , in quo myrrhæ primæ plurimum inuenies , vt faſciculum tibi ſuauiſſimum poſſis conficere. Dic [faſciculus myrrhæ , dilectus meus mihi , inter vbera mea commorabitur.] O ſponſa , hortum ingredere , collige hunc faſciculum , & geſta illum non in humeris , non à tergo , ſed

Cant. 1.

Digitized by Google

in pectore. [habete illum (vt monet Bernardus) non retro in humeris, ſed ante præ oculis, ne portantes, & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat.] Hunc myrrhæ faſciculum, ſponſi inquam tui debilitatum corpus, feruenti amoris calore foue, refocilla charitatis hauſtu, ſudorem terge amoris linteo. Ille eſt in horto, cui accepta ferre debes omnia, quæ habes. [Totum ergo (vt ait Fulgentius) quicquid in te ſanctæ dilectionis erga ſponſum tuum habes, in te quidem habes, ſed ex te non habes. Pauperem te accepit ditiſſimus ſponſus, quidquid in te boni habes, non ex te, ſed ex ipſo habes, & quicquid nondum habes, tunc habebis, ſi ſponſus dederit, qui omnia bona, quæ habes, gratuita largitate iam dedit. Ipſi ergo de acceptis humiliter gratias age, ipſum de accipiendis humiliter poſce] Poſce poſtquam exhibueris, pro tantis acceptis beneficiis, illi obſequia tua in horto. Ecce antequam omnino excorticetur, & pungatur veluti myrrhæ arbor, ſudoris inſtar, per totius corporis poros myrrham primam diſtillat, quo poſtea puncto, & velut cortice verberum multitudine ſpoliato, maior erumpet myrrhæ copia. Accede igitur, ô ſponſa, tuo te ſponſo iunge, ſuo te ſanguine ad ſe inuitanti [veneranda enim (inquit Procopius) Saluatoris ſponſæ parato animo ſequuntur vocantem, quaſi ipſi Deo ſint à mundo venditæ. Nam non pecunia, ſed ſuo cruore ſponſas eruit Chriſtus] Accede, & præ admiratione ſimul, & amoris exceſſu exclama: ô arbor myrrhę benedicta, quæ antequã excorticeris, & pungaris myrrham primã dilectæ tibi ſpõſæ, per toti⁹ corporis poros diſtillas! gra-

Ber. ſer. 43. in Cant.

Fulgen. Epiſt. 3. ad Probam. cap. 24.

Procop. in c. Gen. 31. ſurrexit Iacob, &c.

tias tibi ex intimo cordis affectu ago, ob profusũ in me, totiusque humani generis propaginẽ infinitæ liberalitatis amorẽ, quem hic in horto ostẽdis. Suffeciſſet, ô ſponſe, ſemel cruciari, ſed charitas tua infinitam munificentiam voluit oſtendere, quo noſtra redemptio foret copioſior [quia apud te miſericordia, & copioſa redemptio, copioſa ſiquidem non gutta, ſed vnda ſanguinis,] non modo quinque per partes corporis tui emanabit, ſed modo per omnes poros corporis ſanguineus defluit ſudor: hic eſt ille doloris ſimul & amoris exceſſus, de quo Moſes, & Elias in maieſtate viſi loquebantur, quem completurus es in Hieruſalem mei, & totius vniuerſi cauſa. Ecquam barbariem tantus amor non vincit? ecquam feritatem non mitigat? ecquam duritiem non reſoluit? quid non amoris expoſtulat infinitus amor? quid non affectionis extorquet copioſa tui ſanguinis effuſio? ſic ergo ad hoc naſci voluiſti, qui voluiſti amari. Nonne hæc infinitæ charitatis argumenta pectori meo amoris ſtylo ſemper impreſſa habere debeo? Nonne mihi, ô ſponſe, tanquam liber expanſus heroicarum virtutum maioribus characteribus ſemper inſcriberis, ex quo quotidie lectionem, vt me monet Hieronymus, diſcam? [quotidie, inquit, hanc lectionem diſcite filiæ; quotidie huius lectionis ſumite bolum, hunc non transglutiendo, ſed magna moroſitate maſticando hinc inde transferte per ora, vt ſentire dulcedinem valeatis.]

Pſal. 127.
Bern. ſer. 22. in Cant.
Luc. 9.
Hiero. ad Euſto.
Excitamur ad reciprocum Chriſti amorem.

9. Vtinam hæc amoris argumenta, quæ hodie præbes, ſemper ob oculos nobis verſentur! vtinam imitari liceat exceſſum hunc amoris, & doloris, & huius myrrhæ primæ faſciculum inter

Digitized by Google

vbera noſtra collectum ſemper meditemur, vt dum dolenter amaritudines, quas ſic, noſtri gratia, perſentiſcis, ſedulo recogitemus, manus noſtræ diſtillent myrrham probatiſſimam, caſtigationem nimirum carnis noſtræ, per varia veræ pœnitudinis opera, ad imitationem tui, qui tuam licet innocentiſſimam adeo ſeuere, per interni ſimul animi angores, & ſanguineum ſudorem caſtigare voluiſti! Sed qui ſponte tua hos ſuſcepiſti angores, vt nos ab æternis vendicares, noſtram viua infirmitatem, tuæque gratiæ dono corrobora, vtque voti huius compotes reddamur, intremus cum ſponſa hortum hunc doloris ſimul, & amoris, neque nos deterreat viuificæ arboris in eo collocatæ horrida paſſionis hyeme contracta ſpecies. Vita enim arboris abſcondita eſt in Deo, cuius participes eſſe poterimus. Et licet amaram ſtillet ſanguinei ſudoris myrrham, medicinam tamen faciet omnibus animæ paſſionibus. agedum ergo introeamus, & quamuis inſtar palmæ, inferius, hoc eſt, in humana ſpecie, hæc vitæ arbor aſpera videatur, fructu tamen æternæ beatitudinis abundat. Sicut enim palma inferius tactu aſpera eſt, & quaſi aridis corticibus obuoluta, ſuperius vero, & viſu & fructibus pulchra: inferius corticum ſuarum inuolutionibus anguſtatur, ſed ſuperius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur: ſic eſt Chriſti hodie ſpecies deſpecta, ſecundum humanam naturam inferius: ſuperius ſecundum diuinam pulchra: in imo iſta quaſi multis corticibus obuoluitur, dum innumeris tribulationibus humana anguſtatur: in ſummo vero illa, quaſi pulchræ viriditatis foliis amplitudine beatitudinis expanditur. Non igitur

eius figuram triſtitia contractam deſpiciamus, ſed potius cum ſponſa hortum ingrediamur, & faſciculus myrrhæ dilectus noſter ſit nobis, inter vbera noſtræ animæ per iugem eius meditationem commoretur, vt illius triſtitia noſtris medeatur vulneribus [& erit quandoque nobis (inquit Bernardus) ingens cumulus gloriæ, qui modo eſt faſciculus myrrhæ.] Ad hoc nos amantiſſimus ille Chriſti meditator idem Bernardus adhortatur, idque exemplo ſuo & ſponſæ, vt ex amaris Chriſti cruciatibus, doloribus, ac triſtitia faſciculum nobis myrrhæ componamus, & in intimo pectoris loco ſemper portemus, [Tu quoque, inquit, ſi ſapis, imitaberis ſponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris auelli: amara illa omnia, quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione reuoluens, quo poſſis dicere & tu: faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Et ego fratres ab ineunte mea conuerſione, pro aceruo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei.] Hi ſunt fructus horti Geſemani Chriſto amari, ſed nobis ſaluberrimi.

Ber. ſer. 43. in Cant.

Ibid.

Apoſtrophe ad B. Virginem qua ad hortum inuitatur. Gen. 3.

10. Sed vbi beatiſſima Virgo hactenus delituiſti? quomodo maledictionem illam, ſolummodo peccatoribus debitam, tuum filium immerentem etiam incurriſſe, non audiſti? [in ſudore vultus tui veſceris pane tuo.] In ſudore quidem primus peccator Adam, ſed non ſanguineo, panem ſuum comedit: ſed filius tuus ſuo veſcitur pane, homi-

Digitized by Google

num ſcilicet cordibus, non in ſudore tantum, ſed in ſudore etiam ſanguineo ! Non ſatis illi fuit tanto amore hominum corda veluti panem ſibi ſuauiſſimum, cum ſummo labore, ac ſudore, per triginta tres annos, operari: neque ſatis illa etiam lacrymis, afflictionibus, perſecutionibus in panem ſibi toties emiſſe, niſi panem hunc, tanto ſic labore, ac ſudore comparatum, hodie iterũ multo ſubactum labore, ſuoque intinctum ſanguine, delicatiorem redderet. Vnde tanto cum feruore, toto ſudãs corpore, non aquæ modo, ſed ſanguinis etiam guttis ſubiecta ſibi hominum corda irrigat, quibus bene ſubactis, & in amoris furno, in ſuo nimirum pectore excoctis, veſcatur: imo præ copioſa ſanguinei ſudoris profuſione adiacentem ſibi humum madefacit. Quare cum nullus illi adſit, qui charitatis obſequium præſtet, aut in ſubigendo hoc pane illum iuuet, aut ſanguine madidum mundo abſtergat linteo, te, præ cæteris, ô Virgo benigniſſima, ad hortum Geſemani inuito, quæ prõptiſſima eſſe ſoles ad miſericordiæ opera cuilibet egenti exhibenda; vnde & mater miſericordiæ meritò appellaris. Et ſi aliud non ſuppetat linteum, tuis, vteri tui pignus, capillis terge. O ſi toties in vita huius olim, puer cum eſſet, lacrymas, cum ſumma animi ſubmiſſione, & ſingulari mentis deuotione terſiſti ! Si toties oſculum ei, cum ingenti animi teneritudine infixiſti, huiuſmodi hodie illi obſequia præſtare ne graueris! Veni itaque, ô Domina, in filij tui dilectiſſimi hortum, vt eadem amoris officia, quæ olim, illi modo exhibeas. Veni, vt eius ſudorem tergas: veni, vt eius dolorem lenias: veni, vt eius colorem aſpicias: veni, vt eius ſanguinem in ter-

ra dilabentem, animæ tuæ ſinu excipias.

11. Ah Domine! cum tibi in anguſtiis poſito neque pater ſuccurrat paſſionis calicem à te remouendo, neque diſcipuli ſomno ſopiti tuæ miſereantur afflictionis, cur tecum ſaltem ad hortum matrem non adduxeris, quæ & tecum vigilaret, tuæque compateretur triſtitiæ, ſanguineumque hunc ſudorem abſtergeret, quandoquidem, præ cæteris, tuam amet ſocietatem. An quia fortaſſe prohibueris olim matrem cum agno ſimul ſacrificari, & auem in nido pullis vel ouis incumbentem dimitti iuſſeris, licet pulli interficerentur? [non capies, dixiſti, in nido matrem cum pullis.] Vt video hiſce figuris ſignificaſti te velle ſolum mori, & altiſſimos tibi propoſitos fines, ſemotis arbitris, executioni mandare. Poteras nihilominus hæc in horto meditari, & ſimul orare, matre præſente. Licet enim humanam ſecutus conſuetudinem, ex verecundia à tuis ſeceſſeris diſcipulis oraturus, ne in oratione exterioribus forte ſignis, ardentes interioris animi affectus perciperent: tamen hæc ſigna matri tuæ oſtendere, nulla verecundiæ cauſa ſubfuiſſe videbatur. Ne pigeat igitur illam modo præſentem habere tui mœroris, ac ardoris, ſanguineique ſudoris teſtem. Adſit ideo, & ſicuti mandaturus es hoſtibus, ne tuos tangant Apoſtolos, ſic nunc mandare potes, ne matrem tuam cæli reginam lædant. Sed illam tibi præſentem, vt video, minime habere vis, conſulens modeſtiæ eius, grauitati, ac decentiæ. Non vis illam tibi nocte intempeſta, quo tuum dolorem leniat, ſolam inter viros adeſſe, licet longè ab omni mali ſuſpicione abſit. Nocte illam ambulare non vis, aut

Deut. 22.

ſeſe

ſeſe immorigeris immiſcere militibus, cum ſit hoc mulieribus indecorum. Ambulet noctu ſancta illa mulier Iudith, & Regiam Holopherni petat; cum id perneceſſariũ ſit, ad opportunam Bethuliæ liberationem: ſed me liberare, poſito patris decreto, à morte poteſt nemo. Surgant Mariæ de nocte, & ad meum ſepulchrum alacriter pergant. Hoc aget & mei amor maximus, & feruor; vt me vnctum viderant, quem reſuſcitatum ſperabant. Pergat cum Barach aduerſus Siſaram Debora, vt pugnanti animos faciat: ſed mihi ad pugnam pergenti conſolationem ingeret nemo. Verum mater mea hac nocte, ſeſe ad hunc hortum minime conferet, ne diffugientibus diſcipulis, & me coram oculis ligato, ſola inter barbaros & crudeles latrones relinquatur? quibus omnibus docere nos Chriſtus voluit, non decere mulieres noctu foras egredi, aut inter diſcolos verſari, niſi famam ſuam, & honeſtatem in diſcrimen vocare velint. *Iudic. 4.*

12. Quamuis matrem ſuam corpore præſentem habere noluerit Chriſtus, tamen omnino prorſus voluit, vt reciproca animorum conferentia de omnibus habita, coniunctis animis omnia paſſionis tormenta Deo patri, noſtri gratia, offerant. Audiamus itaque alternantium vtrimque voces, ac vota, quibus hæc omnia patri cæleſti noſtri cauſa, offerunt. Filius itaque Virginis ſic exorſus eſt: [ſaluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ] tribulationum, & moleſtiarum, quibus obruor, [vſque ad animam meam.] Cui vox reſpondet matris:] exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.] Iterum filius: [laboraui *Chriſtus & Maria paſſionis tormenta Deo patri offerunt.* *Pſal. 68.* *Pſal. 19.*

clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, defece-
Pſal. 68. runt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.] tanta eſt acerbitas, & prolixitas doloris mei, quanta eſſe ſolet in illis, qui vſque ad raucedinem, calamitatibus ſubditi, auxilium implorantes, vociferantur, & clamant: & quantam in illis eſſe videmus, quorum oculi deficiunt aſpiciendo in cælum, & expectando ſuis miſeriis diuinam opem. Mater vero pſalmum proſequens ait:
Sic fere quidam Doctor deuotus. [mittat tibi auxilium de Sancto] de celſiſſimo, inquam, cælorum habitaculo, [& de Sion tueatur te] de altiſſima illa cæleſtis Sionis ſpecula, vnde omnia Deus proſpicit. Tunc Chriſtus: [multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui
Pſal. 68. oderunt me gratis. Confortati ſunt, qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſte;] vt ſoluerem [quæ non rapui,] id eſt, pœnam darem ſine me-
Pſal. 19. rito culpæ. Deipara ſubdit: [Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pinguefiat: tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet.] O quam efficax vnigeniti patris, eiuſque matris deprecatio, & oblatio! quam accepta cælo, quam grata Deo, quam proficua humano generi vtriuſque vota! quam iucunda cæleſtibus omnibus alternata hæc filij, & matris oratio, alterius ſanguineo madentis ſudore, alterius copioſis profuſæ lacrymis; alterius in horto; alterius in cubiculo, coniunctis tamen animis, & votis.

Cuiuslibet conditionis homines ad sacros Dominici sanguinis fontes inuitantur, vt inde suis vulneribus medicinam sumant.

CAPVT XIV.

1. SCribit Plinius prodigiosam sanguinis pluuiam diuinitus immissam, iuxta aruspicum censuram, imminentia portendere flagella. Ecce è sublimi Dominici corporis cælo prodigiosa sanguinis pluuia in terram hodie descendit: & quid aliud potest præsagire, quam breui plurima in eius corpus verbera incutienda, quibus laceratum, tot gratiarum fontes in fidelium animos, tanquam perenni fonti suppositos deriuandi, quot flagellorum ictus excepturum est, Hi sunt illi fontes è medio paradisi ad mundi medium emanantes, qui singuli sese diuidunt, non in quatuor capita, sed in tot riuos, quot animæ sanctæ vnquam fuerunt, sunt, & erunt. Sed interim nos prius ad hos patentes nobis fontes in horto cerratim accurramus, postmodum quinque illos fontes, qui è sanctissima Dominici corporis rupe breui emanaturi sunt, inuisuri, vt quod horum in horto fontium impetu sordiũ temáserit, quinque illis fontiũ profluuio, abluãtur.

Plin. l. 2. c. 56. Sanguinis pluuia præsagium est flagellorum.

2. Potens quidé fuit illa probatica Hierosolymis piscina, in qua oues, quæ Deo sacrificãdæ erãt, lauabãtur, in cuius porticib⁹ iacebat multitudo magna languentiũ, cęcorũ, claudorũ, aridorũ expectatiũ aquæ motũ. Sed vn⁹ tantũmodo ex illis, idq; semel in anno, post aquæ motũ per Angelũ factũ, à quacúq; detinebatur infirmitate, sanabatur.

Ioan. 5. Vis piscinæ Hierosolymitanæ.

Digitized by Google

Verum passionis Dominicique corporis sanguinem, & aquam vbertim emittentis piscina, infinitè illa potentior. In illa probatica oues in sacrificium Deo offerendæ lauabantur, in hac horti piscina mundissimus Dei agnus, qui tanquam ouis ad occisionem ducitur, vt sese, nostri gratia, æterno patri in holocaustum offerat, lauatur: illa aquam tantummodo continebat: hæc horti piscina aquam simul & sanguinem: illa vnum solummodo, idque quotannis sanitate donabat: hæc omnes Adæ posteros: illa à corporis tantummodo ægritudinibus liberabat: hæc etiam ab omni penitus animi morbo quoslibet sanat. Beneficium quidem illud sanitatis, non nisi diligentissimus quisque præripiebat: propositum enim erat velut corona in stadio currentibus, vt qui primus ad metam perueniret, is præriperet. Quo nos etiam docemur Dominicæ piscinæ fructum in eos tantummodo deriuandum, qui quantum in se est, diligentiam adhibent, vt quæ desunt Dominicæ piscinæ, ipsi suppleant per pœnitentiam, & bonorum operum exercitationem: nam quamuis diuina gratia gratis detur, alioqui gratia non esset gratia; tamen non nisi volentibus, non nisi quærentibus, non nisi pœnitentibus, non nisi conantibus datur.

Piscinæ quinque porticus. Isai. 1.

32. Porro piscina illa quinque habuit porticus, per quas patebat aditus ægris ad aquam, & vbi expectabant motum aquæ. Verum piscina nostra, præter celeberrimas quinque vulnerũ porticus, quinquies mille, & quadraginta circiter minores habuit porticus, tot enim vulnera in corpore accepit: hinc à planta pedis usque ad verticẽ capitis in eo sanitas nõ fuit: quæ omnes om-

nibus Adæ poſteris, præ peccati originis ægritudine languentibus, pateſcunt.] in illa nemo ſanabatur, niſi deſcendente Angelo, & aquam mouente: in hac cuilibet Spiritus ſancti gratia, idque quolibet momento, nullius Angeli adminiculo requiſito, adeſt. In illa languentis cauſa, aquæ creatura mouebatur: in hac nobis ipſe Dominus creaturę Chriſtus operatur: tunc curabatur vnus: nunc omnes ſanantur, aut certè vnus ſolus populus (vt loquitur Ambroſius) Chriſtianus. Si itaque à tuis liberari ægritudinibus velis, deſcende in hanc aquæ, & ſanguinis piſcinam, in qua omnes, ſine diſcrimine, modo veri pœnitentis conditiones ſecum afferant, ab omni vendicantur ægritudinum genere. [Languidus ad imperium Saluatoris (inquit Auguſtinus) tollit grabatum ſuum, & ambulat, quia corpus ſuum, corporiſque paſſiones, & omnia externa ſua in iuſtitiam & mentis puritatem ordinat.] Hanc ſubitam huic piſcinæ indidit curationem. Ne ergo quiſpiam dicat, præ peccatorũ multitudine deſperabundus, cum illo languente adhuc fortaſſis infideli, qui triginta & octo annos ita laborabat infirmitate, vt ſe mouere non poſſet, ac proinde peccatoris typum gerebat, ne dicat inquam: [Domine hominem non habeo,] qui me iuuet, vt in hanc aquæ, ac ſanguinis piſcinam deſcendam: ille quidem hominem hactenus non habebat, nec poterat deſcendere, [nec poterat (inquit Ambroſius) ſaluari, qui non credebat, quod Dominus Ieſus carnem ſuſcepiſſet ex Virgine:] at tu hominem, & quidem hominem Chriſtum habes, qui ſemper ad oſtium ſtat, & pulſat, interrogatque, an ſanus fieri velis, & piſcinæ porticus tibi aper-

Amb. lib. 1. de ſpirit. Sanct. c. 7.

Aug. trac. 17. in Ioan.

Amb. l. 2. c. 2. de Sacramẽt.

tas ostendit, vt eius gratia adiutus in piscinam descendas. [Heri in lecto (ait Gregorius Nazianzenus) decumbebas, derelictus & neglectus, nec habebas hominem, qui cum aqua turbata esset, te in piscinam mitteret: hodie inueniſti hominē quidem & Deum, seu potius Deum hominem,] Quidni & tu Christiane, qui in peccati lecto, accisis animi viribus, decumbis, inuenire possis cum illo languido Deum hominem, qui te in sanguinei sudoris sui piscinam mittat, si in posterum velis resipiscere, audies tibi dici [tolle grabatum tuum & ambula.] Grabatum vero nostrum (vt ait Bernardus) corpus est, in quo prius languidi iacebamus, seruientes desideriis, & concupiscentiis nostris. Nunc portamus illud, cum spiritu seruire cogimus, & mortuum nostrum portamus, quia corpus mortuum est propter peccatum. Ambulamus tamen, non currimus, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantē. Ambulamus etiam in domum nostram, in quam domum? in domum nostram, quam habemus ex Deo non manufactam, sed æternam in cælis.] Ecce huius piscinæ, Dominici sanguinis plenæ, effectum.

Ber. ser. in feria 4. hebdo pœnosæ.

4. Ingredere igitur quisquis es, ô languide, salutarem illam aquæ, & sanguinis piscinam, lauacra illa cęlestia in horto exposita, fontes illos gratiarum, ad quos cuilibet patet accessus. Ingredere ergo: hi siquidem ad animorum purificationē à Deo instituti ineffabilem continent vim etiam sordes quantumuis inueteratas abluendi! Vides languorem in triginta octo annos protractū, non piscinæ Hierosolymitanæ aqua, sed sanguinis &

aquæ à Chriſto nondum emanantium efficacia expulſum! Quiſquis itaque es diutino correptus languore, accede hanc Chriſti piſcinam, hos gratiarum fontes [in hoc fonte miſericordiæ (inquit Gregorius) lota eſt Maria Magdalene, quæ prius famoſa peccatrix, poſtmodum lauit maculas lacrymis, detergit maculas corrigendo mores. In hoc fonte miſericordiæ omnibus aperto lauit Petrus, quod negauerat: quia fleuit amare. In hoc fonte miſericordiæ in fine ſuo loquutus eſt latro, qui ſemetipſum in morte reprehendens, à culpa ſua ablutus eſt confeſſione veritatis] Per hunc porro impudicæ, depoſitis malarum actionum exuuiis, caſtæ redduntur Suſannæ, in hoc victimæ dæmoni in ſacrificium offerendæ ſemel lotæ, grata efficiuntur Deo holocauſta. Ingredere ergo & tu huius fontis allectus virtute, & licet hactenus abiurata, verbis ſaltem, fide, Chriſto dorſum obuertiſti inſtar Petri, ex hac piſcina, & gratiarum fonte facti pœnitens priſtinæ reſtitutus gratiæ, ſanus emerges? Si Eccleſiam Dei perſecutione huc vſque afflixiſti, memineris Paulũ minarum ſpirantem in Chriſti diſcipulos, perſecutionis crimen in hac piſcina diluiſſe! Si vſuris inhians diuinam legem violaſti, hunc modo ſalutaris aquæ & ſanguinis fontem adi, qui quamuis adhuc ad illum aditus minime patuit, virtutem tamen ſuam adeo exeruit, vt Zachæum, & Matthæum vſuris fine impoſito, vtrumque dignum Deo hoſpitem effecerit. Deſcende in hæc aquæ, & ſanguinis balnea, quæ in hunc diem tuis indulſiſti cupiditatibus. Ecce vt famoſa illa meretrix Magdalena horum virtute prorſus mundata Chriſti diſcipula, rerumque cæleſtium contemplatrix effecta ſit!

Greg. hom. 20. in l. 2. in Eze. in fine.

5. Ecquis præterea Princeps peccati lepra infectus non descendet in hanc piscinam, vt seso abluat! Angelus enim iam è cælo, Angelus inquam, testamenti, Christus nimirum, in hortum descendit, & sanguineam corporis sui aquam, præ tristitia, commouit; vt in ea omnes superbiæ, auaritiæ, luxuriæ, sordes abluat; in ea omnes adulterinos peccati partus eluat, in ea omnes carnis illecebras, & superflua deponat ornamenta, seduloque secum dispiciat multiplicem hanc peccati lepram nusquam ablui posse, nisi in hac Christi piscina. Consideret, obsecro, iam cominus cælestia illa balnea in horto sibi proposita, videat etiam atque etiam sacros illos aquæ ductus, Dei sanguine tinctos, quibus peccati lepra penitus abluitur, auara hominum corda eluuntur, incestus purgantur, meminerit in hac Christi sanguinis, & aquæ piscina Naaman militiæ
4. Reg. 5. Regis Syriæ Principem à lepra typice mundatum. Ad hæc itaque balnea, ô viri principes, festinate, qui sæpe turpiori, quam illa Naaman auaritiæ, superbiæ, luxuriæ, odij, rancoris, lepra laboratis: accedite, & vos septies in hoc Christi aquæ sanguineæ balneum immergite; accedite, inquã; nam plura vobis ostia ex hoc cælestis gratiæ oceano, quam vel ex illo Iordanis flumine Naamano patescunt, aut ex illo vastissimo Nili flumine, quod per septem ostia sese in pelagus exonerat, sua quotannis inundatione Ægyptum irrigans: nam præter illa septem ostia, quibus hæc piscina in septem sacra Ecclesiæ vasa, in septem, inquã, Sacramenta influit, suo etiã impetu longè lateque exundans vniuersã Dei ciuitatẽ quotidie lætificat, cuius lætitiæ si participes esse velitis,

Apostelgeschichte 10 Kapitel 11 Kapitel 12 Kapitel

Apostelgeschichte 10 Kapitel 11 Kapitel 12 Kapitel

descendere piscinam detrectant. [Quibuscunque ait, ista displicet Domini passio, superbi sunt, nolunt descendere. Et ego, inquis, crediturus sum Deum in carne, Deum natum ex fœmina? Deum crucifixum? flagellatum? vulneratum? mortuum? sepultum? absit, vt hoc credam de Deo, indignum est: cor loquatur, non ceruix. Superbo videtur Domini humilitas indigna: ideo à talibus longè fit sanitas: noli te extollere, si vis sanari, descende.]

7. Festinemus & nos omnes ad propositam nobis in horto piscinam sanguineo sudore exundantem, & ad puri sanguinis balneum, iuxta columnam nobis parandum, vt ab omni infirmitatis genere cito sanemur. [Cur, obsecro, hac in re pigri (inquit Gregorius) sumus, cur torpentes, & frigidi remanemus, qui in hoc fonte pietatis tantos iam se lauisse cognouimus? ergone in mundatione nostra desperauimus, qui tot exempla misericordiæ in pignore tenemus? & cessamus veniam quærere, atque cum lacrymis fiduciam habere, qui tantorum iam emundationem spei nostræ pignus accipimus? quærere enim misericordiæ fontem debuimus, etiamsi clausus esset patet, & negligimus. Mittamus oculos fidei in mundum vniuersum, consideremus quanti peccatores diebus ac noctibus per lamenta in hoc fonte misericordiæ lauantur: quanti post tenebras ad lucem, quanti post maculas ad munditiam redeunt. Curramus cum talibus post mortis tenebras ad aquam vitæ: consideremus, quantum peccauimus, quantum quotidie peccamus, atque vt appareamus mundi post culpas, lauemus holocaustum.] ingredia-

Greg. ibid. in fine.

mur hortum, patiamur cum Chriſto pœnitentes, triſtemur coram illo, aquam & ſanguinem ſudante, vt gratiarum nobis piſcinam comparet: patiamur etiam cum illo breui in columna, pretioſum puri ſanguinis balneum nobis præparante, vt in eo omnes peccati ſordes penitus abluamus. Patiamur cum eo in cruce ſuſpenſo, & è quinque piſcinæ oſtijs, è quinque, inquam, vulneribus ſanguinem vbertim emittente, quo omnes filiorum Adæ ſordes expurgantur: patiamur itaque cum illo, præſertim cum patientiæ corona potiſſimum tribuatur, vt ſicuti Chriſtus ſuo exemplo plurimos ad patientiam confirmans, multis extitit cauſa ſalutis: ſic nos eius patientiæ æmuli, non modo nobis, ſed aliis etiam, noſtro exemplo coronas fabricemus. Certè non fuit hic Incarnationis filij Dei finis poſtremus: quamuis enim Deus factus fuerit homo, vt exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur non modo vitæ morumque integritate, ſed etiam eius gratia quælibet extrema patiendo, hanc tamen ſui imitationem maximè faciendam ex ſua docuit paſſione, qua illius exemplo in omnibus ad patientiam excitemur. Hinc B. Petrus: [Chriſtus, inquit, paſſus eſt pro nobis, vobis relinquēs exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui cum malediceretur, non maledicebat.] Ecce quomodo in patiētia Chriſti veſtigia ſequi nos oportet, vt ſi velim⁹ participes eius gloriæ eſſe, ſimus quoque tribulationū: eoq; potius imitatores eius eſſe debemus [quod (vt loquitur B. Leo) in tempore præſtituto, ſecundū propoſitū volūtatis ſuæ Ieſus Chriſt⁹ crucifixus, & mortuus, & ſepultus ſit, nō proprię cōditionis

1. Pet. 2.

Leo. ſer. de paſſ. 16.

necessitas, sed nostræ captiuitatis redemptio fuit. Ideo enim verbum caro factum est, vt de vtero Virginis sumeretur natura passibilis, & quod in filium Dei non potuit perpetrari, in filium hominis posset admitti. Nam licet in ipso ortu coruscarent in eo signa deïtatis, & omnia incrementa corporalium prouectuum diuinis essent plena miraculis: infirmitatum tamen nostrarum susceperat veritatem, & excepta communione peccati, nihil à se humanæ infirmitatis excluserat, vt & sua nobis insereret & in se nostra curaret, quia igitur sicut Deus iustificationis est auctor, ita homo deuotionis est debitor.]

Filius Dei discipulos dormientes comiter monet, & quasi nihil in horto passus, peragit alacriter redemptionis negotium, præstolans quasi in condicto certaminis loco hostes.

CAPVT XV.

1. PEractis in horto iam ter orationibus, ad discipulos redit, quos adhuc dormientes reperit, quibus ait: [dormite, & requiescite. Non expergefacit, (inquit Chrysostomus) nec rursus increpat, ne territos terreat, sed reuersus ab oratione, dormite, inquit, & requiescite:] cum tunc maximè vigilandum esset. [Verum (subdit idem) ostendens, nec instantium quidem malorum aspectum illos esse laturos, quin imo fugam arrepturos, præque mœstitudine, ab se descituros, neque eorum rursus sibi fore opus

Chry. c. 26. in Mat post medium.

Digitized by Google

Prov. 1. 1 The proverbs of Solomon the son of David, king of Israel;
2 To know wisdom and instruction; to perceive the words of understanding;
3 To receive the instruction of wisdom, justice, and judgment, and equity;
4 To give subtilty to the simple, to the young man knowledge and discretion.
5 A wise man will hear, and will increase learning; and a man of understanding shall attain unto wise counsels:
6 To understand a proverb, and the interpretation; the words of the wise, and their dark sayings.
7 The fear of the Lord is the beginning of knowledge: but fools despise wisdom and instruction.
8 My son, hear the instruction of thy father, and forsake not the law of thy mother:
9 For they shall be an ornament of grace unto thy head, and chains about thy neck.
10 My son, if sinners entice thee, consent thou not.
11 If they say, Come with us, let us lay wait for blood, let us lurk privily for the innocent without cause:
12 Let us swallow them up alive as the grave; and whole, as those that go down into the pit:
13 We shall find all precious substance, we shall fill our houses with spoil:
14 Cast in thy lot among us; let us all have one purse:
15 My son, walk not thou in the way with them; refrain thy foot from their path:
16 For their feet run to evil, and make haste to shed blood.
17 Surely in vain the net is spread in the sight of any bird.
18 And they lay wait for their own blood; they lurk privily for their own lives.
19 So are the ways of every one that is greedy of gain; which taketh away the life of the owners thereof.
20 Wisdom crieth without; she uttereth her voice in the streets:
21 She crieth in the chief place of concourse, in the openings of the gates: in the city she uttereth her words, saying,
22 How long, ye simple ones, will ye love simplicity? and the scorners delight in their scorning, and fools hate knowledge?
23 Turn you at my reproof: behold, I will pour out my spirit unto you, I will make known my words unto you.
24 Because I have called, and ye refused; I have stretched out my hand, and no man regarded;
25 But ye have set at nought all my counsel, and would none of my reproof:
26 I also will laugh at your calamity; I will mock when your fear cometh;
27 When your fear cometh as desolation, and your destruction cometh as a whirlwind; when distress and anguish cometh upon you.
28 Then shall they call upon me, but I will not answer; they shall seek me early, but they shall not find me:
29 For that they hated knowledge, and did not choose the fear of the Lord:
30 They would none of my counsel: they despised all my reproof.
31 Therefore shall they eat of the fruit of their own way, and be filled with their own devices.
32 For the turning away of the simple shall slay them, and the prosperity of fools shall destroy them.
33 But whoso hearkeneth unto me shall dwell safely, and shall be quiet from fear of evil.

Prov. 2. 1 My son, if thou will receive my words, and hide my commandments with thee;
2 So that thou incline thine ear unto wisdom, and apply thine heart to understanding;
3 Yea, if thou cry after knowledge, and lift up thy voice for understanding;
4 If thou seek her as silver, and search for her as for hid treasures;
5 Then shalt thou understand the fear of the Lord, and find the knowledge of God.
6 For the Lord giveth wisdom: out of his mouth cometh knowledge and understanding.
7 He layeth up sound wisdom for the righteous: he is a buckler to them that walk uprightly.
8 He keepeth the paths of judgment, and preserveth the way of his saints.
9 Then shalt thou understand righteousness, and judgment, and equity; yea, every good path.
10 When wisdom entereth into thine heart, and knowledge is pleasant unto thy soul;
11 Discretion shall preserve thee, understanding shall keep thee:
12 To deliver thee from the way of the evil man, from the man that speaketh froward things;
13 Who leave the paths of uprightness, to walk in the ways of darkness;
14 Who rejoice to do evil, and delight in the frowardness of the wicked;
15 Whose ways are crooked, and they froward in their paths:
16 To deliver thee from the strange woman, even from the stranger which flattereth with her words;
17 Which forsaketh the guide of her youth, and forgetteth the covenant of her God.
18 For her house inclineth unto death, and her paths unto the dead.
19 None that go unto her return again, neither take they hold of the paths of life.
20 That thou mayest walk in the way of good men, and keep the paths of the righteous.
21 For the upright shall dwell in the land, and the perfect shall remain in it.
22 But the wicked shall be cut off from the earth, and the transgressors shall be rooted out of it.

Prov. 3. 1 My son, forget not my law; but let thine heart keep my commandments:
2 For length of days, and long life, and peace, shall they add to thee.
3 Let not mercy and truth forsake thee: bind them about thy neck; write them upon the table of thine heart:
4 So shalt thou find favour and good understanding in the sight of God and man.
5 Trust in the Lord with all thine heart; and lean not unto thine own understanding.
6 In all thy ways acknowledge him, and he shall direct thy paths.
7 Be not wise in thine own eyes: fear the Lord, and depart from evil.
8 It shall be health to thy navel, and marrow to thy bones.
9 Honour the Lord with thy substance, and with the first fruits of all thine increase:
10 So shall thy barns be filled with plenty, and thy presses shall burst out with new wine.
11 My son, despise not the chastening of the Lord; neither be weary of his correction:
12 For whom the Lord loveth he correcteth; even as a father the son in whom he delighteth.
13 Happy is the man that findeth wisdom, and the man that getteth understanding.
14 For the merchandise of it is better than the merchandise of silver, and the gain thereof than fine gold.
15 She is more precious than rubies: and all the things thou canst desire are not to be compared unto her.
16 Length of days is in her right hand; and in her left hand riches and honour.
17 Her ways are ways of pleasantness, and all her paths are peace.
18 She is a tree of life to them that lay hold upon her: and happy is every one that retaineth her.
19 The Lord by wisdom hath founded the earth; by understanding hath he established the heavens.
20 By his knowledge the depths are broken up, and the clouds drop down the dew.
21 My son, let not them depart from thine eyes: keep sound wisdom and discretion:
22 So shall they be life unto thy soul, and grace to thy neck.
23 Then shalt thou walk in thy way safely, and thy foot shall not stumble.
24 When thou liest down, thou shalt not be afraid: yea, thou shalt lie down, and thy sleep shall be sweet.
25 Be not afraid of sudden fear, neither of the desolation of the wicked, when it cometh.
26 For the Lord shall be thy confidence, and shall keep thy foot from being taken.
27 Withhold not good from them to whom it is due, when it is in the power of thine hand to do it.
28 Say not unto thy neighbour, Go, and come again, and to-morrow I will give; when thou hast it by thee.
29 Devise not evil against thy neighbour, seeing he dwelleth securely by thee.
30 Strive not with a man without cause, if he have done thee no harm.
31 Envy thou not the oppressor, and choose none of his ways.
32 For the froward is abomination to the Lord: but his secret is with the righteous.
33 The curse of the Lord is in the house of the wicked: but he blesseth the habitation of the just.
34 Surely he scorneth the scorners: but he giveth grace unto the lowly.
35 The wise shall inherit glory: but shame shall be the promotion of fools.

Prov. 4. 1 Hear, ye children, the instruction of a father, and attend to know understanding.
2 For I give you good doctrine, forsake ye not my law.
3 For I was my father's son, tender and only beloved in the sight of my mother.
4 He taught me also, and said unto me, Let thine heart retain my words: keep my commandments, and live.
5 Get wisdom, get understanding: forget it not; neither decline from the words of my mouth.
6 Forsake her not, and she shall preserve thee: love her, and she shall keep thee.
7 Wisdom is the principal thing; therefore get wisdom: and with all thy getting get understanding.
8 Exalt her, and she shall promote thee: she shall bring thee to honour, when thou dost embrace her.
9 She shall give to thine head an ornament of grace: a crown of glory shall she deliver to thee.
10 Hear, O my son, and receive my sayings; and the years of thy life shall be many.
11 I have taught thee in the way of wisdom; I have led thee in right paths.
12 When thou goest, thy steps shall not be straitened; and when thou runnest, thou shalt not stumble.
13 Take fast hold of instruction; let her not go: keep her; for she is thy life.
14 Enter not into the path of the wicked, and go not in the way of evil men.
15 Avoid it, pass not by it, turn from it, and pass away.
16 For they sleep not, except they have done mischief; and their sleep is taken away, unless they cause some to fall.
17 For they eat the bread of wickedness, and drink the wine of violence.
18 But the path of the just is as the shining light, that shineth more and more unto the perfect day.
19 The way of the wicked is as darkness: they know not at what they stumble.
20 My son, attend to my words; incline thine ear unto my sayings.
21 Let them not depart from thine eyes; keep them in the midst of thine heart.
22 For they are life unto those that find them, and health to all their flesh.
23 Keep thy heart with all diligence; for out of it are the issues of life.
24 Put away from thee a froward mouth, and perverse lips put far from thee.
25 Let thine eyes look right on, and let thine eyelids look straight before thee.
26 Ponder the path of thy feet, and let all thy ways be established.
27 Turn not to the right hand nor to the left: remove thy foot from evil.

Prov. 5. 1 My son, attend unto my wisdom, and bow thine ear to my understanding:
2 That thou may regard discretion, and that thy lips may keep knowledge.
3 For the lips of a strange woman drop as an honeycomb, and her mouth is smoother than oil:
4 But her end is bitter as wormwood, sharp as a two-edged sword.
5 Her feet go down to death; her steps take hold on hell.
6 Lest thou should ponder the path of life, her ways are moveable, that thou canst not know them.
7 Hear me now therefore, O ye children, and depart not from the words of my mouth.
8 Remove thy way far from her, and come not nigh the door of her house:
9 Lest thou give thine honour unto others, and thy years unto the cruel:
10 Lest strangers be filled with thy wealth; and thy labours be in the house of a stranger;
11 And thou mourn at the last, when thy flesh and thy body are consumed,
12 And say, How have I hated instruction, and my heart despised reproof;
13 And have not obeyed the voice of my teachers, nor inclined mine ear to them that instructed me!
14 I was almost in all evil in the midst of the congregation and assembly.
15 Drink waters out of thine own cistern, and running waters out of thine own well.
16 Let thy fountains be dispersed abroad, and rivers of waters in the streets.
17 Let them be only thine own, and not strangers' with thee.
18 Let thy fountain be blessed: and rejoice with the wife of thy youth.
19 Let her be as the loving hind and pleasant roe; let her breasts satisfy thee at all times; and be thou ravished always with her love.
20 And why wilt thou, my son, be ravished with a strange woman, and embrace the bosom of a stranger?
21 For the ways of man are before the eyes of the Lord, and he pondereth all his goings.
22 His own iniquities shall take the wicked himself, and he shall be holden with the cords of his sins.
23 He shall die without instruction; and in the greatness of his folly he shall go astray.

Prov. 6. 1 My son, if thou be surety for thy friend, if thou hast stricken thy hand with a stranger,
2 Thou art snared with the words of thy mouth, thou art taken with the words of thy mouth.
3 Do this now, my son, and deliver thyself, when thou art come into the hand of thy friend; go, humble thyself, and make sure thy friend.
4 Give not sleep to thine eyes, nor slumber to thine eyelids.
5 Deliver thyself as a roe from the hand of the hunter, and as a bird from the hand of the fowler.
6 Go to the ant, thou sluggard; consider her ways, and be wise:
7 Which having no guide, overseer, or ruler,
8 Provideth her meat in the summer, and gathereth her food in the harvest.
9 How long wilt thou sleep, O sluggard? when wilt thou arise out of thy sleep?
10 Yet a little sleep, a little slumber, a little folding of the hands to sleep:
11 So shall thy poverty come as one that travelleth, and thy want as an armed man.
12 A naughty person, a wicked man, walketh with a froward mouth.
13 He winketh with his eyes, he speaketh with his feet, he teacheth with his fingers;
14 Frowardness is in his heart, he deviseth mischief continually, he soweth discord.
15 Therefore shall his calamity come suddenly; suddenly shall he be broken without remedy.
16 These six things doth the Lord hate: yea, seven are an abomination unto him:
17 A proud look, a lying tongue, and hands that shed innocent blood,
18 An heart that deviseth wicked imaginations, feet that be swift in running to mischief,
19 A false witness that speaketh lies, and he that soweth discord among brethren.
20 My son, keep thy father's commandment, and forsake not the law of thy mother:
21 Bind them continually upon thine heart, and tie them about thy neck.
22 When it goeth, it shall lead thee; when thou sleepest, it shall keep thee; and when thou awakest, it shall talk with thee.
23 For the commandment is a lamp; and the law is light; and reproofs of instruction are the way of life:
24 To keep thee from the evil woman, from the flattery of the tongue of a strange woman.
25 Lust not after her beauty in thine heart; neither let her take thee with her eyelids.
26 For by means of a whorish woman a man is brought to a piece of bread: and the adulteress will hunt for the precious life.
27 Can a man take fire in his bosom, and his clothes not be burned?
28 Can one go upon hot coals, and his feet not be burned?
29 So he that goeth in to his neighbour's wife; whosoever toucheth her shall not be innocent.
30 Men do not despise a thief, if he steal to satisfy his soul when he is hungry;
31 But if he be found, he shall restore sevenfold; he shall give all the substance of his house.
32 But whoso committeth adultery with a woman lacketh understanding: he that doeth it destroyeth his own soul.
33 A wound and dishonour shall he get; and his reproach shall not be wiped away.
34 For jealousy is the rage of a man: therefore he will not spare in the day of vengeance.
35 He will not regard any ransom; neither will he rest content, though thou give many gifts.

Prov. 7. 1 My son, keep my words, and lay up my commandments with thee.
2 Keep my commandments, and live; and my law as the apple of thine eye.
3 Bind them upon thy fingers, write them upon the table of thine heart.
4 Say unto wisdom, Thou art my sister; and call understanding thy kinswoman:
5 That they may keep thee from the strange woman, from the stranger which flattereth with her words.
6 For at the window of my house I looked through my casement,
7 And beheld among the simple ones, I discerned among the youths, a young man void of understanding,
8 Passing through the street near her corner; and he went the way to her house,
9 In the twilight, in the evening, in the black and dark night:
10 And, behold, there met him a woman with the attire of an harlot, and subtil of heart.
11 (She is loud and stubborn; her feet abide not in her house:
12 Now is she without, now in the streets, and lieth in wait at every corner.)
13 So she caught him, and kissed him, and with an impudent face said unto him,
14 I have peace offerings with me; this day have I payed my vows.
15 Therefore came I forth to meet thee, diligently to seek thy face, and I have found thee.
16 I have decked my bed with coverings of tapestry, with carved works, with fine linen of Egypt.
17 I have perfumed my bed with myrrh, aloes, and cinnamon.
18 Come, let us take our fill of love until the morning: let us solace ourselves with loves.
19 For the good man is not at home, he is gone a long journey:
20 He hath taken a bag of money with him, and will come home at the day appointed.
21 With her much fair speech she caused him to yield, with the flattering of her lips she forced him.
22 He goeth after her straightway, as an ox goeth to the slaughter, or as a fool to the correction of the stocks;
23 Till a dart strike through his liver; as a bird hasteth to the snare, and knoweth not that it is for his life.
24 Hearken unto me now therefore, O ye children, and attend to the words of my mouth.
25 Let not thine heart decline to her ways, go not astray in her paths.
26 For she hath cast down many wounded: yea, many strong men have been slain by her.
27 Her house is the way to hell, going down to the chambers of death.

Prov. 8. 1 Doth not wisdom cry? and understanding put forth her voice?
2 She standeth in the top of high places, by the way in the places of the paths.
3 She crieth at the gates, at the entry of the city, at the coming in at the doors.
4 Unto you, O men, I call; and my voice is to the sons of man.
5 O ye simple, understand wisdom: and, ye fools, be ye of an understanding heart.
6 Hear; for I will speak of excellent things; and the opening of my lips shall be right things.
7 For my mouth shall speak truth; and wickedness is an abomination to my lips.
8 All the words of my mouth are in righteousness; there is nothing froward or perverse in them.
9 They are all plain to him that understandeth, and right to them that find knowledge.
10 Receive my instruction, and not silver; and knowledge rather than choice gold.
11 For wisdom is better than rubies; and all the things that may be desired are not to be compared to it.
12 I wisdom dwell with prudence, and find out knowledge of witty inventions.
13 The fear of the Lord is to hate evil: pride, and arrogancy, and the evil way, and the froward mouth, do I hate.
14 Counsel is mine, and sound wisdom: I am understanding; I have strength.
15 By me kings reign, and princes decree justice.
16 By me princes rule, and nobles, all the judges of the earth.
17 I love them that love me; and those that seek me early shall find me.
18 Riches and honour are with me; yea, durable riches and righteousness.
19 My fruit is better than gold, yea, than fine gold; and my revenue than choice silver.
20 I lead in the way of righteousness, in the midst of the paths of judgment:
21 That I may cause those that love me to inherit substance; and I will fill their treasures.
22 The Lord possessed me in the beginning of his way, before his works of old.
23 I was set up from everlasting, from the beginning, or ever the earth was.
24 When there were no depths, I was brought forth; when there were no fountains abounding with water.
25 Before the mountains were settled, before the hills was I brought forth:
26 While as yet he had not made the earth, nor the fields, nor the highest part of the dust of the world.
27 When he prepared the heavens, I was there: when he set a compass upon the face of the depth:
28 When he established the clouds above: when he strengthened the fountains of the deep:
29 When he gave to the sea his decree, that the waters should not pass his commandment: when he appointed the foundations of the earth:
30 Then I was by him, as one brought up with him: and I was daily his delight, rejoicing always before him;
31 Rejoicing in the habitable part of his earth; and my delights were with the sons of men.
32 Now therefore hearken unto me, O ye children: for blessed are they that keep my ways.
33 Hear instruction, and be wise, and refuse it not.
34 Blessed is the man that heareth me, watching daily at my gates, waiting at the posts of my doors.
35 For whoso findeth me findeth life, and shall obtain favour of the Lord.
36 But he that sinneth against me wrongeth his own soul: all they that hate me love death.

Prov. 9. 1 Wisdom hath builded her house, she hath hewn out her seven pillars:
2 She hath killed her beasts; she hath mingled her wine; she hath also furnished her table.
3 She hath sent forth her maidens: she crieth upon the highest places of the city,
4 Whoso is simple, let him turn in hither: as for him that wanteth understanding, she saith to him,
5 Come, eat of my bread, and drink of the wine which I have mingled.
6 Forsake the foolish, and live; and go in the way of understanding.
7 He that reproveth a scorner getteth to himself shame: and he that rebuketh a wicked man getteth himself a blot.
8 Reprove not a scorner, lest he hate thee: rebuke a wise man, and he will love thee.
9 Give instruction to a wise man, and he will be yet wiser: teach a just man, and he will increase in learning.
10 The fear of the Lord is the beginning of wisdom: and the knowledge of the holy is understanding.
11 For by me thy days shall be multiplied, and the years of thy life shall be increased.
12 If thou be wise, thou shalt be wise for thyself: but if thou scornest, thou alone shalt bear it.
13 A foolish woman is clamorous: she is simple, and knoweth nothing.
14 For she sitteth at the door of her house, on a seat in the high places of the city,
15 To call passengers who go right on their ways:
16 Whoso is simple, let him turn in hither: and as for him that wanteth understanding, she saith to him,
17 Stolen waters are sweet, and bread eaten in secret is pleasant.
18 But he knoweth not that the dead are there; and that her guests are in the depths of hell.

Prov. 10. 1 The proverbs of Solomon. A wise son maketh a glad father: but a foolish son is the heaviness of his mother.
2 Treasures of wickedness profit nothing: but righteousness delivereth from death.
3 The Lord will not suffer the soul of the righteous to famish: but he casteth away the substance of the wicked.
4 He becometh poor that dealeth with a slack hand: but the hand of the diligent maketh rich.
5 He that gathereth in summer is a wise son: but he that sleepeth in harvest is a son that causeth shame.
6 Blessings are upon the head of the just: but violence covereth the mouth of the wicked.
7 The memory of the just is blessed: but the name of the wicked shall rot.
8 The wise in heart will receive commandments: but a prating fool shall fall.
9 He that walketh uprightly walketh surely: but he that perverteth his ways shall be known.
10 He that winketh with the eye causeth sorrow: but a prating fool shall fall.
11 The mouth of a righteous man is a well of life: but violence covereth the mouth of the wicked.
12 Hatred stirreth up strifes: but love covereth all sins.
13 In the lips of him that hath understanding wisdom is found: but a rod is for the back of him that is void of understanding.
14 Wise men lay up knowledge: but the mouth of the foolish is near destruction.
15 The rich man's wealth is his strong city: the destruction of the poor is their poverty.
16 The labour of the righteous tendeth to life: the fruit of the wicked to sin.
17 He is in the way of life that keepeth instruction: but he that refuseth reproof erreth.
18 He that hideth hatred with lying lips, and he that uttereth a slander, is a fool.
19 In the multitude of words there wanteth not sin: but he that refraineth his lips is wise.
20 The tongue of the just is as choice silver: the heart of the wicked is little worth.
21 The lips of the righteous feed many: but fools die for want of wisdom.
22 The blessing of the Lord, it maketh rich, and he addeth no sorrow with it.
23 It is as sport to a fool to do mischief: but a man of understanding hath wisdom.
24 The fear of the wicked, it shall come upon him: but the desire of the righteous shall be granted.
25 As the whirlwind passeth, so is the wicked no more: but the righteous is an everlasting foundation.
26 As vinegar to the teeth, and as smoke to the eyes, so is the sluggard to them that send him.
27 The fear of the Lord prolongeth days: but the years of the wicked shall be shortened.
28 The hope of the righteous shall be gladness: but the expectation of the wicked shall perish.
29 The way of the Lord is strength to the upright: but destruction shall be to the workers of iniquity.
30 The righteous shall never be removed: but the wicked shall not inhabit the earth.
31 The mouth of the just bringeth forth wisdom: but the froward tongue shall be cut out.
32 The lips of the righteous know what is acceptable: but the mouth of the wicked speaketh frowardness.

Prov. 11. 1 A false balance is abomination to the Lord: but a just weight is his delight.
2 When pride cometh, then cometh shame: but with the lowly is wisdom.
3 The integrity of the upright shall guide them: but the perverseness of transgressors shall destroy them.
4 Riches profit not in the day of wrath: but righteousness delivereth from death.
5 The righteousness of the perfect shall direct his way: but the wicked shall fall by his own wickedness.
6 The righteousness of the upright shall deliver them: but transgressors shall be taken in their own naughtiness.
7 When a wicked man dieth, his expectation shall perish: and the hope of unjust men perisheth.
8 The righteous is delivered out of trouble, and the wicked cometh in his stead.
9 An hypocrite with his mouth destroyeth his neighbour: but through knowledge shall the just be delivered.
10 When it goeth well with the righteous, the city rejoiceth: and when the wicked perish, there is shouting.
11 By the blessing of the upright the city is exalted: but it is overthrown by the mouth of the wicked.
12 He that is void of wisdom despiseth his neighbour: but a man of understanding holdeth his peace.
13 A talebearer revealeth secrets: but he that is of a faithful spirit concealeth the matter.
14 Where no counsel is, the people fall: but in the multitude of counsellors there is safety.
15 He shall smart sorely that is surety for a stranger: and he that hateth suretyship is sure.
16 A gracious woman retaineth honour: and strong men retain riches.
17 The merciful man doeth good to his own soul: but he that is cruel troubleth his own flesh.
18 The wicked worketh a deceitful work: but to him that soweth righteousness shall be a sure reward.
19 As righteousness tendeth to life: so he that pursueth evil pursueth it to his own death.
20 They that are of a froward heart are abomination to the Lord: but such as are upright in their way are his delight.
21 Though hand join in hand, the wicked shall not be unpunished: but the seed of the righteous shall be delivered.
22 As a jewel of gold in a swine's snout, so is a fair woman which is without discretion.
23 The desire of the righteous is only good: but the expectation of the wicked is wrath.
24 There is that scattereth, and yet increaseth; and there is that withholdeth more than is meet, but it tendeth to poverty.
25 The liberal soul shall be made fat: and he that watereth shall be watered also himself.
26 He that withholdeth corn, the people shall curse him: but blessing shall be upon the head of him that selleth it.
27 He that diligently seeketh good procureth favour: but he that seeketh mischief, it shall come unto him.
28 He that trusteth in his riches shall fall: but the righteous shall flourish as a branch.
29 He that troubleth his own house shall inherit the wind: and the fool shall be servant to the wise of heart.
30 The fruit of the righteous is a tree of life; and he that winneth souls is wise.
31 Behold, the righteous shall be recompensed in the earth: much more the wicked and the sinner.

Prov. 12. 1 Whoso loveth instruction loveth knowledge: but he that hateth reproof is brutish.
2 A good man obtaineth favour of the Lord: but a man of wicked devices will he condemn.
3 A man shall not be established by wickedness: but the root of the righteous shall not be moved.
4 A virtuous woman is a crown to her husband: but she that maketh ashamed is as rottenness in his bones.
5 The thoughts of the righteous are right: but the counsels of the wicked are deceit.
6 The words of the wicked are to lie in wait for blood: but the mouth of the upright shall deliver them.
7 The wicked are overthrown, and are not: but the house of the righteous shall stand.
8 A man shall be commended according to his wisdom: but he that is of a perverse heart shall be despised.
9 He that is despised, and hath a servant, is better than he that honoureth himself, and lacketh bread.
10 A righteous man regardeth the life of his beast: but the tender mercies of the wicked are cruel.
11 He that tilleth his land shall be satisfied with bread: but he that followeth vain persons is void of understanding.
12 The wicked desireth the net of evil men: but the root of the righteous yieldeth fruit.
13 The wicked is snared by the transgression of his lips: but the just shall come out of trouble.
14 A man shall be satisfied with good by the fruit of his mouth: and the recompence of a man's hands shall be rendered unto him.
15 The way of a fool is right in his own eyes: but he that hearkeneth unto counsel is wise.
16 A fool's wrath is presently known: but a prudent man covereth shame.
17 He that speaketh truth showeth forth righteousness: but a false witness deceit.
18 There is that speaketh like the piercings of a sword: but the tongue of the wise is health.
19 The lip of truth shall be established for ever: but a lying tongue is but for a moment.
20 Deceit is in the heart of them that imagine evil: but to the counsellors of peace is joy.
21 There shall no evil happen to the just: but the wicked shall be filled with mischief.
22 Lying lips are abomination to the Lord: but they that deal truly are his delight.
23 A prudent man concealeth knowledge: but the heart of fools proclaimeth foolishness.
24 The hand of the diligent shall bear rule: but the slothful shall be under tribute.
25 Heaviness in the heart of man maketh it stoop: but a good word maketh it glad.
26 The righteous is more excellent than his neighbour: but the way of the wicked seduceth them.
27 The slothful man roasteth not that which he took in hunting: but the substance of a diligent man is precious.
28 In the way of righteousness is life: and in the pathway thereof there is no death.

Prov. 13. 1 A wise son heareth his father's instruction: but a scorner heareth not rebuke.
2 A man shall eat good by the fruit of his mouth: but the soul of the transgressors shall eat violence.
3 He that keepeth his mouth keepeth his life: but he that openeth wide his lips shall have destruction.
4 The soul of the sluggard desireth, and hath nothing: but the soul of the diligent shall be made fat.
5 A righteous man hateth lying: but a wicked man is loathsome, and cometh to shame.
6 Righteousness keepeth him that is upright in the way: but wickedness overthrowth the sinner.
7 There is that maketh himself rich, yet hath nothing: there is that maketh himself poor, yet hath great riches.
8 The ransom of a man's life are his riches: but the poor heareth not rebuke.
9 The light of the righteous rejoiceth: but the lamp of the wicked shall be put out.
10 Only by pride cometh contention: but with the well advised is wisdom.
11 Wealth gotten by vanity shall be diminished: but he that gathereth by labour shall increase.
12 Hope deferred maketh the heart sick: but when the desire cometh, it is a tree of life.
13 Whoso despiseth the word shall be destroyed: but he that feareth the commandment shall be rewarded.
14 The law of the wise is a fountain of life, to depart from the snares of death.
15 Good understanding giveth favour: but the way of transgressors is hard.
16 Every prudent man dealeth with knowledge: but a fool layeth open his folly.
17 A wicked messenger falleth into mischief: but a faithful ambassador is health.
18 Poverty and shame shall be to him that refuseth instruction: but he that regardeth reproof shall be honoured.
19 The desire accomplished is sweet to the soul: but it is abomination to fools to depart from evil.
20 He that walketh with wise men shall be wise: but a companion of fools shall be destroyed.
21 To sinners evil pursueth them: but to the righteous good shall be repayed.
22 A good man leaveth an inheritance to his children's children: and the wealth of the sinner is laid up for the just.
23 Much food is in the tillage of the poor: but there is that is destroyed for want of judgment.
24 He that spareth his rod hateth his son: but he that loveth him chasteneth him betimes.
25 The righteous eateth to the satisfying of his soul: but the belly of the wicked shall want.

Prov. 14. 1 Every wise woman buildeth her house: but the foolish plucketh it down with her hands.
2 He that walketh in his uprightness feareth the Lord: but he that is perverse in his ways despiseth him.
3 In the mouth of the foolish is a rod of pride: but the lips of the wise shall preserve them.
4 Where no oxen are, the crib is clean: but much increase is by the strength of the ox.
5 A faithful witness will not lie: but a false witness will utter lies.
6 A scorner seeketh wisdom, and findeth it not: but knowledge is easy unto him that understandeth.
7 Go from the presence of a foolish man, when thou perceivest not in him the lips of knowledge.
8 The wisdom of the prudent is to understand his way: but the folly of fools is deceit.
9 Fools make a mock at sin: but among the righteous there is favour.
10 The heart knoweth his own bitterness; and a stranger doth not intermeddle with his joy.
11 The house of the wicked shall be overthrown: but the tabernacle of the upright shall flourish.
12 There is a way which seemeth right unto a man, but the end thereof are the ways of death.
13 Even in laughter the heart is sorrowful; and the end of that mirth is heaviness.
14 The backslider in heart shall be filled with his own ways: and a good man shall be satisfied from himself.
15 The simple believeth every word: but the prudent man looketh well to his going.
16 A wise man feareth, and departeth from evil: but the fool rageth, and is confident.
17 He that is soon angry dealeth foolishly: and a man of wicked devices is hated.
18 The simple inherit folly: but the prudent are crowned with knowledge.
19 The evil bow before the good; and the wicked at the gates of the righteous.
20 The poor is hated even of his own neighbour: but the rich hath many friends.
21 He that despiseth his neighbour sinneth: but he that hath mercy on the poor, happy is he.
22 Do they not err that devise evil? but mercy and truth shall be to them that devise good.
23 In all labour there is profit: but the talk of the lips tendeth only to penury.
24 The crown of the wise is their riches: but the foolishness of fools is folly.
25 A true witness delivereth souls: but a deceitful witness speaketh lies.
26 In the fear of the Lord is strong confidence: and his children shall have a place of refuge.
27 The fear of the Lord is a fountain of life, to depart from the snares of death.
28 In the multitude of people is the king's honour: but in the want of people is the destruction of the prince.
29 He that is slow to wrath is of great understanding: but he that is hasty of spirit exalteth folly.
30 A sound heart is the life of the flesh: but envy the rottenness of the bones.
31 He that oppresseth the poor reproacheth his Maker: but he that honoureth him hath mercy on the poor.
32 The wicked is driven away in his wickedness: but the righteous hath hope in his death.
33 Wisdom resteth in the heart of him that hath understanding: but that which is in the midst of fools is made known.
34 Righteousness exalteth a nation: but sin is a reproach to any people.
35 The king's favour is toward a wise servant: but his wrath is against him that causeth shame.

Prov. 15. 1 A soft answer turneth away wrath: but grievous words stir up anger.
2 The tongue of the wise useth knowledge aright: but the mouth of fools poureth out foolishness.
3 The eyes of the Lord are in every place, beholding the evil and the good.
4 A wholesome tongue is a tree of life: but perverseness therein is a breach in the spirit.
5 A fool despiseth his father's instruction: but he that regardeth reproof is prudent.
6 In the house of the righteous is much treasure: but in the revenues of the wicked is trouble.
7 The lips of the wise disperse knowledge: but the heart of the foolish doeth not so.
8 The sacrifice of the wicked is abomination to the Lord: but the prayer of the upright is his delight.
9 The way of the wicked is abomination unto the Lord: but he loveth him that followeth after righteousness.
10 Correction is grievous unto him that forsaketh the way: and he that hateth reproof shall die.
11 Hell and destruction are before the Lord: how much more then the hearts of the children of men?
12 A scorner loveth not one that reproveth him: neither will he go unto the wise.
13 A merry heart maketh a cheerful countenance: but by sorrow of the heart the spirit is broken.
14 The heart of him that hath understanding seeketh knowledge: but the mouth of fools feedeth on foolishness.
15 All the days of the afflicted are evil: but he that is of a merry heart hath a continual feast.
16 Better is little with the fear of the Lord than great treasure and trouble therewith.
17 Better is a dinner of herbs where love is, than a stalled ox and hatred therewith.
18 A wrathful man stirreth up strife: but he that is slow to anger appeareth strife.
19 The way of the slothful man is as an hedge of thorns: but the way of the righteous is made plain.
20 A wise son maketh a glad father: but a foolish man despiseth his mother.
21 Folly is joy to him that is destitute of wisdom: but a man of understanding walketh uprightly.
22 Without counsel purposes are disappointed: but in the multitude of counsellors they are established.
23 A man hath joy by the answer of his mouth: and a word spoken in due season, how good is it!
24 The way of life is above to the wise, that he may depart from hell beneath.
25 The Lord will destroy the house of the proud: but he will establish the border of the widow.
26 The thoughts of the wicked are an abomination to the Lord: but the words of the pure are pleasant words.
27 He that is greedy of gain troubleth his own house; but he that hateth gifts shall live.
28 The heart of the righteous studieth to answer: but the mouth of the wicked poureth out evil things.
29 The Lord is far from the wicked: but he heareth the prayer of the righteous.
30 The light of the eyes rejoiceth the heart: and a good report maketh the bones fat.
31 The ear that heareth the reproof of life abideth among the wise.
32 He that refuseth instruction despiseth his own soul: but he that heareth reproof getteth understanding.
33 The fear of the Lord is the instruction of wisdom; and before honour is humility.

Prov. 16. 1 The preparations of the heart in man, and the answer of the tongue, is from the Lord.
2 All the ways of a man are clean in his own eyes; but the Lord weigheth the spirits.
3 Commit thy works unto the Lord, and thy thoughts shall be established.
4 The Lord hath made all things for himself: yea, even the wicked for the day of evil.
5 Every one that is proud in heart is an abomination to the Lord: though hand join in hand, he shall not be unpunished.
6 By mercy and truth iniquity is purged: and by the fear of the Lord men depart from evil.
7 When a man's ways please the Lord, he maketh even his enemies to be at peace with him.
8 Better is a little with righteousness than great revenues without right.
9 A man's heart deviseth his way: but the Lord directeth his steps.
10 A divine sentence is in the lips of the king: his mouth transgresseth not in judgment.
11 A just weight and balance are the Lord's: all the weights of the bag are his work.
12 It is an abomination to kings to commit wickedness: for the throne is established by righteousness.
13 Righteous lips are the delight of kings; and they love him that speaketh right.
14 The wrath of a king is as messengers of death: but a wise man will pacify it.
15 In the light of the king's countenance is life; and his favour is as a cloud of the latter rain.
16 How much better is it to get wisdom than gold! and to get understanding rather to be chosen than silver!
17 The highway of the upright is to depart from evil: he that keepeth his way preserveth his soul.
18 Pride goeth before destruction, and a haughty spirit before a fall.
19 Better it is to be of an humble spirit with the lowly, than to divide the spoil with the proud.
20 He that handleth a matter wisely shall find good: and whoso trusteth in the Lord, happy is he.
21 The wise in heart shall be called prudent: and the sweetness of the lips increaseth learning.
22 Understanding is a well-spring of life unto him that hath it: but the instruction of fools is folly.
23 The heart of the wise teacheth his mouth, and addeth learning to his lips.
24 Pleasant words are as an honeycomb, sweet to the soul, and health to the bones.
25 There is a way that seemeth right unto a man, but the end thereof are the ways of death.
26 He that laboureth laboureth for himself; for his mouth craveth it of him.
27 An ungodly man diggeth up evil: and in his lips there is as a burning fire.
28 A froward man soweth strife: and a whisperer separateth chief friends.
29 A violent man enticeth his neighbour, and leadeth him into the way that is not good.
30 He shutteth his eyes to devise froward things: moving his lips he bringeth evil to pass.
31 The hoary head is a crown of glory, if it be found in the way of righteousness.
32 He that is slow to anger is better than the mighty; and he that ruleth his spirit than he that taketh a city.
33 The lot is cast into the lap; but the whole disposing thereof is of the Lord.

Prov. 17. 1 Better is a dry morsel, and quietness therewith, than a house full of sacrifices with strife.
2 A wise servant shall have rule over a son that causeth shame, and shall have part of the inheritance among the brethren.
3 The fining pot is for silver, and the furnace for gold: but the Lord trieth the hearts.
4 A wicked doer giveth heed to false lips; and a liar giveth ear to a naughty tongue.
5 Whoso mocketh the poor reproacheth his Maker: and he that is glad at calamities shall not be unpunished.
6 Children's children are the crown of old men; and the glory of children are their fathers.
7 Excellent speech becometh not a fool: much less do lying lips a prince.
8 A gift is as a precious stone in the eyes of him that hath it: whithersoever it turneth, it prospereth.
9 He that covereth a transgression seeketh love; but he that repeateth a matter separateth very friends.
10 A reproof entereth more into a wise man than an hundred stripes into a fool.
11 An evil man seeketh only rebellion: therefore a cruel messenger shall be sent against him.
12 Let a bear robbed of her whelps meet a man, rather than a fool in his folly.
13 Whoso rewardeth evil for good, evil shall not depart from his house.
14 The beginning of strife is as when one letteth out water: therefore leave off contention, before it be meddled with.
15 He that justifieth the wicked, and he that condemneth the just, even they both are abomination to the Lord.
16 Wherefore is there a price in the hand of a fool to get wisdom, seeing he hath no heart to it?
17 A friend loveth at all times, and a brother is born for adversity.
18 A man void of understanding striketh hands, and becometh surety in the presence of his friend.
19 He loveth transgression that loveth strife: and he that exalteth his gate seeketh destruction.
20 He that hath a froward heart findeth no good: and he that hath a perverse tongue falleth into mischief.
21 He that begetteth a fool doeth it to his sorrow: and the father of a fool hath no joy.
22 A merry heart doeth good like a medicine: but a broken spirit drieth the bones.
23 A wicked man taketh a gift out of the bosom to pervert the ways of judgment.
24 Wisdom is before him that hath understanding; but the eyes of a fool are in the ends of the earth.
25

Of Cyrus, Cambyses, Darius, Xerxes, Artaxerxes, Ochus, Arses, Darius Codomannus, and the Persian Empire. 1182
Of Alexander the great, and the Macedonian Empire. 1183
Of Ptolemy Lagus, and the Egyptian Empire. 1184
Of Seleucus Nicanor, and the Syrian Empire. 1185
Of Antiochus Soter, Theos, Callinicus, Soter, Magnus, Philopator, Epiphanes, Eupator, Demetrius, Alexander, Demetrius, Antiochus Sidetes, Grypus, Cyzicenus, Eusebes, Philippus, Dionysius, Antiochus Eusebes, Philippus, Dionysius, Antiochus Asiaticus, Seleucus

per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis:] quia Deus noſter eſt. Ab altero autem ſanguinis fonte memor effectis paſſionis tuæ fructus in electos derivandos, ac proinde recordatus es, quia caro ſumus. [vnde rectè pſalmiſta, ait Gregorius, cum miſertum eſſe eum prorem hominibus diceret, ipſam quoque cauſam miſericordiæ expreſſit dicens: & memoratus eſt quia caro ſunt: ac ſi diceret, quo eorum infirma vidit, eo diſtrictè culpas punire noluit.] Quid enim homo, vt ſtatim ſubdit propheta, aliud, quam ſpiritus vadens, & non rediens? niſi enim illum Deus conuerteret, non rediret. Hinc Auguſtinus [ideo nos vocando, & miſerando pepſuam gratiam ipſe reuocauit, quia per ſe ipſos redire non poſſent.] Propterea propitius fit peccatis noſtris, & non diſperdit nos, ſed immemor omnium, quæ in eo commiſimus, lætus, abſterſo quaſi omni mœrore, ad reliqua paſſionis tormenta, noſtri cauſa, properat. Imo videtur etiam ex illis duobus Phrygiis fontibus pleno bibiſſe hauſtu, quorum alter bibenti lacrymas, alter riſum excutit. Nam vidi illum tam ſanguineas non ex oculis tantum, ſed ex omnibus etiam corporis poris lacrymas effundentem, & modo lætitia exundans velut alterius aquæ potu ebrius ad prœlium animoſè accingitur: quietis in cœna, & inquietudinis in horto penitùs oblitus, inimicorum aduentum intrepidè expectat.

Greg. l. 4. Mor. c. 9. & 10.

Pſ. 77. Aug. in illud.

Plin. l. 3. c. 2. Duo fontes in Phrygia quorum alter lacrymas bibenti, alter riſum mouet.

4. Memoriæ proditum eſt ſtrenuiſſimum illum Carthaginenſium Ducem Hannibalem, quamdiu hoſtem ſuum Scipionem armata manu ad

Ducis vigilantia & prudentia.

nu ad prælium stare paratum intelligeret, tamdiu se quieti dare noluisse, aut armis exuere, sed hostem semper viriliter præstolari: Et Christus fortissimus Christianorum Dux, hostem suum auaritia & odio incensum, Iudam, inquam, proditorem armata manu ad pugnam stare paratum intelligens, quieti se dare minime voluit, aut diuinitatis armis exuere, sed hostem semper quasi condicto loco, vt cum eo manus consereret, operiri: vt nos etiam doceret, semper vigilare oportere, quandoquidem hostibus quotidie cincti simus, neque virtutum arma deponere, cum certò nobis constet, quolibet temporis momento nos ab illis oppugnari, & si quando somnum obrepere contingat alicuius negligentiæ, non nisi lorica iustitiæ indutis aliquantulum nobis quiescendum, non vt negligentiæ indulgeamus, sed vt illam animosius, correpta acriter nostra socordia, penitus profligemus. Lorica igitur, vti Hannibal consueuit, lorica inquam iustitiæ, ac diuinæ protectionis induti inueniamur, qua à Diaboli insidijs etiam dormientes conseruemur: quandoquidem tartareis circumcincta hostibus anima nostra sit, noctibus atque diebus, qui districtis in eam tentationum mucronibus perpetuo inuigilant, & in eius conspirant necem. Quis quæso innumeris circumseptus serpentibus, vel inimicorum telis, quieti, aut somno se auderet dare? [nos tamen (inquit Bernardus) miseri, vicinis tot serpentibus, & igneis telis vndique volitantibus, inimicis insurgentibus, pernicioſa securitate, & negligentia dormitamus, quasi non esset militia vita hominis super terram. Hoc inquit

Vigilantia monemur.

Ber. ser. 2. de B. Andr.

est, quod me vehementer terret, quod omnino timoris acerbissimi gladio transuerberat animam meam, quia homines fere omnes inter tanta pericula minus timorati, minus exercitati, minus quam necesse est soliciti videantur.] Hinc B. Petrus: [fratres sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.] Vnde Dominus ait [orate, ne intretis in tentationem.] in quam Domini sententiam sic scribit Chrysostomus: [si dæmones nos conspexerint in oratione communitos, illico resiliunt, non aliter quam prædones ac facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum orationis præsidio, hic auulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaque mala impellitur.] Sed heu! nos cum Apostolis, neglecto orationis munimine, securè in vtramque aurem dormimus, huiusmodi atrocissimis leonibus cincti, neque nostræ saluti inuigilamus, cum sæpius, proh dolor! ipsi gratiæ armis spoliati nos truculentissimorum leonum faucibus deuorandos temerè obijciamus.

1. Pet. 5. Diabolus leo rugiens. Matt. 26. Chrysost. l. 1. de orando Deum.

5. Interim è graui sopore discipuli excitati, luna nondum sese è tenebrosa nube, qua tegebatur, expediente, sed per obscuram potius lucem circumiacentes vndique montes, nescio quibus vmbris horrore plenis, præter solitum, Apostolis formidabiles reddente, contremuerunt. Quam rem, veluti quoddam, de Christi comprehensione breui futura, præsagium

Magnus inuasit Apostolos timor luna nondum illucescente.

Apostoli horrore ingenti perculsi existimarunt. Quare in vnum velut iam coacti Christum, præ timore tanquam pastorem oues, lupo aduenien-te sepiunt, & alto silentio attonitis similes, oculos hinc inde trepidi coniiciunt, & si vel folium arboris, vel minimum auiculæ strepi-tum, vel tenuem alicuius sonum, vel vmbram rei cuiuspiam motitari percipiunt, haud du-biè iustitiæ ministros aduentare putant, seque in vitæ discrimen statim venturos, cum tamen Christus adeo solicitus semper de illis fuerit, vt neminem periturum permissurus esset, præ-ter filium perditionis. O quam scitè de te, ô bone Iesu, olim Isaïas vaticinatus est! [sicut aues inquit volantes proteget eos Dominus.] quemadmodum enim aues pullorum amor efficit adeo audaces, vt fundas, lapides, ac iacula contemnant, ac per medios irruant laqueos, vt suos tueantur pullos: sic tuorum pullorum amor te, ô Christe, instigat, vt contempta morte, & inimicorum furore præ-lium à te inceptum perficere animosius ag-grediaris, discipulorum tuorum prouidens in-columitati.

Ioan. 17. Christi de suis cura. Isa. 31.

6. Quam bene, ô nate Dei, ad illam de Nephtale prophetiam breui explendam te ac-cingis: [Nephtali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.] Quo loco prædixit Ia-cob victoriam Barac, & Deboræ contra Sisa-ram. Barac enim dux exercitus Israel oriundus ex Nephtali est, qui rectè ceruo comparatur. Nam instar cerui in prælij exordio timuit: imo neque bellum aggredi ausus est nisi Debora

Gen. 49. Victoriã de hostibus re-portaturus est Christus. Iudic. 4.

comitatus, qua animatus socia, velut leo cum paucis in innumeras, instructissimasque hostium phalangas irruit, perrupit, easque perrumpendo strauit, deleuitque, idque ocyssimè instar cerui, & instar fulguris, iuxta nominis sui significationem, quod fulmen interpretamur. Christus vero Christianorum dux, secundum humanam naturam oriundus ex homine, qui aptè ceruo componitur, ob timorem sibi innatum, à quo Christus, in huius prælij initio, timiditatem traxit: neque bellum aggredi ausus, nisi diuinitate associatus, tanquam altera Debora, diuino nimirum verbo, quo animatus comite, vbi sese sicarijs hostibusque iam cingi, & de vita agi, totiusque humani generis salute vidisset, nouos induit animos, sudoremque excutiens, surgit, discipulosque à somno excitat, seque canum veluti indagine iamjam obsidendum cernens, diuinitatis cornua exerit, & instar cerui sese in confertam hostium aciem inferre, & leni tanquam cornu ictu hostium copias perrumpere, eosque penitus prosternere statuit, depulso omni metu, idque celerrimè efficiet, ita vt verius, quam Cæsar reipsa dicturus sit VENI, VIDI, VICI & daturus eloquia pulchritudinis, in gratiarum actionem Deo victoriæ auctori huiusmodi Epinicio: [benedictus Deus, qui docuit manus meas ad ad prœlium, & digitos meos ad bellum, laudandus Deus est (vt hoc loco ait Euthymius) qui manus & digitos meos in acie prosperat, & in bello, & qui mihi tribuit vt hostes superem, & præclara huiusmodi erigam trophæa.] inter pulchra etiam Christi eloquia, illud non infimum tenet locum

Ps. 143. Euthy.

magnanimitatis plenum [surgite, eamus: ecce qui me tradet prope est!] *Marc.14.*

De Christi venditione triginta argenteis per pessimum mercatorem Iudam.

CAPVT XVI.

1. IEsus infiniti pretij gemma, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, triginta argenteis à malo mercatore Iuda venditus! [quid vultis, inquit, mihi dare & ego eum vobis tradam?] ô impie Iuda, quid dicis? [siccine quasi vile tradens mancipium, & in potestate mentium ponis, quantum tibi vellent dare?] Vt video more furum agis, qui de iusto pretio non sunt soliciti, sed, vt furtum citò distrahant, ne in ipso furto comprehendantur, vilissimo etiam pretio res maximi momenti vendunt. [Fur erat Iudas, (teste Euangelista Ioanne) & loculos habens.] ô impie mercator, cur non saltem maiori eum pretio vendis, quem quo redimi solebat! serui cadauer interfecti à cornupeta boue? non meministi illius legis, qua Deus præcepit huiusmodi cadauer redimi? [si bos, inquit scriptura, cornupeta seruum, aut ancillam alicuius inuaserit, dominus bouis triginta siclos argenti domino serui, vel ancillæ illius dabit: bos vero lapidibus opprimetur.] siccine, impie proditor, tanti æstimas innocentis vitam, quanti vilissimi mancipij, tanti vitam filij Dei, quanti abiectissimi è plebe hominis? Sed quid? *Hiero. in c. 26. Matt.* *Ioan. 12.* *Exodi.21.*

ad hoc inusitatum facinus te malus dæmon instigauit, vt præter suam intentionem, per tuum scelus te perderet, & suum quoque destrueret principatum, si enim cognouisset tantum sibi ex tuo scelere damni inferendum, ad id te minime impulisset. [Nec ipse (inquit B. Leo) Diabolus intellexit, quod sæuiendo in Christum, suum destrueret principatum, qui antiquæ fraudis iura non perderet, si se à Domini Iesu sanguine contineret. Sed malitia nocendi auidus, dum irruit, ruit, dum capit, captus est, dum persequitur mortalem, incidit in saluatorem. Inuenit sane in illo molimine imprudentis audaciæ dignum cooperatorem dignumque consortem :] te nimirum, perfide Iuda, qui, [maluisti minister esse Diaboli, quam Apostolus Christi, quem non timoris perturbatione deseruisti, sed pecuniæ cupiditate distraxisti.]

Leo. ser. 9. de pas.

2. Vide igitur, ô Iuda, quid facias ! vide quò te ducat inexplebilis auaritiæ sitis ! triginta argenteis vitam omnium viuentium perdere festinas, teque omni bono penitus priuare, ob tantillum pecuniæ lucrum ! [ipsæ belluæ, ô Iuda, modum habent] tu omnem excedis modum. [Tunc enim illæ (inquit Augustinus) rapiunt, quando esuriunt, parcunt vero prædæ, cum senserint satietatem : inexplebilis est sola auaritia.] hinc licet colligere te esse ipsis belluis multò deteriorem, qui pretium cæli, & terræ triginta vendis argenteis : ô quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? pectus inuasit discipuli, magistrum quem admirabiliter docentem, innumeraque viderat patrani-

Aug.

sem miracula triginta argenteis vendere persuasit, & ex Apostolo proditorem fecit, & furem. Quam merito, ô Iuda, in tuam inuehitur auaritiam magnus Leo: [tu inquiens impijssime homo, semen Chanaan, & non Iuda, nec iam vas electionis, sed filius perditionis & mortis, vtiliora tibi Diaboli incitamenta credebas : vt facibus inflammatus auaritiæ, ad triginta argenteorum lucrum inardesceres, & quid diuitiarum amitteres, non videres ! Nam etsi putabas credendum esse promissis, quæ fuit ratio, vt tantillus pecuniæ modus præponeretur acceptis ? imperabas dæmonijs, & medebaris infirmis, honorabaris cum Apostolis, & vt finem tuæ cupiditatis expleres, patebant tibi furta de loculis. Sed animum interdictorum admonitum, quod minus licuit, amplius incitauit, nec tam placuit quantitas pretij, quam magnitudo peccati : vnde facinus commercij tui non ideo detestandum est, quia Dominum viliter æstimasti : sed quia redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres, vendidisti. Et meritò tibi tua pœna commissa est : quia in supplicium tuum nemo te sæuior potuit inueniri.] quid te igitur infœlicius ? quid execrabilius ? cum nec ipse infernus sufficiat ad hoc tuum scelus vindicandum. *Leo. ser. 16. de pas.*

3. O Iuda, Iuda, quid facis ? quid facis perfide proditor ? fige pedem, & considera quid egeris, triginta argenteis cœli terræque prælium æstimasti ! Siccine male rerum æstimator, gratis magistrum tuum vendidisti, oblitus illius in te beneficiorum & amoris ? nonne ille est, qui te ad sacrum Apostolorum collegium,

vt Apostolus esses aliquando vocauit? nonne ille est, qui te suæ paropsidis socium fecit? nonne ille est, qui à cœna tibi officiosè pedes non modo aqua, sed lacrymis etiam lauit, vt efferum cor tuum à tanto scelere reuocaret? [hoc interposuit (inquit Euthymius) Euangelista cum stupore admirans excellentem Christi clementiam, qui etiam tuos pedes lauit, qui in proximo eum eras traditurus: vt hoc quoque ad maximũ cumulum humilitatis accederet, quod etiam tibi (ait Augustinus) non dedignatus est lauare pedes, cuius manus iam præuidebat in scelere.] Nonne ille est, qui postea accinctus linteo, pedes quoque tuos, factus tibi velut seruus, vt te ex Diaboli seruo per gratiam, in filiorum Dei sortem adscisceret, amabiliter tersit? nonne tibi commisit thesauri sui curam, probè sciens te auaritia laborare, vt toties quoties velles, ex eius pauperculo ærario nummulos tibi necessarios sumeres? [maluit enim periclitari marsupium, quam tuam fidem suspectam haberi, famam tuam laborare, atque animum inde arrepta occasione ad patrandum facinus concitari,] vti optimè Epiphanius disserit: [Iudæ, inquiens, Dominus tradit marsupium, vt inexcusabilis esset, qui propter auaritiam proprium Dominum tradidit in manus hominum.] & tamen beneficijs peior factus, tua auaritia augmentum sumpsit in auaro tuo pectore [ab immanitate concepti sceleris (vt ait Leo) & beneficijs te reuocare dignatus est, & verbis, assumendo in discipulum, prouehendo in Apostolum, monendo signis, consecrando myste-

Euthy.

Aug. trac. 55. in Ioan.

Epiph. l. contra hæres. Hære. 38.

Leo. ser. 16. de pas.

riis, vt cui nihil beneuolentiæ deeſſet ad correctionem, nihil occaſionis ſupereſſet ad crimen:] nihilo tamen melior effectus eſt. hinc non ſatis tibi fuit Chriſti ærarium in tua poteſtate fuiſſe, niſi magiſtrum tuum patris vnigenitum, paucis vendidiſſes denariis, auaritia inſtigante. [Hoc perfide Iuda, inebriatus veneno (vt loquitur Leo) dum ſitis lucrum, peruenis ad laqueum.] Videte dilectiſſimi (vt monet idem ſanctiſſimus pater;) & prudenter inſpicite, quæ germina, & quales fructus de auaritiæ ſtirpe naſcantur, quam meritò Apoſtolus radicem omnium malorum eſſe definiuit: quia nullum peccatum ſine cupiditate committitur, & omnis illicitus appetitus, iſtius auiditatis eſt morbus. Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque eſt in illo corde iuſtitiæ veſtigium, in quo ſibi auaritia fecit habitaculum.]

Leo ſer. 9. de paſſ. Ibid.

Pretium ſapientiæ æternæ non inuenitur in terra.

4. Antequam tam vile accipias pro magiſtro tuo pretium, ſaltem adi maximè induſtrios terræ mercatores, qui te mirum in modum deceptum doceant, quo multo plures, pro mundi Saluatore, quam triginta argenteos recipias. Accede igitur, ſi ſapis, opulẽtiſſimum illum, & optimum rerum æſtimatorem Iob, principem terræ mercatorem, qui licet, pro dignitate, hanc æſtimare gemmam, quam tu gratis vendis, neſciat; tamen te prorſus circumuentum facile docebit: tibi enim dicit, de creatæ etiam ſapientiæ pretio: [neſcit homo pretium eius. Commutabitur cum vaſe aureo, corallia & Gabis in pretium non veniant, pretioſior eſt ſapientia margaritis.] Si ergo ſapientiæ, quæ cum vera reli-

Iob. 28.

gione, veraque pietate coniuncta est: [non inueniatur in terra suauiter viuentium pretium,] quomodo æternæ sapientiæ valor æstimari potest, cum infinitus sit? [quomodo enim poterit verum eius pretium comprehendi, cuius non potest meritum definiri?] Igitur neque triginta argenteis iustum, ô Iuda, Domini tui pretium, qui æterni patris sapientia est. Accelera etiam ad alium sapientissimum mundi mercatorem, & iustum patris sapientiæ ab eo inquire pretium, Salomonem dico, illumque interroga, quanti æterna sapientia, quam triginta vendis argenteis, valeat, & tibi respondebit: [melior est sapientia cunctis opibus.] Si Salomon diuinam sapientiam, quæ nobis, per quandam diuinæ bonitatis participationem, donatur, qua hanc rerum cælestium altitudinem contemplationis subnixi adminiculo, quodammodo assequimur, omnibus terræ opibus merito præferat; nonne infinitum erit æterni patris sapientiæ pretium, in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ reconditi sunt, quem tu veluti insipiens mercator triginta argenteis vendis? Cum ergo in terra non sit pretium eius, conscende potius cælos, vt discas quantum valeat huiusmodi gemma, ibi eam vende æterno patri, & Spiritui sancto, qui huius gemmæ pretium probe norunt [nemo enim nouit filium nisi pater] Dies nundinarum agitur hodie in illa cælesti ciuitate. Verum si tædeat cælum conscendere, ne tibi Angeli suum rapiant Dominum, & te inanem remittant, vende illum saltem in foro Hierosolymitano publicè, noli Iudæis clanculo cum

Ambro. l. 3. de Spirit. sancto. c. 18.

Prou. 8.

Matth. 11.

vendere. Subde illum in foro auctioni, & præconis vices age; dic magna vocis contentione: ecce vobis mancipium, ſpecioſum quidem forma, præ filiis hominum, vendo, infinitos, ſub vili hominis habitu, in ſe gratiarum theſauros continet; cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, mortuis vitam donat. O infelix Iuda, felix tamen, ſi velis, vti foro præſenti, illumque auctioni ſubdere. Præueni emptorum concurſum, tibi eme pretioſam æterni patris gemmam, & dives eris. noli eſſe ſolicitus de pretio, da te ipſum, & accipies Chriſtum: mane ei occurras, illum ad te venientem benignè ſuſcipe, qui enim mane vigilant ad me, inquit ipſe, inuenient me. [Vides quomodo non ſolum de amore ſuo certum te reddat, ſed etiam de ſolicitudine ſua, quam pro te gerit, ſi te ſenſerit ſolicitum ſui. Vigilas tu] vt illum vendas, vigilat & ille, vt te redimat: [conſurge in nocte in principio vigiliarum, accelera quantum vis, etiam ipſas anticipa vigilias, vt eum tradas hoſtibus, inuenies eum, non præuenies,] conuerſionem tuam, quantum in ſe eſt, procurando. [Quid clementius (exclamat Ambroſius) quam quod tibi tuas donet, ſi velis, iniurias: ad hoc tibi dicit: accipe paſſionem meam, tu da mihi proditionem tuam: accipe merita mea: tu mihi tua des peccata, vt ego ea deleam, & quod quæris maiori cum fœnore apud me inuenies: mecum enim ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ] diuitiæ non exiles, gloria non tranſitoria, opes non moderatæ,

Prou. 8.
Ber. ſer. 69. in Cant.

Prou. 8.

sed opes superbæ, eminentes, & cumulatæ, opes, quæ te virum perfectum ex diaboli mancipio efficient, & apud homines admirabilem, apud Angelos magnum, & apud Deum glorioſum.

5. Sed quoniam hæc tibi optio non placet, cum venalem etiam animam habeas; noli esse saltem tam iniquus rerum æstimator, vt Christum triginta argenteis vendas, expecta potius eminentium concursum, qui magnis auaram animi tui thecam donis implebunt, vt tantummodo possint videre huiusmodi medicum, qui sanitatis reddendæ cuilibet, virtute pollet. Et quid si medicas applicet manus, vel vni Zachæo, spiritalemque illi visum restituat, pro tanto munere non modo dimidium bonorum suorum tibi dabit, sed omnium prorsus substantiam, potius quam mentis careat oculis. Et licet Simonia hæc sit, spiritale donum conferre, vt in præmium recipias pecuniam, nihil refert: in tantum enim tua processit audacia, & impudentia, vt omnem Dei legem conculcare non verearis, quo rabidæ auari pectoris tui auaritiæ satisfacias, qui paratus es scelus Simonia grandius committere, filium nimirum Dei vendere, pro sacrilego triginta argenteorum lucro! ô male mercator, ô Iuda proditor (exclamat Ambrosius) vnguentum passionis eius trecentis denariis æstimas, & passionem eius triginta denariis vendis! Diues in æstimatione, vilis in scelere.] Quare cum id solum intendas ex malo lucrari, duc eum potius ad Archisynagogi domum, vt captivus tuus eius filiam à mortuis exsuscitet, quo gratitudinis ergo amplam recipias mercedem, vt hoc saltem speciosо pallio Simoniacum tegas animum, potius quam

Amb. l. 3. de Spirit. sanct. c. 18.

Simoniæ auaritiam tuam omnibus elimines, pretium cæli triginta argenteis vendendo. [ô argentum (rursus exclamat idem sanctissimus pater) improbum, quo aut emitur ad necem iustus, aut venditur; detestabilis hæreditas feralis auctio, quæ aut fratrem vendit iniuriæ, aut Dominum licitatur exitio, salutis omnium redemptorem.] adhoca, si placet, leprosos ditiores, vt cum Christus manus suæ attactu illos mundauerit, tuas ipsi manus oleo peccatorum inungant. Ne verearis infici cum Giezi aliena lepra, quandoquidem tam horribili auaritiæ lepra sis infectus, vt in extimam eruperit cutim, nullo remedio, nisi infami laqueo, curanda. [ô informem laqueum proditoris (iterum exclamat Ambrosius) sed deformius pretium sanguinis iusti!] Si hæc non arrideant, circumfer tecum instar circulatoris captiuum hunc tuum, eiusque miracula affixis scedulis in foro, in compitis platearum, populo indica, vt illorum fama excitus, cum muneribus accurrat, vt tibi pro cuiusque morbo denarios refundant ægri, quo tanti medici, qui vel aspectu suo, vel manus attactu, vel saliua, vel verbo, vel nutu, vel occulta etiam mentis designatione, omnia ægritudinum genera sanat, præsentia, & alloquio fruantur. Satius hoc, quam illum vendere triginta argenteis: vel si mauis, quãdoquidem ita lucri sis auidus, vt nolis præsentem tibi mercedem eripi, nisi statim pinguiorem recipias: accede captiui matrem, quæ haud dubiè licet se ipsam vendere cogatur, plures tibi refundet, pro innocentis captiui redemptione, quam triginta argenteos. *Ibid.*

Recurrendum ad Iudam, vt pactum cum Iudæis rescindat, filiumque Dei matri vendat.

CAPVT XVII.

Iudas ad pœnitentiã frustra instatur. Aug. to. 8. in Psal. 66.

1. SEd, ô Iuda, Iuda, mentem adhuc à facinore reuocare poteris. Diues enim in misericordia magister tuus, qui omni pœnitenti gratiam tribuit. Confitere igitur Iuda scelus tuum seria adductus pœnitudine. [Si non confessus lates, non confessus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus. Damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus.] Fac igitur, Iuda, bonam confessionem, & veritatem confitens, redi ad gratiam; [apud misericordem enim Iudicem nec ille fallax habebitur, qui ad veritatem reuertitur, etiam postquam mentitur, quia omnipotens Deus, dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc, quod erramus, abscondit.] Quandoquidé ita sit, ô Iuda, mutata voluntate peruersissima, pactum de Christi pretio, cum Iudæis initum, quo fidem, & pietatem violasti, rescinde: leges tibi fauent, & conscientia. Si enim quis vltra dimidiam pretij partem deceptus fuerit, per leges, & multo magis per conscientiam, contractum illi reuocare licet. Nouum itaque potius cum ipso Dei filio, si sapis, ineas, & applices vel minimam Dominici

Greg. in Euang. Ascen.

ſanguinis guttam tuæ proditioni, & non modo ſaluus, ſed ditiſſimus eris. minima enim Chriſti ſanguinis gutta, quam tu, ſtolidiſſime mercator, nihili facis, tanti valoris eſt, vt ad totius mundi redemptionem ſufficiat: Dei enim ſanguis eſt. Feſtina igitur, & reſciſſo iniquitatis contractu, confer te ad hortum Geſemani, in quo non vnam ſanguinis guttam; ſed plurimas colligere poteris, quibus te & à tanto ſcelere vendicabis, & ineffabilibus gratiæ diuitiis locupletaberis! ſed quid? radix omnium malorum cupiditas cor ſeduxit tuum, [quam quidam appetentes errauerunt in fide.] [Vides ergo quia qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit!] Hoc igitur veneno infectus, non modo fidem, & gratiam perdidiſti; ſed ita cæcus effectus es, vt nihil tibi arrideret præter pecuniam. [Auaritia enim cæcitas eſt, errorem religionis inducit. Cæca, inquam, eſt auaritia, ſed diuerſis fraudum oculata ingeniis, non videt quæ diuinitatis ſunt, ſed cogitat, quæ cupiditatis ſunt.] Et infra: [ſemper ergo auarus alieno vtitur, alieno ſe paſcit damno.] Vides tuam, ô Iuda, depingi nequitiam: & tamen non vis reſipiſcere. Moueant te ſaltem matris lacrymæ. Sed quid? [eſt tibi lætitia, fletus alienus.] nihilominus matrem vrgebo vt te conueniat, quo, ſi non lacrymis, ſaltem maiori pretio è tuis manibus eripiat filium.

1. Tim. 6. B. Maximus ho. de auaritia. 2.

2. O Virgo ſacratiſſima, quid facis iam in cænaculo? egredere, & quid agatur, conſidera! Ecce filius tuus captiuus tenetur: propera, lytrum defer, triginta argenteis locupletius, vt ſi Iudæ

cor lacrymis tuis non moueatur, pecunia emolliatur, & pactum cum Iudæis rescindat, [dic (inquit Anselmus) piissima Domina, fuisti tunc cum illo dum in horto sanguineo perfunderetur sudore? Maria. Non. Anselmus: quare, cum eum tantum diligeres? Maria: nox instabat, & non expediebat, vt mulieres tunc foris inuenirentur.] Ecce [pulchra Virgo non decori timuit, sed pudori,] inquit Ambrosius. En quomodo Deipara virgines doceat non solum velo tegendum esse pudorem, sed protegendum etiam muro, vt conseruetur. Huiusmodi sibi quoque beatissima Virgo murum præstruebat. [En ipse, inquit, stat post parietem nostrum:] adeo, vt vel ipse cælestis sponsus huius muri obice quasi excludi videretur. Vnde ad huius cælestis sponsæ exemplum Tertullianus cæteras fœminas adhortari videtur. [Vela, inquit, caput, si mater, propter filios, si soror propter fratres, si filia propter patres. omnes in te ætates periclitantur. Indue armaturam pudoris: circunduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec oculos emittat proprios, nec admittat alienos.] Hoc tu muro, Beatissima Virgo, semper includeris, etiam cum in apertum campum ire charitate prouocaris: pudor quidem cogit te intro manere; sed amor filij eliciat te foras: vincat tandem vnigeniti tui inuictus amor, & suo te muro inexpugnabilis custodiet pudor. [Egredere igitur, ô cæli Regina, & maturius forum pete. Ecce filius tuus hisce tribus diebus auctioni expositus, & nemo eum neque homines, neque Angeli, neque pater à Iuda redimere volunt. Festina itaque, & moras amplius ne trahas, ne forte non sine ingenti

Ansel. Dialo. de pas. to. 3.

Amb. l. 3. de Virgi.

Cant. 2.

Tert. l. de veland. Virg. c. 16.

genti tuo dolore desideratæ transeant nundinæ, & gemmam, quæ ab æterno æterni patris pectus virgineumque tuum in tempore exornauit, tibi aliquis præripiat, cum tanta impiissimi Iudæ auaritia, vt existimem cuilibet filium tuum venditurum vno denario amplius, quam Iudæis vendidit, si contractum posset rescindere. Accelera igitur, & præuerte tantæ eius auaritiæ cupiditatem. Tibi proculdubio in auctione primæ dabuntur: optio tua in venditione, præ reliquis, primum obtinebit locum: hoc siquidem matri debetur priuilegium, vt inter cæteros prima filij vteri sui lytrum soluere permittatur. Age ergo, vende omnia, quæ habes, & si hæc non sufficiant, vt filium redimas, precario stipem ostiatim corroga, pro innocentis redemptione, noli erubescere tanti filij mater eleemosynas petere. Necessitas itaque te cogat, & matris amor in talem filium; dic per plateas: miseremini mulieris vnico viduatæ filio, succurrite eius extremæ necessitati, lytrum captiuo liberando impertite, quod ipse filius meus cum fœnore à captiuitate refundet, refundet, inquam, gratiarum thesauros.

3. Verum si tantæ sint tenacitatis, vt tibi denegent tantillum pecuniæ, accede cælestes spiritus, cum hominum charitas in terra penitus refrixerit, vt ex cælesti ærario triginta argenteis luculentius lytrum tibi impertiantur, quo creatorem suum è Iudæ manibus liberum videant. Quod si & illi tuis minime commoueantur lacrymis, ad patrem ipsum te conuerte, & luctuosis vocibus illi acclama: ô pater, tui miserere vnigeniti, miserere dolorosæ matris dilecto suo

viduatæ, cuius curæ tantum cæli thesaurum commisisti, restitue eum matri, modo humani generis redemptio sic non impediatur, ex misericordiæ tuæ gazophylacio nummos deprome, vt innocentissimum agnum à luporum rapacium crudelitate vendicem. Quod si etiam pater lytrum ad filij tui liberationem dare recuset, ad Petrum tandem te confer, eumque ad piscationem mitte, vt ad redemptionis magistri sui opem staterem saltem afferat. Et si is iam timore perterritus nolit ire piscatum, ne in itinere cum filio tuo comprehendatur, & sic omnis tibi Christi redimendi via præcludatur, ego te vendam, præconem agam, auctioni subdam. Sed prius ad vos auditores conuertor, miseremini afflictæ matris, triginta illi argenteos, vt filium redimat, contribuite, ne sese cogatur vendere, & si vobis desit in crumena tantillum pecuniæ, lacrymis saltem compensate. Sed heu surdis cano! nemo Mariæ lacrymis, neque meis commouetur clamoribus! nemo est, qui nostri Saluatoris in manus hostium iamjam tradendi miseretur! nemo perfidi Iudæ facinori ex animo indignatur. Si igitur Paulinus Nolæ Episcopus, quo filium viduæ à seruitute vendicaret, sese vendidit; potiori iure materno affectu incitata sese Maria vendere desiderat, vt suum filium à truculentissimis hostibus liberet. Vendo igitur vobis ipsam virginem triginta argenteis, vt filium redimat. Tacetis! nemo est qui hoc vile offert pro Virgine pretium, nemo est qui filium ipsum redimere, neque Virginem eius gratia emere, neque lacrymas ob tam inusitatum Iudæ scelus effun-

dere velit. Hinc colligo vos ipso Iuda quodammodo auariores, crudeliores, ingratiores esse, quippe quod Christum nolitis redimere paucis nummis, quem sæpius minori lucro, quam Iudas eum vendatis, post tot in vos collata beneficia! Iudas triginta saltem argenteos in pretium sanguinis accepturus est, à Dominici sanguinis meritis exclusus; vos vero eum frequentius iam pro vobis passum, sanguinis eius pretio conculcato, pro nihilo venditis, quid enim momentanea fœdæ carnis voluptas, quam nihil, cuius tamen damnum infinitum! quid inanis fauoris aura, quid indebitus vobis honoris gradus? nonne nihilo cognata? Heu quoties non triginta argenteis, sed multo viliori pretio vno sæpe obulo litigiis, fraude, & periuriis extorto, eum venditis! heu quoties ira, furore, odio, detractione, vsura, blasphemiis, periuriis, furtis, latrocinijs, obscænis verbis, & actibus eum venditis! imo quod amplius est, cum Iudæis, teste Apostolo, crucifigitis: [iterum crucifigentes filium Dei, & ostentui habentes.] imo peiores quodammodo ipsis crucifixoribus nonnulli inter nos sũt, & maximè, qui obscæno ore, vel manu audent contrectare Christum, nobis post passionem in Eucharistia rediuiuum, in quos sic inuehitur Tertullianus [Proh scelus! semel Iudæi Christo manus intulerunt: isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ! viderint iam, an per similitudinem dictum sit, si te manus tua scandalizat, amputa eam. Quæ magis amputandæ, quam in quibus Domini corpus scandalizatur?] Et quid mirum? tales enim non modo iterum Christum crucifigunt, sed etiam pedibus

Heb. 6.

Tertul. l. de Idolola. c. 7.

calcant, ac proinde tanquam Dei contemptores,
Heb. 10. & deicidæ puniendi [irritam, inquit Apoſtolus, quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione, duobus, vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit?] Si ergo violator illius legis temporariæ, & imperfectæ, ſine vlla miſeratione interficiebatur: qua morte violatorem noui, & æterni teſtamenti in ſanguine Chriſti dignum iudicabimus, qui haud dubiè Chriſtum conculcat, quoties indignè ad verum eius corpus contrectandum accedit? Veſtras porro conſcientias appello, annon vel ob vnicum aſperius verbum, in vos eiaculatum, indoletis magis, quam ob grauem per vos proximo iniuriam illatam, quam leuem admodum ducitis, cum tamen Deus grauiter ea offendatur & proximi mens lancinetur? [vritur ille, & moritur, inquit Bernardus, clauſo lethali vulnere intra ſemetipſum gemens, dum totus in ira, & diſceptatione poſitus, nihil aliud ſilens verſare in mente poſſit, niſi iniuriam, quam accepit. Non poteſt orare, non poteſt legere, non ſanctum aut ſpirituale aliquid meditari: & ita intercepto vitali ſpiritu, dum ſuis deſtituta alimentis vadit ad mortem anima, pro qua Chriſtus mortuus eſt. Quid tu interim, quæſo, animi habes? quid oratio tua, aut opus quodcunque interim feceris, ſapit tibi, contra quem nimirum Chriſtus anxiè clamat de pectore fratris tui, quem contriſtaſti: filius inquiens matris meæ pugnat contra me: & qui ſimul mecum dulces capiebat cibos, repleuit me amaritudine? quod ſi dixe-

Ber. ſer. 29. in Cant.

ris illum, non tam grauiter, pro tam leui cauſa debuiſſe turbari, reſpondeo; quanto leuior eſt, tanto à te leuius potuit non committi: quanquam neſcio quomodo leue dicas quidquid amplius eſt, quam iraſci: cum vel hoc ipſum obnoxium eſſe iudicio, ex ore ipſius acceperis iudicis. Quid enim? tu ne leue dixeris, in quo offenditur Chriſtus, vnde ad Dei iudicium pertrahi habes, cum horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis!] Et hoc leue iudicas exultans in proximi exitio. Audi quid dicat ſcriptura [lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis: quorum viæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum.] Exultant in rebus peſſimis (inquit Euſebius Emiſſenus,) & de ſui perditione lætantur, ſimiles illis, qui forte ſumentes exitiales herbarum ſuccos cum riſu perire dicuntur] vel vt alia verſio habet: [qui cantant in rebus peſſimis:] quos Ambroſius meritò cum cicadis comparat: [vere, inquiens, ſicut cicadæ, quia de die in diem viuunt, quæſtuque rumpuntur ſuo: quid enim aliud ſunt homines nullius ponderis, nullius diſciplinæ, niſi vt videantur, ſicut cicadæ ad mortem nati diurnam, ſtrepentes magis, quam loquentes, qui ſub ardore feruentium cupiditatum ſe mulceant cantu ſibi noxio, ſtatimque occidunt, nullum fructum ferentes, nihil habentes gratiæ, quorum viæ peruerſæ ſunt, & greſſus infames] Proh Deum immortalem! pro nihilo ſic Virginis filium, cum Iuda mali mercatores vendunt! pro effectu nimirum cuiuſlibet lethalis peccati, turpem im-

Heb. 10.

Prou. 2.

Euſe. in illud Pro.

Amb. l. 1. Epiſtola. epiſt. 6.

primente animis maculam, qua ex filiis Dei, cum Iuda, dæmonis mancipia efficiuntur! Nonne huiusmodi Christum gratis vendere censendi sunt, cum nihil ex pretio accipiant, præter mortiferæ culpæ reatum, interim Christum desolatum, inimicis ligandum, verberandum, conspuendum, ac denique crucifigendum relinquentes: vnde ipse ex-

Psal. 68. clamat: [sustinui qui simul contristaretur & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni.]

4. Cum itaque, ô Virgo afflicta, homines potius cum Iuda tuum vendere filium crudeliorib⁹ ipsis Iudæis hostibus, peccatis nimirum festinent, vti ipse conqueritur: dicens [cur

Ber. addis afflictionem afflicto? magis aggrauant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei:] accede ipsum Iudam, & ad eius pedes accidens, efferum eius cor, si potes, lacrymis emolli, roga eum, vt dimisso filio, te sibi in seruam sumat, eius pedes apprehende, dic illi, si ad tanti sceleris pœnitudinem redire nolit, neque Christum tibi afflictæ matri restituere, vt benignum se saltem illi exhibeat, qui toties iam clara illi beneuolentiæ ostendit indicia, & præsertim qui iam illi occurrens illius expugnare pertinaciam, hoc mellito amoris telo attentabit: [amice ad

Chry. c. 26. in Matth. quid venisti? vt vel hinc (ait Chrysostomus) ipsum conuerteret, ad quid ades? quia non amoris intuitu, sed mentis improbitate istud agis.] ignitum, ô Iuda, hoc à Dei ore iactandum in te telum (Amice) tuum hacte-

nus adamantinum cor tandem penetret, tandem mollefaciat, tandem magistri tui amore, qui tuo relinquetur arbitrio, inflammet. Reuoca, quæso, in memoriam, quomodo paulo ante non fictum se tibi amicum ad tuos prostratus pedes præstitit, quomodo quod pro totius mundi gloria facere noluit, pro salute tua fecit! Noluit coram satana genu flectere, proposita ipsi mundi gloria in huiusmodi adorationis præmium: at vero sponte sua id ipsum officiosè tuæ salutis gratia, heri præstitit, seso in genua prouoluit, pedesque tuos non modo aqua lauit; sed suis etiam lacrymis è misericordiæ fontibus vbertim stillantibus irrigauit, & linteo tersit! Memineris, obsecro, tanti amoris in te argumenta! Quid, dic in te, manfuetissimus hic agnus commisit, vt eum prodas inimicis, qui tuam ne quidem ipsis Apostolis proditionem manifestare voluit: dicens: [Amen dico vobis quod vnus vestrum me traditurus est: notam tibi traditoris ac proditoris conscientiam demonstrauit: non aspera, nec aperta te increpatione confudit, sed leni, ac tacita admonitione conuenit, vt facilius corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abiectio. Cur infœlix Iuda, tanta benignitate non veris? ecce parcit ausibus tuis Dominus, & nulli te, nisi tibi indicat Christus; nec nomen tuum, nec persona detegitur, sed veritatis, & misericordiæ verbo, cordis tantum tui arcana tanguntur. Non Apostolici ordinis honor, non Sacramentorum tibi communio denegatur.] Redi in integrum, &

Matt. 27. Leo. ser. 7. de pas.

depoſito furore, reſipiſce. Clementia inuitat, ſalus pulſat, ad vitam vita te reuocat] perpende, ô Iuda, quanti animam tuam Agnus hic Dei innocentiſſimus, qui venit tollere peccata mundi, ſemper fecerit, cuius tu tamen vitam triginta vendere argenteis feſtinas.

§. O Iuda, Iuda, quid feciſti? cur abiiſti imprægnatus à diabolo? reliquiſti ſaluatorem? reuoca tamen adhuc mentem, & pedes à tanta, & tam indigna magiſtri tui proditione. Ne deſperes, Chriſti adiutus gratia, omnia poteris [in Deo meo (dic cum propheta) transgrediar murum.] Dic cum Apoſtolo aliquando perſecutore [omnia poſſum in eo, qui me confortat.] Quid igitur facias ſerio conſidera; quid machineris; audiſne amabilem Chriſti de te querelam? [qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, iam magnificas ſuper me ſupplantationem!] cur hoc tuum non emollit pectus? cur dulci hac querela magiſtri tui tam benigni audita, necem eius, perfide proditor, meditaris? ecce te ad pœnitentiam vocat, tuum breui ſuſcipiet oſculum fraude plenum! Cur igitur tibi, ô Iuda, ipſe es ruinæ materia & perfidiæ cauſa, ſequens diabolum ducem, & nolens Chriſtum habere rectorem? Memineris quomodo magiſtro tuo ſuauem adhibente admonitionem, vt te à ſcelere reuocaret; quomodo; tunc [condiſcipuli tui immaculati & innocentes ad ſignificationem facinoris expauerint, & omnes ſibi non edito impietatis auctore formidauerint; contriſtari enim erant, non de conſcientiæ reatu, ſed de hu-

Pſal. 17.
Philip. 4.
Pſal. 54.
Leo. ibid.

manæ mutabilitatis incertitudine: timentes ne minus verum esset, quod in se quisque nouerat, quam quod ipsa veritas præuidebat. Tu autem in hac trepidatione sanctorum abutebaris Domini patientia, & abscondite tua credebas audacia. Addidisti impudentiam sceleri, nec signo euidentiore terrebaris. Cúmque se à cibo alij, in quo iudicium Dominus posuerat, continerent: tu manum non retrahebas à paropside, quia animam non auertebas à crimine.] O induratum proditoris animum, qui per gratiam sibi oblatam non emollitur, sed resistit: non tantum diuinis inspirationibus; sed etiam efficacibus vocibus! tu semper Spiritui sancto resistis, qui claudis mentis tuæ ianuam Deo, eiusque inspirationibus, monitis, & consilijs obseratam vilis lucri dulcedine! Sed quid surdo canimus, cuius cor præsertim adeo auaritia obcœcatum est, vt nec magistri sui misereatur calamitatis, neque incredibili pijssimæ matris dolore commoueatur, neque stimulis propriæ conscientiæ compungatur, qui triginta argenteis, conscientiæ nullum habens rationem, vtriusque & magistri & matris eius Mariæ amicitiam vendidit.

De Iuda proditore ad Christum capiendum veniente, multis comitato cum gladijs, & fustibus, militibus.

CAPVT XVIII.

Matt. 26. Iudas dux latronum. Chry. c. 26. in Mat.

1. ECce inquit Christus, qui me tradet propè est, & cum eo turba multa, vt ait Matthæus, cum gladiis, & fustibus missi à Principibus sacerdotum, & senioribus populi [illorum (inquit Chrysostomus) improbitas notatur, quod eiusmodi essent illorum instrumenta.] Quod vero sponte sua sese illis offerat, clarum est, [cum non modo proditorem, (vt ait idem) non fugiat, sed & vltro ad illum occurrat, Vt per hoc illos erudiat non necessitatis omnino, aut infirmitatis fuisse rem hanc; sed ineffabilis cuiusdam diuinæ dispensationis opus.] *Ibid.*

Leo. ser. 5. de pass. Comprehensura igitur Christum turba confluxit, ducem sequens Iudam Iscarioth, qui priuilegio perfidiæ obtinuit in facinore principatum.] Quid, obsecro, Christo grauius, quam eum, quem singulari priuilegio in Apostolorum retulit album, latronum antesignanum, & magistri sui proditorem videre? heu! quot singultus, & lacrymas hæc infausta Apostoli in proditorem mutatio elicuit Christo! Si enim Iob inter grauissimas calamitates, quas, permittente Deo, toleraverat, deseri à notis, & domesticis, tanquam præcipuum numeret infortunium: [noti, inquiens, mei, quasi alieni recesserunt à me!] quos peculiari scientia, priuato experimento, necessitudine, familiaritate amicissimos ha- *Iob. 19.*

bui, quos mutua secretorum nostrorum communicatio continere in officio debebat, & stabilem inter nos efficere amicitiam, quasi alienos, & præsertim Apostolum meum Iudam recessisse à me, video! Si, inquam, huiusmodi infortunium lacrymosa hac querela Iob meritò defleuerit, quid putandum de Christo, qui non solum à suis domesticis, & notis, vidit se deserendum, sed etiam, præ oculis, ab vno ex illis se prodi, & ab altero breui negandum.

2. Si Dauidi luctuosum fuit audisse Achitophel arcani consilij sui Principem, suorum negotiorũ præcipuum gestorem, & à se ad tantam euectum dignitatem, contra se, cum rebelli filio Absalone conspirasse, illique duodecim hominum millia, ad bellum patri indicendum, collegisse, seque hostium ducem cõstituisse, totiusque Regni pacem perturbasse, ac intestini belli tumultibus excitatis, subditos contra suum Regem ad arma concitasse: quam graue Christo fuit, videre ex Apostolis suis vnum arcani consilij sui participem, & ad sublimem illã Apostolatus dignitatem assumptũ, suumque thesaurariũ, & paropsidis sociũ aduersus se conspirasse, cum rebellibus filijs, nimirum Iudæis, signo illis dato, quo in patrem benignissimũ, mundique saluatorem admoniti insurgerẽt, inhumaniter apprehenderent, turmasque ad hoc indignum facinus collegisse, seque inimicorum caput cõstituisse, vniuersũque Hierosolymitanæ ciuitatis statũ turbasse, & ad eandem secũ cõspirationem omnes concitasse! ô quanta hæc tua, perfide Iuda, in magistrum tuum feritas! quanta barbaries! quãta inhumanitas! quãta crudelitas! crudele profecto vulnus, & vsque ad ossium medullam penetrans, amici & domestici perfidia!

2. *Reg.15.*

Exaggeratur exemplis Christi dolor viso Iudã latronẽ anteſignano.

Popilij ingratitudo Valer. Max. l.5.c.3.

3. Magna sanè fuit illa crudelitas, simul & ingratitudo Popilij in Ciceronem, qui illum aliquando parricidij accusatum ita strenuè defendit, vt in eius sententiam iudices tracti illum absoluerent: ille vero tanti beneficij immemor, adeo inhumanus extitit, vt cum à M. Antonio quispiam quæreretur, qui Tullium Ciceronem capite plecteret, solus hic nequam sicarius inuentus sit, qui tam crudele facinus committere auderet, viramque illi eripere, cui suam debuit. Maior certe perfidi proditoris Iudæ inhumanitas, crudelitas, & ingratitudo, qui tot affectus beneficijs, tot gratiæ donis cumulatus, & tanta Apostolatus dignitate nobilitatus, solus tamen repertus fuit, qui tam impiam sui magistri proditionem aggredi tentaret, vitamque illi eripere, cui se totum & vitam debuit. Quam propriè huiusmodi hominis monstri moribus, & fraude insignis Doeg Idumæus typus extitit: [nec Doech figura vacat (inquit Ambrosius) qui erat custos multorum, eo quod nemo alius, nisi infructuosi gregis custos Iudæ typum proditoris impleret: ille sacerdotes Domini prodidit, Iudæ proditoris (vt ait Euchetius) personam gerens, per quem operatus est Diabolus, vt eius proditione facta in Christum, persecutionem postea Ecclesia pateretur, & occiderentur multi discipuli, & sacerdotes, & pro nomine Christi persecutionis exilia paterentur] quibus illud Augustini concinit: [nemo ausus est hominum, nec iubente Rege Saul mittere manum in sacerdotem Domini Achimelech, sed ille, qui prodiderat, sicut Iudas qui à proposito suo non recessit, & vsque in finem perseuerauit: occidit

Amb. l. 5. in Luc. c. 6.

Doeg. Iudæ typus. Euche. l. 1. Reg. c. 21. Aug in psl. 51.

Doech iſte manu ſua, iubente Rege, ſacerdotem & omnes eius:] Et Iudas iubente ſatana, à quo occupabatur, ob triginta ſolummodo argenteos., non tantum prodere Saluatorem, ſed ad necem etiam quærere properauit. [Ecce inquit Chriſtus, qui me tradet appropinquauit.] 4. O nolite dare locum Diabolo (vt monent ſacræ litteræ:) aduerſarius enim in nos (vt ait Hieronymus) ſemper eſt paratus irrumpere, & cum locum dederimus, ingreditur: ſolet autem, antequam veniat, quædam iacula præmittere, & præcurſorem aduentus ſui facere cogitationem: hanc, ſi nos in corde ſuſceptam nutrierimus, & creſcere fecerimus, cum in nobis prolem ſuam auctam viderit, & ipſe audebit intrare.] Miſit cogitationem venditionis in cor Iudæ, nutriuit illam Iudas, non extinxit, locum Diabolo dedit, intrauit in eum Satanas: Cauendum ergo ab ipſo cogitationis initio, ne paulatim cum cogitatione hoſtis in pectora illabatur; vt ad ea nos trahat vitia, ad quæ propenſionem nos videt habere [recte ait Gregorius diuidi æſtus dicitur: quia nimirum non ſinguli omnibus (ſcilicet vitijs) ſed quibuſdam vicinis, ac iuxta poſitis vitijs fatigantur. Prius enim conſperſionem vniuſcuiuſque antiquus aduerſarius perſpicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius triſtibus, alius timidis, alius elatis moribus exiſtit. Quo ergo occultus aduerſarius facile capiat, vicinas conſperſionibus deceptiones parat. Quia etenim lætitiæ voluptas iuxta eſt, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia triſtitia in iram facile labitur, triſtibus poculum diſcordiæ porrigit; quia timidi ſupplicia

Hiero. epiſt. ad Ephe. c. 4.

Iob. 38. Greg. l. 29. c. 11.

formidant, pauentibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conſpicit eos ad quæque voluerit blandis fauoribus trahit.] Et quia auaros pecuniæ auidos videt, eos ad lucra etiam illicita impellit : ſicuti clarum eſt in auaro Iuda. [Singulis igitur hominibus vitiis conuenientibus inſidiatur.]

Ab amico prodi admirandum eſt. Valer.

5. Multi fuere etiam ethnici quibus perſuaderi nunquam potuit, vt ex amico inimicus fieri poſſet. Et inter cæteros, de magno Alexandro Valerius Maximus id teſtatur. Hic enim morbo grauiter laborans, nihil antiquius habuit, quam vt ſanitatem recuperaret; vt hoſtes interim inſoleſcentes reprimere poſſet. Quare, vt optata frueretur ſanitate amicus illi integerrimus Philippus nomine, medicatum veneno poculum illi porrigit, quod dum adhuc in manu teneret Alexander, ecce tibi literas à quodam amico ſuo Parmenione accipit, quibus indicabatur caueret à Philippo, pecuniis per hoſtes corrupto, vt regem veneno interimeret : legit literas Alexander, & medicatum ori calicem admouens; altera manu literas Philippo legendas dedit, indicans nullam ſe fidem habere literis Parmenionis. [Nequeo adduci, ait, vt credam ab amico meæ vitæ inſidias parari.] Porro nihil grauius Cæſari fuit, quam cæterorum coniuratorum Brutum ducem videre, quem, præ cæteris, plurimum colebat. Hinc in hæc verba teneritudinis plena prorupit : Et tu quoque fili :] quaſi diceret, etiam tu amicorum integerrimus meæ proditor vitæ es ! Quid ni ergo Chriſtus, viſo ex Apoſtolis vno conſpirantium in ſuam vitam Principe, attonitus dixerit, præ ſtupore,

Digitized by Google

simul & dolore: Et tu quoque Iuda, vitæ meæ proditor, cinctus tot militibus ad me capiendum, & crucifigendum aduenis? idque ex insidiis, cum toties sine armatis militibus potuerim; [stultum est ergo cum gladiis, & fustibus quærere eum, qui vltro se offert, & in nocte per proditorem inuestigare, quasi latentem, qui quotidie in templo docuit: sed factum congruit tempori & personis: quia cum essent tenebræ, & in tenebroso tempore tenebrosum opus exercebant.]

Amb in illud Matt. 26. cum gladiis & fustibus.

Christus sponte obuiam procedit hostibus, quos diuini verbi fulmine in terram prosternit, eiusdemque iterum virtute solutus sui capiendi potestatem facit.

CAPVT XIX.

1. IEsus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: [quem quæritis?] communis est Patrum sententia, quam præcipue tradunt Cyrillus, Athanasius & Leo, alijque quamplurimi, Saluatorem nostrum, ab ipso natiuitatis instanti vsque ad extremum spiritum, diuinitatis opera & humanitatis adeo inter se permiscuisse, & conciliasse, vt vtriusque manifesta omnium oculis argumenta subiicerentur. Natus est quidem Christus, vt homo miseriæ humanæ obnoxius, plorans & illacrymans: sed, vt Deus, ab Angelis statim adoratur: deinde

Ioan. 18.

Diuinitatis & humanitatis opera semper coniunxit Christus.

circumcisionis notam sibi voluit incidi, vt non solum homo, sed peccator etiam, qui peccatum
Luc. 2. tamen nunquam fecit, nec dolus in eius ore inuentus, videretur in similitudinem factus peccati: sed simul nomen Saluatoris illi imponitur, nomen, inquam, Iesu, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Fugit porro in Ægyptum, vt homo, quasi impotens se à tyrannica Herodis persecutione defendere; sed, vt Deus, cum primum ingreditur Ægyptum, facit, vt ad suam præsentiam omnia in terram collabantur Idola. Præterea, vt homo, in templo præsentatur, sistiturque coram Domino, eiusque gratia par turturum, aut duo pulli columbarum in hostiam offeruntur, vt qui lege non tenebatur, hoc modo tanquam homo ad morem aliorum puerorum natus, legem impleret; sed tanquam Deus, à B. Simeone, & Anna prophetissa cognoscitur, & diuinis honoratur canticis. Insuper baptizatur in Iordane, quasi homo, originis peccato obnoxius, sed statim filius Dei, patris voce delapsa, naturalis declaratur. Esurijt quoque in deserto, vt homo, sed diuinitatis virtute per quadraginta dies sine cibo, & potu corpus suum sustentauit. Tentatus est etiam à Diabolo, vt homo, sed ecce Angeli tanquam legitimo suo Domino festini accedentes, ministrarunt: In horto denique paulo ante, se hominem tristem, pauentem, & sudantem, præ metu, ostendit: modo ibidem resumptis viribus tanquam fortissimus pugil hostes aggreditur, & diuinitatis suæ telo ex humanitatis armamentario educto, vniuersam militum turbam, cum proditore, eorum anteſigna-

anteſignano, deorſum agit inquiens [ego ſum.] quam efficax, & potens telum! [vox hæc (vt Leontius ait) non eſt hominis metuentis & velut fugitiui, ſed potius impetterriti, & laceſſentis,] qua hoſtes ad ſui velut comprehenſionem prouocauit. Proditoris quidem ſigno agnoſci noluit, ne inuitus tradi videretur, vel ſi ex ſigno agnouerunt, ſtatim vultus maieſtate ita terrebantur, vt eum agnoſcere non viderentur. Perſtrinxit fortaſſe eorum oculos, ſicut *Gen.19.* olim Sodomitarum effræni inardeſcentium libidine, qui per totam noctem oſtium domus iuſti Loth inuenire non poterant, ſicuti Ægyptij cæcitate percuſſi ſuum quiſque oſtium, quod *Sap.19.* quærebant, triduo Ægypti tenebrarum reperire minimè valebant. Et ſicuti Eliſæum videntes non viderunt Syri, nec agnouerant eſſe Eliſæum, donec illo orante, aperti ſint eorum oculi. Nouerat igitur omnia Chriſtus, & hoſtes *4. Reg.6.* nihil nouerant, quia omnia noſcentem ignorauerant. Et quamuis Iudas, [per ſpeciem pacis ſignum traditionis (inquit Leo) ſæuiore *Leo. ſer.* 10. omnibus telis oſculo præbuiſſet, & multitudo *de paſ.* furibunda, quæ ad comprehendendum Dominum cum armata militum cohorte confluxerat, inter faces tamen & laternas, lumen verum, tenebris obcæcata ſuis, cernere Dominum non videbatur, qui expectare potiùs turbas, quam declinare delegerat, ſicut Ioannes Euangeliſta teſtatur, quem quærant, nec dum inuentus, interrogat, illiſque dicentibus, quod Ieſum quærerent: ego ſum, inquit. Quod verbum illam manum ita ex ferociſſimis congregatam, quaſi quadam fulmineo ictu ſtrauit, atque per-

culit: vt omnes illi atroces, minaces, atque terribiles, retroacti corruerent. Vbi fuit ſæuitiæ conſpiratio? vbi ardor irarum? vbi inſtructus armorum? Dominus dicit, ego ſum: & ad vocem eius turba proſternitur impiorum. Quid iam poterit maieſtas eius iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicãda!] ô telũ infinitæ virtutis!

Apoc. 1. Si Sancti ceciderunt in terram obiecta Dei maieſtate, quid ni im. pij retrorſum. Eze. 2.

2. Si B. Ioannes tanta Chriſti maieſtate ſibi obiecta adeo perterritus fuit, vt ad pedes eius quaſi exanimatus corruerit, donec diuinam hanc vocem [Ego ſum] audierit cui mirum videri debet, ſi exerta diuinitatis virtute, hoc vehementi telo [Ego ſum] quo erexit amicum, proſtrauerit inimicos? ſi Ezechiel conſimili attonitus viſione ſimilitudinis gloriæ Domini, in faciem ſuam ceciderit; quid mirum ſi maieſtatis ſuæ educta virtute, hoſtes retroegerit, qui eius diuinitati quantum in ſe erat detrahere conabantur. Si Daniel ex ſimili viſione ita cohorruit, vt in terram caderet, & totus contremiſceret, qui de ſe, à proſtratu, dixit: [Ego relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quicquam virium, & audiui vocem ſermonum eius, & audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus hærebat terræ:] quid ni audito ex humanitatis veluti nube, grandi hoc tonitru [Ego ſum] omnes Chriſti hoſtes in terram corruerint! Quemadmodum igitur vbi auriga perterritus habenas amiſit, equi præcipites feruntur, & currus diſtractus labefactatur; ſic prorſus euenit his diaboli mancipiis, magno ſiquidem ſtupore hac Chriſti vocis efficacia. [Ego ſum] occupati, attonitis omnino ſimiles,

Dani. 10.

ſuo comprehendendi illum officio defuerunt, prauarumque deſignationum habenis amiſſis, creptiſque ſenſibus, protinus omnes deorſum corruerunt; [vna (inquit Leo) Domini voce ita percuſſa eſt illa multitudo, vt omnes ſimul amiſſo membrorum officio retrorſum acti eliſique corruerint, in quo vtique diuinæ erat poteſtatis indiciũ: quæ impiorũ conatus non armis cõtrariis, neque vllius creaturæ potentis auxilio, ſed ſola verbi virtute proſterneret.] Vnde merito exclamat quidã doctor] nullũ, inquiens, tale facinus Alexandri, Cęſares, Scipioneſque perpetrarunt. Nã bombardis, ſagittis, gladijs, & haſtis, ferro, vel igne proſternuntur hoſtes: vno verbo quis vnquã proſtrauit? diuina Chriſti potentia. O benignitatem, & manſuetudinem, potuiſſet illos neci dare, potuiſſet brachijs, vel pedibus, vel oculis priuare, à facinore vult deterrere, non ſupplicio afficere. Fuit vox hęc in virtute, vox Domini confringentis cedros.] *Leo. ſer. 15. de paſſ.* *Pſ. 28.* *Pſ. 54.*

3. Vides, ô propheta, illud tuum vaticinium hodie impletum: [conuertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala] retrorſum mitiſſimo verbo [Ego ſum] hoſtes actos cernis [dedit enim voci ſuæ vocem virtutis] & in terrã reſupini, vnus ſuper alium, proſtrati ſunt. In huius inuſitati facinoris figuram ſtrenuus ille dux belli Ionathas ſeſe hoſtibus olim obijciẽs, ita illos impauida fronte terrefecit, vt ante ipſum trepidi corruerint. Nonne Samſon quoque hanc Chriſti in ſuos hoſtes impreſſionem adumbraſſe dicendus, qui aſini mandibula mille Philiſtęos proſtrauit! ſic & Samgar filius Anath, qui vomere ſexcentos interemit de Philiſtinis armatos? Quãobrem optimè in Chriſtum illud propheta *1. Reg. 14.* *Iudic. 15.*

Encomium quadrat: [non permanebunt iniusti ante oculos tuos.] Ad tubarum sonitum muri Hiericuntini in terram collapsi sunt: Idolum Dagon ante Arcam Domini corruit, Oza percussus est à Domino, quia temerè arcam tetigit, & mortuus est [Vox Domini in virtute,] qua Principes sacerdotum, templi magistri, Seniores, armatique milites in terram resupini dilapsi sunt. [Vox Domini in magnificentia.] haud dubie enim Christus in hac sua voce magnificentiam suam,& potentiam voluit ostendere, vt hostes intelligerent potuisse ipsum ab illis non capi, si voluisset, & ipsos etiam ab illo interfici, qui leni verbo eos in terram prostrauit. Hinc Augustinus in illos iam sic, in terram prostratos, quasi insultans exclamat: [Vbi nunc militum cohors & ministri Principum, ac Pharisæorum? vbi terror & munimen armatorum? nempe vna vox dicentis:Ego sum: tantam turbam odijs ferocem, armisque terribilem, sine telo vllo percussit, repulit, strauit. Deus enim latebat in carne, & sempiternus dies ira membris occultabatur humanis, vt laternis, & facibus quæreretur occidendus à tenebris. Ego sum,dicit, & impios deijcit, quid iudicaturus faciet,qui iudicandus hoc fecit? quid regnaturus poterit,qui moriturus hoc potuit?] Ex hoc (inquit Gregorius)quasi indicio de illius temporis terrore coniecturam facies, quod Dominus, imminente iam passione,mitissimæ responsionis voce armatos persecutores in terram prostrauit. Quid,inquit,facturus est,cum iudicaturus venerit,qui vna voce hostes perculit,etiam cum iudicandus venit? quod est illud iudicium, quod in

Psal.5.
Iosue.6.
1. Reg. 5.
2.Reg.6.

Aug. tract. 112.in Ioan. c.18.

Greg.l.17. Mor.c.vlti.

mortales exeret, qui vna voce non potuit ferri moriturus? quis eius iram toleret, cuius & ipsa non potuit mansuetudo tolerari? Si vix paruam stillam sermonum eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?] quomodo tunc Sacerdotum Principes, scribæ, & Pharisæi vincti, & concatenati ad horribile illud, & intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit Iudex, qui iudicandus modo est, trahentur! quomodo astabunt ad glorioſum illius aspectum contremiscentes, qui modo sibilum eius vocis perferre non possunt? quomodo mæstissimam ob extremum Christi contemptum, sententiam æterni supplicij ab eo, quem hodie malè tractant audire poterunt? Cum in impios capitales sententias tulerit, eosque gehennalibus incendijs consecrauerit, quid nisi tonare, & fulminare in eos iudicabitur?

4. Si inferiorum iudicum ore prolata sententia non leuius percellit, quam si fulmineus cuneus libratur, quid supremi illius iudicis ore fulminata? tunc enim [tonabit Deus in voce sua mirabiliter] cum non solum angelica tuba, sed *Iob.37.* etiam proprio ore peccatores perterrefaciet: imo &fulminabit [contra eum fulmina mittet, & ad *Iob.41.* locum alium non ferentur.] Peccator igitur, ne inaniter speret fore, vt illud diuinum fulmen extremę iudicis sententiæ ludificetur; quanto igitur terrore, ac trepidatione reprobi consternabuntur, vbi huiusmodi, per Christum, tonitruis ac fulminibus concutientur, qui illa mitissima voce ita aduersarios perterruit, vt omnes ad illius sonum retrorsum acti, terræ allideretur, si potés ille Rex Balthazar hominis manu tria verba in

opposito pariete scribente, supra quod dici potest, expalluit, & expauit: quid facturi sunt improbi, vbi viderint non manum verba scribentem, sed supremum iudicem in se ferentem æternæ damnationis sententiam! [quid (inquit Theodoretus) non sustinuisset Balthazar, si fulmina conspexisset in suum irruentia caput, aut Angelos torue intuentes, & nouo figuræ habitu deterrentes, quorum conspectum, ne magnus quidem Daniel absque metu ferre potuit?] quid non sustinuisset, si non arguentes homines, si non accusantes Angelos, si non fulminantes cælos, sed etiam ipsum Deum mille fulmina iaculantem conspexisset. Si illa vox mansuetissima [ego sum,] non minus quam tonitruum armatos milites prostrauit, quid tandem illa vox terribilissima, [discedite à me maledicti in ignem æternum, super hoc (inquit ille) expauit cor meum, & motum est de loco suo.] Diu igitur clausos, mox eosdem ad veritatis lucem, vt monet Gregorius, oculos mentis aperiamus, & quæ egimus mala meminerimus, & quam districtus iudex contra hæc veniat, videamus: versetur in mente quantus ille sit tanti iudicis aduentus, quæ tunc illa sit hominum Angelorumque frequentia, quanta vi contra reprobos, & ardentia pugnent elementa: quam terribiliter æterna prodeat de districti iudicis ore sententia, qua reprobis dicitur; ite maledicti in ignem æternum. Eorumdem pœna ante oculos voluatur, & quæ sint gehennæ tenebræ, cum graui amaritudinis obscuritate pensetur.] vt superba nostra corda prius terrore concussa ab iniquitate sese erigant, & in amore diuino solidata

Matt. 25.
Iob. 37.
Greg. l. 27. Moral. c. 10.
Isa. 43.

audiant in extrema vitæ periodo : [ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me.] Et illud verbum aſperum [ego ſum] impiis, vobis erit conſolationi. Sicut enim denſa nubes vi ignis incluſi ſciſſa horrendum emittit tonitruum, fulgure oculos perſtringente; ſic hæc cæleſtis diuinitatis nubes, diuini ignis incluſi virtute tanta vocis potentia velut ingenti quodam boatu, vultu mirifice ſplendores congeminante, inimicorum animos ita perturbat, vt ſui impotes retro proſiliant; Chriſti amicis tãquam blandiſſimo vocis ſono, in eius amore confirmatis. 5. Vidiſtis diuerſos planè illius potentiſſimi ſimul verbi, & benigniſſimi (ego ſum) effectus, quod bonos animet, & malos exanimet. nonne Paulus diuinæ vocis tonitru in terram deiectus, hac ſuaui diuinitatis virtute in pedes erectus eſt; [ego ſum Ieſus Nazarænus, quem tu perſequeris?] nonne è contrario eadem vocis virtute inſoleſcentem compeſcuit Pharaonem, filios Iſrael ab eius tyrannide vendicando [ego ſum, qui ſum.] ego ſum, qui plagis te conficiam, ô Pharao, niſi dimittas populum meum? Ego ſum? qui populaturus totam Ægyptum, niſi Moſis obtemperes mandatis: ego ſum, qui in ictu oculi te, vniuerſumque exercitum tuum in mari rubro demerſurus, niſi pœnitentia ductus, à tyrannicæ ſeruitutis iugo populum meum expedias. Hoc verbo diſcipulorum animos ingenti terrore obſtupefactos, recreauit [ego ſum : nolite timere.] hac voce Samaritana, cum eius conciuibus ad Dei cognitionem traducta eſt, hac voce

Act. 9.

Exo. 3.

Luc. 24.

Ioan. 4.

etiam hodie suæ potentiæ magnitudinem ostendens, ita Iudam, & cæteros terrore percussit, vt retrorsum acti, sese mouere loco non possent. Et meritò quidem retrorsum egit, qui in terrenam labem ab illa cælesti gratia (vt loquitur Ambrosius) deciderunt, cum boni cadere proni in faciem supplices soleant. In faciem enim (B. Gregorio authore) cadere est, in hac vita suas vnumquemque culpas agnoscere, easque pœnitendo deflere: retro vero, quo non videtur cadere est, ex hac vita repente decedere, & ad quæ supplicia ducatur ignorare.]

Amb. l. de Ioseph. c. 11.

Greg. l. 31. Mor. c. 18.

Figuris ostenditur Christi fortitudo.

6. Modo vidistis animosum nostrum Dauidem, ad pugnam contra immanem illam belluam Iudam, imo contra tot belluas eius sanguinem sitientes; quor, eius capiendi causa, accedunt generosè festinantem! vidistis inuictum illum pugilem Gedeonem altos gerentem spiritus, cum parua militum manu, castra Madianitarum expugnare, euertere, fugare, aggredientem. Vidistis Eliam nostrum hactenus lacrymarum pane pastum, prodigiosi illius sudoris & ingruentis terrificæ mortis trepidatione penitus superata, sese ad montis, non dico Oreb, sed Caluariæ iter multis implicatum difficultatibus accingentem, qui huc vsque metu perterritus humanæ naturæ imbecillitatem ostendit, modo diuinitatis accinctum robore, prælium aggredi: [Fecit itaque hactenus, perinde, ac si quis aduersarium suum (inquit Chrysostomus) videns trepidantem, metuque fugientem, simularet imbecillitatem, quo illum ad pugnam prouocaret: mox ille qui fugiebat, respiciens ad illius imbecillitatẽ, sumpta fiducia, aggrederetur:

Chry. de pas.

Insignis strophæ qua aduersarius in pugnam prouocatur.

deinde præclarus ille luctator, qui ſimulata imbecillitate trepidantem hoſtem prouocaret, conuerſo vultu, propria illum virtute vinceret : ſic Dominus humana infirmitate prouocans aduerſarium, ſua virtute corroborat hominem aduerſus hoſtem, quem vel vnico vocis ſibilo ſtatim vicit, & in terram deiecit.

Chriſtus eadem voce qua hoſtes proſtrauit, erigit.

7. Iam vero conſiderate illum, quaſi depoſitis diuinitatis armis, ſeſe palam aduerſariorum obtutibus obijcientem, [& eadem propria diuinitatis (vt ait Rupertus) voce ego ſum] in terra proſtratos erigentem, illiſque animos addentem, quo à proſtratu reſurgerent. Eos proinde rurſus interrogat : quem quæritis ? reſpondentibus illis [Ieſum Nazarenum :] quoniam hora iam aderat ſeſe vinculis offerendi [dixi, inquit vobis, quia ego ſum. Admittit ergo in ſe filius Dei, inquit Leo, impias manus, & quod ſæuientium furore agitur, patienti poteſtate compleuit. Hoc enim erat illud magnæ pietatis Sacramentum, quod Chriſtus conſectabatur iniuriis : quas ſi aperta potentia & manifeſta virtute propelleret, diuina tantum exerceret, non humana curaret.] Et [quia ſaluando humano generi (inquit idem) alterius operis ratio congruebat, nec poſſet ſanguis Chriſti pretium credentium fieri, ſi redemptor ſe non ſineret comprehẽdi : admiſit in ſe impias manus, & cohibita eſt potentia Deitatis, vt peruenirent ad gloriam paſſionis.] & alibi [Dominus in hac poteſtate non perſtitit, ſciens quod magis myſterio ſuſcepto conueniret, ſed perſecutores ſuos in facultatem diſpoſiti ſceleris redire permiſit. Nam ſi teneri nollet, non vtique teneretur. Sed quis vnquam poſſet

Leo. l. 15. de paſ.

Leo ſer. 1. de paſ.

saluari, si ille se non sineret comprehendi!] imo inquit, [contra Sacramentum erat redemptionis nostræ, vt qui mori pro omnibus venerat, capi nollet, ne dilato glorioſæ crucis triumpho, & dominatio diabolica fieret longior, & captiuitas humana diuturnior.] Hinc in se potestatem illis fecit sed [antequam (inquit Augustinus) tanquam agnum mitissimum lupis se traderet, leonem se esse de tribu Iuda potenti voce & veluti rugitu demonstrare voluit.] ea igitur voce, qua hostes terruit, animat. Si igitur me quæritis præsto sum, non reluctabor amplius, satis vobis occasionis præbui, vt à tanto scelere, perspecta vocis meæ potentia, abstineretis. Et ne quis me accusare posset, quod sine vlla potentiæ meæ demonstratione in hostium manus me tradidissem, neque non fuisse comprehensuros, si quid meæ cognouissent potentiæ, infinitam illis ostendi, cum leni voce, qua illos humi prostraui, & rursus eadem erexi, ostendi. Sed frustra, traditi enim sunt in reprobum sensum, & obscuratum est insipiens cor eorũ, vt videntes non videant, & faciãt ea quæ non conueniunt, & minime percipiant ea quæ salutis sunt: quare cum neque potentia, neque luculentis mei in eos amoris argumentis ad cor redire velitis, permitto me capi iam à vobis, vocis meæ potentis metu solutis, ne salutis humanæ vnicum impediatur remedium. Nam [si nunquam me à vobis permitterem apprehendi, non quidem vos faceretis, propter quod veneratis, sed nec ipse facerem, propter quod veneram. Me quippe vos occidendum quæritis sæuiendo, sed ego quæro vos, & ipse moriendo.]

Aug. trac. 112. in Ioan.

Rom. 1.

Aug. trac. 112. in Ioan. c. 18.

De ementitæ pacis oſculo, per Iudam, Chriſto dato.

CAPVT XX.

1. OBſeruatum eſt (inquit Macrobius) à ſacrificantibus, vt ſi hoſtia, quæ ad aras duceretur fuiſſet vehementius reluctata, oſtendiſſetque ſe inuitam altaribus admoueri, prorſus amoueretur; quia inuito Deo eam offerri putabant: quæ vero ſtetiſſet oblata, hanc volenti Numini dari exiſtimabant. Certè hoc ipſum in hac hodierni diei victima obſeruandum. Si enim filius Dei coactus, & inuitus ad victimam carnificum manibus admoueretur, & extremum nobis malum portendiſſet, & minus grata Deo eius oblatio foret. Verum quoniam non modo oſtendit ſe ſponte ad crucis aram duci, ſed etiam obtulit ſeipſum vltrò ſacrificantium cultris, neque aperuit os aſpero aliquo, ſed ſuauiſſimo potius verbo [Ego ſum] agnus innocentiſſimus in tanto miniſtrorum fremitu, qui cum gladiis, & fuſtibus veniẽtes vidit, nihil aliud proloquutus, quã; [quem quæritis?] licet ſeſe ad arã iugulandũ poſtea ducendum cerneret, quod & nobis infinitũ portendit bonum, & Deo patri infinitè eius oblationem placuiſſe oſtendit. Sed ecce perfidus proditor nefariorũ fretus comitatu, & pecuniæ deſiderio inflãmatus, veluti latronũ anteſignan⁹ perfidiam anhelans, & cædem ſpirans; procedit, dato multitudini ſigno, quo Chriſtus agnoſceretur: [quẽcunque, inquit, oſculat⁹ fuero, ipſe eſt, tenete eum.] Hoc vero proditionis ſignum à perfido

Macrob. l. 3. Satur. c. 5.

Victima non inuita placet Deo, inuita diſplicet.

Iuda traditum eſt, vt multi autumant, ne pro Chriſto Iacobum Domini fratrem, qui vultu & moribus Chriſtum referebat, caperent, vel potius (vt noſter Suarez opinatur) inde factum, ob nimiam ac ſolicitam Iudæ cupiditatem, qui ne errore aliquo è manibus militum Chriſtus elabi poſſit, ſignum huiuſmodi dedit, vt ex illis eius verbis clare apparet: [tenete eũ,& ducite cautè] ne ſicuti alias, quando nimirũ tranſiens per medium volentium eum è montis ſupercilio præcipitare,euaſit,& vbi alias ſeſe abſcondit ab iis qui lapidibus illum obruere feſtinabant; ſic ſeſe etiam veſtris ſubducat manibus. Ferebatur itaque pecuniarum helluo ſemper eadem pecuniæ cupiditate, quia nondum illam acceperat, ſed promiſſa tantum ei erat,vt legenti Euangelium facile apparet. Hac ergo de cauſa(inquit Suarez) ſolicitus fuit in eo ſigno præſtando, & quia nox erat [occubuerat enim (vt ait Laurentius Iuſtinianus) Iudæ ſol iuſtitiæ, & fulgentiſſima caritas ſapientiæ: nocte tenebricoſa circumfuſus erat infelix proditor, ideo tenebrarum vacabat operibus, Chriſti radios repulerat,ideo craſſiſſima caligine replebatur: ſupercecidit ignis & non viderunt ſolem.] Vere (vt ait Auguſtinus) [ſupercecidit in Iudam ignis concupiſcentiæ argenti: ex die noctem fecit, ex Apoſtolo traditorem; ſolem iuſtitiæ Chriſtum non vidit.] Nox ergo erat, & ideo facile in perſona errari poterat, & præterea quia cohors militum Romanorum, quæ ad Chriſtum capiendum veniebant, facile poterat eum de facie non agnoſcere.

Marc. 14. Luc. 4.

Suar. to. 2. in 3. p. q. 46. art. 8. diſtinc. 34. Sec. 3.

Aug. in Pſal. 57.

2. Hæc fuit prima iniuria, quam in hac apprehenſione, per ſuum Apoſtolum Chriſtus tolera-

Digitized by Google

uit, quæ certe ingens fuit, in qua ferenda Chriſtus eximiam tum patientiam, tum charitatem oſtendit. Impius vero Iudas inſignem declarauit animi ingratitudinem, præcipitemque mentis cæcitatem, adeo vt Hieronymus illius ſit ſententiæ vera fuiſſe Chriſti miracula Iudam non credidiſſe, ſed potius magicis artibus ab eo effecta, alioqui minime exiſtimaſſet ſe Chriſto imponere potuiſſe, ſimulato pacis ſigno. [Miſer, inquit, Iudas, & tamen nulli miſerabilis eadem infidelitate, qua magiſtrum, & Dominum tradidit, putabat ſigna, quæ Saluatorem viderat facientem non maieſtate diuina; ſed magis artibus facta, & quia eum forte audierat in monte transfiguratum, timebat ne ſimili transformatione elaberetur è manibus eorum miniſtrorum.] Vt vt eſt, tam nefandum hoc ſcelus fuit, vt ipſe diabolus minime auſus fuerit huiuſmodi perſuadere Iudæ, quam diu [in aliorum numero (vt ait Chryſoſtomus) fuit, non eſt auſus in illum ingredi, ſed extra oppugnabat, poſtquam vero palam factus eſt licenter iam erupit, neque enim inemendabilis erat amplius in aliorum numero tolerandus, ideoque eijcitur.] Hinc Euangeliſta: [& continuo eximit] diabolo celeriter illum abducente, ne in Sanctorum conſortio aliqua illi ſpes effulgeret pœnitendi.

Hiero. in Mat. c. 26.

Chry. hom. 71.

3. Cur autem huiuſmodi præter alia maluit impudens proditor ſignum dare? nimirum, vt qua re militibus Chriſtum proderet, eadem (vt ipſe perperam putabat) Chriſtum proditionem ſuam celaret, non celaturus, ſi aliquo inuſitato proditionis ſigno vteretur. Hoc vero amoris oſculum apud Iudæos ſolenne fuit, quo mutuum inter ſe

amorem ſignificarent, fouerentque. Hinc Chriſtus phariſeo: [oſculum mihi non dediſti.] Hoc itaque pacis, & amoris ſigno exiſtimabat perfidus proditor poſſe ſe Chriſto ſceleratam mentis intentionem occultare, cum ipſe infidelis eſſet, nec verè Chriſtum crederet (vt ex Hieronymo diximus) Deum eſſe. Imo id ipſum Chriſtus ipſe
Ioan. 6. videtur ſignificaſſe: ſed ſunt, inquiens, quidam ex vobis qui non credunt: [agebat autem tum cum Apoſtolis: id vero ob Iudam dictum, hiſce ſubiectis verbis Euangeliſta indicauit:] ſciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum. [Siccine homo nequiſſime ſimulatæ pacis, per ementiti amoris ſignum bellum Chriſto inſidioſè indicis? Siccine
2. Reg. 20. tanquam alter Ioab interficere pacis oſculo mundi Saluatorem aggrederis! & vt hoc ſcelus tegas, ad oſculum Chriſto dandum properas, quo homicidalem occulte diſtringas gladium, Chriſtique iugulum petas; non ſecus atque Ioab Amaſam fictæ amicitiæ ſigno, inquiens] ſalue mi frater] aggreſſus eſt manu dextera mentum eius tenens, & quaſi oſculans eum, ſubdolo
Hiere. 9. gladij ictu inteſtina eius in terram effudit. Sic[in
Hierō. epiſt. ad Letam. ore tuo pacem cum amico loqueris, & occultè ponis ei inſidias?] [Venena (inquit Hieronymus) non dantur, niſi melle circumlita: & vitia non decipiunt, niſi ſub ſpecie vmbraque virtutum.] Et tu impiiſſime, ſub ementitæ pacis oſculo venenum occultas, & ſub ſpecie amici mortem irrogas! Saul quidem abſtulit prorſus Magos, & Ariolos de terra, eoſque interemit, qui Pithones habebant in ventre; ſub ſpecie nimirum zeli religioſi crudelitatem ſuam abſcondens, &,

Digitized by Google

vt volunt Hebræi, regnandi ambitionem. Ideo enim eos interfecit, quod Dauidem regno potiturum prædicerent: non autem quod ex dæmonis præſcripto contra diuinam legem id vaticinari viderentur. Abſalon Regi Dauidi ait, [vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron:] laudabilis quidem Abſalonis pietas, ſed ſub ea tegebatur in Regem proditio, & in fratrem Parricidale odium. Nam ad illas ſimulatæ pietatis, & votorum ſuorum aras à populo, patre eius contempto, Rex eſt conclamatus. Caiphas ſub ſpecioſo conſilio abſcondit ſuam impietatem: [expedit, inquit, vobis, vt vnus moriatur homo, & non tota gens pereat.] Sub hoc boni communis zelo ſacrilegam Chriſti necem occultabat: quaſi diceret: ne tota pereat Gens Iudæorum, vnus crucifigatur Ieſus. Et denique bellua truculentiſſima Iudas, ſicut antea ſub falſæ miſericordiæ pallio incredibilem texit auaritiam, & rapinis aſſueris pulchro pietatis in pauperes velo pecuniæ auiditatem adornabat dicens, [vt quid perditio hæc? poterat enim hoc vnguentum venundari trecentis denariis, & dari pauperibus] quod vero non pauperum gratia, ſed ſuæ auaritiæ explendæ, hoc dixerit, Euangeliſta ſatis exprimit: [dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, loculos habens] ſic modo ſub ſpecie arctioris amicitiæ cum Chriſto, oſculum perfidiæ plenum, offert: ſic quilibet, ſcelus animo conceptum, priuſquam executio-

1. Reg. 28.

2. Reg. 15.

Ioan. 11.

Ioan. 12.

ni mandet, aliqua virtutis ſpecie ornat, ne eius turpitudo appareat, & à deſtinato ſic ſibi propoſito illius fœditate impediatur. Vnde recte Bernardus. [glorioſa, ait, res eſt humilitas, qua ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat.]

4. O impudentiſſime mortalium! non ſatis tibi fuit inſidias magiſtro tuo ſtruere, per pacis, & amoris ſignum, niſi etiam cautè illum ducendum, ne elaberetur, prædonibus, inexplebilis auaritiæ fœcibus incenſus, intimares! [Tenete eum, & ducite cautè] quam verè dictum ab Origene: [cor tuum, in quo proditionis facinus ſtruebatur, crumena diaboli!] Quid ergo diaboli mancipium ais? quomodo illum tenere poſſint, niſi ipſe ſponte ſua ſe vobis offerat? quomodo cautè duci poteſt, ne elabatur, qui omnem viam, & rationem ſeſe è veſtris manibus eripiendi nouit? hoc ipſum ipſe videris ſuſpicari, impie proditor, qui illis ſuggeris, vt cautè eum ducant. Sed, ô nequam, præter intentionem quidem tuam, nobis rationem præſcribis Chriſtum cautè tenendi, neſciens prophetizando, ſicut alter Caiphas, quid diceres. [Tenete eum & ducite cautè.] Signum quoque nobis ſuggeris, quo Chriſtum & agnoſcamus, & ad noſtræ animæ ſalutem comprehendamus. [quemcumque inquis, oſculatus fuero.] Tu quæris Chriſtum fraudulento ementiti amoris oſculo ad necem, execrabili inſtigatus auaritia; ſed malè quærendo nos doces illum bene quærere, per veræ pacis & ſinceri amoris oſculum; doces, & ſtricto ardentiſſimæ charitatis vinculo ita eum tenere, vt nunquã è noſtris manibus, ſemel amore captus, eripiatur. [Quæſiui (inquit illa) quem diligit

anima

anima mea. Quæ virtus (exclamat Bernardus) adſcribi poteſt non quærenti Deum? aut quis terminus quærenti Deum? exiſtimo quia nec cum inuentus fuerit ceſſabitur à quærendo, non extundit deſiderium ſanctum felix inuentio, ſed extendit. Nunquid conſummatio gaudij, deſiderij conſumptio eſt? oleum magis eſt illi. Nam ipſum deſideriũ flamma. [Et ſubditur,] tenui eum, nec dimittam. [quibus verbis incredibilem in ſponſum amorem oſtendit] bene quæritur (ait quidam Doctor) vt vinculis amoris quærentis conſtringatur; male quæritur, vt vinculis odij à quærentibus colligetur, [quærit eum Iudas ad necem, quærit ſibi ad perniciem:] at omnis inter nos anima quærens Deum (inquit Bernardus) ne magnum bonum in magnum ſibi detorqueat malum, nouerit ſe præuentam in illo, & ante quæſitam, quam quærentem [quærit ergo anima bene Deum, ſed non niſi quæſita] quærit anima verbum cui conſentiat ad correptionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui imitatur ad virtutem, quo reformetur ad ſapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad iucunditatem. [Iudas è contrario quærit verbum, cui diſſentiat vita, & moribus, quo obcæcetur ad Dei cognitionem, cui repugnet ad ſuam ſalutem, quo deformetur ad inſipientiam, cui proditionem ad ſempiternum dedecus inſtruit, cuius anima proinde non Deo, ſed dæmoni ad omnem turpitudinem maritatur, quo fruatur ad extremam calamitatem. Quot vero verba Chriſti ſponſa profert, tot argumentis ſuum erga ſponſum, quem inuenerat, teſtatum facit amorem. Vbi enim inuenit, quem

Cant. 3.
Ber. ſer. 84. in Cant.
Ber. ſer. 84. in Cant.
Ber. ſer. 85. in Cant.

dilexit, ſtatim ſubiecit [tenui eum:] quo indicauit ad primum dilecti conſpectum ſe ita amoris impetu fuiſſe impulſam, vt illico ad eum feſtinauerit, illumque apprehenderit, apprehenſum fortiter tenuerit, ne è ſuis elaberetur manibus. Tenendus ergo eſt infra animæ noſtræ viſcera, non vi, ſed virtute, non funè, ſed amore, non ferreis compedibus, ſed charitatis funiculis. Quare ſcitè Richardus: [gratia, inquit, inuenitur Chriſtus, ſed mundtitia in hoſpitium cordis introducitur: iam animam viſitauit, ſed donec munda ſit, non eſt digna, vt moram cum eo faciat. Ad hoc iuuari ſe petit per orationis inſtantiam, dicens: tenui eum, nec dimittam.] Et nos ita cautè, & diligenter exacta eum ſeruabimus cuſtodia, vt nunquam (Deo fauente) illum ſimus dimiſſuri, donec cum eo in cruce commoriamur. [Fortiter tenet ſponſa, quem diligit: quid hoc tenacius glutino, quod nec aquis (inquit Bernardus) eluitur, nec ventis diſſoluitur, nec ſcinditur gladiis?] Ecce quomodo prudens ſponſa voluntate teneat, & amore poſſideat, nec amittat quem ſemel inuenit. Hoc itaque theſauro inuento, & è manibus proditoris erepto, cum Bernardo, præ lætitia, exclamemus: [O Ieſu, Ieſu reſurrectio mortuorum, vita viuentium, ſalus æterna credentium, totus dulcis, totus amabilis, totus delectabilis quærentibus te, diligentibus te, inuenientibus te.]

Rich. in c. 6. in Cant.

Ber. ſer. 79. in Cant.

Ber. ſer. 13. in cœna Domini.

5. Verum, vt Chriſtus furiam hanc, ludam dico, molli ſermone, & amicabili reprehenſione ad ſuam agnoſcendam reuocaret perfidiam, illum accelſit, vt & quam [promptus ad paſſionem fue-

rit ſpiritus, inquit Bernardus, quid enter oſtenderet, quando venientibus vnà cum proditore ſuo viris ſanguinum & quærentibus animam eius cum laternis, & facibus, & armis per noctem vltro occurrit, & ne quid acciperent à duce flagitij ſe ipſum manifeſtauit. Nam accedentem ad oſculum ſanctiſſimi oris eius trucem beſtiam auerſatus non eſt, ſed os in quo dolus inuentus non eſt, ori, quod abundauit malitia, dulciter applicuit. Innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi? quæ conuentio tui ad Belial? Sed & hoc benignitatis tuæ, Domine, fuit, vt omnia illa exhiberes, quæ praui cordis pertinaciam emollire poſſent. Nam & veteris amicitiæ non immemor illum commonuiſti, dicens: amice ad quid veniſti? Iuda oſculo filium hominis tradis?] Ecce quali artificio adamantinum proditoris pectus emollire aggreditur, vt ex proditore fidelem efficiat, & vt ferreum eius animum acutiſſima amoris ſagitta penetret! Non minatibus, & aſperioribus verbis illum conuenit; amice, inquiens, ad quid veniſti?] & vt ex ſincero amore intelligeret Chriſtum loqui, oſculandum ſe præbuit illi (eo affectu (vt loquitur Paulinus) quo & inimicos diligi iuſſit, amicum oſculum dedit, pacis inimico, dilectionem reddens pro odio, qui pro ſua dilectione odium recipiebat.] Vocat eum ex nomine proprio, Iuda ſiccine filium hominis oſculo tradis? probè ſciens proprij nominis compellationem, neſcio quid ſuauitatis, & amicitiæ ſonare, & quod ad commiſerationem alliciat, continere, ſeruum minime eum vocauit, ſed ad

Ber. ſer. de paſ. 1.

Paul. epiſt. 2.

se illum trahere conatur magni illius Patriarchæ Iudæ nomine, illum amicè, & blandè compellans, & supplex cum obsecrationibus deprecans illius conuersionem flebili, ac lamentabili voce ad suæ misericordiæ vlnas allicit. Sed [non respondit: ore proprio, inquis, deprecabar illum, amice ad quid venisti? Iuda osculo filium hominis tradis? & preces meas audire contempsit] [quid (inquit Ambrosius) ad humani oculi venustatem, quo amicitiæ insigne, humanitatisque præfulget, in quo plenæ caritatis fidelis exprimitur affectus. Vnde & Dominus, velut prodigij genus, in proditore condemnans ait: Iuda osculo filium hominis tradis? hoc est, caritatis insigne conuertis ad signum proditionis, & infidelitatis indicium? pacis hoc pignore veteris ad officium crudelitatis? bestiali igitur oris obsequio inferentem potius necem, quam caritatis fœdera deferentem diuinę arguit vocis oraculo.] O quanta, Iuda, tua improbitas, quanta cordis durities, quæ mansuetudine peior efficitur, obsequiis in scelere induratur indubiis veri amoris argumentis in proditione firmatur. Quam graphicè adamantinum tuum cor Bernardus depingit [quæris à me quid sit cor durum?] cor certe præ cæteris improbi Iudæ [quod nec se ipsum exhorrescit, quia se ipsum non sentit;] cum transierit in diaboli naturam à quo possidetur, [quod nec compunctione scinditur] sed reijcit omnem diuinam inspirationem, qua compungi possit [nec pietate mollitur] Christi nimirum amantis etiam impium, [nec mouetur precibus, minis non cedit, quin etiam flagellis duratur magis:] quoties non modo precibus; sed etiam

Amb. in illud Luc. 22. Iudæ osculo filium.

Ber. l. de consi. ad Eug.

lacrymis fruſtra illum flectere Chriſtus tentauit, quibus & minas adiunxit [væ autem homini illi & inſtar incudis flagellorum ſibi imminentibus ob Chriſti proditionem verberibus indurabitur. [Ingratum ad beneficia,] quibus eum Chriſtus cumulatim affecit [ad conſilia infidum, quibus eum à proditione reſipiſcere ſuaſit [ad iudicia ſæuum,] innocentem, & Dei vnigenitum triginta argenteis vendendo : [inuerecundum ad turpia.] quid turpius, quam vendere magiſtrum, & prodere patrem tam benignum? [Impauidum ad pericula.] nam Apoſtolis trepidantibus, Chriſto inſinuante proditionem in cœna, nullo pauore concutiebatur: [inhumanum ad humana :] perſecutus eſt enim hominem, & mendicum, & compunctum corde mortificare: [temerarium ad diuina :] non eſt enim veritus prædo nequiſſimus fœdiſſimo ore immaculatum, & ſanctiſſimũ Chriſti os ex oſculari. [Præteritorum obliuiſcens] magiſtri ſui beneficiorum, quibus ipſum abundè cumulauit. [præſentium negligens] gratiæ nimirum oblationis, & peccatorum veniæ, ſi reſipiſci voluiſſet. [Futurorum improuidum :] vitæ nimirum infami laqueo abrumpendæ, ventris diſrumpendi, viſcerum effundendorum, & imminentis ſempiterni ſupplicij. [Et, vt breui cuncta horribilis huius mali mala complectar, cor durum eſt quod nec Deum timet, nec homines reuereretur.] quod maximè in perfidi proditoris cor quadrat, quod neque Deum timuit illius vnigenitum hoſtibus vendendo, in cuius manus incidere horribile eſt, nec homines coapoſtolos ſuos, nec filium hominis Chriſtum, quem *Pſal.* 108.

Greg. l. 11. Mor. c. 5. inhonorat reueretur, nec eius verba audit. [Non mirum (inquit Gregorius) si à corde reprobo prædicator minime auditur, dum nonnunquam ipse quoque Dominus in his quæ loquitur resistentis moribus impugnatur. Iudas enim diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit : quia exigente culpa malitiæ iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. Amice ad quid venisti? osculo filium hominis tradis?]

6. O Hypocrita, typus non modo malè adulantium, & amicos traducentium, sed etiam homicidarum, qui Deo, hominibusque exosi sunt, & præsertim Caini fratricidæ, quem Deus ipse conuenit, blandè alloquutus compellauit, paternis sermonibus emollire ferreum illud pectus voluit : sed frustra laborauit; sicuti hodie perfide proditor, tu [admonitus blandè vt à scelere quiesceres, auxisti insolentiam (vt loquitur Ambrosius) acerbasti flagitium. En quid amplius debuit facere, & non fecit Dominus Caino, sicut & Christus tibi! profecto excusationem non habes de peccato tuo. Maledictus furor tuus, quia pertinax.] Ecquid mirum maledictionum pœnis te subijciendum cum Caino: nam sicuti ille, sic tu diaboli extitisti organum, intrauit enim in te post buccellam (vt ait Ioannes) satanas, quo signo aduersarij perspecto, Christus statim subiecit: [quod facis, fac citius:] quæ verba (vt Cyrillus, & Origenes bene obseruarunt,) non ad Iudam, sed ad diabolum, qui iam in Iudam introierat, dicta sunt à Domino, tanquam hostem ad extremum certamen prouocante: [verba, aiunt, sunt non præ-

Amb. l. 2. de Abel. c. 8.

Ioan. 13. Sathanas introiuit in Iudam.

cipientis, ſed aut exprobrantis, aut aduerſarium iam prouocantis ad pugnam.] Diaboli itaque impulſu è ſacro Apoſtolorum collegio Iudas confeſtim exiuit, vt deſignatum animo ſcelus perficeret. [Quid illud (inquit Ambroſius) vt quia introierat in illum ſatanas, ipſe abiret à Chriſto. Eijcitur itaque & excluditur, eo quod iam cum Domino Ieſu eſſe non poſſit, qui cœperat eſſe cum diabolo: nulla enim communicatio Chriſti ad Belial: vnde ſtatim imperio expulſus abſceſſit.] *Ambr. de Cain. & Ab. l. 2. c. 4.*

7. Quemcumque inquit oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. O Iuda [iam non ouina pelle velatus, ſed lupino furore (vt ait Leo) manifeſtatus, vim ſceleris, per ſpeciem pacis, inſipiens, ſignum traditionis ſeueriore omnibus telis oſculo præbes.] Mentitum hoc tuum pacis ſignum magiſter tuus benigniſſimus non refugit, ſed amplectitur, vt ſua benignitate tuam expugnet malitiam, & tu infelix interim [venenum infundis oſculo, quo gratia charitatis infunditur! oſculo, quod ſacrę pacis inſigne eſt! oſculo, quo amicitia fida firmatur! oſculo, quo fides ſancta ſignatur! Hoc ergo oſculo tradis periculo, quem propter oſculi commercium venerari deberes! oſculo tradis filium hominis, homo nequiſſime, qui propter hominum ſalutem deſcendit de cælo! Filium hominis tradis, qui te ex peccatore Apoſtolum fecit! Filium hominis tradis, qui venit, vt in ſanguine ſuo omnium peccata diluerет! Ego oſculum non nego, ipſe videris, qui violaueris oſculi ſanctitatem.] Accedentem amplectitur Chriſtus: ſed, ô bellua, quomodo audes impudenti, & frontoſo vul- *Leo. ſer. 1. de paſ.* *Ambr. in Pſal. 39.*

Ber. ſer. 84. in Cant.

tu ad illum, quem ſceleratiſſima contempſiſti, accedere? [quid? digna latebris quæris lucem, & curris ad ſponſum, dignior plagis, quam oſculis? mirum ſi non pro ſponſo iudicem offendas?] qui animo nocendi accedis, ô Iuda, Iuda ſiccine oſculo filium hominis tradis? quo potius ad meliorem reuocatus mentem, relictis latronibus, nouo gratiæ fœdere te Chriſto deuincire

1. Reg. 24

deberes. O efferum pectus [confregit Dauid olim viros ſuos ſermonibus, & non permiſit,

Hiero. epiſt. ad Ruſt.

vt conſurgerent:] at Chriſtus neque te verbis, neque beneficiis, neque lacrymis emollire poteſt. Hinc Hieronymus [Iudas de Apoſtolatus faſtigio in proditionis tartarum lapſus, nec familiaritate conuiuij, nec intinctione buccellæ,

Rom. 12.

nec oſculi gratia frangitur: Et Chriſtus præueniens Apoſtoli ſui iuſſum [ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum] præueniens, inquam, nihil omiſit, quod ad proditoris conuerſionem facere oporteret, ſed ipſe inſtar araneæ è Chriſti beneficiis, ni-

Amb. l. 3. de Spiritu ſancto. c. 18.

hil, præter venenum ſibi collegit, & quod ad ſalutem debuit ſumere, ſumpſit ad ſui perniciem, & [amoris pignore ſcelus impleuit, & pacis inſtrumento odia ſeuiſti, & charitatis officio mortem irrogaſti.]

8. O inſenſate traditor, quis tibi mentis oculos faſcinauit, vt putares tuũ Chriſto flagitiũ ementitæ pacis oſculo occultare! ô [inſidiator Saluatoris (exclamat Auguſtinus) venditor Redemptoris, iam talis venerat, & ſe ignorari arbitrabatur; ſed non ignorabatur ab eo, cui cor illius

Auguſt.

Digitized by Google

intimæque cogitationes patebant omnes. Liberauit te hoc errore Chriſtus cum ſceleris patrandi commonefecit.] Non meminiſti, perfide prędo, Chriſtum aliquando ſeſe cordium ſcrutatorem oſtendiſſe, cum Scribarum, & Phariſæorum intimas penetraret cogitationes? non meminiſti quomodo Samaritanæ omnia quæcunque clam commiſit, palam indicauerit; & putas ementitæ pacis ſigno illi imponere? vt video pecuniæ te cupiditas faſcinauit, & ad hoc inauditum ſcelus inflammauit. [O ſignum (exclamat Auguſtinus) ſacrilegum! ô placidum fugiendum! vbi ab oſculo incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur ſacramentum! officio ſanguinem fundis! pro pignore amoris vulnus infligis! pacis argumento mortem immittis! ſeruus dominum tradis! diſcipulus magiſtrum prodis!] ô ſponſa, ſponſa, ô Eccleſia, Eccleſia, ô animæ ſanctæ, ad vos, relicto pauliſper infami proditore, conuertor. Quomodo, dicite mihi, impius traditor oſculum illud quod tot deſiderijs, tot ſuſpirijs, tot lacrymis deſideraſtis, hodie vobis præripuit, quod in ipſa incarnatione vobis dedit ingeminantibus [oſculetur me oſculo oris ſui.] Factum eſt, ait Rupertus, quod optauit Eccleſia, venit dilectus, atque omnium gratiarum delibutus vnguentis, in ſecreto virginalis vteri cubiculo, diu deſideratum oſculum dilectæ porrexit:] & modo præuenit vos Iudas, vltimum valedictionis oſculum vobis præripuit, niſi fortaſſe inclinato capite in cruce moribundo ſeſe ad oſculum vobis offerenti, recuperetis. Properate igitur, ſequimini ſponſum veſtrum, Iuda in malam crucem abeunte, vt quod ipſe ſacrilego ore vobis

Ioan. 4.

Aug. ſer. 46. de diuerſis. 10.

Pacis ſigno Chriſtus proditur.

Cant. 1. Rupert. hoc loco.

prætipuit, duplici cum fœnore recuperetis, pergite, pergite, [numquid iraſcetur quæſitus, qui etiam contemptus diſſimulauit? quin imo, non repellet requirentes, qui & contemnentem requirit.] Nonne ad ſuam rurſus amicitiam proditorem recuperandam quæſiuit, dicens: [amice ad quid veniſti? & horrore ſceleris ſui cor impij fe-

Ber. ſer. 84. in Cant.

Ber. ſer. de paſſ.

rire voluit] ingeminas: Iuda oſculo filium hominis tradis? Vobis, ſi perſeuerare velitis in Chriſti inquiſitione, & ſequela, oſculum à paſſione reſeruabit omni benedictione plenum, ſed cauendum ne interim ex vobis aliqui indignè ter auguſtum illud Dominici corporis, & ſanguinis ſacramentum ſumant, quoties enim indigni illud ori ac ſtomacho ingerunt, toties etiam proditorio Chriſtum oſculo ad Caluariæ montem, cum Iuda, & ſatellitibus trahimus: Quicunque enim in fœdã cõſcientiæ cloacam ſceleribus oppletam, Chriſti corpus introducit, maiori illum afficit dolore, quam lictores ipſum ad montem Caluariæ ducentes.

9. Inter cæteros grandius ſacrilegium committunt ſacerdotes, qui polluto ore, & manibus ſacroſancta myſteria tractant; cum & ſacrilega oſcula Chriſto infigunt ſuſcipientes eius corpus, & ſanguinem, & contaminatis manibus illud toties contrectant; audiant in ſe fulmen per

Mala. 1.

Malachiam intortum [ad vos, ô ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: in quo deſpeximus nomen tuum? offertis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis: in quo polluimus te? in eo, quod dicitis: menſa Domini deſpecta eſt.] Ecce quam inſigniter falſa, & ſacrilega ſacerdotum oſcula polluendo cæle-

Digitized by Google

ſtem panem, ore, & manibus, perſtringat! [polluimus itaque (inquit Hieronymus) panem, id eſt, Chriſti corpus, quando indigni accedimus ad altare, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus, & dicimus: menſa Domini deſpecta eſt: non quod hoc aliquis audeat dicere, ſed opera peccatorum (& maximè ſacerdotum) deſpiciant menſam Dei, quoties tremendum illud Chriſti corporis, & ſanguinis ſacramentum indigni conficiunt, & fraudulento Chriſtum oſculo toties inimicis tradunt. ô ſacerdotes vobis itaque plurimum cauendum, qui Chriſtum toties oſculamini, & intra pectoris veſtri anguſtias ſuſcipitis. Cauendum itaque, ne perfido Iudæ oſculo eum defœdetis, & in cloacam, cum Iudæis, illum conijciatis: quid indignius, quam cæleſtis Euchariſtiæ pretioſiſſimam margaritam porcis, & lutulentis canibus proiicere? [qui Dominicum (inquit Cyprianus) corpus inuadunt, vis infertur corpori Domini, & plus modo manibus, atque ore delinquunt, quam cum Dominum negauerunt] Iudæi. Imo Chriſtum iterum crucifigunt, & derident: quemadmodum diſertis verbis Apoſtolus oſtendit: [rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes:] in quem locum ſic Clemens Romanus [crucifigunt Dominum, iterum eum interimunt, derident diuina, eludunt ſancta, inſultant ſpiritui, ſanguinem ſanctum, veluti communem contemnunt, peccant in mittentem, in paſſum, & in teſtificantem!] in Patrem nimirum, Filium, & Spiritum ſanctum: quod & impius proditor proditorio oſculo fecit,

Hiero. in illud Malach.

Cyp. l. de lapſis.

Heb. 6.

Clem. l. 6. c. 15.

Caueant sacerdotes corpus Christi dare indigne. Mat. 7.

10. Deinde cauendum est sacerdotibus, ne Christi corpus spurcis exosculandum præbeant peccatoribus [nolite (monet ipse Dominus) Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi dirumpant vos.] quid, obsecro, hoc loco sanctum? [quod corrumpere (inquit Augustinus) nefas est] quid canes? [impugnatores (vt idem ait) veritatis;] quid margaritæ? [quæcunque (ait Augustinus) spiritualia:] cum ergo nihil spiritualius, nihil cælestius, nulla pretiosior gemma Christi corpore, canibus, aut porcis minimè tribuendum est, grauius enim peccaret, quam ipse Iudas Christum exosculando, qui tam indignis Christi corpus exosculandum, & in sputcissimi corporis sentinam detrudendum, exhiberet. Audiant proinde Chrysostomum [animam prius, inquit, tradam meam, quam Dominicum corpus alicui indigne: sanguinemque meum effundi potius patiar, quam sanctissimum illum sanguinem, præterquam digno concedam. [oblatio enim munda, non nisi à mundis, & iustis sumenda est: alioqui non vitam, sed mortem sibi sument.]

Aug. de verb. Domi.

Chry. ho. 83. in Mat.

Ibid. Cauendum laicis ne Christi corpus indigne sumant.

11. Denique cauendum etiam laicis, ne doloso, instar Iudæ, osculo Christum contaminent, & in fœdissimam corporis sui latrinam sacra indignè sumentes, præcipitent. nam (vt ait Chrysostomus) huiusmodi acutum gladium pro cibo accipiunt. Cuius rei documentum nullum aptius reperies, quam quod de proditore Iuda commemoratur, in quem subitò post sumptum Christi corpus satanas introiuit. De quo sic egregie disserit Cyprianus [nondum Iudas

Cyp ser. de cœna Domi.

Digitized by Google

Diabolo inuadente, & occupante animum eius, egredi cogebatur : ſed vbi ſacrum cibum mens perfida tetigit, & ſceleratum os panis ſanctificatus intrauit, parricidalis animus vim tanti ſacramenti non ſuſtinens, quaſi palea ex area exſufflatus eſt, & præceps cucurrit ad proditionem, & pretium, ad oſculũ fraudulentũ, ad deſperationẽ & laqueum [qui ergo manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini] huius ſceleris grauitatem oſtendens Theodoretus ad illum Pauli locum [hoc, inquit, ſignificat, quod quemadmodum tradidit ipſum oſculo Iudas : ipſi autem inſultarunt, & eum probris, & conuitijs affecerunt Iudæi, ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui ſanctiſſimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum & inceſtum os immittunt.] ô quam multos Iudas, exclamat Auguſtinus, ementitæ pacis oſculo Chriſto exhibentes, & indignè eum accipientes ad iudicium ſuum implet ſatanas. [Si ergo ſapimus (vt monet Proſper) eſcam vitæ puro corde accipiamus, æternitatis poculum magno affectu bibamus, vt in Chriſto ſemper maneamus. Vide (inquit Cyprianus) quomodo his, qui Chriſti commemorant paſſionem, intra ſacra officia, quaſi per quoſdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & ſuper omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur : quantam ſuauitatem animæ inquirenti, vbi ſit Deus ſuus, animæ exoſculanti inuentum Deum ſuum, ſuſpiria contemplationis eliciant. Non illos imbres, procelloſæ tempeſtates deponunt, ros matutinus eſt de cæleſtibus ſtillans, & quaſi vn-

1. Cor. 11. Theodor.

Aug. pſ. 47.

Proſp. ſentẽ.

Cyp. ſer. de can. Domi.

ctio ſpiritus mentem deliniens. Gemitus illos inter reciproca ſponſi & ſponſæ oſcula pietas excitat, & inter diem, & noctem retro, & ante ſe affectio intuens inter data, & condonata ſe diuidens, gratias agit tam vberis beneficij largitori: & ſe ſanatam, & ſanctificatam agnoſcens fletibus ſe abluit, & lacrymis ſe baptizat.] ecce quam multiplex in eam deriuatur animã fructus, quæ per dignã Euchariſtiæ ſumptionem oſcula identidem dilecto porrigit. Quare [cum ad reuerendum altare (vt monet Hilarius) ſalutari cibo potuque reficiẽdus accedis, ſacrum Dei tui corpus, & ſanguinem fide reſpice, honore mirare, mente continge, cordis manu ſuſcipe, & maxime hauſtu interiore aſſume. Quod ſignificauit Manna de quo legitur, pluit illis Manna, vt ederent. Hoc enim vnicuique ſapiebat, quod deſideriis concupiſcit, aliud erat quod ſumebatur, aliud quod vĩdebatur, & inuiſibiliter ſapor ille in ſingulorum ſenſibus formabatur. Ergo illud manna cælitus illapſum per multimodas ſuauitates naturæ ſuæ meritum, & generis ſui excedebat intuitum; & cum creaturam ſuam diſpenſatio largitoris multiplici diuerſitate cõderet; præbebat guſtus, quod ignorabat aſpectus. Iuxta percipientis deſideriũ, eſcæ illi nouitas & dignitas naſcebatur: vnumquemque varijs & alienis ſaporibus reficiebat melliſluum pluuiæ illius donum, & multiplex ſicci imbris obſequium. Quare ſi illic in corpore cibus ſapiebat, hic in pectore Deus credulitate proficiat.]

Hilar. ho. 5. de Paſcha.

Cauendum ab adulatoribus.

12. Poſtremo cauendum à falſis Principum, & Dynaſtarum miniſtris, qui ſubdola adulatione, & dulci ſermone ad fraudem, & deceptionem

Digitized by Google

compoſito, inſtar Iudæ amicitiam ſimulant, vt per opportunitatem, ſuorum Principum iugulum petant. Huiuſmodi hominum monſtra non modo ſibi nocent, ſed peccandi anſam libenter audientibus præbent. De quibus ſic grauiter Cyprianus diſſerit: [qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat; nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerũ ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſeruat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandũ.] Heu! quoties huiuſmodi aſſentatores ſupplices accedunt, manus exoſculantur, venenum interea ſub vafro pectore abſcondunt, donec, ſi impræſentiarum nihil proditionis operari queant, à conſpectu & præſentia longè abeuntes detractionis ſaltem gladio, lingua, inquam, venenata falſis criminationibus dolos illis, & inſidias ſtruunt, quibus innocentes ſæpe ſuis bonis, & paterna hęreditate exuũtur. Ecquam ex his proditoribus, & fraudulẽtis amicis vtilitatem expectes? [hoc nimirũ, ait Cyprianus, eſt quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, quod nauigijs ſæua tẽpeſtas ſolatiũ æternæ ſpei adimit, arborem à radice ſubuertit, ſermone morbido ad lethale contagium ſerpit, nauem ſcopulis, ne in portũ perueniat illidit, nõ concedit pacem adulatio iſta, ſed tollit, nec communicationem tribuit, ſed & bona tollit paterna, & impedit ad ſalutem.] Digni certè huiuſmodi aſſentatores, qui canib⁹, quorũ adulationẽ imitãtur, deuorãdi proijciãtur: omnis enim qui aliquẽ malignè traducit, & quicunque recipit delatorẽ

Cyp. l. de lapſis.

Ibid.

proximo noxium, omniſque qui ementitæ amicitiæ pallio indutus, fratrem ſuum circumuenire conatur, illumque blandiloquentia, vel ſimulati amoris ſigno hoſtium voluntati tradere, dignus eſt, vt canibus proijciatur.

De Chriſti comprehenſione.

CAPVT XXI.

Mat.

1. TVnc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum.] Interim Apoſtoli viſo Iuda coApoſtolo ſuo, intempeſta nocte, oſculum Chriſto referenti, & tamen prædonum exercitui gladijs, & fuſtibus armato, tanquam anteſignano præeunte, percelluntur; præſertim cum ingenti armorum ſtrepitu, ac ſermonum murmure in extremam efferatos rabiem hoſtes iam cominus viderent lucernarum, & tædarum lumine oculos ſibi perſtringente, hoſtes interea ſpe prędæ iam iam arripiendæ incõcinno clamore ſibi inuicem congratulantes, contremuere nimirum, Chriſtumque tanquam pulli, accipitris alarum ſonitu perculſi, velut matrem trepidi cingunt, ab eoque ſciſcitantur quid hic armatorum apparatus ſibi velit? cur iamiam in ſe milites implacabili furore irruptionem facere parent? quibus Chriſtus manſuetiſſime: filioli mei, nolite hoc ſpectaculo, & armatorum rabie expaueſcere: lupina ſiquidem iſta rabies non aliam petit prædam, quam agnam, cuius ſolius ſanguine expleri poteſt. Nolite igitur turbari: vidiſtis quomodo illos diuinitatis meæ telo in terram

Apoſtoli viſo Iuda cum exercitu contremuere.

terram præcipites egerim, vt intelligeretis in hoc me Deum eſſe: nunc per ſpontaneam mei illis traditionem, hominem, qui ſalutis veſtræ cauſa, vltrò me obijcio inimicorum furori. Quare agedum metum deponite: cautum eſt enim de vobis omnibus: me lupi illi atroces, non vos quærunt; Ego proinde me illis ſponte offero, nam ſatis iam illis meam manifeſtaui potentiam, ſatis illis occaſionis præbui, vt à tanto ſcelere manus abſtinerent, tam ſtupendo in ipſos edito miraculo. Vos itaque meæ aliquando promiſſionis memores animos ſumite. Nam quamuis me inhumaniter tractaturi ſint, ſcire tamen vos volo, me, à Reſurrectione, vos præceſſurum gloriosè in Galilæam.

2. In ſcelere igitur obſtinati, & iam miraculo liberi impetu in noſtrum Saluatorem agmine facto inſiliunt: [non illos, bone Ieſu, à te abſterruit, quod paulo ante omnipotenti brachio tuo terræ eos allidiſti, non quidem defenſionis cauſa, ſed vt cognoſceret humana præſumptio nihil ſe poſſe aduerſus te, niſi quantum permitteretur à te.] Non immeritò, ô impij Iudæi, in veſtram ingratitudinem, exclamat Auguſtinus: [ô inſenſati Iudæi interrogaſtis, & cecidiſtis: leuati eſtis, & ingrati eſtis, qua vos concutiemini comminatione vel terrore, qui ad ſolam cecidiſtis ſimplicem vocem? dic Iſrael, veniſti tenere me, quia ego defendi te à perſequentibus te; vtinam teneres me, & non perderes te. In aquis parietes conſtruxi, faculã columnæ micantis erexi, Ægyptios cæcitate percuſſi, tota nocte pro te pugnaui, factum eſt mane, & tranſiſti incolumis mare. Male me quæritis, ideo cecidiſtis. Ecce quali-

Ber. ſer. de paſſ.

Aug. ſer. 46 inferia. ter. pal.

ter cadunt, qui malè Dominũ quærunt.] Sed audiamus quomodo Bernardus de hoc vestro furore querelam instituat. [quis audiat sine gemitu qualiter homicidæ manus in illa hora in te iecerunt, & innocentes manus tuas, Iesu bone, vinculis astringentes, te agnum mansuetissimum nihil loquentem ad instar latronis contumeliosè traxerunt ad victimam? & nec tunc misericordiã effundere super inimicos tuos, & distillare fauũ dulcedinis tuæ Christe cessasti, ac defensoris tui zelum à læsione trahentiũ te compescuisti. Maledictus furor eorum, quia pertinax, quem nec maiestas miraculi, nec pietas beneficij potuit cõfringere] Ecce, ô crudeles Iudæi [formam serui nihil peccati habentis vobis obiecit, vt per eum ageretur omnium causa, in quo solo erat omniũ natura sine culpa.] Sed quid hoc vobis profuit, cum sæviente Diabolo, Agnum Dei, per vestra ministeria prorsus obcæcati vincire venistis? Hinc Leo: [irruerunt ergo in lumen verum filij tenebrarum, & vtentes faculis atque laternis non euasserunt infidelitatis suæ noctem, quia non intellexerunt lucis auctorem.] Sed quid in eum irruitis, perfidi homines, cum sese vltro, etiam pro vestra salute, si velitis, morti paratus est obijcere [Cur occupatis paratum teneri? cur trahitis volentem trahi? qui si vellet obniti, nihil quidem in iniuriam eius, impiæ manus possent: sed mundi redemptio differetur, & nullum saluaret illæsus, qui pro omnium salute erat moriturus.]

Ber. ibid.

Leo. ser. 8. de pass.

Leo. Ibid.

3. Non vidistis paulo ante, quomodo proditori obuiam ierit & pacifico eius ferreum pectus osculo emollire tentauerit, quo vos, & nos doceat promptos esse debere ad patiendum pro

Chriſto? [non quo ſimulare nos doceat (inquit Ambroſius,) ſed vt ne proditionem refugere videretur, & plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret, quia ſcriptum eſt: cum odientibus pacem eram pacificus. Et ſigno dato] vobis qui cum fuſtibus veneratis me comprehendere, mihi ſponte me vobis offerenti inſolenter inſultatis, qui in ſalutem veſtram ſemper incumbo. Et hinc leni vos verbo in terram præcipitaui, vt intelligeretis, qua præditus ſim potentia ſimul & manſuetudine. proinde me iam non arma veſtra, ſed vobis abſcondita myſteria tenere. [Quo mihi tunc cum retrorſum cecidiſtis legiones Angelorum? quo mihi cæleſtem exercitum? vox ſola mea plus terret, & plus etiam animat, quam vel angelorum legiones aut armorum ſtrepitus.] hinc eadem, qua vos ſtraui, erexi [ad demonſtrandum diuinæ potentiæ ſimul & manſuetudinis indicium, quo cum nihilo ſecius moueamini, me veſtris manibus pro humana ſalute offero. [volenti ergo (inquit Ambroſius) inijcit manus turba, nectuntur vincula; ô amentes! ô perfidi! non ſic comprehenditur ſapientia, non ſic tenetur iuſtitia.]

Amb. in Luc. l. 10. c. 22.

Ambr. ibid.

Ibid.

De Malchi abſciſſa aure, & reſtituta.

CAPVT XXII.

[COmprehenſus iam Chriſtus Dominus à turbis, inquit magnus Leo, quas Principes Sacerdotum, & doctores legis armauerant, vt impleret diſpenſationem cohibet poteſta-

Petri ſermon.

tem,] patitur itaque se ligari [discipulorum id
Amb. ibid. temporis studia, inquit Ambrosius, non defuerunt, vnde Petrus eruditus in lege promptus affectu, qui sciret Phineæ reputatum ad iustitiam, quod sacrilegos peremisset, eduxit gladium, & percussit principis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram : erat autem nomen seruo
Ioan. 18. Malchus.] Nam cum milites diuini verbi fulmine prostratos antea cerneret, neque ausos Christo manus inijcere, ipse gladium eadem Christi potentia fretus, & patrocinante vt fortassis rebatur, suo facto illud Christi: [qui non habet tunicam, emat gladium] distrinxit, & Malchum iam cæteris fortasse audaciorem aggreditur, & solito animi ardore, & in Christum amore inflammatus caput impudentis mancipij medio findere conatus, aurem tantummodo dextram illi amputauit. Non expectauit Christi responsum, omnibus simul discipulis interrogantibus: [Domine si percutimus in gladio?] sed
Aug. l. 3. de consen. Euan. c. 5. (vt ait Augustinus:) inter moras verborum discipulorum interrogantium Dominum, & Christi respondentis, Petrus defensionis auiditate, & maiori pro Domino commotione percussit. [Beatum vero Petrum humana aduersum irruentes animositate (ait Leo) commotum, gla-
Leo ser. 6. de pass. dio abstinere Christus præcepit. Superfluum enim erat, vt qui nolebat præsidio Angelicarum legionum iuuari, vellet se vnius discipuli oppositione deffendi: conuerte, inquit, gladium tuum in locum suum, omnes enim qui accipiunt gladium, gladio peribunt.] Petre quid vis te obijcere tantæ multitudini? an fortassis quia putabas me tuis cæptis secundaturum nouo aliquo

miraculo? scias Petre, me animo non vindicandi, sed conuertendi hanc multitudinem vocis meæ virtute prostrauisse. Nolim ergo te vltionis intuitu gladium distringere: nam qui ad vindictam gladium educit, dignus est, qui gladio pereat. Et si Petre, me defendere vellem: [an putas quod non possem nunc rogare patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? Duodecim porro legiones (inquit Chrysostomus) dixit Angelorum, ad discipulorum timorem & imbecillitatem, sermonem effingens, etenim pauore erant semimortui. Nam si Angelorum vnus centum octoginta quinque armatorum hominum millia occidit; quid duodecim legionibus opus est aduersus mille homines?] Et quid Petre, si hoc à patre impetrauissemus, quomodo implerentur scripturæ, quæ asserunt: quia sic oportet fieri, quomodo calicem, quem dedit mihi pater, bibam, si me defendere velim? quomodo genus humanum saluabitur, cuius salus à mea passione prorsus dependet?

Matth. 26.

Chry. c. 26. in Mat.

2. Petre nescis, quanta ex mea passione emolumenta, in vniuersum electorum cætum redundatura. [Perpetrauerit licet ferox turba, quod voluit & de sceleris sui exultarit affectu: maior tamen comprehensi virtus, quam comprehendentium fuit. Iudæorum enim cæcitas nihil obtinuit, nisi vt sua impietate se perderet; mea vero patientia hoc aget, vt omnes mea passione saluatura sit. Conuerte igitur gladium tuum in locum suum:] nescis scriptum esse: [mihi vindicta, & ego retribuam.] tuum Petre, non est vindicare priuata authoritate, sed Patris mei, penes quem

Leo ser. 6. de pass.

omnis authoritas est, qui vindictam hostibus retribuet. [Conuerte ergo gladium tuum in locum suũ.] Statim imperanti obedit Petrus. Ecce magnum discipuli amorem, & humilitatem. Nam,

Chry. c. 26. in Matt. vt ait Chrysostomus: [alterum quidem ex amoris pietate, alterum vero gladij videlicet in vaginam conuersionem ex obedientia fecit.] Licet Christus hoc Petri factum reprehenderit, iusta tamen Dei permissione patratũ esse, haud dubito, vt nõ modo Christus auriculã Malcho postea restituẽdo [lenitatem suã, atque potentiã (inquit Chry-

Chry. ibid. sostomus) magni huius ostensione miraculi declaraturus] sed etiã, vt hac auriculæ abscisione iustum latronis suppliciũ, & ignominiæ notam meritò inflictam prædoni Malcho, qua cæterorum etiam capientium Christum perstringeretur obstinatio. Quid ni igitur dixerim Petrum Malcho

Exod. 21. auriculam amputasse, quod sciret cautum esse, vt seruus, qui anno libertatis à seruitute liberari negligeret, perpetuæ seruituti maneret obnoxius: in cuius rei signum auricula illi perforabatur.

Lyr. in illud Exo. 21. [Hæc (inquit Lyranus) pœna, & verecundia fit ei, eo quod non vult vti libertate à Deo sibi data, & perforatur auris magis, quã aliæ partes, quia per illam intellexit, vel intelligere debuit legem de libertate.] Quãdoquidem igitur Saluator noster venerat, vt populum hunc Hebræũ libertate donaret, & ipse hoc singulare beneficiũ negligeret, meruit, hoc edito in Principis seruo ignominiæ signo, perpetuæ seruituti addici, in qua multa dura, & grauia, & molesta hic Dæmonis imperia, & in futuro indignissima eius subiectus semper tyrannidi. Quamuis ergo hoc Petri factum à Christo reprehendatur, aliquid tamen occulti

Digitized by Google

mysterij in eo contineri cernimus. Hinc Ambrosius hoc etiam ex eo elicit mysterium [seruus Principis mundi, ait, hoc est, non naturæ conditione, sed culpæ sęcularium famulus potestatum, auris suæ vulnus excepit, quia non audiuit verba sapientiæ, aut si Petrus volens percussit aurem, docuit quod aurem habere in speciem non deberent, quam in mysterio nõ habebant. Tollit porro Petrus aurem, quia ipse est, qui accepit claues regni cœlorum. Ille enim condemnat, qui & absoluit; tollit aurem male audientis, tollit autem gladio spiritali aurem interiorem male intelligentis. Caueamus ne cui tollatur auricula] audiendi Christi passionem. *Ambr. ibid.*

3. Vt Christus re ipsa doceat, quod verbis aliquando prædicauit: vincere nimirũ in bono malum; tetigit Malchi auriculam, & sanauit [itaque, inquit Tertullianus, & gladij opera (priuata nimirum auctoritate susceptj) maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexauerat, satisfecit per patientiam misericordiæ matrem.] Ecce quomodo Christus tot iniurijs lacessitus beneficium hosti præstet! noluit enim quicquã nocumenti è passione sua in quenquam deriuari [ideo (subdit Tertullianus) statim Christus Malchum curauit, quia noluit in vulnere aliũ pati: quãdo ipse solus sibi totam passionẽ reseruauerat. Vnde etiam & comprehensus quasi per consequentiam alios liberandos esse asseruit dicens: Si ergo me quæritis, sinite hos abire] quam singularia ex singulis Christi actionibus documenta licet colligere. [Quid enim auris pro Domino amputata (inquit Augustinus) & à Domino sanata significat: nisi auditũ amputata *Tertul. l. de pati. c. 3.*

Aug. trac. 112. in Ioan. c. 16.

vetuſtate renouatum, vt ſit in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ? quod cui præſtitum
Rom.7. fuerit à Chriſto, quis dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? quod autem ſeruus dictus eſt, & hoc ad illam pertinet vetuſtatem, quæ in ſeruitutem generat, quod eſt Agar. ſed cum acceſſit ſa-
Gal.4. nitas, figurata eſt & libertas. Factum tamen Petri Dominus improbauit, & progredi vltra prohibuit dicens, mitte gladium in vaginam.] Non-
Luc.22. ne Domine aliquando dixiſti: [nunc qui habet facculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non habet vendat tunicam ſuam, & emat gladium?] ô Domine cur emere iubes gladium, qui ferire hoſtes prohibes? cur haberi præcipis, quem vetas promi? niſi forte (inquit Ambroſius) vt ſit parata
Amb. in c. 22. Luc. l. 10. defenſio, non vltio neceſſaria, & videar potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe? lex tamen referire non vetat, & ideo fortaſſe Petro duos gladios offerenti, ſatis eſt dicis: quaſi licuerit vſque ad Euangelium: vt ſit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.] reponere igitur in vaginam gladium Petrum voluit Chriſtus, [calicem inquiens, quem dedit mihi pater non vis bibam?] Hinc merito reprehenditur [in ſuo quippe facto
Amb. ibid. (vt ait Ambroſius) magiſtrum defendere voluit, non quod ſignificandum eſt cogitauit. Et ille igitur ad patientiam commonendus fuit, & hoc ad intelligentiam conſcribendum.]

Digitized by

Christus iam comprehensus quibus iniuriis afficiatur nobis considerandum proponitur.

CAPVT XXIII.

1. ECce Saluator noster à ficariis comprehensus variis lacessitur iniuriis. Nam tanquam rabidi canes, impia dæmonis mancipia, iam velut à vinculis soluta, in cæli regem æternique patris vnigenitum, potestate ab ipso accepta, furiosè impetum faciunt: & velut crudelissimi leones agno innocentissimo crudeliter insultant, & cæli cælituumque regem infamissimi latrones in terram prosternunt, contundunt, pedibus ori impressis, diuinam eius faciem; adeo vt eum videantur viuum deuorare, obstructoque ore, ne vel hiscere possit, & velut manipulum inter tritores versantes, & reuersantes verberum vicissitudine lacerare, conterere, & in nihilum, si possint, redigere. [O amantissime (exclamat Bernardus) Domine, quanta illic indigna à propria gente pertulisti! vultum tuum desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes cælos adimpleuit lætitia, quem deprecabuntur omnes diuites plebis, sacrilegis manibus cæciderunt!] Neque hac contenti iniuria, sed Saluatoris nostri collo funem injiciunt, idque intempesta nocte, qui tamen quotidie in templo inter vos docuit. Sed quid filij tenebrarum aduersus Dominum in tenebris congregamini, quia potestas vestra in tenebris est? [Lucem (inquit Ambrosius) adulter eru-

Ber. ser. de pass.

beſcit, quaſi adulterij conſciam, parricida terrarum fœcunditatem fugit, quomodo enim poterat communis partus videre conſortia, qui conſortem ſui ſanguinis trucidare aggreditur? iuſtum igitur natura eſt impertita iudicium, ea loca, in quibus erat futurum parricidium muneris ſui dote priuando, vt ex innocentis ſoli quadam damnatione oſtenderet futura quanto forent ſupplicia noxiora. Propter ſcelus igitur hominum, & ipſa elementa damnantur. hinc noctem hanc, in qua cum gladiis, & fuſtibus ad Chriſtum, tanquam ad latronem, exiuiſtis, damnamus, quia conſciam veſtri ſceleris, quæ ſuis tenebris ſcelus veſtrum quaſi obtexit, ſine tamen vllo dolo, aut fraude, quarum incapax erat. vt hinc intelligatis quam flagitioſi, quam odioſi Deo, & hominibus eſtis, qui innocua noctis natura abuti eſtis, ad deſignatum tam ingens facinus in mundi Saluatorem committendum. Latronem fortaſſe quærebatis', qui aſtu quodam veſtrum impetum declinare potuit. Potuit certè Chriſtus, non tantum vos effugere, ſed etiam eadem virtute, qua vos deorſum præcipitauit, ad tartari imum deijcere: & quamuis latronis figuram, veſtri gratia, gerere videatur, opera tamen, & miracula, quæ in conſpectu veſtro ſæpius patrauit, locupletiſſimum eius diuinitatis perhibent teſtimonium.

2. O Rex Regum! ô bone Ieſu! ô innocentiſſime Dei agne! quo te noſtri cauſa, demiſiſti, vt inſtar latronis, à latronibus diuinitatis tuæ habereris, & vt ad te tanquam talem comprehendendum cum gladiis, & fuſtibus venirent! ô mundi Saluator, quam procul abes à latronis conditioni-

bus! quam procul, vt ſis alienorum prædator, qui, noſtri gratia, largiſſimè effundis quidquid habes proprij! verum ſi deprædari hominum corda, ſi animas à diaboli tyrannide vendicare, ſi præliari contrà anteſignanum latronum ſatanam, qui ſua cauda tertiam ſtellarum partem deprædatus eſt, eſt eſſe latronem; haud dubiè talis es latro, de quo olim Iſaias [velociter ſpolia detrahe, cito prædare.] hoc tibi nomen à patre impoſitũ: [voca nomen eius accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari.] verè aptum tibi nomen: [accelera ſpolia detrahere: nam [antequam (inquit Iuſtinus Martyr) poſſit puer patrem, & matrem appellare, Damaſci potentiam Samariæque ſpolia capiet: nec cuiquam eorum, qui apud Iudæos fuerunt reges hoc vnquam accidiſſe poteſtis docere: nos autem in noſtro Chriſto factum docere poſſumus, ſimul namque atque natus eſt, Magi ab Arabia venerunt, eumque adorauerunt, cum veniſſent ad Herodẽ, qui tunc in terra veſtra regnabat, quem verbum propheticum Regem Aſſyriorum appellat.] Quibus vero armis, & copiis infans Damaſci fortitudinem abſtulerit, & ſpolia Samariæ diripuerit, iiſdem profecto, quibus modo vos aggreditur, perfidi Iudæi, admirabili nimirum fortitudine, qua vos deorſum egit, & eximia naturæ lenitate, & manſuetudine, qua vos à proſtratu erexit, & audaci miniſtro Malcho amputatam reſtituit aurem. hic igitur (vt ait Tertullianus) tempeſtiuus decore ſuper filios hominum, diffuſa eſt gratia in labiis eius, accingi enſe ſuper femur dicitur: Valde autem abſurdum eſt, ſi quem ad bellum procedentem enſe

Chriſti nomen accelera ſpolia detrahere. Iſa. 8.

Iuſt. Dialo. cũ Trypho. contrà Iudæos.

Tertul. l. contrà Iudæos c. 9.

cincto de tempestiuitate decoris, & labiorum gratia blandiaris: de quo Regius propheta, extende, & prosperare, propera, & regna: & adiecit: propter lenitatem & iustitiam tuam. Quis enim ense accingitur, & non contraria lenitati & iustitiæ exercet, id est, dolum, & asperitatem, & iniustitiam, propria scilicet negotia præliorum? videamus ergo an aliud sit ensis ille, cuius est alius actus, id est, sermo diuinus bisacutus,] quo vos & prostrauit, & erexit, quo vos ligauit, & soluit, quo repressit sui discipuli vindicandi desiderium, & Malcho impudenti restituit auriculam.

3. Si me, inquit, quæritis (iam Petri feruore represso) sinite hos abire,] quid mansuetius? quid magis discipulorum se curam gerere singularem ostendit! irruunt in eum milites fustibus, & gladiis armati, funes ad ipsum ligandum expeditos videt; & tamen quasi nihil horum extimescat, de discipulorum salute tantum solicitus esse videtur: [tanquam bonus pastor (inquit Theodoretus,) ante filios stans, extra periculum eos ponit, quod adhuc infirmi & infantes sint, & vt sermonem, quem dixerat: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam, præter filium perditionis, impleat, se autem ipsum tradit. His itaque verbis, si me quæritis, sinite hos abire, omnem inimicis comprehendendi se potestatem fecit, sine qua ligatas habebant manus. [Admirari (inquit Euthymius) quispiam poterit, quomodo non comprehenderint discipulos, ac trucidauerint, propter id, quod factum est in seruum principis sacerdotum. Sed verè ipsa virtus, quæ eos excæcauerat, ac pro-

Theo. Heracle.

Ioan. 17.

Euthy. in Bibl. SS. Pat. de pas.

ſtrauerat, illa etiam tunc iram, quam de auriculæ amputatione conceperant, diſperſit,] cui illud Chryſoſtomi concinit: [quis continuit Iudæos, ne diſcipulos comprehenderent? nemo alius, quam, quæ eos proiecerat, potentia.] quæ tanto maior enituit, quanto maior illorum rabies, & ira exarſit, ob vulnus Malcho inflictum. Quanta hæc Chriſti in diſcipulos cura, qui noluit illos Iudæorum crudelitati ſecum obijci, præſertim [cum prænouiſſet non fuiſſe tunc (vt ait Rupertus) ſatis firmos in fide, neque diſpoſitos ad patiendum, & ideo non permiſit eos comprehendi, quia facile eum eſſent negaturi.]

4. Ecce interim Saluatorem noſtrum ſatellitibus cinctum, & crudeliter illum tractantibus, vulnera vulneribus, pugnis, & fuſtibus inhumaniter addentibus, ſtrictè eum ligantibus! ô Rex Regum, quem te eſſe dicam? vere [virum dolorum & ſcientem infirmitatem!] quonam, obſecro, collari tuam ceruicem infames ornant prædones? ex argento? ex auro? ex byſſo? heu! ex rubro corio clauis interſertis, vinculo, inquam, quo canum colla aſtringuntur, vt veluti canis in rabiem actus, ad patibulum ignominiosè traharis! ô fili Dei, quomodo huiuſmodi ignominiam tibi irrogatam cælum non vindicat? quomodo Angeli perruptis ordinibus, ad tam crudele ſpectaculum non concutrunt? de hiſce ſicarijs vindictam ſumentes! Vides, ô propheta, luctuoſum illud tuum de Chriſto vaticinium modo expleri [circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me.] taurus qui etiam vituli nomine, ob petulantiam hic intelligitur, dum quempiam impetit, oculos claudit, vt eum quaſi *Iſaiæ 53.* *Pſal. 21.*

Digitized by Google

sine vllo commiserationis ictu, clausis oculis dilaniet cornibus: Et Iudæi, facto agmine, oculos claudunt, ne Christi speciosa impediti forma, eum dilaniare, pedibus conculcare minime possint, cuius odio animati iam furioso impetu in terram sternunt, & calcibus, pugnis, & fustibus contundunt. O quid tunc, ô bone Iesu, cogitabas? quid tunc faciebas? nõne par est, vt nos quoque tecum doleamus, conteramur, tristemur ob tam inusitatas in te irrogatas iniurias? ecce quid nobis respondeat [quamuis, ait, per-

Leo. ser. de pas. 9.

sequentium furor nihil aliud in Dominum maiestatis operatus sit, quam atrocem crudelitatem, & immite supplicium: redemptis tamen hac Domini passione, verior, iustiorque lætandi est ratio, quam dolendi, licet concurrentibus ad vnum scelus Iudæis, Iudæorumque principibus, superbus taurorum pinguium tumor, & proterua vitulorum petulantia sæuiat: licet sub oculis ouium, pastoris iusti sanguinem fremencium bestiarum rabies expetat.] Vobis tamen, de his meis ignominiis breui lætandum [postquam nimirum susceptione infirmitatis potentia clarificata virtutis fuerit; nulla fideliũ mæstitudine paschalis obscurabitur solemnitas: nec cũ ctistitia nobis gestorũ ordo recoletur, cum ita Dominus vsus sit malitia Iudæorũ, vt de intentione facinoris voluntas sit impleta miserentis.] Ecce quomodo nos Christus inter iniurias cõsoletur.

5. O pater æterne, vnigeniti tui nomine, cum ipse magis de nostra salute sit solicitus, quam de suis ignominiis; liceat mihi cum Regio propheta apud te de Christi hostibus, iniuriisque illi irrogatis conqueri, vt saltem tantæ calamitati eius

Apostrophe ad patrem qua compatitur Christo.

compatiaris: [miserere eius Deus, quoniam conculcauit ipsum homo:] imo tanquam vile mancipium iniqui isti homines filium tuum proterunt, & perpetuam, si possint ignominiæ notam, & infamiæ illi inurunt, manusque ad inuicem collidunt, & pedes, quatiuntque cum sono in argumentum victoriæ: hostile siquidem triumphi signum est victos conculcare, ipsorumque capitibus, & collis pedes inhumaniter imponere. Sic Iosue: ite, inquit, & ponite pedes super colla regum istorum. Et hodie Regis Regum collum à diaboli satellitibus, pedibus conculcatur, cui tamen dicitur: [conculcabis leonem, & draconem:] vt nimirum hac insigni ignominia nostris pedibus, si velimus, tanta tribuatur virtus, quo possimus ita caput antiqui serpentis calcare, vt calcaneum nostrum mordere non possit, neque nobis nocere, nisi appropinquantes illi sponte nostra, per consensum manum, aut pedem in eius os (ad electos deuorandos semper apertum) ingeramus. Vides, ô pater, quomodo omnia, nostri gratia, subeat incommoda! Et quoniam illi succurrere nolis, ô vtinam, quod quidã optauit [vtinam Dominus meus Iesus filius Dei mei istud concedat, & iubeat me pedibus cõculcare serpentis caput, spiritũ, inquã, fornicationis, & calcare super ceruices spiritus iracũdiæ, & furoris, calcare auaritiæ dæmonem, calcare iactantiam, conterere pedibus superbiæ spiritum: & cum hæc fecero operis gesti summam non mihi, sed crucifixo eius appendere, sequenti Paulum dicentem: quia per ipsum mihi mundus crucifixus est.] hac de causa Christus voluit horum latronum pedibus con-

Psal. 55. *Signum victoriæ victos calcare.*

Iosue 10.

Psal. 90.

Origen. hom. 12.

culcari, vt nobis hunc triumphum super omnia vitia pareret. O fili Dei, quanti tibi stetit humana redemptio, vt qui omnium superborum colla propria virtute calcare possis, à vilibus diaboli manciplis collum tuum conculcetur!

Cedren. in compend. hist. n. 201. Laesa maiestatis supplicium.

6. Memoriæ prodidit Cedrenus, more iam olim recepto ab Imperatoribus, & per consuetudinem confirmato, pedibus conculcari solitos, qui læsæ maiestatis crimen incurrerent. Hinc Thomam quendam læsæ maiestatis reum, asserit iussum à Michaele Balbo porrectum iacere in pauimento: eius autem ceruicem pedibus Imperatoris conculcatam, tunc pedibus, manibusque mutilatum, & asino impositum, spectaculi loco, per castra circunductum, nihil aliud vociferantem, quam, miserere mei, qui verus es Rex. Quodnam, obsecro, bone Iesu, læsæ maiestatis crimen incurristi, vt diaboli imperio, à nefariis ministris humi porrigereris, tuaque ceruix, qua vniuersum terrarum orbem, cælorumque machinam sustines, pedibus calcaretur, & toto corpore verberibus contereteris? Quare iure optimo nobis cum B. Hieronymo exclamandum: ô [traditus est Iesus militibus verberandus, & illud sacratissimum corpus, pectusque Dei capax, & flagella consumpserunt,] vt postmodum necis tuæ instrumenta humeris portans, spectaculi loco, per Hierosolymitanas plateas circumducereris in crucem agendus, nihil aliud vociferans, quam [pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt!] ô filij Dei clementiam incredibilem! humi te porrectum calcibus vexant, cædunt, ceruicem tuum calcant, crudeliter tractant, multis deinde funibus ligant

Hiero. in Mat in fine.

memores

memores ſceleratiſſimi proditoris cautionis: [ducite eum cautè:] & tamen pro eorum ſalute, hoc ipſo momento, ad miſericordiam patrem flectere conatur! Heu! duriſſimis manus ſtringunt funibus, manus quibus firmati ſunt cæli, & omnis terræ pulchritudo efformata: manus, quibus in monte Sina diuina lex, regula vitæ noſtræ, tabulis inſcripta eſt: manus, quibus tot miracula ſunt patrata, quibus cæcos illuminaſti, mortuos ad vitam reuocaſti, dæmones fugaſti: manus, de quibus Pſalmiſta: [Dominus ſoluit compeditos: Dominus erigit eliſos:] id eſt, Dominus (inquit Auguſtinus) ex mortalibus immortales facit. Dominus erigit eliſos. Quare eliſi ſunt? quia erecti erant. Quare eriguntur? quia humiliati ſunt. Cecidit atque eliſus eſt Adam. Ille cecidit, Chriſtus deſcendit. Quare deſcendit? qui non cecidit, niſi vt leuaretur qui cecidit] manus hæ tantorum operum, modo vinculis arctiſſimè colligatæ intumeſcunt, & tamen pro horum tortorum conuerſione, Chriſti patientia, lacrymæ, & benignitas patrem orant! ô crudeliſſimi latrones, qui ipſos barbaros crudelitate vincitis!

Chriſti manuũ opera.

Pſal. 145.

Auguſt. in Pſal. 145.

7. Nonne, ô immaniſſimi prædones, meminiſtis Darium Regem Perſarum à ſuis impiè proditum ſaltem catenis colligatum aureis fuiſſe, vt Regiam maieſtatem, aliquo humanitatis, & honoris ſigno, ſe in eo agnoſcere declararent? & vos immanes belluæ, & nefarij dæmonis ſatellites, cæli terræque principem, nullo dignitatis, aut honoris ſigno obſeruatis, ſed veluti infamem latronem, grauibus oneratum vinculis, corpore prius terræ illiſo, & po-

Curtius. l. 5. de reb. geſt. Alex. Mag. Darius Rex aureis catenis ligatur, Chriſtus leuis.

dibus protrito,(vt solet à Leone ferocissimo præda agitari) inhonoratis ! Quam aptè fœdus ille hircus, de quo Daniel, vestram adumbrat crudelitatem, qui furioso impetu ad arietem venit, eumque percussit, comminuitque duo cornua eius,& non potuit aries resistere ei, cumque eum in terram prostrasset pedibus, ac cornibus illum conculcauit, & nemo fuit, qui malè tractatum arietem de manu eius liberaret. Vere vos hirci moribus, & virâ fœdi, arietem illum, qui lanis suis,gratia,inquam,& miraculis vestram nuditatem operiens, aureis vos velleribus, charitatis nimirum operibus ditauit, & fouit, nullumque malignitatis dentem in vos inflexit : dilaniastis, vexastis,conculcastis, & comminuere duo eius diuinitatis scilicet, & humanitatis cornua nitimini, & tanquam impotens sui vobis hircis non resistit. Vnde in terra prostratus, & vinculis oneratus ita à vobis conculcatur, vt nemo illum liberare de manibus vestris posse videatur. [Eleete puer Dei mei (exclamat Bernardus) quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras ? prorsus nihil. Ego, ego homo perditus totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine vuam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti, modo exsoluis. In omnibus his non est satiata perfidorum Iudæorum impietas.] Sed pergunt maioribus, & maioribus te vexare insolentiis.

Dan. 8.

Iudæi hirci in arietem Christum insiliunt.

Ber. ser. de pass.

8. Heu mihi ! quid facio videns coram, mei causa, mundi Saluatorem sic à perditis scurris inhumanissimè tractari, conculcari, vinciri ! ô nobilis testamenti arca, siccine in manus non Philistinorum, sed Philistinis crudeliorum, in manus, inquam, reproborum Iudæorum con-

Digitized by Google

temnenda, & calcanda deueniſti! ô Heli, quomodo viſa modo Arca, non tantum capta, ſed manibus ſacrilegis contrectata, & contaminata non moreris! ô induratum malitia cor, cur non finderis medio, viſo Creatore tuo, tam indignè tractato, humi iacentem, & præ anguſtia ſpiritus gementem! ô vtinam illam animi teneritudinem in Chriſtum, quam in ſuum gregem Cyprianus oſtendit, vero animi affectu exprimere poſſem! [doleo, inquit, fratres, doleo vobiſcum: nec mihi ad leniendos dolores integritas propria, & ſanitas priuata blanditur: quando plus paſtor in gregis ſui vulnere vulneratur, cum ſingulis pectus meum è populo mœroris & funeris pondera luctuoſa participo: cum plangentibus plango: cum deflentibus defleo: cum iacentibus, iacere me credo: iaculis illis graſſantis inimici mea ſimul membra percuſſa ſunt: ſæuientes gladij per mea viſcera tranſierunt: immunis, & liber à perſecutionis incurſu fuiſſe non poteſt animus: in proſtratis fratribus, & me proſtrauit affectus.] Vtinam magis ſim ſolicitus de tuis, ô Chriſte, iniuriis, quam de meis! vtinam nihil lenire poſſit mœrorem, quem ex tuis calamitatibus cõcipio, præter ipſarum in meipſo experientiam. Heu! ſi ouis ſim paſtoris illius, quomodo viuo ſine vulnere? cur non pectus meum mœroris, tędij, & ignominiæ illius particeps efficitur? cur non cum plangente plango? cur non cũ deflẽte mea ſcelera, defleo? cur non cũ iacente iaceo? cur non illis iniuriarum iaculis graſſantis turbæ, meæ ſimul animæ viſcera penetrantur? cur non ſæuientes Iudæorum gladij meum tranſuerberant pectum? quomodo immunis & liber à perſequentium incur-

1. Reg. 4.

Cyp. ſer. de lapſis.

ſu poteſt eſſe animus, Chriſtum male tractari cernens: in proſtratu itaque fratris, & me vtinam proſternat affectus! ô caſtiſſime Ioſeph à meretrice exagitate, à Synagoga, inquam, ligate, quia infami eius adulterio non conſentis? non vis in Iudæorum iniquitate conniuêre! ô Samſon fortiſſime, quem concupiſcentiæ meæ funibus Dalila tenaciter ligat! ô rumpe, rumpe vincula, quibus ſtringeris, quia Philiſthijm ſuper te Samſon, verum fortioribus, vt video, ligaris, quæ rumpi vix poſſunt, peccatorum nimirum vinculis, funes ſiquidem peccatorum te circumplexi ſunt, & quod amplius eſt, funibus charitatis, & amoris vinciris, teneris, ſtringeris: his te ligatum immanes diaboli ſatellites tenent. Sed quid? hæc eſt poteſtas veſtra, poteſtas tenebrarum!

9. Verè quod de ſe Iob aliquando dixit, de te modo dicere potes: [concluſit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.] Certe te Deus, noſtri cauſa, concluſit apud iniquum, cuius caro antiqui hoſtis (vt loquitur Gregorius) perſecutionibus temporaliter data eſt; quæ non ſpiritui, ſed manibus impiorum Iudæorum tradita, quia quo hunc in mente capere nequeunt, eò contra carnem tuam crudelius inardeſcunt.] Ad quid hoc? vt miſericordiæ ſuæ nimirum ſingulare ſuperuenientibus ſęculis ſpecimen præberet, vnigenitum ſuum apud iuratos hoſtes concludendo, & tradendo, velut in carcerem, & in anguſtias compingendum reliquit, idque apud iniquos, iniurios, inſoleſcentes, ſæuos dominos, cuſtodes inhumanos, qui arctiſſima, & indigniſſima illum cuſtodia premũt, omnem-

Iob. 16.

Greg. l. 13. Mor c. 16.

que illi libertatis ſpem adimere conantur. Hinc ipſe illud lacrymoſum carmen præ inimicorum immanitate reſumit. [Circundederunt me ſicut apes fauum (vti eſt in Græco textu) ἐκύκλωσαν μὲ ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον. Sicut enim virtutes omnes Chriſtum, veluti apes florem circundant, vt inde ſuauitatem, dulcedinemque electi omnes concipiãt; ita hodie perſecutores ipſum, tanquam crudeles fuci fauos & mella diripientes circumſtant, iniuriis proſcindunt, blaſphemiæ aculeos illi infigunt, variis eum excruciant ignominiis, quibus, præter eorum expectationem, ſuauiſſimum nobis fauum breui conſtructuri ſunt. Hinc Auguſtinus [Ipſum, inquit, Dominum recte accipimus circundatum à perſecutoribus, ſicut circundant apes fauum; mel quippe apes operantur in fauis; neſcientes ergo perſecutores Domini fecerunt eum nobis in paſſione dulciorem, vt guſtemus & videamus, quam ſuauis eſt Dominus.] Traditus ergo eſt Dominus impiorum manibus, qui hoc ſibi facinore plurimum nocuerunt, nobis vero profuerunt, Chriſtique famam maxime auxerunt. Concluſit ergo te bone Ieſu, non alius, quam pater tuus benigniſſimus, & clauſit à foris oſtium, potens quod clauſit, aperire: nulla vi, nullo aſtu hoſtes tui te concluſum tenere poterunt, cum penes patrem, & te ſit ſeras, & fores effringere. Samſonem te breui exhibebis, qui Gazæ concluſus eluſit Philiſtinorum cuſtodias: ambas ſiquidem portæ fores cum poſtibus ſuis, & ſera conuulſit, & euaſit: ſic tu fortiſſime Samſon, quamuis apud iniquos concludaris, & funibus arctè conſtringaris, crudeliſſimas breui eludes cuſtodias, à paſſione nimirum, & ad inferos

Auguſt. in Pſal. 117.

Iudic. 16.

descendes, ipsius satanæ claustra perfringes, spolia diripies, & de illo simul, ac morte, & Iudæis triumphum ages, delens quod aduersus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affiges illud cruci, & expoliabis principatus, & potestates & traduces confidenter palam triumphans illos in temetipso.] *Coloss. 2.*

10. Macte igitur virtute, fili Dei, Deus pater tuus concluſit te, quæ vitæ clauim tenet, neque obliuiſcetur in finem vincti ſui. Memineris quomodo olim pater tuus, Noe incluſerit in arca, quam deforis ipſe clauſit, & tandem poſt diluuij inundationem [recordatus eſt Deus Noë,] qui clauem arcæ apud ſe retinuit, vt opportuno tempore aperiret: cuius miſericordiæ fiſus in tenebroſo illo ergaſtulo circunſeptus ſimul beſtiis, in ſummo totius orbis interitu ſpem in Deum retinuit. [Admiror (ait Chryſoſtomus) quomodo præ triſtitia non fuerit abſorptus, cum mentem illius ſubirent humani generis interitus, ſua ſolitudo, & difficilis illa vita. At cauſa bonorum omnium fuit ſua in Deum fides, per quam & reſtitit, & omnia fortiter tulit, cumque ſpe paſceretur, nihil triſte ſentiebat.] audijt itaque à Domino [egredere de arca tu, & vxor tua: filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum.] ecce quomodo Deus miſertus ſit iuſti in arca agentis, illum à periculo exemit, inundanti diluuio obſtitit, & demum ex carcere illius arcæ familiamque eius, & animantia in liberum campum eduxit. Et pater tuus miſericordiæ plenus, filij ſui tandem non recordabitur? Sed, ô pater, quando tibi videbitur pœnæ, & ignominiarum finem facies: tibi enim pro clementia tua ſemper videtur miſericorditer *Gen. 8.*

agendum. Si enim cæli clauim Eliæ eripuisti, vt manu tua (misericordia in homines motus) illud aperires, per Eliam clausum, & vt hominem ad tibi restituendam cæli clauim emollires, per coruos esurientem pauisti, quasi diceres: [absurdum est, ô Elia, quod apud te misericordiæ meæ patrocinantur corui, tu autem pro hominibus non intercedis: erubesce, & vel coruorum exemplo, hominibus esto clementior. Itaque Deus ipse per semetipsum de misericordia apud seruum suum legationis munus obit, & intercedit:] & cum ipse te filium suum apud inimicos concluserit, & clauim apud se semper tenuerit, nonne te opportuno tempore, ab eorum manibus liberabit? memineris quomodo olim Daniele vincto, & in lacum leonum coniecto, Deus clauserit signaueritque potentiæ suæ sigillo ora leonum, ne illi nocerent, impulitque Regem; vt diluculo occurreret ad lacum, si forte Dei potentia Danielem illæsum reperiret, qui illum voce lacrymabili euocauit inclamans: [Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus, cui tu seruis semper, putasne valuit te liberare à leonibus? cui Daniel læto & alacri animo [concluſit Deus, per Angelum, ora leonũ, & non nocuerunt mihi.] Sic concludet ferociſſimorum horum leonum ora, qui tuum, bone Iesu, sanguinem sitiunt, & non nocebunt tibi, quia coram eo iustitia inuenta est in te, & coram Iudæis te operibus filium Dei esse frequenter ostendisti.

Chry. ser. de Elia.

Daniel. 6.

De Apostolorum fuga.

CAPVT XXIV.

Christus conqueritur de discipulorum fuga. Matth. 26. Ioh. 19.

1. LAtronibus vero illis, ac sicariis in Christum desæuientibus, discipuli pauore attoniti fugiunt: [percusso enim pastore disperguntur oues.] Hanc turpem eorum fugam, & magistri sui derelictionem iam olim Deus præuidens, eos in aliena persona grauiter perstringit [Inquilini domus meæ sicut alienum habuerunt me; & quasi peregrinus fui in oculis eorum. [Quos ego sub meum tectum perhumaniter recipiebam, nunc me tanquam ingratum hospitem, & peregrinum prætereunt, nullaque sui tecti, aut domus parte, aut communione me dignantur; imo à me fugiunt, tanquam à totius mundi peripsemate, & illi præsertim, quos egó mea doctrina, moribus, consilijsque imbui, & veræ fidei, ac religionis participes effeci, & meæ domus, & conuictus socios constitui, nihilominus tamen nemo est ex illis, qui me agnoscere, aut coram mihi ministrari, aut meis condolere calamitatibus velit, sed turpissima fuga, in diuersum acti, me magistrum suum trucibus luporum faucibus dilaniandum reliquerunt! Vereor certe ne illud in vos telum ab Ecclesiastico in amicos tantum mensæ euibratum, iure etiam intortum censendum sit: [est autem amicus mensæ, & non permanebit in die necessitatis] Nonne vos omnes è Dominica mẽsa surgẽtes cęlesti epulo refecti, vna voce ingeminastis: [tecũ parati sumus in carcerẽ, & in mortẽ ire?] amota vero cęlestis mẽsæ dulce-

Eccli. 6.

dine, tanti immemores beneficij, in die neceſſitatis trepidi jam fugitis. Hirũdines æſtiuo tempore volitantes, & grandi lætitia circumcurſantes præſtò ſunt; frigore vero in hyeme afflictæ, remiſſo lætitiæ garritu, recedunt: Et vos ſereno epuli tempore officiosè Chriſto aderatis; verum ſimularque hyemem tribulationum illi ingruentem vidiſtis, omnes fugitis. Neſcitis veros amicos tum in calamitate, tum in periculorum ſocietate cognoſci? neſcitis, vt aurum igne exploratur; ſic amicorum fidem aduerſitate declarari. Heu! quam vere illud Senecæ in vos quadrat: [Certè florentes amicorum turba circumſidet; circa euerſos ingens ſolitudo eſt.] florentem miraculis, & conuiuium vobis exhibentem omnes vos amicorum turba Chriſtum circumſidebatis; ſed hodie circa euerſum, & ligatum ingens ſolitudo eſt. Timor haud dubiè ac trepidatio hanc veſtram cum Chriſto violauit amicitiam. In ſecuro quidem poſiti, abſentia libenter pericula amplectebamini; ſed aliud eſt malum adhuc abſens non formidare, aliud forti animo præſens to'erare. Hoc vobis, ô Apoſtoli, quod inexpertibus belli contigit. Nam extra teli iactum, tanquam generoſi leones, pro Chriſto mortem oppetere parati videbamini; verum vbi cominus cum hoſte conſerendum, vmbratili illa conſtantia, præ pugnæ imaginaria difficultate penitus labefactata, palluiſtis, pauiſtis, palpitaſtis, & vt ille ait, qui in pace leones, in prælio cerui eſtis. ô inconſtantes! quomodo in primo belli aggreſſu terga vertitis? ô imbelles! quid timetis? nonne de veſtra ſalute, & incolumitate cautum eſt? cur igitur trepidatis? vmbras fugitis,

Senec. l. 1. Epiſt. Epiſt. 9.

nullo persequente ? state tantum mecum, tanquam fideles discipuli. [Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, quomodo confitebitur fugiens? ait Tertullianus, quomodo fugiet confitens? si deuito passionem, confundo confessionem] [Quam cito altos illos in cœna conceptos ad prælium spiritus, deiecistis. [Eamus & moriamur cum eo:] & nunc versa vice, re ipsa, conclamatis: abeamus ne moriamur cum eo.

Matt. 10.

Tertul. c. 7.

2. Non meministis, quomodo Christus Dæmonum legionem solus expulit, [quid mihi & tibi, inquit, Iesu fili Dei altissimi: non voluntatis (inquit Hieronymus) ista confessio est, quam præmium sequitur confitentis, sed necessitatis extorsio, quæ cogit inuitos: velut si serui fugitiui post multum temporis dominum suum videant, nihil aliud nisi de verberibus deprecantur: sic & dæmones cernentes Dominum in terris repente versari ad iudicandum se venisse credebant. Præsentia enim Saluatoris, tormenta sunt dæmonum.] Quid ergo vos timetis aspectum militum, me præsente? [euidens profecto, (vt ait Chrysologus,) est desidia militis, si deserat aciem, si gressum retrahat, si confligere pertimescat, vbi vnum numeroso hoste fortiorem videt esse captiuum. Ad vnum legio: ad præsentiam Regis isti quid sunt, qui vt vnum, & necdum tyronem caperent toto cohortis suæ agmine conuenerunt? vbi essent, si vexillum ibi iam crucis, si Christi signa vidissent? age Christiane incede securus. Manus tanta, & tam multa quæ sic meruit inermem, procul fugiet, si videat, si sentiat, si cognoscat armatum.] Et vos Apostoli, conspecta

Marc. 5.

Hiero. in Mat. c. 8.

Chrys. ser. 17.

militum turba, fugitis, Christo præsente, qui dæmonum legionem, vel vnico verbo exsufflauit: [Exi spiritus immunde, ab homine isto.] Nolite, nolite in posterum dicere: [ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te:] Imo vero dicere potestis: ecce nos reliquimus omnia; cum omnia complectentem turpi fuga reliqueritis, & omnibus terga vertistis bonis, omnia continentem bona deserendo? Reliquistis quidem omnia, sed quæ? reliquistis parui quidem momenti nauiculas, & aliquot sordida retia vetustate consumpta, & secuti estis omnia habentem bona, qui de omnibus vobis prospexit, secuti, inquam, estis quamdiu lætior arrisit fortuna, quamdiu prodigia ipse patrauit; secuti estis eum ad transfigurationis gloriam, & cum paulo antea triumphalis vrbem Hierosolymitanam ingrederetur, sed reflante fortuna, iam passionis tempore, in ipso primo pugnæ congressu illum turpiter deseruistis, cum nec euitari debuisset cum esset bonus, cum esset firmus. Hinc scitè Tertullianus: [qui putant, ait, fugiendum, aut malum exprobrant Deo, si persecutionem, vti malum fugiunt, aut fortiores se Deo existimant, qui putant euadere se posse, si Deus tale aliquid voluerit euenire.] An vestræ existimatis fugæ Christi exemplum paulo ante calicem deprecantis patrocinari? [postulauit quidem (inquit Tertullianus) ipse à patre, si fieri posset, transiret ab illo calix passionis: postula & tu: sed stans, vt ille: sed postulans tantum: sed subiungens: non quod ego volo, sed quod tu; fugiens autem quomodo hoc postulabis, ipse tibi præstans calicis translationem?]

Tertul. l. de fuga in persecu. c. 4.

Tertul. l. ad Marty. c. 4.

vos fugitis? non statis cum duce vestro: & proinde non deprecamini cum resignatione periculum euitare, sed potius contra diuinam voluntatem fugitis, minime fidentes Christi promissioni, qua vos illæsos prædixit mansuros!

Principe percusso diffugiunt milites.
2. *Reg.* 18.
1. *Reg.* 31.
Iudith. 10.
4. *Reg.* 25.

3. Vix dilapsus est, & in arbore suspensus Absalon, cum à duodecim hominum millibus, quibus paulo ante, tanquam muro fortissimo circumcingebatur, derelictus est. Omni belli pondere in Saul verso, fugerunt filij Israel ante faciē Philistiim. Holoferne Nabuchodonozoris Regis militiæ principe interfecto, statim grandis eius exercitus penitus distractus, fuga suæ saluti certatim consuluit. Rex Sedechias defendens sanctam vrbem Hierusalem contra Nabuchodonozor, ab omnibus derelictus est militibus: [omnes bellatores, qui erant cum eo dispersi sunt, & reliquerunt eum.] Quare sapienter Lacedæmoniorum Rex Agesilaus in prœlio cum Mantinienſibus suasit, vt totam belli vim, & armorum impetus in Epaminundam Thebanum aduersariorum ducem milites conuerterent, ratus, ductore prostrato, cæteros facile vincendos, aut certè fugandos. Hoc vsus stratagemate mihi videtur perfidus ille proditor Iudas, qui signo militibus dato, prætermissis Apostolis, persuasit, vt omnes simul vno impetu, in magnum illum Apostolorum ducem, qui à prostratu illis animos fecit, & potestatem se capiendi, dedit; inhumaniter irruerunt. Sed, ô Apostoli, quo abijt illa animi constantia, qua policiti estis commori potius cum Christo, quam in periculo eum deserere: [eamus, & moriamur cum illo.] Sed non diu veri martyris retinuistis constantiam: Chri-

Plutar. in Lace. & Apoph.

ſto enim capto, & ligato omnes veluti imbelles milites defluxiſtis. [Martyr quidem (inquit Chryſologus) comprehenſus debet tenere conſtantiam: non comprehenſus debet fugere perſequentem, vt & perſecutori indulgeat reſipiſcendi tempus, & ſibi tempus non auferat ſupplicandi:] Sed vos fugiſtis, nemine perſequente, vnde ſequitur, [ſi comprehenſi fuiſſetis verorum martyrum conſtantiam, præ timore, amiſſuri.] hinc, quoad vos, non tantum à duce veſtro fugiſtis, ſed eum quodammodo negaſtis. Nam (vt ait Tertullianus) [apud plures nolendo confiteri, negaſti. Ipſa ſalus iudicabit hominem excidiſſe, dum euadit. Excidit ergo, qui maluit euaſiſſe: negatio eſt etiam martyrij recuſatio.] amiſiſtis ergo tunc martyrum coronas, quas meriti fuiſſetis ſtando tantum cum Chriſto, ſine vlla ſanguinis effuſione.

Chry. ſer. 151.

Tertull. ibid. ad.

4. Sed, præ cæteris, ô Petre, quid tu agis? cur non ades, vt tibi ſaltem magiſter tuus, pro vltima valedictione, ſuam impertiat benedictionem? audi quid tibi, ſi non verbis, certè affectu dicat: Petre, quem tanto ſublimare decreui honore, vt tibi gregem meum, vniuerſamque Eccleſiam commituere ſtatuerim, adſis tu ſaltem à fuga, & paſce oues meas: confirma fratres tuos, ad me conuerſus: memineris Petre, quomodo pro te tantum, vt pro capite ſolutum ſit Cæſari tributum: memineris Petre, quomodo pro te orauerim, vt non deficeret fides tua. [commune quidem omnibus Apoſtolis periculum imminebat; & omnes de tentationis formidine diuinæ protectionis auxilio pariter indigebatis; quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes

Chriſtus cõnatur Petrum reuocare à fuga.

Sic fere Leo. ſer. 2. in nata. Apoſt. Pet. & Paul.

cupiebat elidere, & tamen tui, Petre, specialem suscepi curam, & pro tua fide propriè supplicaui: tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In te ergo, Petre, omnium fortitudinem muniri volo, & diuinæ gratiæ ita ordinari auxilium, vt firmitas, quæ per me tibi tribuetur, per te Apostolis conferatur.] Reuoca igitur mentem, ô Petre, & à turpi fuga pedes refer. pastor futurus fugere non debet: mercenarius est qui lupo veniente dimittit oues & fugit, & licet nondum sis pastor, sed adhuc ouis, imbellis quidem fugere non deberes, nam vt ait Tertullianus [si grex fugere deberet; non deberet præpositus gregis stare, sine causa staturus da tutelam gregis, quam grex non desideraret ex licentia fugæ.] Non licet ergo ipsis ouibus in ipsa persecutione fugere, si cum scandalo fugiant; sicut vos fugitis, & præsertim, tu Petre, quem alijs Apostolis præferre statui. Si ergo sapis redi: te enim à Resurrectione, quemadmodum antea pollicitus sum, Ecclesiæ meæ nauigio inter mundi huius tempestates feliciter dirigendo præficiam: illud moderaberis, sicut alter Noe olim arcam inter magni diluuij fluctus, te alterum constituam Ioseph, tibi tradam regni mei claues, sine tuo imperio, non mouebit quisquam manum, aut pedem, omnia siquidem tuo arbitrio solura, vel ligata erunt, tu eris super domum meam Princeps; & ad tui oris imperium cunctus obediet populus: vno tantum regni solio te præcedam: eris mihi honoratus ille Mardochæus, & locum superbi, ac insolentis Aman,

Ioan. 10.

Tertul. ibid. c. 10.

Gen. 7.

Gen. 41.

ſommi, inquam, Synagogæ ſacerdotis thronum obtinebis. Redi itaque quam citiſſimè ab illa infami fuga, & tantis te honoribus dignum exhibe: ego te recipiam. Nonne meminiſti me tres parabolas coram te exhibuiſſe, quibus omnibus promptè ad me venientibus ſinum expanſurum pollicitus, [tres parabolas (inquit Ambroſius) poſuit: ouis, dragmæ, & filij, vt triplici remedio prouocati vulnera noſtra curemus. Chriſtus quaſi paſtor reuehit, quaſi mater inquirit, quaſi pater veſtit. Gaudeamus igitur quoniam ouis illa, quæ perierat in Adam, leuatur in Chriſto.] dic reuerſus à fuga, facti pœnitens: [humi Chriſti crucis brachia ſunt: illic peccata mea depoſui, in illa patibuli nobilis ceruice requieui.] Noli, Petre, timere repulſam [Hoc Chriſtus exequetur, cuius cauſa carnem ſuſceperat, admittens peccatores, ſicut medicus ægrotantes.]

Amb. in c. 15. Luc.

Ibid.

Theophyl.

5. O Petre, quò feruor ille tuus abijt, quem in horto ipſo prælij aggreſſu oſtendiſti? videbare ſolus totam illam cohortem tuo gladio internecioni daturus, & tamen modo me fugis, cum cæteris nullo perſequente? quò euanuit, Petre, deſiderium illud tuum, perpetuo mecum manendi, quod viſa vel tenui gloriæ meæ ſcintillula in monte Thabor, oſtendiſti [Domine bonum eſt (ingeminans,) nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moſi vnum & Eliæ vnum,] & modo fugis! quæ rerum vices, Petre? quæ ſubita fortunæ mutatio, quæ tam ardentis deſiderij,

Perſtringitur Petri inconſtantia.

Matt. 17.

Digitized by Google

mecum commorandi inconstantia, bonum est nos hic esse aliquando dixisti; & mutata hodie sententia adeo exanimatis pauore, vt malum tibi esse mecum hac tua turpi declares fuga. [Generosus miles secessum (inquit Magnus Gregorius) à certamine petit, & pugnaturus felicius ad alia se bella seruat. Non loco virtutem deesse permittit, sed virtuti locum expectat: & idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustia certaminis locum quærit] at vero tu secessisti à certamine, non tibi; sed Christo ineundum, non pugnaturus felicius, sed turpius magistrum tuum negaturus, loco virtus, & non locus virtuti defuit: & ideo imbellis ab obsidionis angustia, qua magister tuus premebatur, fugisti, non vt aptiorem certaminis locum, sed latebras quæreres. Heu! Petre, reuoca gressus, resume pristinum feruorem, innoua mecum commorandi in aduersitate desiderium, quod habuisse te in prosperitate palam significasti: & fige tibi tabernaculum iuxta magistri tui cubile, & audies illud de Christi excessu vaticinium in monte Thabor pertractatum inter ipsum Mosen & Eliam, hodie suspiriis, singultibus, & lacrymis impleri. Sequere igitur magistrum tuum, à fuga reuocatus, eiusque considera excessum in dolore, tribulatione, contumelijs, ignominijs, vt qui excessu gloriæ aliquando delectabaris, modo magistri tui viso calamitatum excessu, contristeris, & dicas, licet mæstus, feruoris excessu abreptus: [bonum est nos hic esse cum] Iesu meo mundi magistro; humani generis causa patiente, sicut bonum fuit esse cum illo in monte Thabor transfigurato.

Greg. l. 31. Mor. c. 14.

6. O Petre,

6. O Petre, quam efficax alioqui hæc magistri tui à fuga reuocantis oratio, & tamen eius elidis efficaciam, surdas monitis præbens aures. An fortasse in exemplum Christi aliquando fugam à persecutoribus trahis, vt tuam hac ratione fugam excuses. Sed [fuga illa Christi (vt ait Ambrosius) erat trames innocentiæ, pietatis assumptio, via virtutis. Quod fugit ergo Christus (ait Hieronymus) non infidelitatis, sed prudentiæ indicium est, ne frustra nos offeramus periculo.] sed nullum neque tibi, neque cæteris Apostolis imminebat periculum, ac proinde fuga vestra infidelitatis potius, & diffidentiæ in Christi promissione indicium est, & magnæ consternationis argumentum, quod non paulo post ad reuocantis Christi vocem redieritis. Docuit quidem Christus nos omnes persecutionem fugere, sed nunquam cum scandalo, nemine persequente, innocentem sua fuga condemnare; fugit ipse in Ægyptum ab Herodis persecutione, vt nobis etiam persecutionem fugientibus animos faceret. [Sicut (ait Chrysologus) natus est Christus, vt repararet hominem: sic vt fugaces reuocaret, aufugit. Et si vt reuocet errantem ouem in montibus ipse errat: quomodo ipse non fugiet, fugientes populos vt reducat?] Et inferius [bellicosus, inquit, miles, quod in bello fugit, artis est, non timoris. Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pauoris: potens quando se subducit infirmo, insequentem non pauet, sed foras producit, vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam: occultum se non patitur inire conflictum, qui

Amb. l. de fuga sec. c. 4.

Chrys. ser. 150.

mandare suum sæculis vult triumphum.] & statim: [hinc est quod Christus fugit, vt cedat tempori, non Herodi: neque enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam; neque humanas insidias expauit, qui venerat diabolicæ fraudis aperire versutias.] Christi ergo fuga vestræ minime patrocinatur.

7. Cum ita sit, cur Petre, non redis, vt restituta tibi conscientiæ tranquillitate contemperis quam malum, & auarum te deseruisse Deum, sine quo nemo potest esse bene, etiamsi omnibus sibi videatur bonis frui: cum nullum bonum sine illo, in quo omne bonum. Vbi autem male poterit esse quispiam cum Christo, & vbi bene esse poterit sine illo? Hinc ipse de hac fuga vestra iam olim per prophetam conquestus est: [me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.] ad hunc fontem currebatis diuini verbi aqua delectati, adeo vt cum Dauide toties ingeminabatis, [sitiuit anima mea ad Deum viuum:] vt sitim vestram vbertate diuinæ cognitionis expleretis, & insipientiæ sanguinem spiritalium rigatu dilueretis fluentorum.] ô quoties eius deliciis, & gaudiorum voluptate satiati, & præsertim à cœlesti illa cœna veluti ardentissimi Christi amatores egressi, quilibet, re ipsa, illud veri amatoris Christi secum repetiit [nolo quidquam mihi præter illum, dulce non est quidquid mihi vult dare Dominus meus præter ipsum; auferat totum, & se mihi det.] heu! Petre, hoc aliquando delirio abiorptus Apostolorum omnium nomine Christo scisscitanti an à se recedere velletis, respondisti: [ad quem ibi,

Hiere. 2.

Ibid.

Psal. 41.

Amb. l. de Isaac & anima c. 1.

Aug. in psal. 26. in medio.

Ioan. 6.

mus Domine? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus: quomodo igitur vis vt discedamus à te? captus (inquit Ambrosius) cœlestium suauitate verborum discedere nolebas à Christo.] *Amb. in ps.* 43.

Sed quid addat, audi Petre. [Qui autem, ait, negat Christum, ipse se separat à Christo.] quid hoc detestabilius? licet verbo nondum Christum negaueris, tua tamen fuga, cum cæteris, ipsum videris negasse, ad quem ibimus? verba vitæ, & vitam interim fugis, nec vis iuxta Christum hodie patientem tibi tabernaculum figere, qui latebras quæris, & sæuiente in magistrum tuum graui tempestate cum cæteris Apostolis metu perculsus dormis! cur non potius consternati hoc subito metu (quod aliquando feciſtis) cur inquam eius opem non imploratis, conclamantes: [Domine salua nos, perimus.] sed heu! tantum abest, vt hæc in Christum, & vos excitata tempestas subsidat, vt potius suis vos implicuerit procellis, vosque in tenebras egerit. Extinxistis enim vestra fuga splendidissimos diuini solis radios, vosque densa pauoris caligine occæcati fugistis. Sed hoc naturæ imbecillitati ascribamus, & proinde redire rursus ad solem potestis, qui illuminabit omnes mentis vestræ tenebras, animasque purgabit, & à laqueis ignium ereptas in cœlum tandem inuehet. Redite ergo redite: [Hic est sol nouus (vt ait Ambrosius) qui clausira penetrat, inferna reserat, corda rimatur, hic nouus est sol, qui spiritu suo viuificat mortua, corrupta reparat, suscitat iam defuncta: hic est qui calore suo *Amb. ser. 16. de natal. Dom.*

purgat sordida, exurit fluida, decoquit vitiosa. Ipse inquam est, qui in cunctis actibus nostris perspicit omnia opera nostra, & non tam condemnat crimina, quam emendat:] quis ad huiusmodi solem non recurreret, vt lumine cælestis gratiæ rursus donetur. Sed quid vobiscum incassum ago, qui præ metu ita obstupuistis, vt nemo vos ab infami fuga retrahere possit!

Christum in prosperitate sequimur, in aduersitate deserimus.

8. Heu! quam multos habetis imitatores! Heu! quam multi sunt, qui Christum sequuntur, dum bene illis est, qui obiecta statim difficultate fœdissimè retrocedunt! [multi sequuntur Iesum, inquit pius Thomas Akempis, vsque ad fractionem panis, sed pauci ad bibendum passionis calicem:] quos Christus ipse perstringit, in eorum persona, qui se ob fructum potius, & corporis alimentum, quam ob salutis æternæ emolumenta aliquando sequebantur: [quæritis, inquit, me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.] In ipsis inquit miraculis non quæritis quod spirituale est, sed quod carnale, non animæ emolumenta, sed corporis alimenta: non vt ex prodigiis ac miraculis me verum Dei filium esse credatis, sed vt ego vos frumento, vino, oleo, cæteriisque rebus ad vitam necessariis locupletem [propter carnem (inquit Augustinus) me quæritis, non propter spiritum. Quam multi non quærunt Iesum, nisi vt illis faciat bene secundum tempus. Alius negotium habet, quærit intercessionem clericorum: alius premitur à potentiore, fugit ad Ecclesiam: alius pro se vult interueniri apud eum, apud quem parum valet ille:

Joan 6.

Aug. Tract. 25. in Ioan.

ſic impletur quotidie talibus Eccleſia : vix quæritur Ieſus propter Ieſum.] multi cum Chriſto in cæleſti regno triumphare cupiunt: ſed pauci cum illo prœlia inire volunt. Multi aſſociantur Chriſto in proſperitate, ſed pauci cum illo in aduerſitate perſeuerare conantur. his ergo omnibus relictis, tanquam imbellibus militibus tranſeamus ad Chriſtum, quem atrocitati hoſtium reliquimus agitandum.

Filius Dei ad Annam vinctus primo ducitur: deinde ad Caipham.

CAPVT XXV.

1. TRia hominum millia è tribu Iuda (vt ſacræ teſtantur literæ) ad Samſonem venientia dixerunt : ligare te venimus , & tradere in manus Philiſtinorum :] & duobus ligatum funibus ſecum abduxerunt. Ecce noſter fortiſſimus Samſon armatorum , & ſceleratorum exercitu vndequaque cingitur , vndique premitur , vndique violentos ſuſtinet impetus: neque duobus tantum funibus, ſed pluribus ligatur, vt eo ſecurius & cautius , iuxta impij Iudæ conſilium: [tenete eum,& ducite caute,] abducatur, non vt Philiſtinorum manibus , ſed vt voluntati , ac libidini Iudæorum tradatur, quo pro ſuo in illum odio, inuidia , rancore , dilanient , excrucient, vexent. [hinc quidam doctor merito exclamat: [quid facitis impij ligantes pullum , quem ad

Iud. 15.

Pluribus Chriſtus quam Samſon ligatur funibus.

vineam Domini Sabaoth melioribus nexibus ligauit omnipotens: ligare Samſon venimus, & tradere in manibus Philiſtinorum.] Ligatus quidem eſt Samſon à ſua etiam vxore Dalila: ſed vincula ſic rupit, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppa tortum ſputamine, cum ardorem ignis acceperit. Et fortiſſimus noſter Samſon non modo à Iudæis ligatus eſt, ſed à ſua etiam Dalila iam olim, à peccatrice, inquam, anima, non ſeptem funibus, ſicuti Samſon ligatus per ſuam coniugem, ſed tot, quot ipſa peccatorum catenis ſtringebatur, adeo vt cum Manaſſe dicere potuit: [incuruatus ſum multo vinculo ferreo, vt non poſſim attollere caput meum, & non eſt reſpiratio mihi:] audi peccatricem animam de ſuis catenis conquerentem [mortifera ſuauitate trahebam catenam meam, ſolui timens, & quaſi concuſſo vulnere repellens verba bene ſuadentis, tanquam manum ſoluentis.] O quot huiuſmodi vinculis Chriſtus hodie ad crucem trahitur, quæ adeo fortia ſunt, vt nullis naturæ viribus diſrumpi poſſint; ſed opus fuerit ipſam Dei fortitudinem, quæ in Chriſto deliteſcebat, ad illas diſſoluendas tandem exerere. [Quid eſt, interrogat Auguſtinus, quod in capillis Samſon virtutem habebat? & hoc fratres diligenter aduertite, virtutem non habuit in manu, non in pede, non in pectore, non in ipſo capite, ſed in capillis, in crinibus, comæ ſunt velamentum: & in velamento Chriſtus habebat virtutem, quando vmbræ veteris legis eum tegebant.] Hinc tot vinctus peccatorum funibus Chriſtus vir-

Iudic. 16.

2. Paral. 36.

Auguſt.

Aug. ſer. 107. de temp.

tutem habuiſſe in manu minime videbatur, cum manus ligatæ tenerentur ; imo nec in pede, nec in pectore, nec in ipſo capite : nam veluti totus infirmus horum latronum pedibus ſeſe conculcandum ſubdidit. In velamento igitur carnis ſuam abſcondit fortitudinem: quam exerere oportuit, vt fortiſſima noſtrorum peccatorum vincula, quibus arctè ſtringebatur, diſrumperentur, quæ per Iudæorum vincula adumbrabantur.

2. Adducunt itaque Ieſum improbi dæmonis ſatellites vinctum ad Annam primo. Erat enim ſocer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Conſideremus, obſecro, hic quid doloris Chriſtus partim ex diſcipulorum fuga, partim ex militum inſolentia, & crudelitate concipiat. Ecce, vt illum infames prædones crudeliter tractent, trahant, percutiant, impellant, vt currere cogatur, tanquam malefactor funibus alligatus, manibus poſt terga vinctis, percuſſus crebro flagris à tortore, qui illius dorſo incumbit, verbera ingeminans, illumque inſequitur, & per plateas ignominiosè flagellis ſubditum, cæteris acclamantibus, vt verbera verberibus addat, ad perpetuam eius, vt putabant, infamiam. Liceat mihi hic exclamare cum Bernardo: [ô amanda, ô admiranda dignatio ! Deus immenſæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non deſpexiſti ! Deus omnium, conſeruus ſeruorum apparere voluiſti ! parum tibi viſum eſt, patrem te nobis eſſe, & Dominum, frater noſter eſſe dignatus es.] imo vilè mancipium, noſtri gratia, fieri

Chriſtus vinctus ad Annam trahitur.

Ber. ſer. de paſſ.

voluisti, & in te excipere flagella nobis debita? Nec hæc dignatio tua hodie, vel nudiustertius inceepit, sed ab ipso natiuitatis tuæ instanti. Hinc idem sanctissimus pater rursus exclamat: [& tu Domine vniuersorum, qui nullam habes indigentiam, intra ipsa Natiuitatis tuæ initia non abhorruisti abiectissimæ paupertatis degustare incommoda! tibi, cum nascens, non erat locus in diuersorio, neque cunabula, quæ teneritudinem tuam exciperent, habuisti; sed in vili præsepio sordentis stabuli, tu qui terram palmo concludis, inuolutus panniculis reclinatus es: & hoc ipsum à brutis animalibus mater tua mutuò accepit!] & vt initio tua responderent nouissima, permittis te hodie funibus ligatum, tanquam canem à Diaboli mancipiis exigitari. O dulcissime Saluator, video te currentem modo per Hierosolymitanas plateas, laxis ligatum funibus, subsequente tortorum multitudine, quæ te celeriter currere cogit, cælesti dorso tuo, qui cælum terramque hoc ipso momento, sicut alter Atlas sustines, cum verberibus imminens, tuamque simul maiestatem opprobriis, & ignominiis onerans [te enim (inquit Bernardus) faciente opera Dei, quæ nemo alius fecit, quid dixerunt? non est hic homo à Deo, in Principe dæmoniorum eijcit dæmonia, dæmonium habet, seducit turbas, vorax est, & potator vini, & amicus publicanorum & peccatorum. Quid fles? quid suspiras, ô homo, dum sustines verborum iniurias? non audis quanta aduersus Dominum Deum tuum ceciderunt opprobria propter te? si Patrem familias Beelzebub vocarunt, quanto magis

Ber. ibid.

Digitized by Google

domesticos eius? sed hæc quidem & similia blasphemantes] hodie etiam in te euomunt maligni Iudæorum satellites, teque fustibus, & flagris ante se properantem ad cæteros passionis cruciatus exagitant, & hæc patienter sustines, factus coram eis, sicut homo non audiens, & in ore non habens redargutiones. O quantum interest inter hunc & illum comitatum paulo ante, quo, cum triumpho, Hierosolymam es ingressus; cuius ciues tibi occurrentes tuo gratulabantur aduentui: O sanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini acclamantes; qui tamen modo tibi insultantes ignominiosè te trahunt ad domum Annæ, & inde ad Caiphæ. *Mat. 21.*

3. Ridet Plutarchus Athenienses, qui trecentas Demetrio Phaleræo excitatas, honoris causa, statuas paulo post, eo adhuc viuente (tanta vulgi mobilitas) ad conflandam summam illi ignominiam in terram præcipitarunt. Et quis tuorum, ô Hierusalem, ciuium inconstantiam non irrideat, qui ante paucos dies Christo aduentanti triumphos egerunt, cum tamen omnes hodie ita illum odio prosequantur, vt ignominiam eius, triumphum suum ducant: ô incredibilis mortalium inconstantia! ô Domine, nonne paulo ante, tanquam alter Daniel, cui totius Babylonis principi aurea ornato torque præconis voce acclamabatur! totius Hierosolymitanæ ciuitatis princeps ac Rex non ita pridem nominabaris; sed sicuti ille in leonum lacum deuorandus missus est; sic tu hodie, non aurea torque ornatus, non fastis exceptus acclamationibus, sed duris ligatus funibus, per totam ciuitatem à tortoribus, instar latronis, hodie duceris, breui

Plutarch. in Apopht. Vulgi mobilitas.

Dan. 6.

Christi contemptus.

tuæ mortis & ignominiæ instrumenta humeris portaturus, tot tibi acclamaturis vndique præconibus: crucifige, crucifige, quot pene ciues
Ber. ibid. Hierosolyma capit! [Cur igitur (exclamat Bernardus) adhuc extento collo ambulas, ô terra, & cinis? adhuc te superbia eleuat? adhuc te impatientia exagitat? intuere humilitatis, & mansuetudinis Dominum Iesum, vniuersæ creaturæ factorem, tremendum Iudicem viuorum, & mortuorum, ligatum funibus, & per viam publicam currentem, tot agitatum verberibus. Disce quia mitis est & humilis corde, & confundere in superbia tua, & erubesce in impatientia tua.] Egredimini filiæ Sion animæ Christo deotæ, egredimini & considerate hanc sponsi vestri metamorphosin, videte illum instar latronis captiuum duci ad Annam, & deinde ad Caipham iuratis suis circumseptum hostibus, eum saltem animi gressibus sequimini, vt intelligatis, quam irreuerenter ab inimicis habendus sit, qua custodia cingendus, qui modo furentium luporum indagine vndique sepitur.

4. Considerate modo, vt ex domo Annæ, in domum Caiphæ ligatus raptetur, idque nudis pedibus, per viam saxis, scrupulisque asperrimam, à sua potius charitate dixerim impulsus: videte quomodo amore nostri ad tormenta festinantem impellant, cædant, spuant, colaphizent, capillos, & barbam ligati euellant, in tantum, vt sicut aqua toto perfusus corpore, in suo rursus sudore natet, omnibus præsertim eius membris, per terram tractis, & tamen longè facit ab ipso patet cælestis suas miserationes! quo quid luctuosius! & vinctum suum non respi-

cit pater ! ô ſi ingens ſcelus ethnicus ille Cicero vincire ciuem Romanum dixerit, quantum ſcelus æſtimari debet ciuium cæleſtium regem vincire, & ignominiosè tractare. B. Bernardus de Alexandro magno memoriæ prodidit, cum medici eum ligare vellent, ob motus periculum, dum ſagitta illi infixa extraheretur, dixiſſe: [non decet vinciri Regem, cum libera ſit Regis & ſemper ſalua poteſtas,] quod Alexander de ſe, hoc multo magis, tu, ô impie Anna, ô iudicis idolum Caipha, de Angelorum rege dixiſſes! Scribit quoque Mallonius ſereniſſimum Sebaſtianum Luſitanorum Regem ab hoſte in prælio victum, & captum, cum deponere arma iuberetur, reſpondiſſe, [regia libertas non niſi morte amittitur, renuitque (vt inuicto erat animo) enſem hoſti tradere.] Et tu Caipha, vides hodie Regem regum non inuitum, ſed ſponte ſua captum, vides, inquam, coram te ligatum, & tamen diuinitatis armis blaſphemiæ arguendo, vis ſpoliare? regia Chriſti libertas, neque vinculis, neque morte, ô Caipha, amittitur, neque illi diuinitatis arma rapere poteris: & licet ligatis manibus, latronis iuſtar, coram te, cum ſiſti velis, omnique bellico honore ſpoliare, adeo, vt præclarum illud Ducis Abner elogium in illum minime quadret [nequaquam, vt mori ſolent ignaui, mortuus eſt Abner: manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati:] veniet tamen tempus, idque breui, cum hic propria virtute, qui modo ligatus eſt, manibus & pedibus expeditus, te tuique ſimiles à ligno regnaturus blaſphemiæ & iniuſtitiæ conuincet. Interim, ô bone Ieſu, vti-

Cicer. 7. in Verrem.

Ber. ſer.

Reg. 7.

nam dignus efficiar tuis vinculis, vt cum B. Paulo de illis gloriari mihi liceat: & dicere. [ego vinctus Christi Iesu. Vinctum enim esse propter te (vt ait Chrysostomus) illustrius est, quam siue Apostolum, siue doctorem, siue Euangelistam esse: si quis, inquit, Christum diligit, is nouit quid sit, quod dico: si quis ergo Christum amore, vt ita dicam, insanit, & ardet, is nouit quæ sit vinculorum virtus.] & paulo post addit [hic itaque prius habebit, optione data, vincula ferre propter Christum quam cælos inhabitare: istud forsan illustrius etiam est, quam sedere ad dexteram ipsius, honestius quam sedere super duodecim Thronos, etiamsi nullam haberet mercedem res ista: hoc tamen solum magnum est præmium, hæc multa retributio, quod ista mala propter dilectum feruntur] quid sublimius? quid glorioſius, quam Christi causa, vinctum coram tyranno sisti? Hoc magnificentius, felicius, & Deo acceptius, quam cum Apostolis in cælo thronos occupare.

Chry. in epist. ad Ephe. c. 4.

5. Si cum Paulo vinciri glorioſius sit, quam sedere in cælo ad Christi dexteram cui rei comparabimus cum Christo vinculis ligatum, cui in præmium respondet compati cum Christo merces profecto magna nimis. Audiamus porro sanctissimum Doctorem quid de Pauli catenis dicat [si quis, inquit, mihi vel vniuersi cæli, vel huius catenæ copiam, & optionem largitus fuisset, catenam hanc ego plane elegissem: deinde si mihi cum Angelis standum esset sursum, aut cum Paulo vinctum in carcere, carcerem vtique peroptassem. Ad hæc si quis me in ordinem, & in numerum cælestium potentiarum,

Digitized by Google

earum etiam, quæ prope thronum Dei sunt, aut talem ligatum feciſſet, talis vtique esse voluiſſem.] quid mirabilius? quam ergo nobis optandum vna cum Christo catena colligari, & duci cum illo, & pro illo ad crucem hoc glorioſius, quam in ordinem adſciſci Seraphinorum. Nam per illam catenam efficeremur Christo ſimiles, & quaſi genuinus frater; hinc Seraphicus idem Doctor addit [nihil hac catena beatius, non ita beatum dico Paulum, quod in paradiſum raptus, atque quod in carcerem coniectus eſt: non ita beatū exiſtimo, quod verba audiuit ineffabilia, quam quod vincula ſuſtinuit. quod enim iſta reliquis ſint maiora, audi ipsū quomodo glorietur. Non enim dicit: hortor vos ego qui verba ineffabilia audiui: ſed quid? hortor inquit vos ego vinctus in Domino,] ô beatam catenam, ô vincula deſideratiſſima omnibus etiam paradiſi deliciis è creaturis in cælo emanantibus præferenda! [ô beata vincula (exclamat deinde Chryſoſtomus!) ô beatas manus! quas catena illa exornauit: non erant ita præclaræ Pauli manus: quando claudum illum in Lyſtris erigebant, atque quando vinculis erant circumligatæ. Admiraris Paulum tum potiſſimum, quando nihil illi quæ manui adhæſerat detrimenti afferebat vipera. Nihil mireris, catenam quippe illam verebatur, quin imo & vniuerſum illud mare veneratum fuerat; nam tum quoque vinctus erat.] Quantus hac in re Chryſoſtomi feruor quem vtinam, hoc paſſionis tempore imitemur vt alter Paulus, quid dico Paulus? alter Christus quodammodo dicamur ſimiles in vinculis, ſimiles in paſſione, ſimiles in vinculorum gloria. vtinã ſaltem tanto

desiderio in Christi vincula feramur quanto Chrysostomus, vt Pauli catenas tangeret.

6. Ecce quomodo optet in illa Pauli vincula irruere eaque arctius stringere & identidem exosculari, quia eius membra tetigerunt & Christi gratia illa sustinuit: [quod si mihi, exclamat, temporibus illis esse contigisset, vincula illa complexus fuissem, inque sinus meos collocassem, neque cessassem osculari illa, quibus is pro Domino meo ligatus fuit. [& paulo inferius, [quod si liberum mihi fuisset per curas Ecclesiasticas, & corpus habuissem validum, nihil vnquam causatus fuissem, quo minus tanta suscepta peregrinatione, catenas duntaxat illas, & carcerem vbi ligatus fuit, videre perrexissem.] quidni & nos in vincula Christi, quasi nobis iam exposita irruamus, amplectamur, exosculemur, nulla præsertim suscepta peregrinatione, vt cum Chrysostomo illa in sinu nostro collocemus, ne illorum memoria nobis vnquam excidat? & sic concatenati perpetuo cum Saluatore nostro inueniamur, vt cum Paulo dicere possimus [Salutate non Andronicum, & Iuniam cognatos & cõcaptiuos meos; sed salutate in visceribus Christi in primis Paulum cognatum nostrum, & concaptiuum cum Christo nobiscum, vt nos dignetur vel saltem consimili catena, qua ipse vinctus fuit in Domino, honorare, & salutate cognatum nostrum & concaptiuum Petrum Apostolum, vt simili etiam, qua ipse ligatus fuit catena, peccatorum catenis omnino disruptis, nos donet, cuius elogium in hunc modum Chrysostomus persequitur: [honoratus est Petrus ista catena, erat enim vinctus, atque traditus militibus, & dor-

miebat: ita videlicet erat hilaris, atque nihil prorsus immutatus, vt grauis illū teneret somnus: venitque ad eum Angelus, & percusso latere excitauit eum. Hic si mihi quispiam dixisset, elige vtrum velis: vis esse Angelus Petrum stimulans, & soluens, an Petrus solutus? Petrus vtique mallem esse, propter quem & Angelus descendit, vt vinculis illis potiri licuisset:] ô diuina Petri vincula, quæ illi instar mollissimi cubilis erant, quibus etiam veluti suauissimis stragulis coopertus, sine solicitudine dormiuit. At vos, ô tyranni Anna, & Caipha, quando permisistis Christum funibus ligari, non ipsum oneraſtis; sed potius honoraſtis, & nobis vincula paraſtis, non modo suauia, sed etiam glorioſa. [iugum (enim Christi in posterum) suaue est, & onus eius leue, quod neque nos, inquit Petrus, neque patres nostri portare potuerunt:] sed vinculorum Christi virtute adeo delectabile ac facile modo redditur, vt quiliber, si Christi spiritum habet, malit exquisitissimos subire cruciatus, quam illud è suis humeris deponere [virtus enim Dei est in salutem omni credenti, lex vitæ & disciplinæ.] Sed vnde digressi sumus, redeamus, vt contemplemur quid præterea in domo Caiphæ Christo contigit.

Matt. 11.

Rom. 1. *Eccli.* 45.

De falsis testibus in domo Caiphæ Christum accusantibus.

CAPVT XXVI.

1. SVmmi sacerdotes, Scribæ, & seniores in vnum conueniunt, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Conuentus hic tene-

Digitized by Google

Concilium malignantiũ peruersi iudicio Christum damnare satagunt.

brionum nocturnus fuit, potestas enim eorum, potestas tenebrarum. Quare tam Pontifex, qui huic malignantium concilio præerat, quàm reliqui, qui aderant Iudices, ignorantiæ, odij, rancoris, ac inuidiæ densissimis inuoluebantur tenebris. Quæ igitur sententia, quæ iudicij æquitas, quæ misericordia in reum à cæco expectanda concilio? Expendite, obsecro, nonnihil mecum horum Principum, Iudicumque iniquitatem, animique rancorem, quo iustitiam peruertere, & iudicium conabantur! Expendite eorum animos densa odij, & inuidiæ caligine penitùs oppletos: [Principes, inquit Matthæus, Sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent.] Hinc eò omnes conuenerunt, [vt Sacerdotum (inquit Chrysostomus) Principum consilio, cuncta gererentur. Adeo in hoc ipsum pernoctare illi ac vigilare. Neque enim illi tunc Pascha comederunt, sed die altero, ita vt & in hoc præ nimia illius occidendi cupiditate legem soluerint.] Et subdit [nequaquam vero Christus Paschæ tempus prætergressus, qui vespere comedit; sed illi omnium audacissimi, ac mille legum conculcatores, insano quodam furore succensi, vt qui illum interficere sæpius conati essent, nec tamen vnquam valuerant, cum ipsum tunc insperato apprehendissent, distulerunt legirupæ & Pascha comedere, vt sanguinariam animi sui cupiditatem exsatiarent.] Quare illum falsis testibus obruere conantur. Iudicesne, vestrâ sententiâ, hi sunt! an non potius lupi rapacissimi, leonesque crudelissimi, qui innocentissimum Dei Agnum calumniis circumuenire

Matt. 26.

Chry. c. 26. in Matt.

contendunt?

contendunt? Iudicum est vera quærere testimonia, hi quærunt falsa. Iudicum est innocentem mortis periculo eripere, hi innocentissimum morti tradere nituntur; hinc falsa quærunt testimonia, non vt vulgari certè aliqua illum pœna afficiant, sed vt ignominiosissimæ crucis probrosæ morti addicant! ô potestas tenebrarum! ô caligo, Tartari caliginem superans! ô tenebræ Ægypti tenebris crassiores, & palpabiliores! ô concilium malignantium Iudæorum! Quod de inueteratis malorum dierum Iudicibus iam olim propheta Daniel dixit, idem de vobis dicere meritò possumus: [egressa est de Babylone (imo dixerim de Synagoga) iniquitas à Senioribus Iudicibus, qui videbantur regere populum.] Quo loco Interlinealis ait: [quia male præerant] iniqui enim Principes, & Iudices ex externo apparatu populi lumen, & rectores videntur esse, cum tamen non sint. Vnde recte ait Bernardus: [deprehendi noctes, qui se dies mentiebantur.]

Dan. 13.

Ber. ser. in Cant. 75.

2. Quam merito iam olim propheta Hieremias hanc vobis ingratitudinem, & malitiam exprobrauit: [filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.] Et Iob [induratur ad filios suos, quasi non sint sui] Nonne indurata est crudelis Iudæorum Synagoga, summi, inquam, Sacerdotes, Scribæ, & seniores contra Christum, qui ab ea gente prognatus est, quasi non esset illius filius. Verè struthionis naturam induit, [nam sicut ille cum pulli exierint (inquit Gaspar Graiarius) nequaquam, sicut cæteræ aues, eos fouet, aut alimenta subministrat, sed statim sibi cibum quærere coguntur; qui cum fame premantur, grauissimos edunt vlulatus, quorum neque parentes

Thren. 4. Iob. 39. Perstringitur Synagoga ingratitudo.

Graia. in Micheam.

miserentur:] sic & vos tanto prosequimini odio Christum, vt nequaquam eum foueatis, sed potius crudeliter illum vbique exagitatis, neque miseremini lacrymosas eius voces, idque ex mera inuidia, & rancore, vt conceptam de ipso vulgi opinionem penitus deleatis, eiusque miracula, & virtutes præstigias esse significetis! Hinc instar struthionis oua sua fouere negligentis, & proiecta in terra pedibus conculcanda relinquentis, crudeles pullum vestrum à vobis progenitum negligitis, & impiorum pedibus calcandum, verberandum, conspuendum obijcitis. [Hæc auis (inquit Olympiodorus) postquam ouum elaborauit, labore pullos suos confici sinit, vt ne à se ipsa alantur, contra susceptæ prolis educationem, naturali caritate obdurescente] Et crudelis quasi struthio Synagoga, quæ tantis, ac ardentibus votis Christi in terram descensum elaborauit, & modo pullum suum miraculis, & virtutibus clarum, labore, iniuriis, & verberibus confici sinit, & falsis testibus impiè subornatis morti tradere festinat, vt ne à seipsa honoretur, aut laudetur, contra susceptæ prolis munificentiam, & amorem, natiua prorsus caritate in illa obdurescente, quasi Christus eius non esset filius. O ingrata Synagoga! ô intolerabilis hypocrysis, quæ sub ementito reipublicæ conseruandæ zelo falsos testes subornas, quibus innocentissimum Dei Agnum interficere conaris! Verè struthioni similis merito perhiberis, nam sicuti struthio (inquit noster Viegas ex Gregorio) similitudinem pennarum habet accipitris, sed non volatum; & alas quidem ad volandum erigit; sed nequaquam se à terra volando suspendit: ita Sy-

Olymp.

Greg. l. 3. Mor. c. 6.

nagogadum bonorum vitam simulat, imitationem quandam sanctæ conuersationis habet, sed veritatem non habet: volandi pennas habet, per speciem, sed in terra repit per actionem: alas per figurã sanctitatis extendit, sed curarum sæcularium, & multo magis odij, inuidiæ, & rancoris in Christum, pondere prægrauata minime è terra subleuatur. Deinde quemadmodum struthio lapidibus insequentes petit; sic illa salutaribus Christi verbis lacessita in eum lapides iacere voluit. Tertio sicuti struthio, si collum frutice occultauerit, latere se reliquo putat corpore: sic insignis hypocrita Synagoga, si colli inflexione humilitatem simulet, & arrogantiam, necnon inuidiam, & rancorem in Christum, specioso aliquo ementitæ religionis pallio celet, perperam existimat reliquis omnibus actionibus latere posse: cum tamen ipsa se vitia intus latentia necessario interdum prodant; & maximè in subordinandis hisce falsis testibus contra Christum. Sed quid? priuauit enim illam Deus, ob tantam, in filium suum, ingratitudinem, & odium, intelligentia, eamque crassissimis ignorantiæ tenebris inuolui permisit, in tanto enim corpore paruum caput sine vllo ferme cerebro, vt struthio, sic Synagoga caput peruersi iudicij in tanto corpore paruum habet, quod ex eo constat, cum caput, & oculos abscondat, ne videat, & intelligat salutis documenta. Subornat falsos testes contra Saluatorem suum, quo quid euidentius euacuati cerebri argumentum? sed cum eorum testimonia minime conuenientia censerẽtur, vt malitia semper sæua, & ad scelus perpetrandũ armata, alios duos falsos testes producit,

vt iuxta illam Deuteronomi legem [In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum:] hæc est subdola Synagogæ hypocrisis.

Matt. 26. 3. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt: [quoniam nos audiuimus eum dicentem: ego dissoluam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo, quanto acutius (inquit Augustinus) sibi excogitare videbantur, tanto magis deficiebãt: defecerũt enim scrutãtes scrutationes, quia à lumine veritatis, & æquitatis in profunda conciliorũ malignorum demergebantur. Habet iustitia quandã lucem suam, perfundit & illustrat animam inhærentem sibi. Anima vero auertens se à luce iustitiæ, quanto magis quærit, quod inueniat contra iustitiam, tanto plus à luce repellitur, & in tenebrosa demergitur. Merito igitur & isti perscrutantes quod contra iustum moliebantur à iustitia recedebant, producentes duos falsos testes, & quanto à iustitia recedebant, tanto plus deficiebant scrutantes scrutationes!] Vere, ô mundi Saluator, illud Dauidicum iure optimo vsurpare modo tacitus potes: [Insurrexerunt in me testes iniqui] falsitatem & mendacia obtrudentes: [& mentita est iniquitas sibi] quæ in proprij authoris damnum tandem aliquando vertenda est. [Sibi igitur (vt ait Ambrosius) ante mentitur, qui in suum mentitur exitium. Sibi igitur delinquit (dixit iniustus, vt delinquat sibi) qui sibi innocentiæ eripit suauitatem.] Quis enim vera pectoris simplicitate & verborum suauitate dulcior fructus? quis amarior, quam is, quem animus male sibi conscius, & mens peierantis sibi parat, quæ falsitate sibi laqueos struit, foueam aperit, ignem

Aug. in illud Psal. 63.

Psal. 26.

Amb. in illud Psal. 26.

Psal. 35.

admonet, quoties proximo malum aliquod machinatur. O Synagoga, quam ergo inique agis cum Saluatore tuo! cum nihil inueniſſes, quod vel colorem veritatis præ ſe ferret, falſis teſtimoniis, quaſi veris de induſtria adductis, tandem duos alios falſos teſtes iniquiſſimè ſubornas, vt eum per fas, & nefas morti tradas!

4. Sed audiamus quam falſa hæc etiam contra Chriſtum teſtimonia: [nos, inquiunt, audiuimus eum dicentem: ego diſſoluam templum hoc manu factum, & poſt triduum, aliud non manufactum ædificabo.] Quibus modo argumentis (inquit Chryſoſtomus) falſi teſtes fuiſſe probantur, qui contra Chriſtum dicebant teſtimonia? nimirum ex ipſis eorum verbis.] Hinc non modo verba ab ipſo Euangeliſta recitata meras eſſe calumnias declarant, horum teſtium depoſitiones. Nam Chriſtus tantum dixit: [ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:] corpus vero ſuum templum appellaſſe Euangeliſta clarè indicat: [ille autem dicebat de templo corporis ſui.] templum autem vocauit, quia in eo habitabat (vt ait Paulus) omnis plenitudo diuinitatis corporaliter:] non ſolum igitur ex Euangelio, ſed ex Chriſti etiam ſilentio inanes fuiſſe depoſitiones claret. [Tacebat (inquit Chryſoſtomus) à principe ſacerdotum interrogatus, quod omnis eſſet ſuperuacanea excuſatio, atque inutilis, nullo videlicet audiente, quandoquidem figura quidem iudicij duntaxat erat illa, re autem vera latronum apparatus.] Hinc furore percitus (cum ad teſtium falſorum commenta nihil reſpondiſſet,) indigniſſimus ſacerdotum princeps Caiphas è ſolio ſurgens, ſui officij immemor, cum iu-

Falſa teſtimonia.

Chryſoſt. in cap. 26. in Mat.

Coloſſ. 2.

Ibid.

dex surgere non debeat, sed sedere, cum cæteris iniquitatis sæuissimis lupis, inculpato agno impudentius insultat dicens: [nihil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur?] cui Christus nihil adhuc respondit [Sed (vt ait magnus Leo.) [inter inconditas, & dissonas voces hoc Iesus mirabiliter elegerat, vt taceret.] non enim opus erat responsione cum ipsorum etiam sacerdotum iudicio (vt Marcus indicat) allatam à subornatis testibus criminationem non suffeciſſe. Sic etiam modo falsa verborum Christi ac distorta acceptatione, nihil præter calumnias illos confingere ipsimet aduersarij vident: nihilominus tamen malus iudex, cognita praua cæterorum in Christum voluntate, ex prauo affectu loquitur, Christique silentium, ex quo debuit testimonij colligere vanitatem, & falsitatem, in culpæ argumentum (vt ait noster Maldonatus,) trahit, quasi Christus ideo taceat, quod sibi malè conscius sit, cum tamen eius ipsi conscientia dictet contrarium. Vnde cum sibi ipsi futile eorum testimonium esse videretur, acri interrogatione criminis magnitudinem exaggerat, quasi dicat: nihil ne respondes ad tam ingentia tibi obiecta crimina, cum nullum verè potuerint obijcere! hinc fingunt, vt aliquid dicere videantur, aliud, quam ipse dixerit, vt cuilibet verba Christi expendenti innotescit.

Leo. ser. 6. de pass.

5. Ex hoc Christi silentio discimus eos, qui silentio non sunt opportuno tempore communiti, veluti muro, præbere ansam hosti, vt totius animæ tranquillitatem perturbet, illique deuorandam quasi apponat [sicut vrbs

(inquit Sapiens) patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.] vnde magnus Gregorius: [anima, ait, totam se insidiantis hostis vulneribus detegit, quam nulla munitio custodiæ circumcludit. Vnde scriptum est: sicut vrbs patens, &c. Qui enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis, & cum se per verba extra semetipsam eijcit, apertam se aduersario suo ostendit: quam tanto ille sine labore superat, quanto ipsa, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.] potius ergo silendum, Christi exemplo, quam referre calumniam pro calumnia. [armetur itaque (vt monet Chrysostomus) lingua aduersus peccata tua, non aduersus fratris plagam præparetur: & ideo Deus illam velut muro duplici voluit circundari: nam dentium tegmine, & labiorum custodia continetur, ne verba improuida garrulitate proferantur. Refræna igitur linguam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tanquam carnifici tradatur dentibus.] tacuit Christus ad aduersariorum calumnias, quæ sponte sua breui difflatæ sunt. Non illi obijciunt modo quod esset vini potator, Publicanorum amicus, quod Sabbathum violaret, quod dæmonium haberet, quod regnum, & diadema affectaret. Hæc enim iam pridem meras fuisse calumnias, tam sermone, quam miraculis sæpius ostendit.

Prou. c. 25. Greg. 3. pastor. Admonit. 15.

Chry hom. ad baptizã

6. Cum itaque nullum à Christo eliceret, ad calumnias sibi impositas, responsum Pontifex, ad adiurationem progreditur, vt Christi sacrum

rumpat silentium : probe siquidem nouit Christum aliquando Deum, suum appellasse patrem : quare ait [adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei :] quanta in hac adiuratione malitia, qua Christum sanguinolento dilemmate conatur perstringere ! Si dicat se filium Dei, blasphemiæ illum redarguam, ac proinde lapidibus obruendum iudicabo : sin vero neget, mendacij eum toties se filium Dei esse dixerit ; & sic ab omnibus impostor & mendax habebitur : si vero nihil dicat, sed sicut in cæteris taceat, parum reuerentiæ Dei nomini habere, Pontificisque authoritatem contemnere conuincetur. Propositio igitur Dilemmati Christus respondit [ita veraci, ac prouida (inquit magnus Leo) authoritate, vt iisdem verbis, & infidelium conscientias cæderet, & credentium corda firmaret, & ad omnem interrogationem eius referens, tu dixisti : vt & suam diuinæ authoritati obedientiam ac reuerentiam manifestaret. & ne etiam silentio suo videretur vel nomen Pontificis, quamuis pessimi, contemnere, qui illis calumniatoribus, & contra iustitiam palam agentibus nihil respondit. Denique vt nullum relinqueret excusationis locum Iudæis, quo suam rueri possent malitiam : alioqui si tacuisset, dicere poterant Pontificem illum interrogasse, an filius Dei esset, neque respondere voluisset, licet admiraretur ac proinde in illum se credere meritò noluisse. [Respondit ergo (inquit Chrysostomus,) vt omnem eorum tolleret excusationis prætextum. Quia & ad extremum vsque diem, se Christum esse, à dex-

Matt. 26. Dilemma malitia plenum.

Leo. ser. 6. de pass.

Chry. c. 26. in Mat.

trisque patris sessurum, ac orbis iudicem venturum edocuit: ego sum, inquit, & videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli.] quam opportunè Christus hactenus tacitus, modo palam loquitur, vt nos doceat, & silentium bene colere, & opportuno tempore loqui: [quemadmodum enim (inquit Chrysostomus) non iuuat vrbs, non mœnia, non portæ, nisi sint qui eas custodiant, & sciant, quando oportet ea quidem claudere, quando vero aperire; ita etiam oris, & linguæ nulla est vtilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accuratè, & circumspectè ea claudere, & aperire permissum sit, & sciat quæ sint efferenda, quæ vero tenenda, & admittenda.] videbitis ergo filium hominis venientem cum nubibus cœli; tunc me cognoscetis, vbi nimirum à mea resurrectione liber à vestris calumniis, falsisque testimoniis ad dexteram patris mei sedero. Tunc [applicabit sibi iniquitatem iniustis mentitam contumeliis, quasi contexuisse catenam conuitiorum, oneratse plaustrum iniuriarum,] me ab omnibus, præter vestram intentionem, vindicato calumniis. Tunc agnoscetis me, vbi vos, iuxta Regij Prophetæ vaticinium, pedibus meis, sicut me modo vestris crudeliter subijcitis, subdidero [dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.] quamuis modo [calumniis contra Christum vrimini, ipse tamen nullum hinc (inquit Theodoretus) detrimentum patietur, sed in ipsos conuersum, iacula ab ipsis contra eum emissa, rursus contra ipsos retorquebit. Solemus enim dicere de iis,

Chry. ho. in ps. 140.

Apolinar. in illud p. 26. mentita est iniquitas &c.

Psal. 109.

Sic fere Theodore. in illud ps. 26.

qui insidiantur, sed lædere non possunt, se ipsos offendunt, non me.] videbitis ergo filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli: Qua cælesti confessione, & simul commination audita, infelix Pontifex, quasi infernalibus agitatus furijs, vestem suam discerpens, Dei filium blasphemum pronunciauit: [blasphemauit, quid egemus testibus?]

7. Nullis sane, improbe iudex, quid enim testibus opus habes, cum tibi in votis sit, siue iure, siue iniuria Christum damnare? nisi forte flagitio tuo aliquam velis iuris speciem obtendere? [Quid vobis videtur? atrociorem (inquit Chrysostomus) faciens accusationem, Christique dictum ceu nefas, & grande piaculum esse demonstrans, blasphemauit, ait. Vnde quasi certissimis criminibus, & manifesta blasphemia in iudicium prouocat dicens: quid vobis videtur?] quid illis, iniquissime Iudex, videretur cum tu ipse Iudex sis, accusatoris tamen simul partes suscipias, illumque mortis reum iudices, quem blasphemũ pronuncias; non expectata cæterorũ censura, quid vobis videtur? [quia igitur optimè norant (ait Chrysostomus) si res in quæstionem, ac exactam veniisset cognitionem, ab omni eum crimine iri liberatum, ipsemet illum condemnat, auditoresque præoccupat dicens: vos audistis blasphemiam eius, quasi ipsos adigens, vt tanquã contra blasphemum sententiam ferrent, idcirco & tulerunt,] vna voce conclamantes: [reus est mortis.] Nec satis tibi fuit blasphemiæ Christum arguere, nisi etiam, præ indignatione tanti scilicet sceleris vestes lacerares, cum tibi potius, & confœderatis tuis cor rancore, odio, ac inui-

Chry. in Matt. c. 26.

Ibid.

Digitized by Google

dia plenum lacerandum foret, quo tot criminum detestabile tabum, è vestris animis omnino euomeretis, sed nesciens, hac tuarum vestium laceratione, tuum tibi inauguras infortunium, declaras enim Iudaici sacerdotij vestes, ob hanc tuam inquam sententiam, Christique necem penitus esse disrumpendas. Hinc B. Leo: [Caïphas inquit, ad exaggerandam auditi sermonis inuidiam scidit vestimenta sua, & nesciens quid hac significaret insania, Sacerdotali se honore priuauit] & paulo post [mystico illo sacratoque amictu ipse te spolias, & propriis manibus pontificalia ornamenta discerpis, oblitus præcepti illius, quod legeras de Principe sacerdotum: de capite suo cidarim non deponet, & vestimenta sua non disrumpet. Tu vero à quo iam alienabatur hæc dignitas, ipse tibi es executor opprobrij, & ad manifestandum finem veteris instituti pertinet eadem diruptio sacerdotij] Vbi enim nunc Iudaïci Pontificis superhumerale? vbi rationale? vbi pretiosi lapides in Rationali splendentes? vbi Vrim, & Thumim? vbi tunica hyacinthina? vbi aurea illa tintinnabula, & mala Punica? vbi capitis lamina ex auro purissimo? nonne hæc Pontificis ornamenta hodie prorsus euanuisse cernimus? Quare Hieronymus [Caïpham, ait, quem de solio sacerdotali furor excusserat, eundem rabies ad scindendas vestes prouocat: vt ostendat Iudæos sacerdotij gloriam perdidisse, & vacuam sedem habere Pontifices.] siccine interim vnanimi voce filium Dei blasphemum iudicatis? siccine fontem omnis vitæ mortis reum conclamatis ingeminantes [reus est mortis, reus est mortis?]

Leo ser. 6. de pass.

Leuit. 21.

Hiero. in Matth. 26.

8. Quantum hoc innocentibus solatium, quì falsa iniquorum testium depositione, mortis sæpe sententiam iniustè subeunt, dum considerant vnigenitum Dei filium blasphemiæ argui, ac proinde mortis reum iudicari, præsertim cum hoc aliquando in sui gloriam, & æternæ beatitudinis præmium cessurum videant, si innocentissimi agni mansuetudine præditi esse velint, vindictam diuino relinquentes arbitrio [Deus enim (vt ait Isidorus Clarius) cui sui curæ sunt, magis vult vlcisci iniuriam suorum, quam propriam contumeliam: ideo dixit, educ maledicum & non dixit, educ blasphemum,] maledicum igitur in Mosen, non autem blasphemum in Deum voluit punire. Licet ergo alienas vlciscatur contumelias, tamen ad proprias, sicuti in præsenti negotio vidimus, conticescit. Imo Deus tam dextrè iniuriam suis irrogatam in authorum capita sæpius retorquet, vt innocentiæ testimonio palam innocuis exhibito, pœna talionis calumniatores mulctet, vel saltem, si ad tempus dissimulet, debitam nocentibus pœnam infligere, illos tandem æterno puniat supplicio, innocentibus ad æterna præmia festinantibus. Audistis falsa impudicorum senum depositione, castissimam Susannam mortis sententiam subiisse: sed diuina prouidentia audistis etiam conuictis, de falso testimonio, senibus, illam liberam, per pueri Danielis sententiam dimissam, impudicosque senes, tanquam talionis pœna lapidibus obrutos, [Susanna (inquit Chrysostomus) religiosa mulier, & pudica coniux erat vtique, quandoque moritura. Et si tunc mortua esset, pudicitiæ quid obesset, dum caro conderetur sepulchro?

Isid. in illud Leuit. 24. educ eum &c.

Dani. 13.

Chrysost. de Susan. hom. tom 1.

& castitas redderetur Deo? putastis enim fratres, tanquam ad magnum meritum pertinere, si falsi testes non pręualeant super innocentem? non est magnum meritum, si non præualeat falsum testimonium aduersus innocentem, si aduersus Dominum non præualeret?] quanto igitur merito cumulata fuit Susanna, & quantam bonæ famæ opinionem consecuta est, cum honesta morte vitare elegit opprobrium, quam studio salutis turpem vitam subire, ac sustinere. Itaque [dum honestati intendit, (vt ait Ambrosius) etiam vitam reseruauit: quæ si id, quod sibi videbatur ad vitam vtile præoptauisset, non tantum reportasset gloriam, imo etiam id quod non solum inutile, sed etiam periculosum foret, pœnam criminis forsitan non euasisset.] ecce quomodo Deus iniurias suis illatas ad maiorem gratiæ & gloriæ, etiam subinde in hac vita illis conuertit cumulum.

Amb. l. 3. offic. c. 14.

9. Stephanus vero suæ innocentiæ præmium statim à morte accepit, illo enim falsis respondente accusationibus, Iudæi dissecabantur cordibus, cum causam mortis minime inueniissent. Vnde Oecumenius: [si eum, inquit, occidere volebant, quomodo non statim occidebant? quia verisimilem sceleri occasionem prætexere volebant. Nam iniuria aduersus ipsos non erat rationabilis prætextus ad interemptionem, sed ad eiectionem, aut ad flagellationem fortassis; ad occisionem vero causa sufficiens non erat. Alioqui enim neque ipsius contumelia erat, sed Prophetæ aduersus illos accusatio: nec videri volebant interimere illum, ob proprias iniurias, quemadmodum neque Christum; etenim con-

Iudæorum in Stephanum crudelitas.

Oecume. in illud Act. 7.

tentinon erant homicidium perpetrare, sed & gloriæ eius nocere conabantur : siquidem metuebant, ne celebris magis redderetur, si ob iniuriam ipsis illatam interimeretur.] Quam similis Stephani porro accusatio, & iniqua mortis sententia cum Christi accusatione,& mortis sententia. Nam sicuti Iudæi, cum sat causæ ad interimendum Stephanum minime inuenirent, dissecabantur cordibus:sic Caïphas,& cæteri è malignantium concilio mirum in modum angebantur, cum sufficientem mortis causam Christo inferendæ, non reperirent. Hinc sicuti in Stephanum,sic in Christum dentibus stridebant, pluresque subornabant falsos testes, vt per fas aut nefas morti eum addicerent. Verum quemadmodum Christus Caïphæ, cæterisque indicauit se à resurrectione ad patris dexteram spectabilem fore, gloriaque & majestate plenum ad iudicium tandem venturum; sic Stephanum veluti Dei Angelum coruſca facie aduersariis Christus spectabilem exhibuit, suamque illi gloriam ostendit, & ad extremum æternæ beatitudinis brauio donauit. Quis ergo non libenter Christi gratia iniquam etiam mortis sententiam sustinere velit, cui tam singulare respondet præmium? Quis non ad Christi imitationem omnia volet obloquia deuorare, cum vrgente Caïpha, à vili etiam plebe Christus audierit, reus est mortis?

Quam noxium malum præsertim superioris exemplum.

CAPVT XXVII.

Exempli vis maxima. Pro. 13.

1. MAgna certe in vtramque partem, tum ad virtutem, tum ad vitium quoque impellendi exempli vis. Hinc sacra scriptura: [qui cum sapientibus, ait, graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.] fieri enim non potest, vt sicuti consuetudine bonorum, & prudentium proficimus, quin sic etiam malorum consortio corrumpamur [vnus, inquit Ephrem, in vnum facile vertitur, quia malitia superat.] Quasi dicat: malus vnus facilè prauis moribus probum aepium peruertit, & similem sibi efficit. hinc idem addit [qua propter vnum malum vix multi boni in se conuertunt,] quisquis igitur es, qui mutare mores velis, non vnum, aut alterum, sed plures sibi adiungat morigeros. Mellis amphoram exilis admodum absynthij gutta corrumpit, & amaram reddit: è contrario absynthij exiguam stillam vix multi mellis cadi temperare, aut vt suam exuat amaritudinem adducere possunt: simili modo malus vnus plures facilè corrumpit; vnius autem mali mores vix plures probitate eximij corrigere valent. Sicuti ergo nullus acrior stimulus, ad virtutem sectandam, viuis Sanctorum exemplis: sic è contrario nullum incitatius ad vitia amplectenda

Ephrem. tract. de chari.

Digitized by Google

Hiero. epist. 7. calcar prauo exemplo: [procliuis enim est (vt ait Hieronymus) malorum imitatio,& quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia.] Quare meritò nos monet Cyprianus, vt oculos nostros, & aures, imo & multo magis cor omni muniamus custodia: [& oculi, inquit, nostri, & aures custodiendæ sunt. Cito enim in hoc assuescimus, quod audimus scelere. Nam cum mens hominis ad vitia ipsa ducitur, quid faciet si habuerit exempla naturæ corporis lubricæ? quæ sponte corruit : quid faciet, si fuerit impulsa?]

Cyp. de spectaculis.

2. Quantum vero malum in respublicas mala præsertim superiorum exempla inuehunt, impius hic Pontifex, prauo suo docet exemplo. [Quod enim exemplo fit (vt ait eloquentiæ parens) maxime à superioribus id etiam iure fieri putant homines,] qui nimirum suorum superiorum æmuli esse solent. Quare cum impius Caïphas Christum blasphemiæ arguisset, statim eius exemplo cætera multitudo incitata congeminauit: [reus est mortis, reus est mortis!] ô insani, quomodo reus est mortis, qui æternæ mortis reos ad gratiæ vitam restituit? [Sicuti pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & filius, quos vult gratiæ vita viuificat. Quomodo reus mortis vitæ auctor, qui clamat: ego sum via, veritas, & vita?] Et vos clamatis viam vobis in cœlum patentem destrui debere: veritatem è medio tolli (sine qua nulla potest consistere respublica) oportere, & vitam mortis esse ream, quia scilicet hoc Caïphas inuidia crepans vobis præiuit exemplo. Heu! ad quid non impellunt mala maiorum exemplà! Quid, obsecro, horribilius quam violentas sibi inferre manus? at vbi Saul, malo instigante

Ioan. 5.

gante dæmone, ſe interemit, nonne ſtatim eius etiam armiger regis exemplo ſeſe interfecit: [arripuit (inquit ſacra ſcriptura) Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum] ecce pernicioſum ſuperioris exemplum: audi imitationem: [quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet quod mortuus eſſet Saul: irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo,] quaſi magiſtri furor in eo ſiſtere non valeret, quin ad ſeruum etiam emanaret. *1. Reg. 31.*

3. Quis, obſecro, iniquior peſſimo Roboam, non tam ob propria ſcelera, quam quod ſuo exemplo ſubditos ad eadem perpetranda impulerit. Vultis eius audire flagitia? [cumque (ait Sacer textus) roboratum fuiſſet regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini:] & ſtatim indicat peſſimi Regis imitationem ſubdens: [Et omnis Iſrael.] Hinc Ioſephus [Roboam, ait, ſpreuit Dei religionem: ita vt totus populus imitaretur eius iniquitatem: cum moribus namque principum corrumpitur conuerſatio ſubiectorum: & cum viderunt luxurias, ſuæ caſtitatis merita reſpuentes, quaſi virtutem, eorum imitari nituntur illecebras. Non enim opera principum approbari videntur, niſi etiam ſimiliter hæc agantur. Cum igitur Roboam ageret impie, ſtudebant & ſerui non eſſe iuſti, ne Rex videretur offendi.] quare cum Caïphas etiam contra Chriſtum falſos teſtes ſubornaſſet, ſtatim plebs inconſtans, eius exemplo impulſa, eoſdem tanquam veros amplexa eſt: cum tamen ſcriptum eſſe ſcire deberet, eſtem fallacem odit Dominus: & teſtis mendax peribit, nec manebit impunitus, & qui mendacia loquitur non effu- *2. Par. 12.* *Ioſeph. l. 8. antiq. c. 10.* *Prou. 6. & pro. 21. & 19.*

giet,] nam detecto mendacio pœnas dabit; licet sæpius latente falsitate apud homines, pœnas declinet; apud Deum tamen impune non erit.

Pœnam falsi testimonij.

Nonne duo illi senes, vt diximus, falso Susannam adulterij accusantes, cõuicti pœnam subierunt talionis? nonne Iezabel quæ per Optimates subornauit duos viros Belial contra innocentem Naboth, vt falsum testimonium dicerent, illumque blasphemiæ arguerent, ac proinde lapidibus obruendus traderetur, nonne, inquam, & ipsa, & Rex Achab malè mulctati sunt? nam in loco, in quo canes linxerunt sanguinem Naboth, paulo post lamberũt quoque sanguinem Achab, & comederunt Iezabel in agro Iezrael. Gellius etiam scribit de falso testimonio conuictum è saxo Tarpæio præcipitem deijci solitum. Et Suidas Tenes, inquit, in Tenedo insula legem tulit, & cõstituit in falso accusantibus à tergo astaret carnifex, sublata securi, vt conuicti statim occiderentur. Et nos impuniti abire putamus, qui prauа hæc exempla opere imitamur, falsis depositionibus innocentes in vitæ discrimen adducentes, & falsis testibus, bonis eos exuentes. Nam testes falsos in promptu, qui habent, quæcunque voluerint mendacia, vel ad hoc vel ad illud asseuerandum, vel negandum, pro suo arbitratu, illi confingent. ô mores! ô tempora! quam præsto & in promptu sunt, proh dolor! hac nostra etiam tempestate falsi testes, nihil enim vilius venditur quam fides, quo nihil deplorabilius [Non sequeris turbam, monent sacræ literæ, ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies] quod vtinam in hac nostra republica fieri non audiamus.

3. *Reg.* 21.

Aul. Gell. l. 20. *c.* 1.

Suid. in dictione πνιδιος ἀνθρωπος.

Exod. 23.

4. Non simus imitatores Iudæorum, neque alicuius Caiphæ, malè producentis testes, peruersæ sententiæ subscribamus; quoties enim proximo per falsa testimonia nocere volumus, vèl eum bonis exuere, vel famam illius tollere; toties etiam Christum cum Iudæis condemnare nitimur, iniuria afficimus, Iudici imponimus, & ipsum innocẽtem, quantum in nobis est, interficimus [Testis ergo falsidicus (vt ait Isidorus) tribus personis est obnoxius; primo Deo, quem peierando contemnit; consequenter iudici, quem mentiendo fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio lædit.] Huiusmodi falsus testis fuit contra Dauidem Doeg, contra Miphiboseth Siba; contra Hieremiam Ierias, contra Christum duo illi maximè falsi testes, qui eius verba ad sui animi intentam in Christum malitiam perficiendam, torserunt, & præsertim ipse Caiphas, cuius cæteri omnes secuti sunt sententiam: blasphemauit, reus est mortis, nescis, sanguinolente Iudex, quam in te sapientes gentis tuæ censuram proferant! [Qui malignè inquiunt, traducunt aliquem, & quicunque recipit delatores, omnisque, qui falsum testimonium dicit contra proximum suum, dignus est, vt canibus proijciatur; imo talionis pœnam, si illa grauior sit, meretur: consentaneum enim est, vt quod quis supplicium falso testimonio alteri iniustè irrogat, id iustè ipsemet patiatur.] Tu ergo Caipha, qui tua simul sententia, & malitia excitasti populum, vt Christum pronunciaret blasphemum, ac proinde mortis reum, quo dignus es supplicio æterno.

Isidor. l. 3. de sum bon.

1. Reg. 22.

Hiere. 37.

4. Sed digniores è Christianis plurimi æterno cruciatu, quam ipse Caiphas, qui licet subindo verbo, vti ipse, tamen opere blasphemias in Deum euomere non verentur. Meminerint huiusmodi vel ob vnicam Rabsacis blasphemiam exercitum Sennacherib perijsse! Meminerint diuini edicti in blasphemos pronunciati: [qui blasphemauerit nomẽ Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eũ omnis multitudo populi!] Meminerint insuper huiusmodi aliquando satanæ tradi, vt discant non blasphemare. Sic Apostolus Alexandrum & Hymenæum blasphemos satanæ tradidit. Hinc merito B Ludouicus Francorum Rex, cauterio, seu ferro candenti blasphemos inuri, quod hodie etiam in Belgio obseruatur, in ipso blasphemiæ instrumento, lingua nimirum, edixit. Imo & Iustinianus Imperator sub mortis interminatione blasphemias cohibuit: [qui Deum, ait, blasphemant, digni sunt supplicia sustinere. Propter talia enim, & fames, & terræmotus, & pestilentiæ fiunt. Præcipimus igitur tales vltimis subdi suppliciis.] Et nõ impune abibimus, blasphemiis proscindendo nomen Domini, quo in falsis etiam testimoniis abutimur, tanquam si impotens esset ad tantum scelus castigandum. ô insensati Christiani! ô quomodo cum Caipha, & leuicula Iudæorum plebe in Saluatorem vestrum blasphemiis insurgitis! quomodo mortis reum benignissimum parentem vestrum operibus saltem inclamatis! ô quam meritò vobis minimè vestram in Christum ingratitudinem cogitantibus Augustinus deplorans ad Christum conuersus exclamet! [Quid commisisti, ô dulcissime Domine, vt sic iudica-

4. Reg. 19.

Leuit. 24.

1. Tim. 1.

Iustin. in Authen. collat. 6. constitu. 707.

August.

Digitized by Google

reris? quod ſcelus tuum? quæ noxa tua? quæ cauſa mortis? quæ occaſio damnationis? ego enim ſum tui plaga doloris, tuæ culpa occiſionis! ô mirabilis cenſuræ conditio, & ineffabilis myſterij diſpenſatio! peccat iniquus, & punitur iuſtus! delinquit reus, & vapulat innocens! offendit impius, & damnatur pius! Quod meretur malus, patitur bonus! Quod perpetrat ſeruus, exoluit Dominus! Quod committit homo, ſuſtinet Deus! Quo, Nate Dei, quo tua deſcendit humilitas! quo tua flagrauit charitas! quo proceſſit pietas! quo excreuit benignitas! quo tuus attigit amor: quo peruenit compaſſio! ego enim iniquè egi, tu pœna mulctaris! Et tali pœna, vt vno temporis momento crudeliorem ſuſtineas omnibus huius vitæ cruciatibus] Quid enim grauius, quam Deum blaſphemiæ argui, & tot iniquorum cenſuræ ſubijci, tot impiis plebeculæ vocibus reum mortis iudicari: & noſtris etiam, quorum cauſa tacitus hæc patitur, periuriis, falſis teſtimoniis, ac blaſphemiis damnari. Quare cum nemo illi inter huiuſmodi rapaces lupos agitato compatiatur, præ nimia in nos indignatione, qui potius eius calumnias augemus, quam nouo vitæ propoſito diminuimus, exclamat [ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni.] *Pſal. 68.*

De Christi examine coram Caipha.

CAPVT XXVIII.

Ioan. 18. Christus improborum examini subditur.

1. POntifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis,& doctrina eius.] Ecce pattis sapientia improborum subiecta examini, vt stat, tanquam illorum censura, vel absoluenda, vel condemnanda! cui tamen pater æternus omne iudicium, omnemque authoritatem in cælo & in terra, commisit. [ô malitiam ! (exclamat Chrysostomus) cum frequenter in templo loquentem,& palam docentem audisset, hic percontatur. Cum nullum haberent crimen quod obijcerent,de discipulis rogabat, fortasse vbi essent,& qua gratia eos collegisset, & quid vellet, & in quibus his vti : hoc autem dicebat quasi seditionis , & nouitatis eum arguens , & quod nemo alius ipsi crederet præter illos,& tanquam quoddam esset malitiæ instrumentum.] ô author & principium omnis scientiæ, siccine indocti Pontificis censuræ subderis ! ô thesaurus omnis scientiæ , & sapientiæ Dei, circumstantium ludibrio exponeris ! vt nimirum tanta hac tui humiliatione maximis lacessitus iniuriis , nos doceres quo magis in diuina profecimus sapientia, & quo cæteris eminentiores sumus , eo etiam maiori præditos esse vera animi submissione , & singulari patientia inter iniurias, oportere , præsertim cum

Chry. ho. 82. in c. Ioan. 18.

Matth. 28.

poſt noſtri humiliationem ſequatur exaltatio: [Sapientia enim humiliati exaltabit caput illius, & in medio Magnatorum conſedere illum faciet.] Nam vt ait Dionyſius [Sapiens ſeipſum humilians, vel afflictus & humiliatus ab aliis, per ſapientiam ſuam dignus eſt exaltari] etiam in præſenti vita, vt ſæpe accidit, iuxta illud Sapientiæ: [Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores] Sic Daniel, ob ſapientiam ſuam fuit ſublimatus, & à Regibus Babylonis & à Dario, & Cyro Perſarum Regibus magno in honore habitus. Et Ioſeph etiam eductus eſt de carcere à Rege Ægypti, & primus poſt Pharaonem conſtitutus. Et Chriſtus poſt ſui humiliationem, & ſuæ ſapientiæ contemptum, exaltabitur, & donabitur illi nomen ſuper omne nomen, nomen, inquam, Saluatoris, quo ſe ſapientiſſimum ſimul & miſericordiſſimum oſtendet. Hinc [vt hominis faciem (inquit Chryſologus) præferret & formam, faciem formamque propræ deitatis aufugit: Apoſtolo ſic dicente: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Formam ſuſcepit ſerui Dominus, vt lateret mundum, vt diabolum præueniret:] & vt nos doceret, in omnibus humilitatem ſeruare, & diſcamus Chriſti exemplo veræ exaltationis modum.

Eccli. 11. *Diony. in illud Eccli. Sapiens poſt humiliationem exaltatur.* *Sap. 8.* *Chryſolo. ſer. 37.* *Philip. 2.*

Nemini detrahendum.

2. Chriſtus diuinæ legis ſapientiſſimus doctor, ecce, vt ſtet coram imperitis in lege, velut legis neſcius, examini, irriſionibus, & ſannis expoſitus; interrogatur de diſcipulis & doctrina. De diſcipulis nihil coram Caipha reſpondet;

quorum infirmitatem celare maluit, quam palam facere: cuius exemplo docemur, vt si nihil de proximo boni adferre possumus, illius saltem imperfectiones silentio obruamus. Sicut enim industrij pictores, ea, quæ intuentium oculos offendere possint, subtili quadam vmbra, vel aliquo singulari, & artificioso velamine solent obtegere: sic nos tanquam bonæ alterius famæ egregij pictores, defectus, & vitia, si non excusare, saltem occultare, Christi exemplo, docemur. Noluit enim ipse eos accusare de turpi fuga, ex animi imbecillitate, ac trepidatione profecta: & quoniam de eorum tunc fidelitate gloriari minimè potuit, transijt ad reddendam suæ doctrinæ rationem. quam felices nos essemus, si hoc Christi exemplum imitaremur: quam inde tranquillitatem conscientiæ consequeremur, qui alioqui turbatam gerimus, liuidis in proximi famam dentibus perpetuo infixis. vtinam è latice illo fontis Germanici, qui dentes omnes excutit, bibere liceret, quotiescunque liuido linguæ morsu proximũ appetere conamur, vt quoties in verba detractionis linguam exerere statuimus, toties execrandi murmurantis oris dentes excidant, ne lingua valeat detractionis verba efformare: cum nihil pene flagitiosius, quam proximi famę detrahere, & iniurias nobis illatas maioribus sæpe iniuriis compensare. Quare, Christi exemplo, discimus ab hac crudeli detractionis bellua nos subducere, quæ multo atrocior est ipsis vrsis, & lupis, quorum furor tantummodo in humanam carnem exardescit, cum illius etiam in animæ viscera inuadat, hominem & fama, & vita, si possit, spoliando.

Fons Germanicus dentes excutit.

Digitized by Google

3. De ſua vero doctrina ſic reſpondet Pontifici: [ego palam locutus ſum mundo; ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt; & in occulto locutus ſum nihil (vt in occulto nimirum maneret.) Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid loquutus ſum ipſis: ecce hi ſciunt, quid dixerim ego.] [Non arroganter (inquit Chryſoſtomus) reſpondet, ſed fretus veritate. Me de mea rogas doctrina? roga inimicos inſidiatores, qui me ligarunt, vt teſtificentur,] quos manſuero verbo, non ſolum in terram deieci; ſed eodem etiam erexi: qua in re & poteſtatē meā ſimul, ac manſuetudinem oſtendi: interroga ergo illos [Id enim veritatis maximum eſt argumentum, (inquit Chryſoſtomus,) cum quis inimicos in eorum, quæ dicit, aut facit, teſtimonium adducit.] O Caipha, Caipha, vide cum quo rem habes, conſidera cuius doctrinam examinas. nonne ille [qui ſuis verbis, tempore captiuitatis ſuæ in Ægypto eradicauit (vt ait Ambroſius) ex intimis pectoribus vitia gentilium, perfidiam nationum, & verſutarum cogitationum praua commenta deſtruxit, atque omnia veſtigia iniquitatis aboleuit?] Nonne is eſt, qui [deinde infudit poſtea fidem, & continentiæ diſciplinam, ne tanquam in vaſe corrupto confuſione vitiorum coaceſcerint ſacramenta virtutum?] Nonne ille eſt [bonus (vt idem alibi ait) & verus Iſaac plenus vt pote gratiæ, & fons lætitiæ, ad quem fontem veniebat Rebecca, vt impleret hydriam. Deſcendit itaque ad ſapientiæ fontem, vel Eccleſia, vel anima] per Rebeccam adumbrata, [vt totū vas impleret ſuum, & hauriret puræ ſapientiæ diſciplinas,

Chriſtus ſuæ doctrinæ rationem reddit.

Ioan. 18.

Chry. hom. 82. in cap. Ioan. 18.

Ibid.

Amb. in Pſal. 43. Manus tuæ gentes, &c.

Amb. l. 2. de Iſaac & anima. c. 1.

Gene. 24

quas haurire Iudæi de fonte profluo noluerunt.
Hier. 2. Quis iste fons sit, audi dicentem : me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Ad hunc fontem currebat sitiens anima prophetarum : sicut & Dauid
Psal. 41. dicit : sitiuit anima mea ad Deum viuum : vt sitim suam vbertate diuinæ cognitionis expleret, & insipientiæ sanguinem spiritalium rigatu dilueret fluentorum.] En coram te, Caipha, fons iste sapientiæ modo stat, ex quo si velis salutarem veræ doctrinæ haustum sumere, poteris: suam enim gratiam omnibus, acceptare volentibus, libenter offert. Noli igitur patris sapientiam examinare præsumere. Ipse, ô Caipha, infinitis penè prodigiis suam confirmauit doctrinam, idque non in occulto aliquo, aut obscuro loco, sed palam coram omnibus, vt opera eius manifesta doctrinę illius præstantiã ostenderent.
4. Quid ergo de eius doctrina amplius quæris, nisi eius discipulus esse velis ? cur disputas cum illo de doctrina, qui etiam olim puer suis sapientibus responsis, & diuinis quæstionibus inter doctores in templo doctrinam se habuisse cæ-
Luc. 2. lestem palam indicauit: [stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius. Et videntes admirati sunt. [post triduum, Caipha, magnus hic doctor reperitur in templo: ad quid ? vt esset indicio, quia post triduum triũphalis illius passionis (inquit Ambrosius) in
Amb inc. 2. Luc. sede cælesti, & honore diuino fidei nostræ se suscitatus offerret, qui mortuus credebatur.] Hunc tu ad mortem quæris ! cum illis potius doctoribus eius admirare doctrinam, vt cum illis etiam à Christo fidei mysteria docearis, vt in eius necem in posterum desinas cum cæteris sicariis

Digitized by Google

conſpirare. Sed ſurdo canimus, tantum enim abeſt, vt eius doctrinam ſuſpiciat, & ab eius nece abſtineat, vt potius contempta doctrina, pergat in ſcelere. Neſcis, vt video, ô cæce Caipha, quem coram te habes, Deus eſt, & filius æterni patris vnigenitus: Meſſias eſt, mundi Saluator, miraculorum patrator. [Cuius verbum (vt ait Bonauentura de B. Franciſco agens) erat velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat; cum non humanæ inuentionis ornatum, ſed diuinæ ſapientiæ afflatum redoleret.] Et huius tu contemnis doctrinam! an quia [neſciebat Iudæorum culpas palpare, ſed pungere; nec vitam fouere peccantium, ſed aſpera increpatione ferire.] Hinc cæcutiens non agnoſcis Deum præſentem, cui peruerſæ cenſuræ tuæ in te Iudex erit, tunc demum vel inuitus eius potentiã & doctrinã veritate nixã ſenties: hanc eius potentiã opportunè plurimi agnouerunt, à quibus didiciſſes facile quis hic, qui tuo tribunali ſiſtitur. Hoc agnouit Lazarus quatriduo fœtens in ſepulchro ad vitam vocis illius imperio reuocatus, agnouerunt & Iudæi, qui huic aſtirerunt prodigio. Nouit vidua illa vnicum deplorans filium in feretro mortuum, cuius virtute in vlnas rediuiuum accepit! interroga Centurionem quis ille ſit, cum quo rem habes; dicet tibi te indignum eius conſpectu, tuum palatium eius maieſtatem complecti non poſſe, qui tantum verbo puerum Centurionis paralyſi laborantem & malè vexatum ſanauit. Archiſynagogi filia tibi facile dicet, quis ille, cum quo fruſtra inis diſputationem, dicet inquam tibi: Deus eſt, qui apprehenſa manu mea, me mortuam

Bonauen. c. 12. vitæ eius.

Amb.l 10. Euang. Luc.c. 21. vitæ restituit! [Comprehende, si potes, quomodo ad dexteræ salutaris attactum (inquit Ambrosius) fugiat dolor, & vulnera non medicamento compressa, sed tactu obducta sanentur] hoc licet in se paulo ante expertus sit Malchus, non tamen agnouit tanti beneficij authorem. [Operatorem suum limus agnoscit, & operatricem suam Domini manum sequitur caro.] Sed hoc non agnouit carnalis Malchus, neque tu, cæce Caipha, non audisti quomodo cæco illi visum restituit, luto supra oculos illito, glorificanti Deum, ob tantum beneficium, [quomodo

Amb. ibid. enim vult opus suum Creator instaurat: iubere potuit, sed operari maluit, vt cognoscamus ipsum esse qui è limo terræ corporis membra nostri variis apta formauit officijs, & infuso vigore

Amb. ibid. mentis animauit.] Post tot beneficia vobis & vestris maioribus exhibita [venerunt & comprehenderunt eum grauius perituri studij sui fructu, nec intellexerunt infelices mysterium, nec venerati sunt tam clementem pietatis affectum, quod etiam hostes suos non passus est vulnerari. Illi iusto nihilominus mortem inferre conamini, qui persecutorum vulnera sanauit.]

5. Si non vis eum agnoscere, cum quo disputas, propositis tot exemplis: Zacheus, porro decem leprosi, filius Reguli, Hæmorrhoissa, Chananæa, Samaritana, Gamaliel, Nathanael, Ioseph ab Arimathia, Magdalena, & tua ipsius denique conscientia, si conscientiam habes, virum hunc, cum quo agis, Deum esse docebunt, eiusque doctrinam sanctam, immaculatam, cælestem luculentis confirmabunt testimonijs, & hunc ligatis manibus, tanquam infamem scurram, ac pessimum

latronem, diuinæque legis violatorem coram te permittis perfide iudex ſtare, & vexari, cuius doctrinam etiam adhuc pueruli, celebris ille doctorum confeſſus, & cæteri auditores fauſtis acclamationibus comprobarunt. [Sed væ illis, qui ligant verbum: ligant autem, qui tantummodo Chriſtum hominem putant: ligant qui præſentem non putant, qui omnipotentem non confitentur. Mala vincula Iudæorum, quibus non Chriſtum ligant, ſed ſeipſos alligant. Ligatur autem in domo non pij alicuius, & iuſti, ſed in domo tua, ô Caipha, hoc eſt, in impia domo, vbi etiam moriturus pro omnibus prophetatur.] O Chriſtiani, perpendite igitur quomodo mundi Saluator hic ſolus, tot circunſeptus hoſtibus, conſtrictus vinculis, oculis in terram deiectis, virginali quadam verecundia coram inſolenti, ac ſuperbia tumido malignantium concilio, nudo ſtet capite, cui tamen reuerentiæ cauſa, hoc ipſo momento viginti quatuor Seniores, omnes inquam cæleſtis curiæ principes, ſuas ſubijciunt coronas. Vere [ſuſcepit mala noſtra, vt tribueret bona ſua (inquit Auguſtinus:) hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus ſit ante culpam, quam ſic diligit poſt ruinam. Agnoſce homo quantum valeas, & quantum debeas: & dum tantam redemptionis tuæ perſpicis dignitatem, ipſe tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas ligatur, pro ſtulto ſapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur iuſtitia pro iniquo, miſericordia afficitur pro crudeli, pro miſero replebitur ſinceritas aceto, inebriabitur felle dulcedo, addicetur innocentia pro reo, morietur vita pro mortuo:] Et licet

Amb. l. 10. in cap. 2. Luc.

Aug. ſer. 41. de diuerſis.

tanta Christi in nos amoris argumenta videamur agnoscere, tamen cum Iudæis, & perfido Caipha Christo illudimus, peccatorum vinculis ligamus, eius doctrinam despicimus. [Quam amentes igitur, exclamat Ambrosius, qui beneficia diuina confitentur, & beneficiorum auctorem persequuntur!] Sed transeamus modo ad Christi modestissimum responsum interroganti Caiphæ de eius doctrina, & contemplemur quanta fuerit affectus iniuria, alapa percussus!

Ibid.

De Christi responsione, & alapa illi impacta in domo Caiphæ.

CAPVT XXIX.

1. VBi ergo modestissimè Christus rationem suæ doctrinæ reddidisset, dicens: [ego palam loquutus sum mundo, ego docui semper in templo: quid me interrogas, interroga eos qui audierunt,] vnus assistens ministrorum, cui auriculam Petri gladio amputatam (vt vult Chrysostomus) Dominus in horto restituerat, beneficij immemor, armata, (vt multi opinantur) & auersa manu, maximo impetu, dulcissimi Iesu maxillæ alapam impegit: dicens: [siccine respondes Pontifici?] ô manus detestanda! ô manus sacrilega! ô manus æternis consecranda flammis! quid fecisti? contra quem extenta armaris? Dei maxillam percutis, ô ingrate, ac impie Malche! siccine in schola iniquitatis edoctus, vt placeres Pontifici, tantæ iniuriæ annuenti, præ cæteris, ausus es, pro bono malum reddere? Solemne inter Hebræos fuisse viliorum hominum

Chry. ho. in Ioan.

Christus alapæ percutitur.

maxillam à nobilioribus, aut ſaltem eorum imperio, ab ignobilioribus cædi. vel ex hac alapa, vt veriſimile eſt, aut Pontificis imperio, aut nutu, per ignobiliſſimum diaboli mancipium Chriſto impacta, conſtat, vel ex illo Iſaiæ loco: [& percutitis pugno impiè] alludentis ad morem Iudæorum, qui reos iudicio oppreſſos, infeſtis manibus, & impactis palmis laceſſere ſolebant. Hinc Paulus iuſſu Pontificis Ananiæ in ore percuſſus iniquè, in eum exclamans ait [percutiat te Deus, paries dealbate, contra legem iubes me percuti, nondum audita cauſa mea, aut iuſto iudicio condemnatus.]

Conſuetudo Hebræorum reos percutere.

Iſa. 58.

Act. 23.

2. Valde in primis ignominioſa hæc fuit Chriſto irrogata iniuria, vt pote in tanto nobilium, & grauium, in ſpeciem, confeſſu, & à vili dæmonis mancipio illata tanto viro, qui adeo fuerat venerationi, & honori antea omnibus, vt eum ex miraculis, & vitæ ſanctimonia plurimi Deum eſſe agnoſcerent. Fuit etiam non modo ignominioſa, ſed crudelis admodum, quippe armata miniſtri manu, Chriſti maxillæ impacta ita inhumaniter, vt vi percuſſionis Chriſtus (vt Vincentius eſt auctor) in terram corruerit. Imo, vt alij referunt, ex ore, contuſis dentibus ſanguinem emiſerit, in veneranda eius facie digitorum veſtigiis, cum liuido colore, & tumore impreſſis! Quare non immerito illud prophetæ Iobi in huius diabolici ſatellitis deteſtandam crudelitatem quadrat: [collegit furorem ſuum in me, & comminans mihi infremuit contra me dentibus ſuis.] [Quid, obſecro, aliud (inquit Gregorius) omnes iniqui, quam membra ſunt diaboli? ipſe itaque per eos agit, quidquid in

Ignominioſa maxillæ percuſſio.

Vincen. ſer. de paſſ. Landulp. de vit. Chriſt.

Iob. 16.

Greg. lib. Mor. 13. c. 5.

eorum cordibus, vt agere debeant, immittit,] quemadmodum per hoc execrabile suum membrum Malchum effecit, [qui contra Christum in aperta persecutione prorupit, furorem suum in eum collegit, quia in afflictione illius tota se intentione constrinxit, hinc cum sibi suppetere licentiam prauitatis aspiceret, tanto hunc audacius feriit, quanto & contra illum ex vnanimitate socij sceleris glomerabantur.] quare pessimus nebulo in extremos insurgens digitos, vt maiori impetu, & vi Christo alapam impingeret, ait [sic respondes Pontifici?] omnes certè vires in Saluatorem nostrum conuertit, & incredibili furore in eum exarsit, idque partim ex adulatione, volens Pontifici rem gratam facere, & zelum honoris eius præ se ferre: partim etiam, quod infamis ille prædo, quasi ægre tulerit se, inter cæteros, qui tunc astabant, in doctrinæ testem à Christo produci: cum respondisset Pontifici:] ecce hi sciunt, quid dixerim ego.] Quamobrem testimonium de Christi doctrina ingratus homuncio ferre recusans, in producẽtis testes contemptum, maxillam percussit, quo cęteros etiam, suo exemplo, quicquam in eius fauorem dicere prohiberet. O sceleste Malche, quem percussisti? in quem hanc contulisti contumeliam? tu es ille, vt video, de quo olim Iob: [Tetendit aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est, Contra Deum quippe (inquit Gregorius) manum tendere, est in operatione praua, despectis Dei iudiciis, perseuerare. Et quia tunc magis irascitur Deus, quando permittit impleri, quod saltem concipi in cogitatione non debuit, contra Omnipotentẽ iniquus iste

Iob. 15.

Greg. l. 12. Mor. c. 22.

Digitized by Google

iſte roboratur: quia proſperari in mala ſua actione permittitur, quatenus & peruerſa faciat, & tamen impune viuat.] O ſcelus execrandum! vere contra omnipotentem, inſolentiſſime prædo, roboratus es, qui ferrea manu, ferreus ipſe, Dei maxillæ digitorum veſtigia impreſſiſti! Quæ cauſa tantæ iniuriæ? ſumma cum modeſtia reſpondens Pontifici ipſos inimicos ſuæ doctrinæ, & innocentiæ teſtes citat, & tamen velut inſolens, & arrogans mancipium, à te impudentiſſimè diaboli miniſtro alapa percutitur!

3. O belluina rabies, vt in infirmam ouiculam, innocentem Dei Agnum deſæuit! ô rabidi lupi manum nobiliſſimæ inhiantem prædæ! cur in filium Dei inſurgis? cur conceptum animo furorem, & patentibus naſi orificiis fumantem, atque oculis, & toto etiam ore crudelitatem emicantem in patris vnigenitum conuertis? cur odio in ipſum incenſus frendens, & ſimul concuſſis, ſtrictiſque dentibus immaniter in eum alapa inſurgis? [Quid hoc impudentius? (exclamat Chryſoſtomus) exhorreſcat cælum, contremiſcat terra de Chriſti patientia, & ſeruorum impudentia. Et quidnam dixerat? neque enim tanquam reſponſum detrectans dicebat, quid me interrogas; ſed vt omnem impudentiæ materiam tolleret, & cum percuſſus eſſet, & omnia ſternere, & delere in ſua haberet poteſtate, loquitur quæ omnem feritatem placare facile potuiſſent. Si male locutus ſum, inquit, teſtimonium perhibe de malo, hoc eſt, ſi mea verba reprehendere potes, oſtende, ſin minus, cur me cædis? vides iudicium tumultus & perturbationis & confuſionis plenum? rogauit Princeps ſubdolè & dolosè, reſpondit

Deſcriptio percutientis Chriſtum.

Chry hom. 82. in c. 18. Ioan.

Iesus, vt oportuit, quid consequens erat? vel confutare, vel acquiescere, sed neutrum facit. Verum seruus eum cædit, hoc non iudicium est, sed violentia] ô quam recte in te, impie percussor, illud Psalmistæ vsurpare possumus: [stridebit super eum dentibus suis,] vt collectum animo furoré in Christũ, atroci alapa impacta, euomas.

Psal. 36.

4. Quid inferni titio agis? nescis cui infringis alapam? qui de puluere terræ te effinxerat, ille est, quem impudenter percutis, & illa manu, quâ ipse in matris tuæ vtero formauerat, alapã Creatori tuo impingis! væ qui contradicis factori tuo, resta non de Samiis terræ, sed de tartari pauimento eruta! væ luto, quod contradicit factori suo, illumque quasi impotentem vlcisci, despicit! væ tibi, Malche, lutum vilissimum, qui in fictore tuo, in suæ doctrinæ reddenda ratione, ipse instar luti penitus cæcus, prudentiam, & circumspectionem requiris, & ipsum temeritatis arguis, dicens: [Sic respondes Pontifici?] peruersa est hæc tua cogitatio, quasi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo: non fecisti me; & figmentum fictori suo: non intelligis! Putasne vile lutum, diaboli mancipium, hunc, quem percutis latere tuæ mentis ingratitudinem, qui tibi paulo ante aurem restituit? Similis es luteo vasi, quod eo temporis momento, quo à figulo in rota versatur, & fingitur, in fictore suo prudentiam, & circumspectionis oculos exigeret; cum tamen luteum illud vas multò magis sit cæcum, sic tu, cæce Malche, audes inter manus figuli, qui te, instar luti, vna rotæ conuersione in nihilum redigere potest, audes, inquam, impacta inhumanissimè alapa illi insultare, & factori tuo dicere; imprudenter agis! aut fictori tuo, non intelligis quid fa-

Isa. 45.

Isa. 29.

cis,aut dicis? [Si male loquutus sum, (inquit fictor tui,) testimonium perhibe de malo;si autem bene,quid me cædis? [Quid ista(inquit Augustinus)responsione verius, mansuetius,iustius?eius est enim,de quo prophetica vox præcesserat: Intende,& prospere,procede,& regna,propter veritatem,& mansuetudinem,& iustitiam. Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum,qui percussit, aut cæleſti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi,aut correptum dęmonio volutari, aut aliqua huiusmodi qualibet pœna, vel etiam grauiore,puniri? quid enim horum per potentiã iubere non potuisset, per quem factus est mundus,nisi patiẽtiam nos docere maluisset, quia vincitur mundus.] Et eius abuteris patientia,nec times?quid?si lutũ dum rota conuertitur, fictori suo impudenter & temerè negligentiam in opere formando,,aut artis imperitiam obijceret,aut maiorem prudentiam, aut oculorum circumspectionem,quam operi adhibuit, requireret, illique proinde indignaretur: nonne meritò ipsum formator, improuisa rotæ reuolutione, in frusta dissiparet? & tu luto vilior, non vereris creatori tuo imprudentiã impingere,& corã Sacerdotũ Principe temerè locutum arguere: [Sic respondes Pontifici] impacta illi alapa, cum tamen facilius illi te in nihilum dissoluere, quam figulo, vel vnica rotæ conuersione, lutum iam in vas efformatum,diffringere?

Aug. tract. 113. in Ioan. cap. 18.

5. Serui quidem omnes cum liberi efficiuntur, ait Ephræm, accipiunt alapam, vt libertate potiantur: at tu,ô infelix scurra, cum sit omnium liberator, cur eum iniustè colaphizas? putas ita piè scilicet mercedem accipere à Caipha? alapam quidem dedisti omnium Domino,sed seruus

Ephram. ser. de pass.

seruorum factus es tu in æternum, [obstupescite cæli super hoc, & portæ desolamini vehementer] Deo alapa percusso? quis non putaret tunc [totam mundi compaginem confuso ordine dissolutum iri, at ad primordiales (vt loquitur Chrysologus) tenebras, atque antiquum chaos crederet (Deo alapa percusso) deuolutum iri?] nisi fides doceret [subito resurrectionis suæ lumine Dominum diem reducturum, & orbem totum pristinum reformaturum in corpus, vt quem sibi taliter viderat esse compassurum, suam secum suscitaret ad gloriam.] Sed interim, ô cæli, quomodo, creatore vestro coram percusso, non cohorrescitis! Quomodo non contabescitis! Quomodo omnibus turbato ordine, sideribus confusis, & polis è suis cardinibus auulsis, ipsi confuso etiam ordine tantum scelus vindicaturi non accurritis! vel potius præ stupore collapsi, in nihilum sceleratissimum diaboli asseclam, vestra mole non redigitis! ô infelix Malche [reatus tui titulum, facinoris tui triste documentum, tuæ cum diabolo præsumptionis, tui quæstus ferale commercium] cernis in sempiternam tibi ignominiam verti, vt inde pœnas subires, [vnde perpetuum tuæ præuaricationis sustinebis opprobrium.] Sed ô Sol, & Luna, quomodo liuida Christi facie, per alapam, visa, in tenebras non vertimini, & densis nubibus tam crudele facinus patrantem non obruitis? [fugiente enim sole, iustitiæ, quid de splendore materialis solis aut lunaris? quid de stellis ad noctis potest solatium remanere!] vel saltem, cur non, considerata lugubri, ac miserabili creatoris vestri maxilla, confundimini! & splendorem, qui vestro

Creaturæ inuitantur ad vindicādam alapā Christo inflictam.

Chryso. ser. 78.

Chryso. ser. 77.

Chryso. ser. 78.

munere ſolet eſſe vniuerſo orbi voluptati, & gaudio, præ tanti ſceleris indignatione inuoluitis, & verſis in ſanguinem luminibus, ſanguinea vniuerſam terram nube contegitis, vt hac veſtra mutatione, ad ſanguineas effundendas lacrymas, non modo nos, quorum cauſa, Chriſtus tanta afficitur ignominia; ſed cælos ipſos ſanguinem pluere, præ tam horrendi facinoris admiratione compellatis! cur non, ô cæli, impacta veſtro Domino alapa, ſaltem præ mœrore, complicamini, ſicut liber, vt nefarius hic prædo, cæterique eius ſceleris ſocij, ac præſertim Caiphas Pontificis idolum, vobis inſtar libri complicatis, nullum luminis ſolatium, nullum ſolis ſplendorem, nullum lunæ commodum, cæterorumque aſtrorum delectamentum percipiant: non ſecus ac ſi defluentibus è cælis ſideribus omnia in chaos abirent. Cur non [creatoris iniuriam tota fugeret creatura,] ſi vindicare non liceat? cur non huiuſmodi alapam Domino ſuo inflictam, mundus, præ horrore, euitare contenderet [ſciens (vt loquitur Chryſologus) ad totam domum vindictam pertendere, in qua fuerat ſeruorum ſcelere dominator] percuſſus. Cur non [ſuis ſe deſerentibus fundamentis terra contremiſceret; denſa caligine circumfuſa, quæ non ſolum viſum corporis, ſed ipſum mentis cæcaret obtutum? cur non ſol ne videret Deum alapa percuſſum aufugeret! dies ne intereſſet abſcederet! cur non petræ, quia non valent diſcedere per naturam, nouum ſcinderentur per vulnus, facinus tantum ſono, quia voce non poſſunt, accuſantes!] Hoc polliciti eſtis in die iudicij, vt armata omni creatura, contra *Ibid.*

insensatos insurgeretis, vbi volumen hoc ingens cælorum vnius quidem paginæ, sed in immensum productæ, quod modo velut circa axen irrequieto motu instar telæ conuoluitur, quiescet complicatum, quo amplius in cæli sideribus, tanquam in literis ibi descriptis impij minime lecturi sint, huius hominis, quem hodie contemnunt, & ignominiosè verberant, gloriam, aut virtutem, iuxta illud Psalmistæ [cæli enarrant gloriam Dei, & opera eius annunciat firmamentum] cur non modo idem præstatis, vt subtracto omnium astrorum lumine, terra dehiscens hos nefarios Caipham, Malchum, cæteroſque huius farinæ comites absorbeat, præcipitesque instar Core, Datan, & Abiron viuos in imum barathri agat, vobis, ô cæli terræque execrandos.

Psal. 18.

Num. 16.

Inuocantur Angeli vt succurrant Christo.

6. Et vos, ô Angeli, quid statis? cur non in diaboli mancipium creatorem vestrum iniuriosè percutiens alapa, irruitis? quomodo tantam Domino vestro irrogatam patimini iniuriam? quomodo manus ab inhumano percussore abstinetis! nonne videtis ex eius oculis, auribus, naribus, & ore magnam vim sanguinis, alapa illi inflicta, erupisse? quis vestrum comprehendere potest tam ingentẽ iniuriam! quæ eo major est quanto vilior est is, qui eam intulit, & quanto qui eam tolerat honoratior est, & nobilior. Iam vero Deus est, qui percutitur ab homine, creator à creatura, summus ab infimo, dominus à seruo, redemptor à peccatore, Christus à crudelissimo diaboli satellite! Deus inquam, cui, ad nutum omnia elementa, & cæli sidera adeo fideliter obsequuntur, vt destrui potius, & in nihilum om-

nino redigi eligerent, quam vel minimum eius mandatum infringerent! Deus, cui promptiſſimè ſtellata illa cælorum volumina, ſine vlla confuſione, perpetuò rotantur! Deus, cuius vel flatu terra perfuſa, quotannis fructus, & fruges quibus veſcamur producuntur! Deus, cui elementa mutuis viciſſitudinibus alternantia ordinatiſſimè, quaſi pacis fœdere inter ſe icto, ſubſeruiunt! Deus, cui curuantur, qui portant orbem! Deus, *Iob. 9.* qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat! *Iob. 39.* Deus, quem laudant aſtra matutina, & iubilant omnes filij Dei! Deus, qui tribus digitis appendit orbem, & librat in pondere montes, & colles in ſtatera! Deus, qui ſi repente in eum flauerit areſcet, & quaſi ſtipulam turbine auferet eum! *Iſa. 40.* Deus, qui appendit terram ſuper nihilum! Deus, qui ligat aquas in nubibus *Iob. 26.* ſuis, vt non erumpant pariter deorſum! Deus, in cuius conſpectu columnæ cæli contremiſcunt & pauent ad nutum eius!] hic eſt, qui percutitur, & non inſurgitis, ô Angeli, in percuſſorem! Nonne olim (vt diximus) ob vnam in Deum blaſphemiam è vobis vnus in caſtra Sennacherib Regis Aſſyriorum ir- *4. Reg. 19.* ruit, & centum octoginta quinque millia interfecit? & creatori veſtro inſigni non modo blaſphemia laceſſito, ſed iniurioſa etiam percuſſo alapa non ſuccurritis? Nonne ad defenſionem Iacob, in domum ſuam reuertentis, integræ è vobis legiones concur- *Gen. 32.* rerunt? & nullus veſtrum ad cælorum Regis defenſionem accurrit, aut opem illi ferre properat, aut tanti ſceleris vindictam ſumere! heu! quot Angelorum exercitus,

4. Reg. 6. Num. 22. aliquando in circuitu Elisæi armis instructi apparuerunt? & nullus Christo alapa percusso adstat! nonne euaginato gladio Angelus sese opposuit Baalaam, cum ad maledicendum Dei populo pergeret? & maledicenti Deo, alapamque illi infringenti, ne vnus quidem occurrit! nonne prohibuistis Abraham cum librato ictu in filij ceruicem manum extendisset, vno è vobis illi acclamante: ne extendas manum tuam super puerum, nec facias illi quicquam: & sic innocentem puerum ab ictu & morte liberastis? quare non modo etiam similiter cohibuistis sacrilegam impij Malchi manum in innocentissimum Dei Agnum extensam, patrisque æterni ictum in nos librandum in suum vnigenitum conuerti permisistis, qui hanc illi alapam nostris debitam peccatis infringi permisit? atrox fortasse hoc facinus ita vos attonitos reddidit (vt ait Chrysostomus) vt præ horrore tam ingentis ignominiæ veluti stupidi, nescientes quomodo tam horrendum scelus vlciscì debeatis immobiles stetis. Hinc sanctissimus doctor exclamat: [Exhorrescat cælum, & contremiscat terra; alapis Deus percuti potuit? ô Angeli qui hæc intuemini, quomodo sletis? quomodo manus continere potestis? quomodo pro Domino vestro non respondetis? an hoc ita facitis, quod attonitos vos teneat tanta insolentia, & tanta mansuetudo? tanta peruersitas, & tanta patientia?]

Gen. 22.

Chry. ser. 12. ser. 5. in pas.

7. Maluistis, vt video, eius faciem alis tegere, cuius tantam ignominiam vel vindicare, vel exprimere non poteratis, vt sic sub vultu abscondito quantus lateret mæror significaretis. Timantes egregius pictor, cum mœstissimam Iphigeniæ

immolationem graphicè pingeret, & amicorum lacrymas & triſtitiam ad viuum exprimeret, vultum vero Agamemnonis patris eius velo obtexit, quia nimirum vidit ſe nulla arte elegantius poſſe exprimere ingentem patris dolorem, quam cum non exprimendo, ſed potius velando. Et vos Seraphini charitate incenſi, maluiſtis Chriſti vultum alis tegere, cuius liuorem nullis depingere verbis valebatis, nec iniuriam alapa Chriſto illatam vlciſci, vt ſic mærorem eius, noſtri gratia, ſuſceptum, nos docerent alta mentis commentatione perpetuo conſiderare, vt intelligamus quãti illi ſteterit hominis reparatio, & diſcamus potius contremiſcere coram Deo alapa percuſſo, cum & ipſi cæli hac viſa iniuria confundantur, & cæleſtes ſpiritus expaueſcant. [Contremuerunt (inquit B. Ephrem) cæli, fundamenta orbis concuſſa ſunt, expauerunt Angeli omnes, atque Archangeli, Gabriel & Michael facies ſuas alis contexerunt, Cherubim trementia ſub rotis ſe abdiderunt. Seraphini illa hora alas ad inuicem colliſiſſe viſa ſunt, cum daret miniſter iniquitatis alapam Domino maieſtatis. Quomodo igitur non protulerunt fundamenta terræ motum atque tremorem, cum hora illa contumeliis affici creatorem ſuum cernerent? Profecto cum cæteris prorſus obſtupuerunt.] At tu Petre, vbi modo lates, magiſtro tuo ab eodem impudentiſſimo ſcurra, cuius auriculam abſcidiſti, alapa percuſſo? certè niſi te etiam ſtupor ad latebras coegiſſet, iam præſens adfuiſſes, & non auriculam ſolum, ſed caput etiam haud dubiè amputaſſes, qui in horto ita feruens extitiſti, nulla pene adhuc iniuria magiſtro tuo irrogata, vt ſerui illius

Hie. in 26. Matt.

caput in duos findere partes conareris. [Qui igitur (vt ait Hieronymus) in omnibus locis ardentissimæ fidei inuentus,& volentem ad passionem pergere prohibuisti;licet erraueris in sensu, non tamen errasti in affectu,nolens eum mori, quem filium Dei fueras paulo ante confessus.] Certe non potuisses te cohibere,si adfuisses, viso magistro tuo alapa percusso, quin in nefarium hominem,stricto gladio,irrueres, nec te atrocitas iniuriæ, nec timor reprehensionis impediuisset. Sed cum non adsis aliò me conuertam, ipsumque patrem æternum,ad tantum scelus vindicandum,accersam.

Si iniuria terrena Regi illata vindicãda, multo magis Christo.

8. Pater æterne, quandoquidem tam immani scelere obstupefacti nesciunt Angeli de illo nefario Diaboli satellite vindictam sumere; respice tandem ipse in faciem Christi tui, digitis impuriſſimi hominis Malchi signatam,vindica tam iniurioſam illi impactam alapam. ô quanam nunc pœna mulctaretur, qui terreno Regi alapam infringeret!Quid vero omnes terræ Reges, cum Christo compositi ? vermes sanè vilissimi!

3. Reg. 13.

extendit aliquando Ieroboam in Prophetam manum,& statim illa exaruit. Ecce plusquam Propheta hic alapa percussus, & nulla sequitur vindicta! Ecce Michæas, qui filij tui typum gessit, à

2. Reg. 6.

pseudopropheta Sedechia percussus in maxilla, vnigenitus, inquam, tuus ab impijssimo prædone alapa verberatus,& non vindicas!si Oza mortuus corruit, quia arcam tantummodo manu tetigit,cur, pater æterne, pari saltem mensura impium hunc sacrilegum, sacrilega manu Dominum Arcæ alapa percutientem, non castigas?

1. Reg. 6.

Quinquaginta millia Bethsamitarũ occisa sunt,

Digitized by Google

quod curiosè tantum ac irreuerenter eandem intuerentur arcam, quomodo igitur non ſtatim ſubita correptus morte impudens ille prædo, inflicta inhumaniſſimè Chriſto alapa, interiit! Heliodorus cæleſtis equi calce fulminatus, & flagellis crudeliter exceptus eſt, quod auſus eſſet templi theſauros expilare. Et ecce hic cæli terręque theſaurus, in quem infamis Diaboli ſatelles manu vim intulit, & impune abibit. [Nolite, dixiſti ô pater, tangere Chriſtos meos.] & ecce hic Chriſtus tuus per excellentiam ; tangitur, & taces! Tangitur, ô pater, filij tui ſpecioſiſſima, præ filiis hominum, facies, & tãgenti non videris indignari! facies illa, quę omnes ſuo aſpectu delectat, & ad ſui amorẽ omniũ animos rapit, verberatur, & nihil dicis? [prædicantem filium tuũ, ô Pater, de ciuitatibus, & caſtellis populi ſequebantur, quorum ſaluabat animas, ſaluabat & corpora, adhærebant ei affatu pariter, & eius aſpectu delectati; cuius nimirum vox ſuauis, & facies decora, ſicut ſcriptum eſt: ſpecioſus forma, præ filiis hominũ: talis eſt, quẽ nos ſequimur, cui adhæremus, totus deſiderabilis, in quem non ſolũ populi, ſed & ipſi Angeli deſiderant proſpicere:] Et huiuſmodi facies corã te, ô pater, truculenta percutitur alapa, & taces! [Qui tangit, ais, vos, tangit pupillã oculi mei.] Quãto magis iam pupilla oculi tui tãgitur, cũ vnigenitus tuus alapa in maxilla tãgitur, & taces! [qui vos, inquis, ſpernit, me ſpernit: qui me autẽ ſpernit, ſpernit eũ, qui miſit me.] Ecce ergo, & Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus in hac ignominioſa ſpernitur alapa, & tu Pater taces, hac inflicta Filio tuo alapa! tacet & Filius tanta affectus contumelia! tacet & Spiritus ſanctus, qui hic in filio ſpernitur.

2. Macha. 3.

Pſ. 124.

Ber. ſer. 1. infeſt. Omni Sanct.

Zachar. 2.

Luc. 10.

Digitized by Google

Præclarum patientiæ exemplum.

9. Sed quid ago? cum omnes videantur in Christum conspirasse, ipseque tantam iniuriam, nostri causa, libenter toleret, neque cæli, neque astra, neque Angeli, neque Petrus, neque patet impedire iniuriam ipsi inferendam, neque illatam vindicare velint, quo nostra redemptio fieret copiosior, & luculentius patientiæ exemplum, quod imitemur haberemus, hisce querelis modo supersedendum, vt ad eius patientiæ exemplum imitandum stylum conuertamus. Accepta igitur alapa respondit Iesus, cum summa simul modestia, ac patientia: [si male locutus sum testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?] ô singulare mansuetudinis simul, & patientiæ documentum! [percussus Dominus respondit: quid me cædis? vide quemadmodum quasi vir infirmus, & quasi is qui se vindicare non posset, puerili quodam (vt loquitur Ambrosius) loquebatur affectu: ita & tu, si habes, quo redarguas arguentem, melius tacebis, ne redarguendi vicissitudine commotionem tuam perdas: melius est enim dissimulare iniuriam, quam cum redarguis vindicare.] Hinc magnus Basilius contra iracundos, & iniurias æquo animo minimè ferentes, hæc Christi verba expendens ait [mansuetè, atque immoto animo percutientem sustine: si bene loquutus sum, quid me cædis?] cur me prius feris, quam me feriendum iusta audias censura? nemo indicta causa puniri debet, & cum apud iudices tuta debeat esse innocentia, quid me in præsentia iudicis cædis? Ecce insigne mansuetudinis & patientiæ nobis propositum exemplum. [Congruum ergo est (vt ait Chrysostomus) vt quan-

Ambro. in ps. 37.

Basil. ho. contra iras.

Christi exẽplo iniuria tolerandæ.

Chry ser. de mansuetu.

do quis contumelia nos afficit, vel verberat, vel alia ratione affligit, ſuſtineamus omnia manſuete & patienter. Etenim ipſe Dominus, & Saluator noſter contumelia affectus, verberatus, cruci clauis affixus, leniter tulit Iudæorum furorem, & liset poſſet de eis vindictam ſumere, non ſumpſit tamen, ſed virtutem ſuam oſtendit, eo quod concuſſit terram, & mortuos ſuſcitauit, & obſcurauit ſolem, & noctē ex die fecit. Manſuetudinem autem declarauit, quia nullum ex his qui impie agebant, puniuit: & quia tam manſuetus fuit ipſe, vt non ſolum manſuetè eos tulerit, qui verberabant, flagellabant, ſpuebant, crucifigebant & blaſphemabant, ſed & patrem obſecrauerit, ne cæleſtibus aduerſus impios telis vteretur. Idcirco cum & tibi graue aliquid, & durum ferenti ſubrepunt furor & ira, recordare manſuetudinis Chriſti, & ſtatim manſuetus eris, ac clemens:] Nihil enim efficacius ad animi impetum in vltionem prorumpentem retundendum, Chriſti patientia.

10. Hoc docet etiam Gregorius Nazianzenus: [ſi quando, inquiens, animus tuus acceptæ iniuriæ dolore exarſerit, fac tibi Chriſtus, Chriſtique vulnera in memoriam veniant, quantulaque pars hæc ſint eorum, quæ Dominus tuus perpeſſus eſt. Hac ratione animi dolorem, velut aſperſa aqua extinxeris.] Mirum certe videri debet, Chriſto alapa percuſſo non ſedari ſtatim hominis iram, manſueta illa interrogatione, [quid me cædis?] qualibet igitur laceſſiti iniuria, depoſito omni vindicandi deſiderio, manſuetè, & patienter nos geramus, quorum cauſa tam indigna ab impuris Diaboli emiſſariis Chriſtus patitur, imo

Greg. in ſenten. Tetraſtichis.

nos totos illi consecrare debemus, qui tam libenter, & patienter non modo alapam sustinuit, sed multo plura ignominiæ genera mansuetè tulit. [Si ergo (vt ait Bernardus) totum me debeo, pro me facto, quid addam iam pro refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facile refectus, quam factus. Nam qui me semel, & tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se, & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me, pro me, debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?] Cuius igitur cor tantis à Deo acceptis feruentissimi amoris signis, in medio ventris non colliquescat, omni penitus vindictæ memoria, illius gratia abolita, qui tot iniurias à nefariis Diaboli seruis, nostri causa, mansuetè & patienter tolerauit: præsertim cum certo nobis constet iniuriæ vindices Christi esse percussores: patientes vero Christi similitudinem induere, & excutere omnia iniuriæ à se tela. [nonne vides (inquit magnus Basilius) quemadmodum sagittæ, si duriora offendant, resultant, & excidunt: in mollibus vero & obedientibus facilè figuntur: ita & in contumeliis euenit, qui eis occurrit, ac resistere quærit, illas in sese recipit: qui autem mansuetudine, ac patientia armatus, ad eas excipiendas se præparauit, omnino excutiet, ac euitabit:] & paulo post subdit [si vero & stultus, & indoctus appellaberis, teminiscere eorum quæ à Iudæis iactata sunt in veram sapientiam: Samaritanus es, & dæmonium habes. Si autem

Ber. de diligen. Deo.

Basil. homi. de ira ho. 10.

cõtra hæc maledicta iraſceris, iam ea corroborasti, alapa ſeu pugillo cæſus es? expuit aliquis in faciem? eadem & Dominus eſt paſſus. Nec enim ab expuentibus aut cædentibus faciem auertit. Calumniam pateris? & Dominus. Tua laceratur veſtis? & à Domino quoque veſtis per vim extracta, & ſuper eam miſſę ſortes. Nondum condemnatus es, nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda, vt ad eius imaginem peruenias. Talia igitur, & horum ſimilia tibi ſuccurrant, mentiſque tuæ impetum ac iram compeſcant.] Verum ſi pigeat in tolerandis huiuſmodi iniuriis Chriſtum ſequi; ſerui ſaltem eius æmuli ſimus, Spiridonis, inquam, Cypri Epiſcopi, qui, vt in eius vita proditur, aliquando ad Imperatorem Conſtantium, à quo euocatus erat, profectus eſt. Vili autem erat habitu, manu virgam ex Palma tenens: pendebat ex collo vas fictile, & vt verbo dicam, contempti hominis ſpeciem omnino præ ſe ferebat. Itaque regiam ingredientem, quidam indecorum ratus, tam abiecta ſpecie virum intrare palatium, ſacræ eius maxillæ impudenter colaphum infregit. Tulit id non modo patienter vir ſanctus, ſed & alteram prompto patiendi animo percuſſori exhibuit. Quæ res inſolentem illum tanto affecit pudore, vt repente ei ſupplex fieret, & inconſideratæ audaciæ veniam peteret, quam libens conceſſit, & hominem paternè inſtruxit, vt ab inferenda iniuria ſe in poſterum contineret: quo factum eſt, vt à viris principibus in honore haberetur, qui eum ſumma reuerentia ad Imperatorem deduxerunt. [Quam bonum (inquit Ambroſius)

Sur. in eius vit. 14. Decem.

Amb. ſer. 6. in pſ. 118.

est ferre conuitium, & conuitium non referre? Deum præsulem acquirit, qui conuitianti nescit irasci.] En nostris subiectum oculis viuum patientiæ speculum, vt in eum, ac præsertim in Christum alapa percussum, coniectos semper oculos habeamus.

11. Sed heu! quoties vel leuiusculum nobis damnum infertur, aut asperiori verbo lædimur, ira perciti ad vltionem inardescimus, & non intelligimus sic ingentes nos Christo impingere alapas! [si quis (inquit Cyrillus) de proximis lapsu linguæ minimum quidquam contra nos dixerit, more Draconum, in eum insurgimus, & mille verbis, pro vno vituperantes satiari non possumus, non quia, vt homo lapsus est, nec propter communem infirmitatem hominum iram deferimus, sed ad vltionem irruentes, principem & consummatorem fidei nostræ Iesum non respicimus: nec recordamur scriptum esse, eorum viæ ad mortem, qui memores iniuriæ sunt.] Quam insigne patientiæ documentum, ad Christi imitationem, nobis reliquit B. Stephanus Abbas, qui pro contumeliis gratias reddebat, & si quod in ipsa sua inopia damnum passus fuisset, hoc maximum putabat lucrum, omnesque suos aduersarios, nihil aliud quam adiutores æstimabat. Qui aliter facit, coronam patientibus paratam amittit, & non modo in hominem, sed etiam in Deum impudenter insurgere censetur: quo quid iniquius? Si enim magnis impensis depicta egregiè imago, & à sui effectore vita miraculo donata, statim in illum inhumaniter insurgens insigni, pro tam raro beneficio, illum iniuria afficeret, aut alapa percuteret, nonne eius effector

Cyril. l. 12. in Ioan.

Nostræ impatientiæ perstringitur.

ctor tanta laceſſitus iniuria, in eum etiam conuerſus, in minutiſſimas illas partes iure dilaceraret, & tamen infinitis nos impenſis, Chriſti nimirum laboribus, ſudore, alapis, flagellis, ſanguine, & probroſa denique crucis morte ad Dei ſimilitudinem refecti, & magno miraculo gratiæ vita donati, in illam excandeſcentes iniurioſas ei alapas impingimus, peccata peccatis accumulando, & tamen tot affectus iniuriis minime ſeſe vindicat, ſed potius ad facti pœnitentiam identidem prouocat, ne imaginem ſic à ſe refectam, iuſtitia tandem vrgente, in mille frangere partes, ac æterno conſecrare igni cogatur? Et nos vel leui affecti iniuria tantum abeſt, vt patientiam, præ nobis feramus, vt potius maioribus laceſſere iniuriis ſtatim iniuriantem feſtinemus, minimè expectata iniuriæ nobis illatæ pœnitudine.

De cæteris iniurijs Chriſto illatis in domo Caiphæ.

CAPVT XXX.

1. ACclamante igitur populo: quia reus eſt mortis, ſtatim quaſi agmine facto nefarij milites in eum irruunt, & in faciem eius, in ſummi contemptus ſignum, fœdiſſimè expuunt; & [vt ipſe (inquit Chryſoſtomus) nihil lenitatis prætermiſit, ſic ipſi nihil contumeliæ, nihil impietatis, ſed tam verbis, quam factis explere furorem ſuum conantur.] Quare illud Iobi

Chry. ho. 86. in Mat. 26.

Iob. 30.

in Christo iam impletur [abominantur me, & in faciem meam conſpuere non verentur.] Licet hoc ad literam de ipſa Iobi contumelia, per ſuos aliquando ſubditos illi irrogata, intelligatur: optimè tamen in Christum quadrat, à ſuis etiam ſubditis impudentiſſimè conſputum, variiſque affectum iniuriis, ac contumeliis. hinc exclamat Bernardus: [vultum tuum deſiderabilem, polluti labiis ſuo ſputo coinquinant, ſacrilegis manibus cædunt, velo in deriſum operiunt, & te Dominum vniuerſæ creaturæ, tanquam ſeruum contemptibilem colaphizant.] Sicut ergo ingratiſſimi illi adeo dominum ſuum virum ſanctiſſimum Iob auerſabantur, vt minimè dignarentur ipſum viſu, aut colloquio, aut vllo fauoris ſigno ſibi deuincire, vt potius ab eo, tanquam à prodigio fugientes, in faciem eius conſpuere, tanquam in fœdiſſimum mancipij vultum, non vererentur, quo quid turpius? quid fœdius? quid abominabilius? ſic hi Chriſtum deteſtati ſputis fœdiſſimè onerant. Quam graphicè hanc contumeliam paucis iam olim Iſaias depinxit [quemadmodum inquit obſtupeſcent ſuper te multi: ſic inglorius erit inter viros aſpectus tuus, & forma tua inter filios hominum. Quid enim (vt ait Chryſoſtomus) illi contumeliæ poteſt exæquari? in faciem illam, quam fluctus maris reuerſi ſunt, quam ſol in cruce videndo radios occuluit, ſpuebant, cædebant, caput percutiebant, abundè animos ſuos explentes, & vulnera contumelioſiſſima inferentes, colaphis cædentes, & palmas in faciem eius dantes, quibus ſpuendi contemptum addere non verebantur!]

Ber. ſer. de paſſ.

Iſa. 52. Chry. ho. 86. in Mat. 26.

2. Abiectissimum domus angulum quærere solemus, vt sputa in illum coniiciamus, ne eorum fœditas hominum oculis subiecta nauseam moueat. Quis hic igitur coram conspuitur paulisper, quæso attendite, & quinam illi eius faciem conspuentes, quæ illa facies, tot fœdissimis contaminata sputis, & inuenietis conspurum quidem Deum esse maiestatis, cæli, ac terræ principem, hominumque, & Angelorum gloriam, qui sputo suo lumen cæcis restituit, linguam mutis soluit, & surdos auditu donauit. Qualis vero facies hic conspuitur, quæ abiectiorem, aut viliorem impia Diaboli mancipia locum esse non putarunt, in quam sordidissima fœtidissimi pectoris phlegmata conijcerent, qualis inquam, facies? [& facies eius (inquit Ioannes) sicut sol lucet in virtute sua,] facies soli similis, facies splendidissima, & instar lucidissimi solis irradians, in quam nemo possit fixo obtutu oculorum aciem intendere, nisi velo tegeretur, quin eximio eius splendore perstringatur, facies pulcherrima diuinitatis radiis circumfusa, facies cuius amore ardent Seraphini, in quam perpetuo suspicientes Angeli nunquam exsatiantur, facies ex qua dependet humani generis salus, cuius videndi desiderio Prophetæ olim suspirabant ingeminantes : [ostende nobis faciem tuam & salui erimus.] [nunquid ille (interrogat Augustinus) obscuram habet faciem? non habet obscuram faciem, sed oppositi ei nubem carnis, & tanquam velum infirmitatis.] Imo, Augustine, obscurata est

Christi faciem abiectissimum sputi locum Iudæi censuerunt. Ioan. 9.

Apoc. 1.

Psal. 79.

Aug. in Psal. 79.

eius facies, non modo carnis noſtræ, ſed ſputorum denſa ac nigra nube adeo, vt non eſt putatus ipſe inter hos ſcurras deformatus, agnoſcendus cum ſederet in cælo. Facies præ omnibus ſpecioſa Chriſti, qui factus eſt in caput anguli; à gente perfida, velut locus viliſſimus, & totius vniuerſi abiectiſſimus ſputis defædatur; ab iis, quos hoc ipſo momento lacrymis charitate ebullientibus deflet: Non enim in mundum deſcendit, vt in homines ſpuens, vel leproſos redderet, ſicuti olim in Mariæ ſororis Moſis Aaronem & Moſen iniuria afficientis, faciem ſpuit. vnde & illa ſtatim apparuit candens lepra, quaſi nix: non, inquam, deſcendit, vt ſe vindicet; ſed vt ipſos etiam hoſtes à peccati lepra liberet. Hinc quaſi leproſus, & percuſſus à Deo hodie nobis apparet. Non deſcendit ergo è patris ſinu, furore armatus, ſed miſericordiæ armis inſtructus: non deſcendit proinde vt expueret, quo peccatores ſuo ſputo interimeret, ſed potius vt eos ſanaret, vitamque gratiæ ſputo illis ſuo tribueret.

Num. 12.

3. Spuebatur olim in faciem illius, qui nollet ſuſcitare nomen, & familiam fratris ſui, qui abſque liberis mortuus eſſet. Quod certè maxima cenſebatur infamia. [Talis (inquit Abulenſis) in facie conſpuitur, & calceis nudatur, vt ſumma, & ima pars hominis, contumelia afficiatur, itáque totus homo infamia notetur; vt ſignificetur, quod talis omni honore nudatus ſit, à capite vſque ad calceos.] Et Chriſtus qui exactiſſimè hanc Dei legem obſeruauit, hac tamen ignominiæ nota inuritur. Nonne fratris ſui Adami, per peccatum mortui, omniumque li-

Deut. 25.

Cornelius Cor. ex Abu. Oleas.

Chriſtus licet ſemen fratrìs ſui excitauerit, tamen contra legem conſputitur.

berorum eiusdem veneni vi intoxicatorum Christus iterum, & nomen eius, & familiam gratiæ semina mortuis eorum animis inferens, suscitauit? & tamen contra legis institutionem, & intentionem, quasi fratris nomen, & familiam non suscitasset, à capite ad calcem conspuitur, quod non sine alto quodam fine permissum, vt scilicet ipse frattis sui ignominiam subiens, & nomen eius suscitaret, & familiam abundanti gratiæ semine in posterum ita fæcundaret, vt nunquam sine liberis diuinæ legi obtemperantibus, moreretur. Hinc Ecclesia, quam Christus synagogæ loco, sibi maritauit, ita copiosa prole semper fœcunda, viris, inquam, sanctissimis extitit, vt nunquam sterilis fuerit, neque vnquam vsque ad seculi consummationem infœcunda sit futura. ô synagoga in te regerere breui senties hæc sputa, quibus Christum contra legem contemnis in signum repudij, dedecoris, extremi opprobrij, & ignominiæ. Hinc Origenes [ostenditur, ait, in hoc, quod etiam populus ille, sicut gentes terræ, quæ vt sputum reputantur, abiectus est. Et re vera, si consideres honorem illum priorem: cum pontificalis apud eos ordo florebat: cum insignia sacerdotum, cum leuitica ministeria, cum maiestas templi, cum prophetalis splendor, & cum cælestibus super terram consortiis vtebantur: quis honor fuit ille? quæ gloria? & rursum: si nunc aspicias, quanto dedecore horrescant, sine templo, sine altari, sine sacrificio, sine Propheta, sine sacerdotio, sine vlla cælesti visitatione, dispersi per omnem terram, profugique viuentes; quis non euidenter agnoscat, quod conspuit pater illius

Orig. ho. 7. in Numer.

in faciem eius, & perfudit vultum eorum ignominia?] Ecce opprobria, & ignominiæ, quibus Christi contemptores obruuntur! qui iam olim præuidens illorum in Christum malitiam, regius Propheta à Deo efflagitauit, vt dispergerentur: [disperge illos, inquit, in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.] Noluit eos occidi, sed dispergi, vt [viui quidem (inquit Bernardus) apices nobis sint repræsentantes Dominicam passionem. Propter hoc dispersi sunt in omnes regiones: vt dum iustas tanti facinoris pœnas luunt, testes sint nostræ redemptionis.]

Psal. 58.

Ber epist. 322.

4. Rebellis ille Israelitarum populus, in faciem Hur quia illi restitit (vt auctor est Petrus Comestor) ne faceret idolum, nempe vitulum conflatilem in absentia Mosis) summæ ignominiæ causa, spuendo, sputorumque multitudine, & copia eum tandem suffocauit. Quamuis huius rei scriptura non meminit, fieri tamen potuit, vt in hac grandi ignominia Hur typum gereret Christi, qui sputis, & impuri pectoris phlegmatibus, per Iudæos, contaminandus irreuerenter erat. Iure igitur optimo & Christus cum Iobo hodie dicere potest: [& faciem meam conspuere non verentur.] ô quanta hæc ignominia conspuere venerandam illam terræ cœloque faciem! Nonne [ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus? habitus quippe (vt ait Ambrosius) mentis in corporis statu cernitur: vox quædam est animi corporis motus,] & huius vultum conspuitis? [si sapientia hominis (vt ait scriptura) lucet in vultu eius] quis inueniri potest adeo parui iudicij, ac intelligentiæ, qui non ex vultu Christum æter-

Comes. in histo. Scholast.

Eccli. 19.

Amb. l. 1. offic. c. 18.

Eccli. 8.

Digitized by Google

ni patris ſapientiam, & ab occurſu facici hominem eſſe ſenſatum intelligat, cuius aſpectum præ miro eius ſplendore omnes ſenſati intueri deſiderant, quorum nomine ſponſa ſibi oſtendi illum optat [oſtende mihi faciem tuam,] vt videat ſi aliquid in vultu ſuo, ſpeculo illo faciei eius lucidiſſimo ſibi propoſito, veteris adhuc velaminis habeat, quo minus poſſit intrepidis obtutibus gloriam vultus eius ſpeculari. Et vultum hunc diuinum non agnoſcitis, vultum candore relucentem, vultum placidiſſimum, & beneuolum æternæ bonitatis indicem non agnoſcitis; quem ſic turpiter conſpuitis! Sed, vt video, malitiæ mentis veſtræ velamen obſtat, quo minus Chriſti faciem agnoſcatis [Placeat (inquit Bernardus) neceſſe eſt, facies, quæ in Dei claritatem intendere poteſt, neque id poſſet, niſi clara ipſa quoque eſſet, & pura, vtique transformata in eandem, quam conſpicit, claritatis imaginem: alioqui ipſa diſſimilitudine reſiliret inſolito reuerberata fulgore: ergo cum pura puram intueri potuerit veritatem, tunc faciem ipſius ſponſus videre cupiet.] Et paulo poſt: [impuris non ſe oſtendit veritas, non ſe credit ſapientia.] Hinc impura hæc diaboli mancipia, inueterato odio obcæcata, veram Chriſti faciem non vident, ac proinde conſpuunt. Quorſum hoc, ô Chriſte, pateris? quorſum faciem ſole ſplendidiorem ſputis contaminari permittis? reſpondet: [vt facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur, & diceretur de te, vultus eius non ſunt amplius in diuerſa mutati:] quaſi Chriſtus conſpui voluerit, vt vultum noſtrum coruſcaret.

Cant. 2.

Ber. ſer. c. 2. in fine. in Cant.

Pet. Dam. ſer. 1. de exal. cruc.

Iob.29. *Magnam nostri curã Deus gerit.*

5. Cur, ô pater cæleſtis, illum vnigeniti tui vultum, cuius lux (vt loquitur ſcriptura) nunquam in terram cecidit, conſpui permittis? nonne tantam noſtri curam geris, vt minimam nobis illatam iniuriam tuam eſſe dicas? Hinc Saluianus. *Sal.l.8.de prouid.* [Sacrilegij, ait, genus eſt Dei odiſſe cultores. Sicut enim ſi ſeruos noſtros quiſpiã cædat, nos in ſeruorũ noſtrorũ cedit iniuria: & ſi à quoquam filius verberetur alienus, in ſupplicio filij pietas paterna torquetur. Ita & cũ ſeruus Dei à quocũque læditur, maieſtas diuina violatur: dicente id ipſũ ad Apoſtolos ſuos Domino: qui vos ſpernit, me ſpernit. Benigniſſimus ac piiſſimus Dominus cõmunem ſibi cũ ſeruis ſuis honorẽ ſimul & cõtumeliam facit: ne quis cum læderet Dei ſeruum, hominem tantũ à ſe lædi arbitraretur, cũ abſque dubio iniuriis ſeruorum dominicorũ Dei admiſceatur iniuria.] Et nihili videris facere ſummam hãc filij tui iniuriã conſputi à ſceleſtis ſatellitib⁹! *Zac.2.* nonne dixiſti: [Qui tetigerit vos, tangit pupillã oculi mei, hoc eſt, interprete Theodoreto, qui acceſſerit ad perniciem vrbi veſtræ inferendã, mei oculi pupillã lædet.] Ecce quomodo vrbem ſeruorũ ſuorũ oculi ſui pupillam appellat, quaſi nõ modo eorũ mentes & corpora, ſed etiã domus, & tecta in oculorũ pupillis gerat, & qui illos tãgit, pupillã Dei tãgere cenſeantur: [ad exprimendam *Ibid.* (inquit Saluianus) teneritudinẽ pietatis ſuæ, tenerrimã partem humani corporis nominauit: vt apertiſſimè intelligeremus, eum tàm parua Sanctorũ ſuorũ cõtumelia lædi, quàm parui verberis tactu humani viſus acies læderetur.] Et inuſitatã in filiũ tuum contumeliam non ſentis: ſi aliquando Regem Balthaſar, *Daniel.5.* qui templi vaſa profanius

contrectare ausus est, improuisa morte puniuisti; cur ab his nefariis Spiritus sancti templi violatoribus pœnam non exigis, qui ignominiosissimè cæleste illud diuinitatis tuæ vas conspuere non verentur? Exaruit, vt diximus, manus illa, quam impius Rex Ieroboam in prophetam extenderat, & spurcissima horum ora in filium tuũ crapulam euomentia non corripis subita aliqua apoplexia! Si Heliodorum vidualis depositi, cæterorumque, quæ sacræ fuerant commendata custodiæ, depeculatorem, dux ille militiæ cælestis, Christus nimirum (vt Ambrosius scribit) aureis armis effulgens in terram strauit, & perculit, cur tu, ô pater, impuros prædones, & filij tui honoris, ac famæ depopulatores, in terram non sternis! nimirum, vt doceas nos vindictam non expetere, sed æquo animo, Christi exemplo, omnes iniurias ferre. Hinc Chrysostomus [Christus, ait, cum ipse quidem in faciem colaphis cæderetur, in seruum qui colaphum impegerat nihil durius fecit. Ieroboam vero cum extenta manu conaretur apprehendere prophetam, à quo coarguebatur; manus illi exaruit. Per hæc te erudiens, vt quæ tibi ipsi inuehuntur, cum mansuetudine feras: quæ vero in Dominum ingeruntur, multa cum vehementia vlciscaris.]

2. Machab. 3.

Amb. in Psal. 40.

6. Aliud superiori succesſit ignominiæ genus: colaphis enim eum cæciderunt: quod duobus factum est modis: alio pugnis in faciem, caput, pectus, dorsum, & brachia, rabiosa quadam contentione sæuiendo, ita, vt cælestis illius vultus intumuerit, & liuoribus obscuratus fuerit, totumque eius corpus, iteratis ictibus, contusum penitus, manserit. [Quam ob rem (interrogat

Christus alapis & palmis cæditur.

Chryſoſtomus) hæc faciebant, cum occiſuri eum eſſent? quid enim huiuſmodi illuſione opus erat? crudeles eorum mores in omnibus oſtenduntur, qui quaſi venatores fera inuenta, ſic vinolentia, & furore ferebantur, ſolemnitatem habere credentes, & ingenti cum voluptate inſilientes, & quam ipſorum mores in cædem propenſi eſſent, declarantes:] alio, palmas in faciem eius denſando, quemadmodum diſertis verbis B. Matthæus indicat: [alij, inquit, palmas in faciem eius dederunt, dicentes, prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?] O horrendum ignominiæ genus! quid enim aliud, ô ſceleratí milites, hac veſtra ictuum contentione, ac blaſphema interrogatione indicare voluiſtis, quam, vt qui ſibi Meſſiæ, ac prophetæ dignitatem mendacibus ac ſuperſtitioſis ſignis, & miraculis vſurpauit, tanquam vile mancipium verberibus fatigandus, à vobis iudicaretur! Hinc illum, quaſi qui prophetare non poſſet, blaſphemo irridetis ore, & quis eum percuſſerit impudentiſſimè interrogatis. Quare quem omni Meſſiæ, aut honeſti etiam viri honore indignum cenſetis, veſtra in eum ſputa euomentes, eundem quoque hoc nouo iniuriæ modo, prophetæ indignum nomine iudicatis, illi per ludibrium, colaphos & palmas impingentes, & dicentes, prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit? ac ſi diceretis: tu te iactas Chriſtum eſſe, & Meſſiam, & propheram magnum inter nos ſurrexiſſe, populus, viſis tuis falſis miraculis, acclamauit: ſi ita eſt ergo, prophetiza nobis, quis eſt qui te percuſſit, cum velatis oculis percutientem minime videas. O ſtupor!

Chry. ho. 86. in Mat. c. 26.

Mat. 26.

ô inaudita impiorum cæcitas! ô ingrati Iudæi! ô impij sacerdotum principes! siccine filium Dei inhumaniter tractatis? Et Domine, cur conspui, cur velari, cur percuti, cur derideri voluisti? [cõspui (inquit Hieronymus) voluit, vt nos lauaret: velari voluit, vt velamen culpæ, & ignorantiæ à cordibus nostris auferret: in capite percuti, vt caput nostrum, id est, Adam sanitati restitueret: colaphis cędi, & verbis derideri, vt nos ei labiis & manibus, id est, verbis & operibus applaudam⁹.] *Hieron. in Comment. in Marcum.*

7. Quorsum, ô impij, faciem eius velatis? vt liberius nimirum, & petulantius Christum, sine vllo commiserationis sensu, exagitaretis, illique illuderetis; cuius vultus grauitate simul, ac pulchritudine impediebamini, quo minus, pro vestra in illum malitia, in eum desæuiretis. Imitantur nimirum magistri sui dæmonis morem, qui vbi animam lethali vulnere conatur sauciare, & in suam redigere potestatem, oculos eius, intellectum scilicet, & voluntatem, eruere nititur, ne miseriam suam, ac calamitatem, in qua versetur, animaduertat. Id ipsum fecêre aliquando Samsoni crudeles Philisthæi, & Sedechiæ Regi Babylonij, & hodie Saluatori nostro impij Iudæi: Cæperunt enim quidam conspuere in eum, & velare faciem eius: quasi vero hoc artificio suam possent Christum celare iniquitatem. Sed quid? in omnibus sui magistri imitatores esse debent, cuius tanta impietas est, & crudelitas in omnes, vt nunquam, si possit, aliquam animæ pacẽ, aut quietẽ permittat, donec eã penitus oculis priuet. Et quẽadmodũ Ammonitarũ tyrannus Naas à Gabaonitis ad pacẽ, fœdusq; icendũ solicitatus, pacem prius sese initurũ negauit, quam omnes, *Faciem eius velant.* *Iudic. 16.* *4. Reg. 25.* *1. Reg. 11.*

tragico ſane exemplo, oculis priuaret: vt ſic, pro arbitrio ſuo, ſingulis abuteretur: ita hi Chriſti faciem velarunt, non vt pacem cum illo inirent, ſed vt atrocius ſine vlla commiſeratione in eum debaccharentur. [Velamine igitur eius facie (inquit Chryſoſtomus) adoperta, hæc faciebant, quaſi quendam infamem, & nullius rei hominem, non liberi ſolum, verum etiam ſerui deludentes. Sæpius oro hæc attentè legamus, hæc vt decet, audiamus, hæc in cordibus noſtris conſcribamus.]

Chry. ibid.

8. O peſſimi latrones, qui Moſis vos eſſe diſcipulos inanius aliquando iactaſtis, iam potius diaboli mancipia, & diſcipuli impij Pontificis Caiphæ vos eſſe oſtenditis. Ille faciem ſuam velamine operiebat, quando loquebatur maioribus veſtris, eo quod ſplendor, qui ex eius facie emergebat ex diuino conſortio natus, aſpectum intuentium obfuſcaret. Et Chriſtus, qui eſt ipſe ſplendor gloriæ, permittit viliſſimo ſibi faciem velamine à vobis abſcondi, non vt eum attentius, & obſeruantius audiatis, ſicut Moſes attentionem, & obſeruantiam, per velum faciei inductum, ſibi conciliabat, ſed vt petulantius, & impudentius eum irrideatis, illique illudatis. Sed Deus non irridetur, neque oculi ipſius aliquo impediri velo poſſunt, quamuis id omnis peccans optet, idque ſibi fingat, quo liberius peccare poſſit, illud Iob, re ipſa, vſurpant: [quid nouit Deus? & quaſi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.] Quam impiè ex ſua ipſius cæcitate & ignoratione Deum cæcutientem, & ignorantem putat, & quod ille ſe

Splendor faciei Moſis.

Exod. 4.

Optat peccator ſe non videri à Deo.

Iob. 22.

Digitized by Google

ibi caliginosa nebula occultet, seque etiam illi absconditum eadem caligine sibi persuadeat. Hinc quem non videt, statuit minime vereri, aut timere. Vnde Gregorius: [sunt, inquit, plerique ita hebetes, vt formidare nesciant, nisi quod corporaliter vident: vnde fit, vt Deum non metuant, quem videre non possunt:] cum tamen scriptum sit: [oculi Domini contemplantur bonos, & malos] & quid boni maliue quisque facit, quod euidenter ostendit, occulta nostra palam sæpe faciendo, & puniendo. Quamobrem idem sanctissimus pater de hac Dei cognitione agens: [sic latet, ait, in sua specie, vt tamen cognoscatur in operatione: sic cognoscitur in suo opere, vt tamen comprehendi non valeat agnoscentis æstimatione: sic adest, vt videri nequeat: sic videre non valet, vt tamen eius præsentiam ipsa sua iudicia testentur: sic se nobis intelligendum præbet, vt tamen ipsum nobis radium sui intellectus obnubilet: & rursum sic caligine nos ignorantiæ reprimit, vt tamen menti nostræ radiis suæ claritatis intermicet.] Quam stulti ergo peccatores qui hoc claritatis radio ad bene agendum prouocati, putant sua Deum latere peccata, densa nube circumfusum (vt ipsi perperam sibi imaginantur) quasi nihil ad eum attineant, quæ apud nos hic geruntur.

Gregor. l. Mor. c.

Prou. 15.

Omnia patent oculis Dei.

9. Porro alij pugnis caput, faciem, pectus, brachia, & dorsum summa simul contentione, & incredibili quadã rabie verberabant. Quidam manu compressa, quidam expansa; Et nihil tamen dicit, non obloquitur, non comminatur, vt nos eius exemplo edocti iniuriis prouocati, potius taceamus, quam iniurianti insultemus. [Quan-

Variis ignominiis Christus afficitur.

Amb. l. 1. de offi. c. 23. 4. 5 6.

do aliquis igitur (ait Ambrosius) nobis conuitiatur, lacesscit, ad violentiam prouocat, ad iurgium vocat, tunc silẽtium exerceamus, tunc muti fieri nõ erubescamus. (Omnis enim Christi actio, vt ait Gregorius, nostra est instructio.) Peccator est qui nos prouocat, qui iniuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat. Si taceas, si dissimules, solet dicere: quid taces? loquere si audes, sed non audes, mutus es, elinguem te feci: si ergo taceas plus rumpitur, victum se reputat, irrisum, posthabitum, atque illusum: si respondeas, superiorem se factum arbitratur, quia parem inuenit: si enim taceas, dicetur: ille conuitiatus est huic; contempsit iste: si referas contumeliam, dicetur: ambo conuitiati sunt. Vterque condemnatur, nemo absoluitur. Ergo illius est studium, vt irritet, vt similia illi loquar, similia agam: iusti est autem dissimulare, nihil loqui, tenere fructum bonæ conscientiæ, plus committere bonorum iudicio, quam criminantis insolentiæ, contentum esse grauitate morum suorum. Ita fit, vt etiam humilitatem custodiat. Hæc sunt arma iusti, vt cædendo vincat.] Hoc nos docet hodie suo silentio Christus, & si pigeat magistri exemplum imitari, eius serui Dauidis sectemur, in simili re, silentium. [Cur non imitemur (ait idem sanctissimus pater) dicentem: obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. An hoc dixit tantummodo, non etiam fecit Dauid? imo & fecit. Nam cum ei conuitiaretur Semei filius Iemini, tacebat Dauid: & quamuis septus armatis, non retorquebat conuitium, non vltionem quærebat. Non ergo mo-

Cedendo vincimus.

Dauidis patientia.

uebatur conuitiis, qui abundabat bonorum operum conscientia.

10. Alij barbam inusitata crudelitate euulserunt, quod iam olim ab Isaia præuisum, in Christi persona, dicente: [Et genas meas dedi vellentibus.] Quantam existimauit Dauid sibi, & seruis suis factam iniuriam, quod Hanon Ammonitarum Rex dimidiam partem barbæ eorum raserit. [Qui enim legatum Regis (inquit Cyrillus) inhonorat, & afficit contumelia, Regiam quoque maiestatem ea lædit iniuria, & grauiter offendit: quemadmodum Hanon Rex filiorum Ammon pestifera suorum principum delatione inductus, quoniam nuncios Dauid ad se officij, & beneuolentiæ gratia missos ludibrio habuit, & ipsum Dauid Regem ad indignationem commouit, concitauitque ad arma in vltionem tanti facinoris: à quo tandem post multas clades, & regno exutus est, & vita priuatus.] Sed quid, tanta Deo iniuria irrogata, vltionis efflagitat? Deo, [qui tenet omnia (vt ait Augustinus,) Deo, qui implet omnia, circumplectitur omnia, sustinet omnia! Deo, qui circumplectendo implet, & implendo circumplectitur, qui locis non distenditur, nec temporibus variatur! Deo, qui magnus est sine quantitate, ideo immensus! Deo, qui bonus est sine qualitate, ideo verè, & summe bonus! Deo, cuius voluntas est opus, cui velle est posse!] Deo, qui portat omnia verbo virtutis suæ! huic euellitur barba, quo quid indignius? Considera, obsecro, quam grauis etiã ignominia esset vel mediocrẽ barba nudari,

Isa. 50.

Cyril. l. 5. cap. 3. in Ioan.

August. in Psal. 95.

quam natura homini, tanquam ſingulare tribuit ornamentum. Sed ſi cum iniuria, violentia, & ſummo contemptu alicui nobiliſſimo principi id fiat, in quo facinore non minus ignominiæ, quam doloris ineſt, nonne hoc longe grauius? durum quidem eſt barbam radi cuilibet repugnanti: at velli, & filio Dei velli per audaces furioſorum manus, longe durius. O ſumme ſacerdos, quam inaudita hæc tua patientia! quam incredibilis tuus in nos amor! quis vnquam audiuit quemquam huiuſmodi ignominiæ genera ſubijſſe, illorum cauſa, qui ea intuliſſent? Tuam, ô Chriſte, barbam tortorum ipſorum etiam gratia contumeliosè extrahi permittis, barbam multo illa Aaronis nobiliorem, in quam à capite eius vnguentum deſcendebat. Vnguentum enim cæleſtis gratiæ à capite tuo, vſque in barbam, & in oram veſtimenti perpetuo deſcendit, quo totius Eccleſiæ membra ſuauiſſima perfundis fragrantia, & huiuſmodi barbam inhumaniter conuelli permittis, & ignominiosè, ac crudeliter tractari! ô nate Dei, nonne hæc tua barba tuam indicat ſimul maieſtatem, virilisque pectoris robur, & tamen quaſi imbellis, ac viliſſimus homuncio illam conuelli per ſceleſtos finis! ô incredibilis Saluatoris noſtri bonitas! ô vere paterna eius viſcera noſtram in ſe ſuſcipit effæminatam mentem, & nos donat ſua fortitudine, vt ipſe, nobis in perſecutione animatis, noſtram in ſe timiditatem aſſumens, omni ſe infamiæ, qua nos afficiendi eramus, ſponte obijceret. Quorſum Alexander magnus curabat ſuos milites radere barbas? ne ſi ab hoſte caperentur, hanc vellicationis, & detonſionis barbæ ignominiam ſubirent.

Pſal. 130.

Plutar. in Theſeo.

subirent. Nihil enim contumeliosius quam barbæ vellicatio, præsertim in contemptum, per inimicos facta.

11. Nec his suæ satisfaciunt crudelitati, sed capillos etiam vi extrahunt: & bonus Iesus se quoque huiusmodi ignominiæ modo affici permittit. Nonne tu es ille Nazaræus cuius capilli non erant eradendi, nec nouacula ascendere poterat in caput tuum, omni tempore consecrationis tuæ? cur igitur modo permittis te ita expilari, nostri causa, vt non modo vna nouacula in caput tuum ascendat, sed tot, quot sceleratis ignominiosæ linguæ nouaculis impij hi tortores diuinitatis tuæ velut caput radere, tuam negantes deitatem, conantur, in cuius rei signum capitis tui capillos conuellunt, & ideo etiam fortasse id finis, quia capillos, qui in voti termino Domino dari solent, iam in termino vitæ, persoluto patris decreto, in signum consummatiæ peregrinationis tuæ illi consecrare velis? an fortassis ad iugem spineæ coronæ breui tuo capiti applicandæ memoriam habendum, vt & nos similiter tondeamur, vt in hoc probroso ignominiæ modo tibi simus persimiles? vere hãc ob causam Apostolis tonsuræ vsus, & Ecclesiæ traditus, frequentabatur. Hinc seruus tuus venerabilis Beda. [non ob id tantum, ait, in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus: sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est. Idcirco & nos qui per eandem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum cum illo, in vertice gestamus. Sicut ergo fideles signum crucis gestant in fronte, contra malignos Spiritus, & vt doceantur

Num. 6.

Cur capillos velli permittit.

Quare Sacerdotes tõdentur.

Bed. l. 5. de gest. Aug. c. 22.

ſe carnem cũ vitijs crucifigere debere: ita clerici, & Monachi gerunt formã coronæ, quam Chriſtus in paſſione ſua ſpineam portauit in capite, vt ſpinas, ac tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id eſt, exportaret, & auferret à nobis: vt ipſi ſe irriſiones, & opprobria pro Chriſto libenter ac prompto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant, vt coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſe ſemper expectare, proque huius perceptione, & aduerſa mũdi, & proſpera contemnere deſignent.] hæ ſunt cauſæ, cur permiſeris, bone Nazaree, caput hodie expilari.

Blaſphema verba in Chriſtum euomuntur. Mat. 26. Chry. ho. 86. in Matt. c. 26.

12. Præterea blaſphemi oris verba in te velatum, & colaphis cæſum iactari ſinis: [Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit?] ô blaſphemiam horribilem! ô incredibilem impiorum de Chriſto cenſuram, quem latere perperam putant, quiſnam eum percuſſerit, cuius oculis aperta ſunt omnia [verba rurſus (inquit Chryſoſtomus) deriſionis plena proferunt, prophetiza nobis Chriſte, dicentes, quis eſt, qui te percuſſit? ſic illudunt, quoniam prophetam ipſum eſſe plerique dicebant.] quare hac ratione inducti, per vices vultum illum Angelicis ſpiritibus amabilem impiè percutiebant. O vultum, in quem Angeli intueri deſiderant! ô vultum, quem tot gemitibus, & lacrymis prophetæ olim contemplari exoptarunt, hodie ab impuris diaboli mancipiis percuſſum! ô vultum lucidiſſimum æterni patris ſpeculum, in quo ſe, & omnia alia perpetuo intuetur, ab hominibus indigniſſimè verberatum! vere tu es modo Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator. Cuius diuinitatis ſplendor, non modo obtento

Iſa 45.

corporis tegumento, sed exteriori etiam illo, quo tegeris velo, inter hos scurras ignominiis lacessitus celatur, vt sine vllo compassionis sensu in te atrociter sæuiãt [Christus quidem (vt ait Augustinus) verbum vitæ erat ab initio, sed non erat manifesta hominibus; manifesta erat Angelis videntibus, & tanquam pane suo cibantibus. Sed postea panem Angelorum manducauit homo, ergo manifestata est ipsa vita in carne: quia in manifestatione posita est, vt res quæ solo corde videri potest, videretur & oculis, & vt corda sanaret. Solo enim corde videtur Verbum, caro autem & oculis corporalibus videtur. Erat vnde videremus carnem, sed non erat vnde videremus Verbum. Factum est Verbum caro, quam videre possemus, vt sanaretur in nobis, vnde Verbum videremus.] Et alibi: [Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: ipsa natiuitate collyriũ fecit, vnde tergerentur oculi cordis nostri, & possimus videre maiestatem eius, per eius humilitatem.] Sed tantum abest, vt hi cæci prædones Christũ se vidisse, vel agnouisse fatererentur, vt potius malitiæ velo obtecti, obtegerent etiam eius vultũ, & alternis vicibus illum percutiẽtes, in derisionẽ, prophetiza Christe, ingeminarent, quis te percussit? [Irruerat enim (vt ibidẽ ait Augustin⁹) illis quasi puluis in oculũ, irruerat terra, sauciauerat inuidia oculum, videre non poterat lucem. Oculus iste sauciatus inungitur. Terra sauciatus erat, & inuidia occæcatus, & terra illuc mittitur vt sanetur. De puluere cæcatus es, vt de puluere saneris, Verbum caro factum est, sicut ergo caro oculum cæcauerat, caro illum sanare venerat. carnalis enim anima facta erat, consentiendo

Psal. 67. Aug. in illud Ioan. Epist. 1. c. 1. quod fuit ab initio.

Aug. in illud Ioan. 1. Verbũ caro.

affectibus carnalibus, inde fuerat oculus cordis cæcatus. Verbum caro factũ est. Medicus iste tibi fecit collyrium] sed frustra. [Et quoniam sic venit, vt de carne vitia carnis extingueret, & de morte occideret mortem: ideo factum est in te] præ cæteris nationibus: [vt quoniam verbum caro factum est, tu possis dicere: & vidimus gloriam eius.] Nonne vîdistis eius miracula? nonne cælestem eius audistis doctrinam? nonne toties vobis salutis documenta suggessit? sed hæc omnia rancoris velo vobis obtenso minimè cernitis. Incassum igitur oculis vestris gratiæ collyrium adhibuit, cum adhuc cæci omnino sitis. Hinc ad ludibrium iteratis, Christe, quis te percussit? ô Domine, te, præ modestia simul, & singulari patientia tacente, indicet nobis Isaias, quis te percutiat? [Propter scelus, respondet, populi mei percussi eum.] Mea igitur scelera, bone Iesu, te in maxilla percutiunt, mea peccata faciem illam Angelis desiderabilem conspuunt, tibi crines, & barbam euellunt, te ad terram collidunt, te velatum excruciant, & tamen iniuriantibus nihil dicis, nihil respondes, cum omnia videas & noueris qui te percutiant. [Plus Domine Iesu (inquit Ambrosius) iniuriis tuis debeo, quod redẽptus sum, quã operibus, quod creatus sum. Non enim prodesset mihi nasci, nisi redimi profuisset.]

Isa. 53.

Amb. l. 1. in Luc. c. 4.

Amor Christi in sponsam.

13 Sed, ô bone Iesu, quanti facis sponsam tuam, quæ te ad tantas perduxit calamitates! ô generose, & inuicte Samson, amoris velo obnubilaris, & charitatis vinculis in sinu sponsæ ligatus, ludis illusus! ô incredibilis erga Dalilam tuam amor! qui tuos oculos amoris velo tegit, vinculis manus irretit, capillos tibi radit [non solum (inquit Chry-

Digitized by Google

ſoſtomus de Samſonis coniuge loquens) curioſa irrepſit in præcordia mariti ſimplicis, & importunis obſecrationibus, atque illecebroſis blanditiis fatigatum, arcano illo virtutis ſuæ martyrio ſpoliauit, atque ita derasis crinibus, virtute nudatum funditus euertit.] Et Christi in Dalilã ſuam, animam nimirum, tanta amoris vis, vt in diuinũ pectus ſeſe inſinuans ingeniosè illud ſtatim adeo molefecerit, & ad noſtri compaſſionem mouerit, &, noſtra ipſe in ſe ſuſcepta infirmitate, ſua nos donauerit fortitudine, atque ita derasis velut crinibus, virtute diuinitatis cohibita, omni ſe nudatum veluti robore, inimicorum iniuriis, noſtri cauſa, ſubijcit! Quis vnquam crederet, ô inuictiſſime Samſon, amore ita te faſcinandum, vt ſponſæ brachiis ſtringereris, omni ludibrio, illius gratia, expoſitus, vt nihil videaris pati, cum omnia tamen opprobria patiaris! itane amoris flammæ in tuo pectore inardeſcunt, vt nihili ducas tantas ignominias? amare & ſapere vix Deo conceditur, imo amor iſte tuus in ſponſam, ſtultitia quædã, & furor multis videtur; Apoſtolo atteſtante: [nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiã.] Quid, obſecro, in ſpecie ſtultius (niſi fides nos aliud doceret) quam vel cogitare æterni patris filium, noſtri cauſa, ſic contemni, verberari, vulnerari, velari, irrideri barba conuulſa! cui B. Ioannes duos aſcribit glorioſos titulos [primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ] priore illo mortem eius declarat, poſteriore vero principatum: priori autem poſteriorem poſtponit: quaſi glorioſius fuerit Chriſto ſe morti, per has ignominias, ſubiecisſe, quam vniuerſo mũdo imperaſſe.

Chry. ex variis in Malefic. Hom. 15.

1. Cor. 1.

Apoc. 1.

Quis itaque in posterum erubescet de Christi enarrandis ignominiis, cum ipse eas præferat terræ principatui? Hinc Tertullianus [quodcumque, ait, Deo indignum est, mihi expedit. Saluus sum, si non confundar de Domino meo: alias non inuenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem, & feliciter stultum:] quasi diceret: hæc sola est bona impudentia, de Christi calumniis, & iniuriis non pudefieri. nam [quod stultum est Dei, (vt ait Apostolus,) sapientius hominibus.] Quãuis ergo videatur opprobriis obrutus, adeo vt aspectus eius teter multis appareat; tamen hæc eius humiliatio maiores sui amores in electorum mentibus, quam eius maiestas excitat. hinc Augustinus admiratur illa Isaiæ verba: [non est species ei, neque decor.] Quare inquirit quomodo tanta potest esse deformitas, in quo reperitur tanta amabilitas: [ergo, ait, sponsus noster fœdus est? absit. Quando enim illum virgines amarent, quæ in terra maritos non quæsierunt?] [hinc alibi recte monet: ne quis de hac Christi deformitate nostri causa, contracta, erubescat: sed potius glorietur cum inquit [deformitas Christi te formet.]

Tertul. lde carne Christi. c. 5.

1. Cor. 1.

Isa. 53.

August. in Psal. 127.

Aug. ser. 22. de verb. Apost.

14. Insuper ad miseriarum, & contumeliarum cumulũ illud accessit, quod ea nocte ligatus fuerit trunco oliuæ, in atrio Pontificis Caiphæ, idq; sub dio. Quid tunc Domine agebas, sic oliuæ astrictus? nonne cogitabas te inseri trunco mortalitatis nostræ, tanquam ramum oliuæ, ineffabilis misericordiæ symbolum, tecum ingeminans: vos meã faciem conspuitis, crines, & barbã euellitis, mihi velato illuditis: ego tamen ad pœnitẽtiam vos prouoco, te ipsa illud prophetę vsurpãs;

Digitized by Google

[quis ex vobis timens Dominũ, audiens vocem
ſerui ſui? qui ambulauit in tenebris, & non eſt lu-
men ei, ſperet in nomine Domini, & innitatur *Iſa. 50.*
ſuper Deum ſuum?] quaſi dicat: quicunq; hactenus in tenebris erroris, infidelitatis, & peccati ambulauit, iamque timens Dei iram, audit vocé ſerui ſui, id eſt Chriſti, deplorantis perſecutorum inſolentias, tandem reſipiſcat, & ſperet in miſericordia hîc alligati trunco, & illuminabitur, & à peccatis expiabitur. Sic fere Haymo, Lyranº, Procopius, & Hieronymus, qui cẽſent hæc eſſe Chriſti verba ad ſuos tortores, quaſi eos excitet, ad pœnitentiã, & ſpem veniæ. Ad quemlibet igitur tortorũ, ex intimo animi affectu, velut alter Ioſeph, quaſi ad fratres ſuos inclamat: venite ad pœnitẽtiam, ſperate in nomine Domini, vt quidquid vel ex humana fragilitate, vel etiam ex malitia in me cõmiſiſtis, vobis condonetur. Ecce inſertus ſum humanitatis veſtrę trunco, tanquã florentiſſimus oliuæ ramus, miſericordiam cuilibet elargiens, ſi facti pœniteat. Ecce quomodo alligatus huic trunco plorem, defleamq; non modo peccata veſtra, ſed peccatum etiam illud in arbore olim cõmiſſum! ploro itaque ſuper ſingulos, non ſecus ac Ioſeph ſuper ſingulos fratres, ſed heu! fruſtra, nõ enim agnoſcitis ſcelera in me cõmiſſa! hinc illa inſtar tineæ, aut viperæ adeo animæ veſtræ viſcera corroſerunt, vt nihili faciatis quælibet etiam enormia in me committenda! ſicut ergo tinea ſenſim ſine ſenſu ſerpit, veſtemque arrodit: ſic flagitia veſtra lentè & paulatim vos ad exitium trahẽt. Nam vt ait Gregorius [tinea damnũ facit, *Greg. l. 11. Mor. c. 5.*
& ſonitũ non facit: ita iniquorum mentes, quia dãna ſua conſiderare negligunt, integritatẽ quaſi neſcientes perdunt.]

Christus in cloacã conijcitur.

15. Inter cætera, quæ Christo hac nocte contigerunt, hoc vnum maxime ignominiosum ad cuiuslibet Christiani mentem consternandam sufficeret, postquam enim aliis Christo iniuriis inferendis defatigarentur, ad maiorem cruciatum, & ignominiã in cloacam, (vt author est Ludolphus Carthusianus) stagnante aqua, ex omnium sordium colluuione collecta fœtidissimam, illum præcipitarunt, in qua per reliquam noctis partem reliquerunt, ex ipso fœtore mira patientem. Nec fuit quispiam, qui impiis torroribus, pro innocente supplicaret. En nostri Salomonis lectulum! en sponsi animæ nostræ quietis locum! en floridum scilicet Christi thorum, quem sponsa illi præparauit, thorum, inquã peccatorũ aculeis horridũ, fœdæ carnis inquinamentis maleolentem, nostris iniquitatibus quasi stragulo coopertum, in quo pacificus Angelorũ Rex cubare cogitur [Iners & ignauũ quietis (inquit Clemens Alexandrinus) artificiũ] respuit, re ipsa, dicẽs: [Væ qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris!] quorum insolentiã, & delicias hoc spurcissimo mihi strato thalamo cõpenso. Quam lectus eburneus in quo lasciuitis, vtilitatẽ habet? voluptati tantum subseruit. Aliũ, si sapitis, vobis lectum sternite, nõ gemmis ornatũ, sed lacrymis madidum; si vultis mihi cõpati. Hinc Chrysostomus: [Miles, ait, dormit non in lecto, sed humi. Et pastor sub dio stans noctẽ consummat, operarius ille Iacob lapidem ad caput sibi posuit dormiẽs, vt intellectualem per somnos lapidem videret.] Nonne hi videntur maximè accedere ad Christi imitationem? & subditur: [vis videre lectum Regium virtutibus plenum? respice lectum, in quo tanquam margaritæ super subsellium per

Ludol. in vit. Christi.

Clem. l. 2. pedag. c. 9. Amos. 6.

Chryso. ho. 24. ad pop.

singulas noctes erant congelatæ Prophetæ lacrymæ!] Huic similem compone lacrymis perspersum, in signum in Christum commiserationis. Pretiosiores enim huiusmodi lacrymæ sunt ipsis gemmis, quibus Regum thalami picturantur. En Ioſephum velut innocentem ouem inter sæuissimos lupos flentem, & gementem, & pro nobis deprecantem, in cisternam proiectum! En Hieremiam in lacum, qui erat in vestibulo carceris, in quo non erat aqua, sed lutum, miserè præcipitatum! En Danielem in lacum leonum inhumaniter proiectum! Multa quidem hi passi sunt, sed Deus illis adfuit, eosque tandem liberauit: non enim oblitus est in finem vinctorum suorum [Nil enim (vt ait Ambrosius) mirum si visitet Deus in carcere positos, qui seipsum in suis inclusum esse memorauit.] Hinc diuino impulsu Abdemelech Hieremiæ permotus calamitate, Sedechiam Regem adijt, & Prophetam inde dimitti impetrauit. Ecce quomodo Deus rebus plane desperatis succurrat! quis non putasset actum de Hieremia, qui communi Regis & Principum consensu in lacum præcipitatus est? sed Deus illi affuit, eumque exhilarauit. Hinc ipse gratias Deo agens [Appropinquasti, inquit, in die quando inuocaui te in lacu, & dixisti: ne timeas.] Et Ruben misericordia in fratrem motus illum secretò ex cisterna cogitabat extrahere, & ad patrem reducere. Et lacum præterea, in quem Daniel coniectus fuit, Deus ipse clausit, retenta sibi vitæ claui, signauitque potentiæ suæ sigillo ostium, & leonum cohibuit ora, ita vt nihil clauso nocuerint? Ecce quomodo Dei serui à periculis liberi euadunt, filio Dei immanium

Gen. 37.
Hiere. 38.
Amb. ho. 62 de Ioseph. c. 5.
Mat. 25.
Thren. 3.

latronum furori & crudelitati relicto!

16. Non est igitur, qui vnigenito Dei filio compatiatur. Non est, qui illi in tantis miseriis hac nocte velit assistere: neminem inuenit deprecatorem, neque qui eum ex fœtenti cloaca eripiat! [pudeat (exclamat Bernardus) ergo Christianum hac nocte quietem captare, qua tot Christus cruciatibus est afflictus!] Heu! omnem in illum tortoribus cælestis pater potestatem videtur dedisse! Heu! pater omnes vinctos tuos libertate donas, & solum veri tui filium in spurcissimo carcere vinciri, & vexari, non prohibes! Audi, ô pater misericordiarum, quanta animi contentione, & quam lugubri voce filius tuus querelam instituat: [aperuerunt super me os suum omnes inimici mei: quasi belluæ (vt ait Origenes, Rabanus, & Hugo) famelicæ me pleno oris gutturisque rictu deuorare, & deglutire cupientes sibilauerunt] instar serpentiũ, qui prędа capta, antequã eam lanient, & vorent, sibilãt, [& fremuerũt dentibus:] veluti lupi rapacissimi, qui in prædã, quam sibi subdiderunt, dentes stridendo acuunt: [& dixerunt deuorabimus.] quo verbo se mutuos contra me excitant, vt suam expleant rabiem! [en ista est dies, quã expectabamus, inuenimus, vidimus:] quasi dicant: en adest optata dies, qua nostram expleamus in hunc hominem iram! Ecce quanta cũ rabie hiantibus rictibus lupi rapaces Dei Agnum deuorare aggrediantur! ô inexplebilis latronũ auiditas, & fames deuorãdi Christum, quorũ intemperantis animi habitum, ex gestu corporis externo, depictum in illa Senecæ sententia, de Attalo, videre licet: [solebat, inquit, Attalus hac imagine vti, vidisti ali-

Ber.

Thre. 2.

Sen. epist. 37.

quando canem, missa à domino frusta panis, aut carnis aperto ore captantem: quicquid excipit protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri inhiat.] Idem euenit rabidis hisce canibus, quicquid expectantibus impius Caiphas proiicit, id sine vlla satietate statim dimittunt, ad maiorem in Christum rabiem erecti, & attenti, donec illum integrum, si possint, deuorent: quemadmodum hac nocte conantur. nemo proinde exprimere potest, quid Christus tota illa nocte passus sit.

17. O Patriarcha Iacob qui olim exultantis animi iubilo tripudians dixeras: [vidi Dominum facie ad faciem, & salua est anima mea!] Quid diceres, si Deum modo prostrata facie, in hac cloaca defœdatum videres? agnoscereſne illum, quem pater ipse agnoscere non videtur, nec eius condolere calamitatibus! Quid tu, ô Moses, visne faciem illam teterrimæ cloacæ fæcibus deliniatam videre? putasne inde salutem te hausturum, quæ tot sordibus obliterata est, [ostende faciem tuam & saluus erò!] & tu sponsa sponsi tui vultum intuere: considera, an in hac te figura sibi in sponsam assumpserit: nonne speciosus forma præ filiis hominum, aliquando tibi visus? vide modo sordibus oppletum, & dimersum collo tenus in profundissimam stercorum cloacam! audi quid sacrilegi in eum euomant dicteria! ô quoties hic dæmoniacum, quoties voracem, & potatorem vini, quoties publicanorum, & peccatorum amicum, quoties reipublicę euersorem, quoties plebis seductorem, violatorem sabbathi, blasphemũ in Deum, mũdi cælique gloriæ insultãtes, appellãt. ô sacrilegi audite

Gen. 32.

Vix Christus à quoquã agnosci potest.

Exod. 33.

in vos horrendum illud fulmen à B. Ephrem
Ephrem parænc. 43. to. 1. euibratum [audes aperire os tuum audacter, & in cælum verba emittere, iuramenta, atque blasphemias, & non times ne fortè falx ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo tua, donec ex ea, quæ sub cælo est, te excidat, dum sic audes os aperire aduersus Deum omnipotentem, in quem Angeli, Archangeli, Cherubin, & Seraphin non audent oculos coniicere?] & vos huiusmodi pœna plecti non timetis, qui blasphemo vocis impetu in Christi diuinitatem inuolatis, non timetis inquam repentinam in vestrum ca-
Ibid. put, os, & linguam irruere vindictam? Audite, ô immanes belluæ, quomodo idem Sanctissimus pater vos acriter, vt desinatis, moneat [desine, ô homo, exclamat, blasphemare, ne forte idem fermo, quem contemnis, fiat flamma in ore tuo, & tuam linguam comburat. Nam si homo homini pugnam suscitans, etiam pace iam facta, in conspectu eius prodire erubescit: quomodo tu hodie in mundo constitutus, & cras Tribunali ipsius præsentandus audes talia eloqui? & non metuis ne forte ignis de cælo descendat, & deuoret te, dum tu sic os aduersus Omnipotentem aperis; neque vereris ne forte terra sub te repente disrumpatur, & te absorbeat?

18. Quemadmodum febri ardentissima exæstuans, adeo vehementi torquetur siti, vt multum aquæ vix illam mitigare possit: sic tartarei hi prædones incredibili exæstuantes rancoris, odij, ac inuidiæ febri, ita Christi sanguinem sitiebant, vt ea nullis pœnis, nullis tormentis, nullis contumeliis illi inferendis extingui potuerit, donec vltra omnem modum, & mensuram cru-

ciatus illi inferrent: cum & ipse vltra omnem etiam modum,& mensuram, quasi amoris febri exæstuaret, & expeteret omnia pati,donec illius saturatentur pœnis, vt nos doceret pro malo bonum reddere, & contempta huius mundi vanitate, Christi gratia, tormenta expetereremus. [exemplum (inquit Gregorius) se sequentibus præbens, rex fieri noluit Christus:ad crucis vero patibulum sponte peruenit. Oblatam gloriam culminis fugit: pœnam probrosæ mortis appetiit, vt membra eius discerent fauores mundi fugere,terrores minime timere.] Cogitate igitur mecum quibus Christus sponte, nostri gratia, tribulationum fluctibus, quibus pœnarum fluminibus, quo cruciatuum Oceano, tam inusitatam salutis etiam persecutorum sitim mitigare voluit, qui sibi nullum præscripsit in pœnis modum, in tormentis limitem, in ignominiis mensuram! ô quot blasphemiis in hac cloaca, quot ignominiosis verborum tonitruis, quot insulsis aures eius vocibus illi insultantes, & de tanta,& tam solemni præda sibi congratulantes obtudérũt! Hæ sunt Matutinæ,quæ diei Veneris cruentum præcedunt sacrificium, in crucis ara Deo offerendum, Matutinæ sanguinolentum præsagientes Offertorium, quæ ipsum quasi sono graui,ac lugubri mœroris,& doloris concinente [O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor,sicut dolor meus.] supra omnem musicæ modum, mensuram, ac regulam acutissimis blasphemiæ vocibus ita eleuantur, vt attingant supremum ignominiæ, opprobrij, contumeliæ, ac doloris punctum. Longè dissonæ sunt Matutinæ hæ, ab illa Angelica

Greg. 1 par. past. c. 3.

Thre. 3.

musica alterius noctis nimirum natiuitatis tuæ, quæ in crepusculo alternatis suauissimè vocibus per cælestem militiam decantata, celebrauit præconia intonans [gloria in altissimis Deo!] nam in hodiernis acerbæ passionis Matutinis omnia personant lugubribus crucis, ac mortis Threnis, & lamentationibus impiis Diaboli mancipiis malitiam suam in Christum magis, ac magis exercentibus. Hinc toties cogitur sono grauiillis suam intermiscere luctuosam musicam: [sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni!]

Luc. 2.

Psal. 68.

19. Verum licet raro inter nos Christianos repetiantur, qui Christum lingua blasphemant, eiusque sic barbam, & capillos conuellunt vt in cloacam præcipitent! multi tamen, proh dolor! inueniuntur, qui vitæ blasphemant, malis conuellunt exemplis eius barbam, & capillos luxurię inquinamentis eum turpius dęfœdant, quam cloacæ fæces. Hæc certe grauiora illi, quam illi spurcissima, & impuri etiam oris phlegmata in eius faciem egesta. Vnius enim peccati fœditas tam horribilis est, vt ex ipso cœlo spurcitiæ cloacam quodammodo efficeret, & præsertim blasphemiæ scelus. Vnde Augustinus: [cũ Deus, inquit, laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum: & cũ blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum!] quo quid horribilius? Et addit: [itaque ad aurium exhortationem canta voce, corde ne sileas, vita ne taceas. Si ergo bene agis, & quod manducas, & bibis ad refectionem corporis sumis, gratias agens Deo, & cibus tunc, & potus laudat Deum. Si vero modum naturæ debitum

Opere vel Deum laudamus vel blasphemamus.

Aug. in ps. 46.

immoderatione voracitatis excedas, & vinolentia te ingurgites, vel carnis illecebris delecteris, quantaslibet laudes lingua tua sonet, vita blasphemat.] Quemadmodum igitur operibus bonis, & integerrimis integerrimæ vitæ exemplis Deum glorificamus, debitamque illi præstamus reuerentiam: ita è contrario malis actionibus, & pessimo vitæ exemplo blasphemamus. Nam (vt ait Ephrem) cum infideles intuentur Christianos, quod instar ethnicorum ipsi quoque in crapula, luxuria, & ebrietate vitam degant, ludentes atque saltantes, cum citharis, & tympanis, non amplius dictitant, quod insensati sint Christiani, dum legem Christi transgrediuntur: verum blasphemantes asserunt eos, sicut traditum à Christo acceperunt, ita & facere.] Væ ergo his per quos [nomen meum (inquit Dominus) blasphematur inter gentes.] Quorum malo exemplo non modo gentes mala sua vita in Christi barbam, ac capillos inuolant, & in cloacam deiiciunt, sed vitam etiam eius, atque adeo eius diuinitatem blasphemo oris iaculo, quantum in ipsis est, confodiunt.

Ephrem interroga. to. 1.

Isa. 52.

20. Quid? nonne ebrioſi huiusmodi etiam ignominiis Christum lacessunt, & in cloacam omnium sordium coniiciunt? [Omnes ebrioſi (inquit Augustinus) tales sunt, quales paludes esse videntur: quod enim in paludibus nascitur, nullum fructum habere cognoscitur, nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ, nascuntur ibi ranæ, & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possent generare, quam aliquid ad victum exhibere. Istæ enim herbæ, vel arbores, quæ in

Ebrioſi similes paludibus.

Aug. ſer. 231. de tẽpl.

ipſis paludibus, aut circa ripas naſci ſolent, nihil vtilitatis habere videntur, in tãtum, vt annis ſingulis incendio concrementur. Videte quod de ebrietate naſcitur, igni præparatur. Et in has paludes teterrima ſtagnantes aqua Chriſtum inhumaniter coniiciemus, vt ſerpentum, ſanguiſugarum, & vermium fiat ſocius, quo quid execrabilius! talene hoſpitium Chriſto præparabimus, cuius ſedes cælum, & terra ſcabellum pedum eius! [Cogitantes ergo quod patrem tam benignum, tam bonum, tam amabilem tot iniuriis, cum perfidis Iudæis, offenderimus, eſt certe quod pudeat: [non pepercit vnigenito (inquit Bernardus) pro ſic genito. Ita ipſe quidem patrem ſe exhibuit mihi, ſed non ego me illi viciſſim filium. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? pudet indigna geſſiſſe genere meo, pudet tanto patri vixiſſe degenerem: exitus aquarum deducite oculi mei; operiat confuſio faciem meam, vultum meum pudor ſuffundat occupetque caligo. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Proh dolor! quem fructum habui in quibus non erubeſco! ſi in carne ſeminaui, de carne non metam niſi corruptionem, ſi in mundo, & ipſe tranſit, & concupiſcentia eius. Quid? caduca, vana, & prope nulla, & quorum finis mors eſt, infelix, & inſanus præferre non erubui æterni patris amori & honori] Heu per illa Dei filius tot ac tantis, & indignis afficitur iniuriis! pudeat ergo & terreat me quod tam manſuetum dominum tam iniuriosè tractauerim: pudeat me, & terreat, quod æterni patris & in me miſericordiſſimi exaſperauerim clementiam qui vnigenitum

Ber. ſer. 16. in Cant.

genitum ſuum pro me vili terræ verme iniuriantibus tradidit. [Confundor, confundor audire: ſi ego pater, vbi eſt honor meus? pudet ingratitudinis, quanquam ad confuſionis cumulum arguar etiam reddidiſſe mala pro bonis, & odium pro dilectione.] Sed quid interim ſuggerit tam benigni patris clementia? an vt cohorreſcamus illius vultum, quem toties offendimus? nequaquam. [Minime quidem nobis à benefactore, ſicut ne à patre timendum. Verus quippe beneficus eſt, dans affluenter, & non improperans. Erubeſcat nihilominus, & doleat anima noſtra, quoniam etſi illum non repetere, & non improperare decet; nos tamen omnino dedecet ingratos, immemoreſque extitiſſe, filiumque Dei tam inhumaniter tractaſſe. Heu! quid vel nunc tandem retribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis?

De dolore Beatiſſimæ Virginis, ex filij ſui iniurijs, concepto.

CAPVT XXXI.

1. QVanto affectam dolore putatis Deiparam, ſibi ad viuum propoſitis filij ſui comprehenſione, & tot ignominiarum generibus illi irrogatis! quantis, obſecro, dolorum ictibus ille tunc Simeonis gladius eius pectus identidem verberabat, præſertim cum intelligeret filium ſuum non modo à diſcipulis derelictum, ſed ab ipſo etiam quodammodo patre in crudeliſſimo-

Cauſa doloris Mariæ ardens in filiũ amor.

Luca 2. rum hoſtium manus traditum. Verè [& tuam ipſius animam tunc pertranſiuit gladius] gladius, inquam compaſſionis, vt ait Bernardus, ſiue mœroris pariter & amoris (vt docet Ildephonſus : [tunc, inquit, pluſquam, martyr fuit, qui in animo non minus amoris, quam mœroris gladio intus vulnerata fuit.] Quoties iam ad patrem, iam ad filium conuerſa ingeminabat : [Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio,] tam lugubre de filij mei iniuriis nuncium ! quoties dolore tacta intrinſecus quaſi præſentem filium alloquebatur: [ô vere Dei nate, tu mihi pater, tu mihi mater, tu mihi filius, tu mihi ſponſus, tu mihi anima eras. Nũc orbor patre, viduor ſponſo, deſolor filio, omnia perdo, ô fili mi, vltra quid faciam.] O Ieſu fili mi, ô fili mi Ieſu, quis te à meo auulſit conſpectu? quis te in manus hoſtium tradidit horribiliter cruciandum? [Væ mihi, væ mihi. Quò vadam chariſſime? vbi me vertam dulciſſime? quis mihi de cætero conſilium, & ſubſidium præſtabit?] ô Ieſu fili mi, fili mi Ieſu ! quæ tam crudeles manus benigniſſimum filium à matre chariſſima diſiunxêre? [Iſte erat dolor meus maximus, quia videbam me deſeri ab eo, quem genueram, nec ſupererat alius, quia mihi erat vnicus!] ô Ieſu fili mi, fili mi Ieſu, quæ tam inhumanæ manus vnigenitum, patris filium, & vteri mei primogenitum comprehendere ſunt auſæ ? quæ tam impia ora ſpurciſſima pectoris phlegmata in ſpecioſam, præ filiis hominum, faciem inſpuere potuerunt ? quæ tam nefariæ manus colaphis cædere vultum illum, qui infinita ſua coruſcatione cæleſtes omnes recreat, aggreſſæ ſunt ? Quod tam infame velamen

Thre. 3.

Ber. de lamenta. virgi.

Ber. ibid.

Ber. ibid.

Dei oculos, ne vestram videat insolentiam, obnubilare potuit? Quæ tartareæ manus ornamentum illud cælestibus gratissimum, pulcherrimam, inquam, filij mei barbam, & gratissimos cœlo, terræque capillos conuellere sibi arrogarunt? Quæ crudelitas speculum sine macula, in fœtidissimam præcipitauit cloacam, & desiderabile cælestium lumen in obscurum omnium sordium carcerem compegit? ô desideratissimum oculorum meorum lumen! [De vultu illius pulchritudo effluxerat omnis, & qui erat præ filiis hominum speciosus forma, tunc videbatur omnium indecorus. Videbam quod complebatur illud propheticum in eo, vidimus eum & non erat ei species neque decor. Vultum enim illius iniquorum Iudæorum fœdauerat liuor. Hinc vox mea fere perierat omnis: sed dabam gemitus, suspiriaque doloris. Volebã loqui, sed dolor verba rumpebat: quia verbum iam mente cõceptũ, dum ad formationem procederet oris, ad se imperfectũ reuocabat dolor intimus cordis, vox triste sonabat foris, vulnus denuncians mentis. Verba donabat amor, sed rauce sonabãt, quia lingua magistra vocis vsum perdiderat loquendi.] heu! heu mihi! siccine dulci tuo interim aspectu priuor? siccine desinis cor meum exhilarare? siccine veluti obscura inducta nube, præter morem tuum, tristissimam reddis matrem? heu mihi cur non tecum & ad hortum, & ad Annæ, & Caiphæ domum, vt simul tristitiam & iniurias tolerarem, iuerim? cur passa te abire, nec statim vestigia tua sum secuta? Iesu fili mi, fili mi Iesu non compares, & ego quò ibo? ô Iesu fili mi, fili mi Iesu, vbi agis noctem hanc

Ber. ibid.

tibi afflictiſſimam, in quorum verſaris ſocietate? quid modo pateris Ieſu fili mi, fili mi Ieſu non compares, & ego quò ibo! ô vtinam in me ſolam ſuum Iudæi furorem vertant, vt tibi liberè ab eorum manibus abire liceat! O Ieſu fili mi, fili mi Ieſus, quis mihi det, vt ego pro te, tot iniuriis afficiar, quot tu hac nocte ſubderis, imo nihil mihi gratius foret, ſi tibi placeret, quam ipſam mortem oppetere, potius quam te vnicum vteri mei filium, & omne bonum meum tantis doloribus, & ignominiis conflictari audire. [Nec lingua poterit loqui (inquit Bernardus) nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viſcera Mariæ.]

Ibid.

Thren. 1. 2. Quam verè illud afflictæ Sionis modo vſurpare potes. [plorans ploraui in nocte, & lacrymæ meæ in maxillis meis, nec eſt qui conſoletur me, ex omnibus charis meis.] Iure optimo ploras, ô virgo nimis afflicta, quia ſpiritus vitæ tuæ Chriſtus Dominus captus eſt à peccatis noſtris, quaſi ſatellitibus, vt noſtri cauſa, mirè excrucietur! cui itaque comparabo te, ô virgo? certe nemini, cum amor tuus in Chriſtum nulli comparari poteſt: ſicut nec tantus tuus dolor, ex tanto amore profectus, nullius dolori componendus eſt: cum ex magnitudine amoris dolor ſit metiendus. Hinc Bernardus [dicat, qui poteſt, cogitet quantum poteſt, meditetur, ſi poteſt, quæ doloris immenſitas tunc paternam animam cruciabat. Non credo plane enarrari, vel meditari poſſe dolorem virginis, niſi tantum fuiſſe credamus, quantum vnquam dolere potuit, de tali filio, talis mater. Veruntamen rectum erat amoris, & mœroris conti-

Thre. 2.

Ber. ibid.

Maria dolor nulli comparandus.

Digitized by Google

nens modum. Cui ergo te comparabo, vel cui aſſimilabo te filia Ieruſalem?] non Annæ iunioris Tobiæ matri, quæ flebat irremediabilibus lacrymis, ob ſui filij abſentiam: [vt quid te miſimus, inquiens, peregrinari lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ.] non illi, inquam, te comparabo, cuius exigua fuit doloris cauſa, ex natiuo tantum fortaſſis affectu procedentis, comparata tanti doloris cauſæ Virginis, non modo ex naturali; ſed ex ſupernaturali etiam amoris affectu proficiſcentis. [tranſibat (inquit Bernardus) ſæuus gladius, & ſæuus perimebat vtrumque,] Chriſtum, & matrem [Quo magis amabat, ſæuior fiebat in matre,] opprobria Chriſti patientis [erant vulnera matris dolentis, dolores ſæui fuerant tortores in anima matris.] Illa igitur morulam abſentis dilectiſſimi Tobiæ filij ſui inter amicos bene habiti deplorabat: tu Virgo, filij tui ſimul & Dei abſentiam longè tibi corde tuo charioris, inter crudeles tortores inhumaniſſimè tractati, irremediabilibus potius lacrymis defles, [ſolus tibi dolor luctuſque remanſit amicus. Amas proinde flere, & fles amare, amare fles, quia amare doles.] Cum enim amor tuus in filium, & in talem filium, cuius dignitas infinito modo Tobiæ ſuperat, infinitus quodammodo ſit, & cuius præſentia non ſolum tibi, ô afflictiſſima Virgo, ſed vniuerſæ etiam cæleſti curiæ infinitum affert gaudium; Annæ in Tobiam amori minime comparandus eſt: ſic nec dolor ingens ex ingenti amoris fonte profectus, natiuo illius dolori ex naturæ riuulo profluenti conferendus. [Ipſa

Thren. 4.

Tob. 10.

Bern. de lament. Mariæ.

Ibid.

(inquit Bernardus) erat quam dolor tenebat. In mente eius creuerant immensi dolores, nec poterant extra refundi. Intus atrocius sæuientes dolores Nati, matris animam cruciabant. In carne Christus soluebat sensim debitũ mortis, quod grauius erat, quam mori in anima matris.] Cui ergo te comparabo? an matri illi cuius viscera, præ amoris simul teneritudine, & doloris acerbitate adeo commota sunt, vbi Salomonem audierat infantem vteri sui gladio diuidi oportere, inter ipsam, & alteram, cuius non erat filius, vt statim [velut quandam (vt loquitur Ambrosius) genitalis alui vocem ediderit, qua maternus patuit affectus, qui elegerat filium suum, vel apud alienam viuere, quam in conspectu matris necari.] Neque eiusmodi te etiam, nimis afflicta mater comparauerim: [quæ mortua viuens (vt ait Bernardus) viuebas moriens, moriebaris viuens, nec mori poteras, quæ viuens mortua eras. In tua anima dolor sæue sæuiebat, optabas mori, magis quam viuere] vteri tui pignore coram te tantis lacessito iniuriis. Dolor ergo tuus tam immensus ex infinito amore profectus, tanto interuallo natiuum illius matris & dolorem, & amorem superat, quanto filius Dei infantem illum ex meretricio procreatũ, excedit. Ille porro matri lætissimæ integer redditur, & filij Dei exangue corpus è cruce breui deponendum in vlnas tuas, ô Maria, nimis dolorosa, recipies. An denique Agamemnoni, de quo ante tanta absorpto tristitia ob vnicæ filiæ necem, cuius dolor tantus fuit, vt eum tacere maluit Timan pictor quam penicillo depingere. Neque huius tuam, ô virgo, mœstissimã dolori tristitiam assimilauerim. Nam

3. *Reg.* 3.

Amb. 1. *offi.* c. 8.

cæleſtis ille pictor Ioãnes in Chriſti ſchola egregie edoctus,& ad exprimenda omnia noſtrę fidei myſteria in ipſius gremio apprimè inſtructus, quamuis tuam nobis, atque adeo Chriſti in paſſione imaginem ad viuum expreſſerit, cum ad tuam hodie triſtitiam depingendam calamum admouiſſet,quaſi impoſſibile ratus,vlla humana, aut Angelica etiam arte illam poſſe exprimi, aut depingi, ſilentij velo maluit illam tegere, & quaſi tacitus præterire, quam ſibi rem impoſſibilem attentare : quare nihil aliud dixit, quo immenſum, per totius paſſionis decurſum, mœrorem oſtenderet, quam [ſtabat iuxta crucem mater eius.] exiſtimans ſe ſuo ſatisfeciſſe muneri in exprimendo vehementiſſimum animi tui dolorem, cum te matrem, & talem matrem, & matrem talis filij diceret iuxta crucem ſtare.

Mariæ dolor Oceano comparandus.

3. Cum igitur, ô doloroſa mater anima tua amaritudine repleatur & quodam quaſi compaſſionis mari obruatur, non alteri, quam ipſi Oceano tuum comparabo dolorem : [Magna enim velut mare contritio tua] Nam quemadmodum maris aqua immenſitate, profunditate, & fluctuum voluminibus riuulos excedit : ſic tua, ô Virgo, contritio, & dolor omnes aliorum dolores, ac anxietates de Chriſti paſſione ſuſceptas infinitè quodammodo ſuperat. Hinc ad tortores conuerſa [Non parcitis proli, non parcatis & mihi. Tu mihi ſoli mors eſto ſæua, dulce eſt miſeræ mori, ſed mors optata recedit. Væ mihi & tibi fili mors ipſa præcipitata venit, morte mori melius eſt mihi, quam vitam ducere mortis.

Thren. 2.

Ber. ibid.

Sed fugit à me misera, & infelicem me relinquit, cui ipsa mors multum optata nunc esset.] & ad filium conuersa: [ô fili, inquit, charissime, ô benignissime nate, miserere matris tuæ, & suscipe preces eius, desine nunc mihi esse durus, qui cunctis semper fuisti benignus.] vere [tuam ipsius, ô virgo, animam pertransiuit gladius, & vis doloris adeo, vt plusquam martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excessit compassionis affectus.] quilibet igitur serio considerans amoris tui in Christum pondus, illius mole ac lacrymarum fluctibus inde velut assurgentibus, ita sese sentiet vel illorum tantum obiecta procul imagine obrui, vt non alij, quam mari, tuæ con-
Gen. 1. tritionis magnitudiem comparare queat. Nam quemadmodum in mundi exordio aquæ erant super faciem abyssi, quæ postea in vnum coactæ locum mare appellabantur: sic hodie in eius reparatione omnes tribulationis aquæ, quæ inundatione facta Christi cor omnium bonorum & gratiarum abyssum ita occupant, vt illa sibi Prophetæ verba, haud iniuria, vsurpare possit:
Psal. 68. [saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam,] tuum, ô virgo, obruunt cor, adeo, vt tribulationis mare meritò appellari possis, & exclamare quod filius hac nocte in spurcissimam sordium cloacam præcipitatus: [infixus sum in limo profundi: & veni in altitudinem maris,] non in torrentem aliquem, per quem facilis est transitus, cuius fundum penitus possim attingere, sed velut in mare omnium miseriarum tristitia quodammodo absorbeor.

Digitized by Google

4. Verum quamuis tam immenso tristitiæ pondere, & mari quodam compassionis Mariæ cor obrui videatur, cum omnium illarum iniuriarum Christo illatarum acerbitatem, & amaritudinem in se ad viuum senserit, adeo tamen constanti semper fuit animo, vt velut immota rupes in medio maris posita, huiusmodi dolorum fluctibus concussa staret. Quam proinde B. Bonauentura firmamento comparat, quo diuiduntur aquæ ab aquis [virgo, ait, fuit cæli firmamentum vniformiter semper motum per patientiæ firmitatem. Nam licet in ea aquæ inferiores, id est, vires sensitiuæ, & sensibiles, fortissimæ fuerint concussæ, in filij sui passione: superiores tamen à sua non fuerunt pace commotæ. Et licet sentina nauis, id est, pars sensibilis repleta fuerit aquis maris: pars tamen superior nauis semper ventis prosperis nauigauit.] Sic itaque dolorem, & lacrymas virgini tribuere oportet, vt de eius constantia, & fortitudine nihil detractum sit. Hinc in medio hoc compassionis mari filium suum veluti tibi præsentem alloqui, in hunc modum, audire videor. O amantissime veteri mei fili, quamuis ille Simeonis gladius animæ meæ viscera paulatim penetret, morsque me, præ foribus quasi expectet, quia sine te viuere, nec libet nec possum, cum mea sis vita, nisi fortasse iuxta altissimum consilij tui decretum vis me tibi superuiuere, & amaram mortem, pro vita, ducere, tamen si ita tibi placeat, & si id à Deo decretum sit, ad humani generis reparationem, vt non tantum hæc iniuriarum genera, sed mortem etiam acerbissimam subire debeas, neque in hac ærumnosa lacrymarum valle, post te, relinquere

Constantia Mariæ in summo dolore apparet.

velis in Eccleſiæ tuæ ſolatium, non abnuo, tua fiat voluntas, non mea. Verum hoc vnum à te efflagito, in quo nollem pati repulſam, craſtina dies vigeſima quinta Martij eſt, mihi celebris & lætiſſima, qua nunciante Angelo cum ſummo animi gaudio in meo vtero te concepi, & quæ etiam dies Paſchæ eſt, qua abſentes filij ex remotiſſimis terræ partibus ad parentes viſitationis gratia accelerant, vt ſimul cum eis paſchalem agnum comedant. Quare precor, vt cras meus digneris eſſe conuiua, vt manducemus ſimul hoc paſcha: Et antequam patiaris agnum mutui amoris igne aſſum comedamus. Qua pia matris finita poſtulatione, haud dubiè veluti præſens etiam Chriſtus annuit matris petitioni, & amoris brachijs abſentem amplectitur, tacitiſque eius cor inſpirationibus in hunc vel ſimilem modum alloquitur. O mater fiat tibi ſicuti vis: mane enim in crucis menſa ſimul comedemus agnum amoris mutui igne aſſum, veſcemur illis eſcis, de quibus olim vaticinatus eſt propheta: *Pſal. 86.* [dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto] mane igitur, ego agnus ille, non vmbraticus & typicus, ſed realis, & verus mactandus ſum, & ſuper crucis menſam apponendus. Hunc ambo amoris appetitu comedemus: & ne deſit nobis potus, felle & aceto replebimur, quo cum maiori feſtinatione, vrgente nos amaritudine, illum comedamus. Quamuis doloris gladio, inquit mater, vſque ad cordis intima hoc ſpiritali colloquio tranſuerberata fuerit, amoris amplexu abſentem filium tenerrimè ſtringens, & quaſi inter brachia nonnihil conquieſcens: faſciculus ait myrrhæ

dilectus meus mihi inter vbera mea commoraberis. Tibi occurram, ô fili mi, adhuc in via, vbi crucis menſam in humeris portaueris, te tunc comitabor vſque ad locum conuiuij, vt his ſimul delicijs fruamur. Interim benedic, fili mi, matri tuæ chariſſimæ, quo facilius reliqua paſſionis tuæ tormenta feram, teque alacrius ad montem Caluariæ ſequar, vt paſchalem ſimul diem celebremus. Quare accepta benedictione vterque ſeſe parat ad cætera paſſionis myſteria peragenda. *Cant.* 2.

De cauſis Petri lapſus.

CAPVT XXXII.

1. DVm Chriſtus mirè exagitaretur, Petrus eum interim ſequebatur à longè. Et bene à longe (inquit Ambroſius) ſequebatur iam proximè negaturus. Neque enim negare potuiſſet, ſi Chriſto proximus adhæſiſſet.] Ingreſſus eſt in atrium pontificis acceſſitque ad alios, qui igni aſtabant, vt ſeſe calefaceret, quia frigus erat. [Conſideremus (inquit idem ſanctiſſimus pater) quo in ſtatu neget, frigus, inquit, erat. Si tempus conſideremus, frigus eſſe non poterat, ſed frigus erat, vbi Ieſus non agnoſcebatur, vbi non erat qui lucem videret, vbi negabatur ignis conſumens. Frigus ergo erat mẽtis, non corporis.] Attendite mecum quomodo Petrus ad Chriſti negationem pſulatim deuenerit, vt in alieno periculo ipſi diſcamus ſapere. *Matt.* 26. *Amb. l.* 10. *in Luc. cap.* 22.

Digitized by Google

Torpor primus gradus ad lapſum.

In primis itaque diuini amoris tepiditas ex humano orta metu*, primus fuit gradus, ad Petri lapſum. Hoc ſiquidem temporis frigus, ſi ſemel animam inuaſerit, Bernardo auctore, mox (vt in corpore ſolet euenire febricitantibus) ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor animi ſuccedit, timor vitæ ſolicitat, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferueſcit nouitius feruor, ingraueſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, reuocat conſuetudo. Quid plura? diſſimulatur lex, abdicatur ius, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini, dantur poſtremo impudentiæ manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia & confuſione ſaltus, de excelſo in abyſſum, de pauimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cælo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de paradiſo in infernum.] hos turpiſſimos, & confuſione plenos, per teporem, Petrus ſaltus fecit; de excelſo gratiæ, in abyſſum peccati, de pauimento conſtantis animi, quem præ ſe ferebat in cœna, in ſterquilinium inconſtantiæ, de ſolio, quod illi Chriſtus, cum cæteris Apoſtolis, pollicitus eſt, in miſeriæ & calamitatis cloacam, de ſecuræ conſcientiæ cælo, in perturbatum conſcientiæ male ſibi conſciæ cœnum, de Chriſti ſchola, in infauſtam Caiphæ aulam; ac inde de paradiſo gratiæ, in triplicis negationis barathrum.

Ber. ſer. 65. in Cant.

Teporis effectus.

Greg. 3. par. paſt. admon. 33.

2. Ecce quid tepor efficiat, quomodo paulatim à calore ad frigus nos pertrahat, quo nihil periculoſius [quoniam (vt ait Gregorius) frigus ante teporem ſub ſpe eſt, tepor autem poſt frigus,

Digitized by Google

in deſperationem.] Qui enim adhuc in peccatis eſt conuerſionis fiduciam non amittit: qui vero poſt conuerſionem tepuit, ſimul ſpem quæ de peccatore eſt, plerumque ſibi ſubtrahit. Vnde Petrus manſiſſet in profundo peccatorum algidus, niſi acceſſiſſet gratiæ flamma, quæ, tepore excuſſo, rediit ad gratiæ calorem. [Ad carbones (inquit Ambroſius) ſtabat Petrus, qui algebat affectu. Mala flamma Iudaica vrit, non calefacit. Malus focus, qui quandam etiam ſanctorum mentibus fuliginem erroris aſpergit, iuxta quem etiam Petri interiores oculi caligarunt. Illi oculi non carnis, & ſanguinis, ſed oculi mentis, quibus Chriſtum videbat.] hinc ſi non in eum benigno Chriſtus oculo reſpexiſſet, ſemper manſiſſet in cœno. *Amb. ibid.*

3. Secundus fuit ad lapſum gradus obliuio eorum, quæ Chriſtus prædixerat futura, nimiaque ſui confidentia. Nam quamuis Chriſtus ter ipſum ea nocte negaturum prædixiſſet, tamen ſuam illi prætulit temerariam iactantiam, qua obſtinatius affirmare auſus eſt, ſe nulla Chriſtum ratione negaturum: cuius obliuionis ſimul, ac temeritatis ſuo lapſu pœnam luit, plus æquo ſecurus occaſioni, & periculo negationis ſeſe obijciens, quibus docemur mentis teporem temeritati cõiunctum, omnino euitandum; memores illius Pauli ſententiæ; [tu ſi fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time: optimus enim virtutum cuſtos (vt ait Anſelmus) eſt timor.] & Auguſtinus [audeo, inquit, dicere, ſuperbis eſt vtile, cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placẽdo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando *Rom.* 11. *Aug. lib.* 14. *de ciuit. c.* 13.

Aug. l. de bono perſeu. c. 8. fleuit, quam ſibi placuit, quando præſumpſit. Vtile eſt ergo omnibus vel pæne omnibus (inquit idem) vt quales futuri ſunt ſcire non poſſint, vt quiſque dum neſcit, an ſit in bono perſeueraturus, humiliter & ſolicitè Dei gratiam imploret, cum eaque caſum cauere, & in gratia perſeuerare ſatagat.] hinc quia Petrus hanc lectionem minime animo impreſſit, facile lapſus eſt, qui diuina gratia à lapſu iterum ſurrexit, vt ſuum vtiliter errorem agnoſcens, in poſterum ſaperet. Vnde Rupertus [Petrus, inquit, vſque ad triplicandam negationem derelictus, pulchro & ſpectabili ordine ſapientiæ, vt credamus expedire eis, qui præſunt, tam propter ipſos, quam propter eos, quibus præſunt, ad humilitatem, vel compaſſionem erudiri per magnum & memorabile præteritæ infirmitatis experimentum] iuxta illud Regij vatis [imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.] hoc eſt, vt ex ignominia proprij lapſus ad honorem diuino nomini exhibendum excitemur, vel vt loquitur Auguſtinus [vt tu eis Domine placeas, quærentibus nomen tuum, qui ſibi placuerant quærendo ſuum.] Si ergo à turpi lapſu velimus nos ſeruare, caueamus ne à priſtino diuini obſequij feruore in teporem labamur, neque nobis in ipſo feruoris ſummo fidamus, cum facile vel ex ipſa naturæ noſtræ fragilitate, è ſummo in imum decidamus.

Rup. l. 1 de ſapi. c. 28.

Pſal. 82.

Digitized by Google

De prima Petri negatione.

CAPVT XXXIII.

1. PEtrus vero ſedebat foris in atrio, quem cum vidiſſet Ancilla oſtiaria calefacientem ſe, dixit ei, & tu cum Ieſu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens, neſcio quid dicis. O [quanta eſt pœna perfidiæ! vbi Petre Chriſtum negas? non in monte (inquit Ambroſius,) non in templo, in ſua domo, ſed in prætorio Iudæorum, in domo principis ſacerdotum. Ibi negas, vbi veritas non eſt, ibi negas, vbi Chriſtus captus, vbi Chriſtus ligatus eſt.] Sed à quo tanti mali initium! nonne à muliere? quemadmodum enim diabolus Adamum in paradiſo aſtutè ſimul, & malitiosè, per mulierem, humani generis caput decepit; ſic eadem aſtutia, & malitia, per mulierculam, Apoſtolorum verticem ad turpe negationis ſcelus pellexit. [quomodo (inquit Ambroſius) non erraret, quem intromiſit oſtiaria, & interrogauit oſtiaria, & oſtiaria Iudæorum? male Eua induxit Adam, male Petrum introduxit fœmina. Sed ille in paradiſo labitur, vbi non veniabilis culpa: hic in prætorio Iudæorum, vbi difficilis innocentia. Illi interdictus lapſus, huic prædictus error. Ille commiſſus huic præiudicauit: hic illum reſoluit.] quam aptum ſuæ nequitiæ explendæ inſtrumentum dæmon reperit [vſitatus

Matt. 26. Prima Petri negatio. Amb. l. 10. in Luc. cap. 22.

Ibid.

Amb. ser. 48. in cap. Marc. 14

(inquit Ambrosius) ad decipiendum sexus est, fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus recognouit: fideles viros, non nisi per mulierem oppugnare consueuit.] cum ergo Ancilla ostiaria vidisset Petrum sedentem ad lumen, & intuita fuisset agnoscens esse Christi discipulum, conuersa ad circumstantes, ait: & hic cum illo erat, & iterum se ad Petrum conuertens, dixit illi: numquid & tu ex discipulis es hominis istius? certe tu cum Iesu Nazareno eras. At ille negauit dicens, non noui illum, neque scio quid dicas.] Ecce quomodo noua Eua nouum decipiat Adamum, mulier ostiaria Principem Apostolorum! [est ergo (vt idem ait) eadem similitudo deceptionis in Petro, quæ in Adam fuit; quoniam eadem est & similitudo mandati. Accepit enim à Domino vterque mandatum: Adam ne tangeret, Apostolus ne negaret. Ille ne lignum scientiæ præsumeret, hic ne crucem sapientiæ præteriret. Sed transgrediens vterque præceptum pari modo delinquit. Gustat ille, quod non licet, loquitur iste, quod non decet.] heu! [magis præualuit ostiaria ad perfidiam, quam Apostolus ad cautelam, non bona ostiaria, quæ Petrum ideo in domum sacerdotis includit, vt à fide Saluatoris excludat. Male Adam induxit Eua; male Petrum introduxit Ancilla: illa exclusit à paradiso, hæc exclusit à Christo: illa persuasione sua virum decepit, hæc interrogatione sua Apostolum circumscripsit: illa ad præuaricandum Adam impulit, hæc Petrum compulit ad negandum: & idem sexus in vtraque ostiariæ officium gerens, aut excludit à vita, aut includit ad mortem.]

Ibid.

Amb. ser. 50.

2. O Petre,

2. O Petre, didicisses iam olim mulierum consortium euitare, ex quibus omne damnum in rempublicam inuehi solet! Non meministi in paradiso fœminæ blandimentis in perniciem primum hominem eiusque posteritatem attractam? Quis Samsone fortior? victus tamen est per importunæ mulieris illecebras: quis generosior Dauide, qui Leones & vrsos imperterritus manibus lacerabat, & qui carneam illam turrim Goliath in funda, & lapide prostrauit? vnico tamen Bersabeæ oculi ictu debellatus, emasculatus, & eneruatus est: quis Salomone sapientior? adeo tamen mulierum consuetudine dementatus est, vt ex omnium sapientissimo omnium stultissimus effectus sit, ita vt pellicum suarum idolis impiè sacrificaret. Quis vita præcursorem Domini priuauit! nonne meretricula Herodiadis filia? Et Cyrus postquam felici successu Iudaicum populum deuicto Chaldæorum imperio, in patriam diuina fultus ope reduxisset, in aliam postea se cogitationem temere conuertens, à fœmina quadam non solum infœliciter, sed etiam fœdè superatus est, cui deinde ad extremum illud accidit, ad maiorem illi conflandam ignominiam, quod ab imbelli victrice, & insultante fœmina Regium caput, & tot antea radiatum coronis, cum hac execratione in vtrem plenum sanguinis coniectum sit: [exple te sanguine, quem sitisti:] Fugienda igitur periculosa mulierum societas, quæ vel periculosis verborum illecebris, suaue animis venenum instillant, quo penitus intoxicatæ interimuntur: vel insidijs, quem è medio sublatum cupiunt, adoriuntur, vt incautum neci tradant [ecce columna (cum admiratione excla-

Cauendum à mulieribus.

Gen. 3.

2. Reg. 11.

mat Auguſtinus) firmiſſima ad vnius auræ impulſum tota contremuit] vnde in eum ſic inuehitur: [vbi eſt illa promittentis audacia, & de ſe plurimum præſumentis? vbi ſunt illa verba, quare non poſſum te modo ſequi? animam meam pro te ponam! Hoccine eſt ſequi magiſtrum, ſe negare diſcipulum? ſiccine anima pro Domino ponitur, vt hoc ne fiat, vox Ancillæ formidetur?] O ſi Petrus blanditijs cuiuſdam pernobilis fœminæ circumuentus, ſterneretur, eius peccatum leuius videretur, ſed leui oſtiariæ interrogatione proſtratus, ſummam ſuo nomini contumeliæ notam inuſſit. Quid ſi, Petre, potens aliqua blandis armata illecebris, aut inſidijs inſtructa acceſſiſſet, nonne putandum eſt maiori te vulnere ſauciandum? [non pœnis (inquit Gregorius) non afflictionibus, non terribili poteſtate cuiuſquam, ſed vnius mancipij ſola es interrogatione proſtratus!] Et ſubdit [& quidem ne ſexus firmior terribile monſtraret, Ancilla, es, inquirente tentatus, rurſuſque, vt talis ſexus infirmitas deiectione vileſceret, non ab Ancilla, ſed ab oſtiaria es Ancilla requiſitus! [heu! quid faciemus nos, ſi Apoſtolorum vertex, vnius fœminæ interrogatione, quaſi ancipiti telo debellatus ſit, licet ex metu [Quid facient (ait Bernardus) tabulæ quando tremunt columnæ?] & Gregorius: [quid facient virgulta deſerti, cum cedrus percutitur? Non ſit ergo Monachus (vt monet Innocentius tertius) ſecurus in clauſtro, non eremita ſecurus in ſolitudine] nullus ſuis fidat viribus, nullus ſuæ prudentiæ nitatur, nec de diuina gratia ſibi quicquam arroget conſtantiæ, cum illa deſtitui poſſit, ſicut Petrus, & magnus

Aug. tract. 113. in Ioan.

Greg. 17. Mor. cap. 19.

Greg. l. 17. Mor. c. 19.

ille Dei amicus Dauid, cuius vox est: [dixi in abū- *Psal. 29.*
dantia cordis mei, non mouebor in æternum: & mox: [auertisti faciē tuā, & fact⁹ sum cōturbatus.

3. Negauit ergo Petrus coram omnibus Christi societatem inquiens: [nescio quid dicis.] Hinc Euangelista planis verbis id indicat, partim, quo scelestissimum huiusmodi negationis crimen augeat, partim, vt historiæ fidem faciat, ne (vt noster ait Maldonatus) Apostolorum principem falsò accusare videatur: vnde omnes qui aderant, pro testibus, adducit. Quod autem dicat Petrus, nescio quid dicis: securæ, inquit, negationis emphasim habet: quasi dicat: non solum non sum, quem me esse dicis, sed tantum absum, vt sim, vt ne intelligam quidem quid dicas! vere Petre, nescis, quid dicis, repentino consternatus metu, & oblitus magistri tui prædictionis, qua omnibus præsignificauit neminem inter vos, præter filium perditionis, perditum iri, & tamen Christum perfidè iam negas: nescio quid dicis! [Quid dicis (exclamat Chrysostomus) Petre? nonne dudum dixeras, si oportuisset animam pro eo ponere, te positurum? quid ergo? ne ostiariam quidem rogantem perferre potes? num miles, num aliquis eorum, qui Iesum ceperat, te rogabat? vilis erat ostiaria, & abiecta, neque asperè percōtata. Non dixit, deceptoris, & perditi illius discipulus es, sed hominis huius, tanquam eius misereretur.] heu! Petre, qui lapis, & petra paulo ante videbaris, & quasi totius Ecclesiæ fundamentū sub Christo cōstitutus, & cui eius diuinitas ab æterno patre reuelata est, oblitus omnīū, quē antea cōfessus eras filium Dei viui, illiusque gratia, mortem oppetere pollicitus, eundem modo, vnius mulierculæ

Perfidia Petri.

Chry. hom. 82. in 18. Ioan.

concussus voce, negas! heu Petre! quam cito post tot fidelitatis, & amoris argumenta, personam perfidi Cain induis, qui se scisse fratrem suum Abelem negauit! heu quam subito in Dauidem perfidiã Achitophel imitaris, qui sicut ille amicũ suum coram Absalone; sic tu coram omnibus vere amicum tuum scilicet Christum pernegas, imbellis fœminæ exanimatus voce! Nihil Petre grauius, quam ab amico negari, deseri, & damnari. Quid ergo facis Petre? tantane est magistri tui improbitas, vt pudeat te esse eius discipulum, aut illum vel de facie nouisse? magni quidem feruoris signum paulo ante præbuisti, sed virium tuarum imbecillitatem intempestiua probat negatio! Festinabas, Petre, hactenus per tela, & ignes, tuum sequi magistrum, & pro eo mori non ficto, sed vero amoris in eum extimulatus aculeo: sed modo humanæ imbecillitatis expertus inconstantiam, sequeris illum à longè, & charitatis feruore diminuto, per teporem totus frigescere incipis. Vox enim hæc [nescio quid dicis] teporis plena, è gelido profecta pectore!

Pugil in verbis, sed pumilio in factis. Chry. hom. 86. in c. 26. Matt.

4. Nondum te Petre spiritu suo Christus in Petram solidauit, hinc non ferro, sed imbelli mulierculæ sibilo corruis, qui ante prælij aggressum te inuincibilem ostentabas pugilem. [O res nouas (exclamat Chrysostomus) & mirabiles! quando capi magistrum vidit, adeo efferbuit, vt stricto gladio seruum percusserit: quando autem magis indignari, inflammari, succendique debebat, tot tantaque opprobria videndo, atque audiendo, tunc abnegauit! quis enim indignatione non insaniret nefandissima illorum fa-

cta conſpiciens? pauore tamen ille omnino ſuperatus, non modo non indignatur, ſed pernegat, ac miſeræ, viliſque puellæ verba ferre non poteſt!] Quam vere illud in te prouerbium quadrat [dulce bellum inexpertis:] inexpertus belli magna quidem pollicebaris Petre, impendens prœlium non formidabas, ſed magiſtri auxilium non efflagitabas, fidens inaniter tuis viribus. Hinc prœlium aggreſſus, nullo te perſequente, præter imbellem oſtiariam, totus inhorruiſti, defeciſti, ſcutum abieciſti, Chriſtique vitam negando improbas, [neſcio inquiens quid dicis!] O Petre, vere neſcis, quanto doloris ictu magiſtri tui pectus confodiſti, hac impia impiæ negationis ſagitta! Hunc iam olim expreſſit dolorem partim per Micheam ingeminans [populc meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui, reſpõde mihi:] ſic de ſingulis Chriſtus dicere poteſt beneficiorum ingratis, & de te præſertim modo Petre. Singula in conſpectu tuo beneficia in te collata proponit, vt tanquam de his iudex ipſe conſtituaris, an mereantur potius gratitudinem, an ingratitudinem. Quid feci, inquit, tibi? tanquam reum coram te Petre ſe conſtituit magiſter tuus, & te Iudicem facit, vt inter te, & ipſum iudices, an vnquam tibi ingratitudinis cauſam præbuerit. Aut quid, inquit, triſtaui te? [offenſi vultus (vt loquitur Ambroſius) non abnuit crimen, ſi tu Deo es contriſtatus author!] Partim etiam doloris ſui magnitudinem, quo illum hodie afficis iam olim per Iſaiam oſtendit: [Filios, inquiẽs, enutrini, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.] Nonne Petre, te inter chariſſimos Apoſtolos chariſſimum habuit, & cum illis pretioſiſſimo cor-

Mich. 6.

Amb. Apol. Dauid. c. 10.

Iſa. 1.

poris sui, & sanguinis epulo paulo ante enutriuit? nonne te, præ illis, exaltauit, cui supremum Ecclesiæ clauum dare constituit, & tamen ipsum modo perfida spernis negatione! quem [nec vt Deum reueritus, nec vt parrem honore prosecutus,] imo antequam hostes extremam vltimi supplicij sententiam ferant, tu ipsum sua condemnas sententia, quo nihil acerbius, nihil tristius, nihil molestius Christo! [Non est iste animus filiorum Dei, nec talem sapientiam recipit adoptiua nobilitas. Genus electum, & Regium, regenerationis suæ respondet dignitati. Diligat quod diligit pater, & in nullo ab authore suo dissentiat, ne iterum dicat Dominus: filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me] Et subditur [Magnum est, dilectissimi, huius muneris Sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum; vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet patrem] His Petre titulis honoratus fuisti; sed à paterna nobilitate hodie degenerasti, & Christo inspergis negatione tua ignobilitatis nævum, adeo vt pessima tua conuersatione dicens: [nescio quid dicis] te ipsum obscures regenerationis tuæ dignitatem contemnens. [Nam si in progenie carnali, & stirpe terrena claris parentibus genitos vitia malæ conuersationis obscurent, & ipso maiorum suorum lumine soboles indigna confunditur, in quem exitum venient qui propter amorem vitæ conseruandæ, à generatione Christi non metuunt abdicari? si autem ad humanam pertinet laudem, vt patrium decus in prole resplendeat; quanto magis glorioſum est, ex Deo natos in authoris sui imaginem refulgere, & illũ in se, qui illos genuit ostendere.] At vero tu

Procop. in illud Isa.

Leo. ser. 6. de Nati.

Leo ibid.

Petre, neſcio quo conſternatus metu,& dignitatem generis tui obſcuraſti, & reſplendentem aliquando in tuis actionibus Dei imaginem negationis fuligine contaminaſti, conſpirans quodammodo in eius necem, qui gratiæ vita te donauit, quo quid grauius auditu?

5. Iulius Cæſar à manifeſto inimico Caſca enſe fraudulenter percuſſus,apprehenſo gladio, quid agis,inquit,ſceleratе Caſca?nihil mirans ab hoſte interfici:verum irruente in eum Marco Bruto(vt attigi,) qui ei femur transfodit,à quo multis fuerat beneficiis affectus,obſtupuit, quem ſimul ac aſpexit, obducta circũ caput toga,nihil amplius dicit,niſi:[Et tu quoque Marce fili] Et Chriſtus à iuratis hoſtibus nimirum Iudæis cõprehenſus, & tot affectus à militibus iniuriis,tacuit,nihil miratus ſe ab illis malè tractari. Verum Petro ipſum negante, quem tot cumulauit beneficiis, quem Apoſtolorum Principẽ, & Eccleſiæ caput in terris conſtituere decreuit,obſtupuit,quem ſimul vt interno ſaltẽ mentis oculo,obducto cireũ faciem velo,aſpexit,quid amplius,præ admiratione dicere,potuit, quã: Et tu quoque Petre fili,ſiccine in meã cum Iudæis conſpiras necem! quem menſæ ſocium habui,quẽ paulo ante ſalutari corporis & ſanguinis alimento refeci, quem toties mihi adſciui in rebus arduis peragendis, quaſi ſocium! me modo & tu quoq; Petre fili negas?Petre quid dicis?negas te meũ eſſe diſcipulũ,quem in ſchola humanitatis,mãſuetudinis,humilitatis, charitatis ac fidelitatis,cũ cæteris meis Apoſtolis educaui,quẽ ad tã ſublimẽ cathedrã,prę cęteris promouere ſtatui,vt in terris tanquã vicarius meus omnibus præeſſes hominib⁹. Nõne tibi dixi id quod

Plutarch. in Cæſare.

Nihil grauius quam ab amico negari.

Gen. 41.

olim Phatao Ioſepho : [Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantum Regni ſolio te præcedam: &

Ber. Matt. 16. tu quoque Petre fili me negas! imo tuam poteſtatem meæ quodammodo præpoſui; ſententia Petri præcedet ſententiam Pauli:] Hinc tibi dixeram : [Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cælo, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo ;] & tamen neſcio quo terrore ad vocem Ancillæ perculſus, tu quo-

Ber. ſer. de ſeptem miſericor. que Petre fili me negas! neſcis, ô Petre, [nihil ita Deo diſplicere, præſertim in filijs gratiæ, quam ingratitudo? vias enim obſtruit gratiæ: nam vbi fuerit illa, iam gratia acceſſum non inuenit, locum non habet.] Caue ne beneficia Dei in te iu-

Aug. tract. 50. in Ioh. hom. 36. Iacob. 2. Aug. in illud Luc. dicium non pariant, ſed profectum [quãuis enim multum præſumere debeamus de miſericordia Dei, non tamen negligenter debemus timere iuſtitiam eius] Neſcis Petre, miſericordiam ſuperexaltare iudicium. Nam quo maior eſt Dei beneficentia erga homines, eò iudicium eius erit ſeuerius, ſi ijdem beneficijs ingrati eſſe conuincantur, & tanto Iudex aſperius iudicabit, quanto beneficẽtius pater in homines quaſi in filios miſericordiæ ſuæ viſcera effuderit. Quis, Petre, non

Amb. Hexa. cap. 4. erũbeſcat gratiam bene de ſe merentibus non referre, cum videat etiam beſtias refugere crimen ingrati? Et illæ impertitæ alimoniæ ſeruant memoriam ; tu Petre, non ſeruas ſalutis acceptæ] ſed vitam negas, vt mortem incurras. [Nun-

Chryſoſt. quid Petre, ſi per ſingulos dies mortem ſubiremus pro eo, qui nos ita dilexit, merito hoc vel minimam eius partem exſolueremus: & quandoquidem nequaquam debitum hoc exſoluere

pòſſumus, ſaltem adimpleamus quod hic nobis præcipit] nimirum vt ſemper beneficiorum ſimus memores.

6. Vbi eſt illa lingua Petre, qua Chriſti diuinitatem non ita pridem fidei plenus, & præ cæteris præcipui amoris ardore inflammatus aſſeruiſti? ſiecine in ſerpentis linguam tam cito verſa, vt illam in tuum Saluatorem euibrans, coram omnibus tui immemor, in hæc infida verba erumperes, [neſcio quid dicis?] Heu Petre, vt video [non ſolum non compateris huic domino, tanta tui cauſa patienti: ſed perinde ac ſi nihil aliud, quam maleficiis, & iniuriis ab eo fuiſſes affectus, in eum crudelis exardeſcis, ipſoque ſpectante peccare non erubeſcis!] O admirandam ingratitudinem! ô ſtupendam beneficiorum obliuionem! quam vere Iob ſub alienis perſonis diſcipulorum, & tuam, Petre, ingrati animi inconſtãtiam prædixit, quos domus ſuæ, & Eccleſiaſticæ adminiſtrationis, & adminiſtros adhibuit, ac præ cæteris mortalibus, honore, & amore proſecutus, iam vero neceſſitatis tempore, in quo vera probari ſolet amicitia animique conſtantia, retro abeuntes adeo Chriſtum veſtra abominari fuga, & tua præſertim, Petre, infida negatione videmini, vt illum omnium familiaritate, conuictu, alloquio, imo vel tenui aſpectu indignum iudicetis, & veluti rem execrandam nulla ſenſuum participatione, aut vſu dignum cenſeatis, quem vel nemo audire, videre, aut tangere debeat [Abominati ſunt me quondam (inquit Iob) conſiliarij mei] de vobis grauiter, & maximè de te, Petre, conquerens, quaſi dicat, vos Apoſtoli, quibus Chriſtus ſua commiſit ſecreta, ad

Ber. ſer. de Nati. Domin.

Iob. 19.

Sic fere Greg. l. 14. Mor. c. 22.

erudiendos poſtea populos ad gratiæ vitam deſtinatis, [quid aliud quam futuri Redemptoris conſiliarij fuiſtis, qui tamen dum iniuriis affectum conſpiceretis, fuga veſtra condemnaſtis, & ab eius fide multos, niſi vos ſtatim à fuga reuocaſſet diuiſeretis, quamuis prius ad credendum Incarnationis eius myſterium per Prophetarum verba permultos docuiſſe videremini, & quia ille apud Deum magis in amore erat, qui ad eius amorem plurimos pertraheret, ad Petrum quaſi conuerſus cum ſumma animi teneritudine ait: [& quem maximè diligebam, auerſatus eſt me] Ipſe enim, ſuadente perfidia, à fide veritatis auerſus eſt, qui prius in labore prædicationis ſetuiens, maximè diligebatur. Quem non ſolum ad negandum, ſed vſque ad perſequendum quoque quodammodo Dominum vidimus, vnius ancillæ voce miſere proſtratum. ô Petre, Petre quo grauiori vulnere magiſtri tui cor pungere, imo lancinare poteras, quam hoc turpiſſimæ negationis flagitio! [neſcio, inquis, quid dicis.] Sed magiſter tuus quid dicas, nouit, & ſentit, His enim verbis grauiora illi infligis vulnera omnibus ab hoſtibus infligendis!

Mulier ſtatu gigantem proſternit.

7. Heu imbellis miles! nondum pugnam iniiſti: nondum armati te cingunt, vt pugionibus hanc à te blaſphemam eliciant vocem: [neſcio quid dicis] & eadem vocis veluti ſica magiſtri tui pectus perfodis, & vili fœminæ manus turpiter dare conuinceris, & vno te oſtiariæ flatu tuam exſufflatam cernimus animam: [memor eſto itaque, Petre, vnde excideris, & age

Apoc. 2.

pœnitentiam, & prima opera fac.] ex altiſſimo gratiæ faſtigio excidiſti: cogita igitur [de quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miſeriam recidiſti.] dic cum Propheta ex animo [quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me? quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Reminiſcaris ergo perfectionis priſtinæ, reduc ad memoriam quanta prædicatione tua collectis animabus, reportabas lucra, & anguſtatus tribulationibus dicas: quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos,] in quibus qualis fueris attende: [tunc quippe videbis quos tunc, vt mater intra pacis ſinum paruulos fouiſti, & intra tranquillas fidei cunas continuiſti] per tuum lapſum carere ſpiritalis alimoniæ præſidio! [ſecundum dies quibus Deus cuſtodiebat te:] bene ambulabas, ſplendente gratiæ lucerna, ad lumen eius ambulabas: modo illa extincta, ita tenebræ mentem occupant, vt in hoc caliginoſo vitæ præſentis ſtatu, dum verborum Dei lucem non percipis, quæ tibi agenda videre, non valeas. alioqui [de interna (vt ait Bernardus) requie mentis ad mundi ſtrepitum non egredereris. Quæ enim anima ſemel à Domino didicit & cœpit intrare ad ſe ipſam, & in intimis ſuis Dei præſentiam ſuſpirare, & quærere faciem eius ſemper, neſcio an vel ipſam Gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliuſue ducat, quam poſt ſpiritualis

Amb. l. de para. c. 14. Iob. 29.

Greg. l. 19. Mor. c. 8.

Ber. ſer. 35. in Cant.

Greg. in 7. pſ. pœniten.

ſtudij huius guſtatam ſemel ſuauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potius ad moleſtias carnis. Memor igitur eſto vnde excideris. Attende in quo profundo iaces, & quam longe à Deo peruersè agens affectus ſis: Clama ad eum totis viribus, qui intuetur abyſſos, & ſedet ſuper Cherubim, donec de profundi tenebris eruas, ſuperno illuſtreris lumine, & claritate perfruaris cognitionis diuinæ.] Vide alioqui, an huic tuæ inconſtantis animi imbecillitati ſummus ille honoris titulus meritò reſpondeat: [tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam:] qui tam leni mulierculæ flatu ſtatim corruis, & non reſurgis? vide an idoneus ſis paſtor, qui fideli populo præſideas, vitæque æternæ pabula miniſtres quia ſummi paſtoris gratia, per execrabile huiuſce negationis flagitium, excidiſti, qui debueras humeris infirmorum onera ſupportare. Quorſum olim Ephod Pontificis humeris portabatur? nonne, vt patientiæ ſedes humeri Pontificis ſignificarentur? In illo itaque prælatorum curam agnoſce, ſi ſapis. [In illo (inquit Arnoldus) debet intelligi; quomodo in portandis fratrum oneribus officium illud ſe habere debeat; quantaque eis ex debito regiminis ſolicitudo incumbat, vt propriis humeris ouem perditam reportent.] Et tu Petre, tantum abeſt, vt fratrum onera ſubleues; vt potius ſuccumbens fœminæ leui verbo, ouem te perditam conſtituiſti, perpetuo perituram, niſi Chriſtus humeris ſuis te reportet in caulam.

Mat. 16.

Arnol. trac. de vlt. verb. Domi. in cruce.

Apoc. 4.

8. Quorſum B. Ioannes in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia vidit? non-

Digitized by Google

ne vt insinuaretur, animarum curam habentes, qui per illa adumbrantur, ita præsto fore gregi oportere, ac si in medio, & in circuitu intus, & foris, vbique & semper in omnium salutem excubare debeant? hinc Ambrosius [in circuitu, ait, sedis quatuor animalia stant: quia doctores populum sibi commissum; & à visibilibus, & ab inuisibilibus hostibus, quanta virtute possunt, defendunt: in medio sedis consistunt, quia vnumquemque eorum, vt in virtutibus, omnibusque bonis operibus proficiant, admonere non desinunt.] Quo loco clarè demonstrat nihil ad animarum pastorum dignitatem ita pertinere, quam perpetuò animarum se patronos, re ipsa, ostendere, cuius rei gratia, ne loco quidem ab illis remoueri se patiantur. At tu Petre, hanc curam videris à te reiicere, qui non modo animis patrocinari desinis; sed tuæ ipsius salutis patrocinium, hac negotiatione, respuis. Heu Petre! Petra verè scandali factus es, ex inconcussa, in speciem, rupe, in qua quietis sedem collocandam putabamus, ex qua tuis subditis æternæ vitæ documenta dares, heu! proditor quodammodo ex pastore factus es, non vt pascas, sed vt magistrum negando prodas. Ne igitur in præceps adhuc ruas [memor esto vnde excideris] & citò Christi exemplo, conuersus confirma fratres tuos, nam vt malos pastores sui officij Dominus admoneret, se ipsum tibi, & illis in perfectissimi pastoris exemplum proposuit. Hinc magnus Basilius [Christus, inquit, degeneres pastores compescens in se ipsum veræ pasturæ testimonium transfert.] cum è contrario, Petre, mali pasto-

Amb. & Glossa cit. a-tus.

Basil. 26. de B. Mamante.

ris exemplum præbeas, qui oues non pascit, sed lupis deuorandas relinquit.

9. O peccatores, ô mali pastores alieno malo sapere tandem discite: Petrus cecidit, & serpentina lingua venenum pectoris sui, in Christum, timore perterritus, euomuit, immemor omnium in se collatorum beneficiorum, quo nihil ad lapsum efficacius, & ad maiorem ruinam præsentius. Dici non potest, quantum Deus, hoc ingratitudinis vitio exacerbetur contra ingratos, quibus sua dona subtrahit. Quam rem optimè exponit Bernardus de pessimo vitio gratitudinis scribens: [cur non proficimus rationem reddit [omnino, inquiens, sola nos à profectu conuersionis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputans dator, quod ingratus accepit, cauet sibi de cætero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato.] quod vitium à primis nostris parentibus hausimus, qui licet innumeris cumulati beneficijs, ingratos se tamen tanto benefactori ostenderunt, quasi qui nulla vnquam à Deo dona accepissent. hinc post lapsum culpam suam non agnouerunt, sicuti nec eorum proles Petrus. vnde Rupertus: [qui gratiam Dei non agnouit, mirum non est, quod peccatum suum non agnosceret: eodem quippe intuitu, & suum malefactum & diuinum erga se beneficium cognoscit homo.] Imo huiusmodi ingratitudo ipsi Deo quasi somnum inducit & obliuionem. Quam rem, vt declaret idem pater, fingit Deum è graui sopore excitatum, ad auram, post meridiem,

Ber. ser. de pessi. viti. ingrati.

Ruper. l. 2. in Gen. c. 39.

in paradiſo deambulaſſe : [culpanduſne, ait, eſt Deus, quia toto meridie dormiuit, & eo dormiente lupus ouem centeſimam tulit? non vtique, ſed tota culpa illius eſt, qui cuſtodem ſuum dormire permiſit. Nam vt ille non dormiat in arbitrio hominis eſt, qui ſemper illum inquietare debet, iuxta illud : qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei. Quomodo non dandum eſt ſilentium ei? videlicet tota die; & tota nocte, non tacendo laudare nomen Domini. At Adam, & vxor eius, pari pertinacia, ſilentium tenuit, neque vllam gratiarum actionem reddidit, neque vllum piæ confeſſionis verbum de ore cuiuſlibet eorum ſonuit in auribus Dei. Itaque neque eius culpa eſt, qui dormiuit, ſed eius qui tam ingratum ſilentium, vt merito obdormire poſſit, ei præbuit.] Sic Petrus ſuis precibus tentatione pulſatus Deum minimè excitauit, vt ipſius recordaretur, neque poſt lapſum inquietauit cuſtodem ſuum, ſed quaſi dormire eum permiſit, & ſic ſemper permiſiſſet, niſi Deus miſericordia motus, benigno eum oculo tandem reſpexiſſet, & à lethargico eum ſomno ad ſui ſtatus miſertimi conſiderationem excitaſſet.

Rup. l. 3. in Gen. c. 13.

Iſa. 62.

De secunda Petri negatione.

CAPVT XXXIV.

Periculosũ non in primo peccato panitere.

1. PRæceps Petri in scelus animus in simplici Saluatoris sui negatione minime subsititit, sed negationi etiam iuramentum adiecit. Interroganti enim iterum Ancillæ, an ex Iesu discipulis esset, rursus negauit, cum iuramento: quia non noui hominem. In quanta Petre, pericula salutem animæ tuæ coniicis, immemor illius, quod scriptum est: [fili peccasti, non adijcias iterum: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.] Ea siquidem peccati natura est, vt quo sæpius iteratur, hoc magis in peccantem dominetur, sicut clauus, quo crebrius malleo percutitur, hoc altius infigitur, vt liquet in tua, ô Petre, negatione. In prima enim tantum respondisti: [nescio quid dicis:] in secunda simplici negationi iuramentum addis. In tertia iuramentum execratione cumulabis. [Sicut igitur morbi corporis inueterati, non nisi longa, & acri curatione sanantur: sic peccata inueterata, & altius animæ infixa, tantum abest, vt facile eximantur, vt potius alia, atque alia grauiora, sua mole, post se trahant. Quod repetitis vicibus, ac multo cum labore intinctum est, tincturam excipit pressius inhærentem, vt vix elui queat: sic, Petre, anima sanie, peccatorum, (quod ne tu tuo doceas exemplo velim) supparata, & in habitu constituta malitiæ, vix aut multo

Eccli. 21.

Basil. in Reg. fusi. disp.

multo negotio elui poteſt.] Certe, Petre, grandia hæc tua peccata, nullis lacrymis, nulla quantumuis aſpera pœnitentia, ſine miſericordi in te Chriſti reſpectu elui poterunt.

2. Sed audiamus, quomodo hoc Petri peccatum in ſecunda negatione incrementum ſumpſit: [exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia Ancilla, & ait his, qui erant ibi: & hic erat cum Ieſu Nazareno: & iterum negauit cum iuramento.] Quantum hoc peccati augmentum: pernicioſum mendacium, pernicioſo auget periurio. Quam vere à magno Gregorio dictum: [peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad aliud trahit: vnde fit vt non ſolum peccatum ſit, ſed peccatum, & cauſa peccati: Ex illo quippe vitio culpa ſubſequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, vt peius ex alio ligetur. Sed peccatum, quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo, ſed peccatum eſt & pœna peccati: quia iuſto iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat.] Sic Petre, quia non ſtatim per ſeriam pœnitudinem negationis ſimplicis lapſum deleuiſti: ad grandius te peccatum traxit, [iurauit, inquit ſcriptura, quia non noui hominem.] Rectè mentitus es in caput tuum Petre! Conſidera quanto Chriſtum dolore iam ſecundò pungis, quod reclamante conſcientia, neges cum iuramento te nouiſſe hominem. Non nouiſti, Petre, hominem, qui te in mari Tyberiadis ex vili, abiecto, ac ſordido piſcatore, ad ſublimem Apoſtolatus dignitatem vocauit! Non nouiſti, Petre, hominem, qui te ex paupere miniſterio piſcationis, ad

Petri peccatum augmentum ſumpſit. Matt. 26. Greg. l. 25. Mor. c. 9.

Matt. 4.

Exaggeratio Petri negationis.

hominum animas piſcandas inuitauit ! Non nouiſti, Petre, hominem, qui non ita pridem, te ſuper mare ambulantem, ac fluctibus pene obrutum erexit! ô Petre, Petre, quo ardentiſſimum illud tunc ad illum hominem veniendi deſiderium, nunc abijt? nonne tunc quaſi iamjam ſubmergendus illi homini, quem hodie etiam iuramento pernegas, acclamaſti vt tibi ſuccurreret?

Matt. 14. [Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas:] & hunc hominem, Petre, modo non nouiſti! nonne meminiſti; Petre, hunc tibi tunc periclitanti hominem occuriſſe, teque manu apprehendiſſe, & ab inſtanti liberaſſe periculo, quem, præ nimia animi perturbatione modo non vis agnoſcere! Non nouiſti hominem, Petre, qui paulo ante linteo præcinctus tecum humilitate concertauit, tuoſque lauit pedes! Non meminiſti te ſua carne, ac ſanguine corroboraſſe, in alimoniam tibi datis! ô Petre, Petre, bene nouiſti, quem negas noſſe, ſed tam repentinus te inuaſit timor, vt imbellis fœminæ iam ſecundò voce penitus contremiſceres! [Hiç (inquit Auguſtinus) cognoſcitur quam verum ſit: ſine me nihil poteſtis facere: ecce ad vnius auræ impulſum firmiſſima columna contremuit. Si quis ergo (vt monet Apoſtolus) exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.] in quæ verba ſic Cyprianus alludit: [vtilius eſt, vt infirmum ſe homo cognoſcat, vt fortis exiſtat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat.]

Aug in 26. Mat.

Gal. 6.

Cyp de ſingulari clerico.

3. Conſidera, Petre, quibus hæc Ancilla pugionibus ad pectus tuum admotis, te interrogat, voce tantum fœminea, non armata te aggreditur, & voci tamen illius, quaſi ancipiti ictus

gladio, ſuccumbis ! ô timor abiecti animi ! times vitæ commori, vt per mortem rediuiuus, mori neſcias ! deſeris vitæ ducem, & mortem quæ te in præcipitium adducit, eligis ! Spiritum tradere fortiter perhorreſcis, vt illum in cælo fœlicius inuenias ! ô ſtolide, ô timide, ô pernicioſe à vita lapſus ! Eſto tàltem, Petre, tui nominis memor, à magiſtro tuo tibi nuper impoſiti, vt veluti Petra immobilis non tantum fœminea voce, ſed morte ipſa, vti pollicitus es, fortiorem te exhibeas. [Tu es Petrus] inquit magiſter tuus : quare tecum ſedulo perpende quantam habuerit rationem tui nominis, te enim petram ſolidiſſimam, in quam totius Eccleſiæ pondus incumberet, tui nominis impoſitione ſignificare voluit, quam præ te tuliſti, cùm [per reuelationem ſummi patris (inquit Leo) corporea ſuperans, & humana tranſcendens, vidiſſes mentis oculis filium Dei viui, & confeſſus fuiſſes gloriam deïtatis : quia non ad ſolam reſpexiſti ſubſtantiam carnis, & ſanguinis : tantumque in hac fidei ſublimitate complacuiſti, vt beatitudinis fœlicitate donatus, ſacram inuiolabilis petræ acciperes firmitatem : ſuper quam fundata Eccleſia portis inferi, & mortis legibus præualeret : nec in ſoluendis, aut ligandis quorumcunque cauſis aliud ratum eſſet in cælo, quam quod tuo ſediſſet arbitrio.] Quamobrem non Simonis amplius fore nomen tibi, ſed Petri, ipſo vocabulo indicauit, quod in te tanquam in petra firmiſſima fortiſſimoque lapide ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam. Vide ne tua inconſtantia hanc impoſiti tibi nominis

Petrus nomen ſuum negatione enecuat. Matt. 16.

Leo. ho. de transfig. Domi.

ſignificationem euacues. Nam video iam duplici fiſſilis veluti ferri ictu, tenui, inquam, iterata mulieris voce, hanc tui pectoris rupem medio ſciſſam; & quam putaueram omnes ſæuientis pelagi irridere fluctus, Iudaïci, inquam, populi furioſos impetus, iam cerno, nullo furentis venti turbine, ſed vilis fœminæ quaſi halitu, corruiſſe. ô magnam inconſtantis animi mutationem! [Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei:] non dicit, & rediens retro, ſicuti tu rediſti, ſed reſpiciens: quia vt ſcite Euthymius, [oportet, ait, eum, qui ſequitur Chriſtum, confeſtim omnia deſpicere, & ſequi, ne oculos quidem ab eo diuertendo; ne forte habitu & ſpecie eorum, quæ à tergo ſunt, retineatur.] Quaſi vel vnicus reſpectus ſit validiſſimum quoddam vinculum, quo, qui Deum ſequitur, retardetur. Quid ergo efficiet retro redditus vinculum, quo tu Petre, fortiter alligaris? certè te breui in grauiorem ruinam præcipitabit.

Luc. 9.

Euthy. in illud. Luc.

Dei auxiliũ in periculis efflagitandum. Amb. in pſ. 108.

4. Heu! cur non ſaltem opem magiſtri tui imploraſti, ſicut aliquando cum vehemente exorto in mari vento ſubmerſionis periculum tibi immineret, efflagitaſti? tibi & nunc certè Dominus manum porrexiſſet: dicens multo opportunius: [modicæ fidei quare dubitas?] [Eget enim (inquit Ambroſius) & mendicat, qui mouetur: inops peccator; diues eſt iuſtus: quia nullo bono deficit, qui Dominum ſemper inquirit.] Maximæ quidem fidei, & eximij amoris argumenta fuerunt tuæ Chriſto pollicitationes, ſicuti & illa feruoris tui adeuntis Chriſtum per mare am-

bulatio. Sed ſicuti tunc tumentibus maris fluctibus, & in te aſſurgentibus, fide tua vacillante, ad tuum clamaſti magiſtrum; cur non ſic ſaltem modo, voce conterritus ancillæ, facis? ardebat tunc quidem, cum te in mare coniiceres, animi tui fides, ſed modo humana fragilitas te in profundum traxit malorum! periurio te obſtringis, & negas pertinaciter te nouiſſe hominem. [Erubeſcat ſaltem anima tua ad Dominum conuerſa, minori affectu ſectari iuſtitiam, quam periurij iniquitatem modo ſectatur. Pudeat negligentius nunc inuitam, quam in mortem ire, & minori ſtudio ſalutis acquirere, quam perditionis augmentum] Nonne [ſolet percuſſus miles in primo certamine, in ſecundo fortius dimicare, & contra percuſſorem ſuum magis iratus inſurgere?] Sed heu! lethali prius vulnere, obtuſa fœminæ voce ſauciatus, ita viribus nunc deficis, vt ſecundo ictui neſcias reſiſtere. O ſtupor! ô incredibilis humanæ mentis inconſtantia! [non noui, inquis, hominem,] pro cuius incolumitate vitam effundere paulo ante paratus eras.

Ber. Epiſt. 341.

Bachiarius in Epiſ. ad Ianua.

5. Erubeſce ſaltem ex altera etiam nominis impoſitione, filium te columbæ Chriſtus appellauit. [Beatus es, inquiens, Simon Bariona] filius columbæ, cuius lingua modo non manſuetæ columbæ, ſed venenoſi ſerpentis eſt, quæ non amoroſos, caſtoſque gemitus, ſed mortiferum euomit venenum. Quæ tibi cognatio cum gemebunda, & amoris plena aue, cum potius ſerpentis ſibilus tuam declaret naturam in ſerpentis degeneraſſe? [non noui hominem!] vere factus es ſicut columba ſeducta. [Nam licet

Matt. 16.

Oſe.7. multa habeat columba, quæ ſcriptura laudat (in-
Rib.in illud quit noſter Ribera) vt quod celerrimè volet,
Oſe. quod felle, & amaritudine careat, quod limpidas quærat, & amet aquas, quod cadauerum paſtum refugiat, hoc vnum deteſtandum habet, quod facile ſeducitur, & decepta in poſterũ minimè cauet] colũba quidem es Petre, ſed ſeducta, qui in poſterũ minimè caues, ſed per gradus ruere vis in præcipitium. [Columba etſi pullis or-
Theo.in c. betur (inquit Theophilactus,) nihilominus ad
10. eoſdem redit dominos, & eaſdẽ repetit domos.]
Matt. vere talis es modo columba qui licet omni gratia in domo Caïphæ apud Ancillas, & miniſtros orbatus fueris; tamen ad eoſdem redis & eandem repetis domum, vt turpius labatis [Columba igitur es ſeducta, non habens cor;] vel vt Hieronymus legit, non habens ſenſum, cum lapidis potius indueris naturam, ſenſati hominis deperdita, oblitus magiſtri tui, quem omnes inſenſiles creaturæ ſuis motibus defenſum dare
Hiero. in videntur. [Cæteræ quidem aues (inquit Hie-
illud ronymus) pullos ſuos, etiã cum periculo vitæ pro-
Oſe.7. tegere feſtinãt, & cum ad nidum ſuũ accipitrem, colubrũ, coruumve accedere viderint, huc illucque volitant: & immittunt ſe morſu, vnguibus lacerant, & dolorem parentũ querula voce teſtantur: ſola columba ablatos pullos non dolet, non requirit: & ideo colũbæ rectè compararis Petre, quod negligens ſis ſalutis tuæ,] & amiſſæ gratiæ tibi rurſus reſtituendę curam gerere non videris: tibi itaque Petræ nomen melius congruit, qui ſenſu cares, & intellectu, quã colũbæ; cuius cor adeo induruit, vt iam non columbæ gemitus, aut amoris ſuſpiria, ſed pertinaces periurio cumula-

tas negationes expectoret, & quasi in creatorem suum cum infamibus Diaboli mãcipiis fœdæ negationis excrementa inspuat. Nec satis tibi fuit detestanda semel negatione, insignem magistro tuo cum Malcho alapam infringere, nisi etiam in malo perseuerans execrabile periurij quasi sputũ in Christi faciem cum militibus iniiceres. [Quid lucri (interrogat Bernardus) pro tot tibi creditis talentis referes creditori? ô si vacuam manũ inuenerit ille, ille donorum promptus quidem auctor, sed importun⁹ exactor. Veniet enim, veniet, & non tardabit, ad requirendũ vtique quod suũ est cum vsura:] & tu Petre, quid retribuis Domino pro omnibus quę retribuit tibi? an perfidiã cum trium negationum vsura? [Si sapis, si habes cor, si tecũ est lũmen oculorũ tuorum, desine iam ea sequi, quæ & assequi miserum est] speras præsentem mortem negando Christũ euadere, cum verã mortem incurras, [an non eam satius cũ honore spernere, quam cũ dolore perdere? an non eam prudentius Christi cedis amori, quã morti?] sed stupor te inuasit, & vitæ amor te inebriat, & metus mortis tibi sensum eripuit, hinc suspicari cogor, quem ex feruore paulo ante gladiũ eduxisti, ex timore in vaginam reposuisse, vt Christi quodammodo hostibus parceres, qui modo cum illis serpentinam in eum exeris linguam.

Ber. epis. 104.

Ber. epis. 103.

6. Parce Petre, huic meæ in tuum peccatum indignationi, eoque potius cum tua ipsius in te breui lingua exacuenda sit, facta tanti flagitij pœnitudine: parce igitur: plura enim ipse, & acriora breui conuersus, in te ipsum, conijcies tela, quibus toti mundo declaraturus, quanti feceris tam horrendum in tuum magistrum, ti-

Auctor suã excusat libertatem in Petrum.

more quidem consternatus patratum scelus. Verum ne in perfidia amplius mulieris voce perterritus perseueres, & vlterius ad grandius pergas crimen, periurij pœnas ne incurras cumprimis caue. nescisne quam seuerè hoc peccati genus Deus puniat? audi Prophetam [educam illud, dicit Dominus, volumen nimirum volans, in quo periurij scelus inscriptum est, & veniet ad domum iurantis in nomine mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides.] Quanta hæc, ô Petre, peieranti irrogata punitio! Non enim tantum iurans mendaciter consumendus dicitur, sed domus etiam eius funditus ita euertenda, vt nec lapides, nec ligna sint remansura, sed omnia à volumine absumenda, quod certe maximam Dei iram in periuros ostendit. Er nihil vereris Petre, ne hac etiam inuoluaris vltione? voluminis huius longitudo est viginti cubitorum, & latitudo decem cubitorum. Quæ, obsecro, scelera, quis malorum cumulus, quæ pœnarum multiplicitas tanta esse potest, vt tam ingentis magnitudinis volumen implere queat? [hæc est, inquit Angelus, maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ:] quasi diceret, totum huius voluminis argumentum nihil aliud est, quam in peierantem maledictio, quæ in quoslibet periuros, nisi resipiscant, intorquetur, tam ampla, tam ingens, tam effusa, vt non possit breuiori volumine contineri: Quis non itaque periurij scelus, qui secum inuehit tam inusitatam maledictionem, euitabit?

Zachar. 5. Periurij pœna grauissima.

7. Non meministi Petre, perfidiam Saulis à Deo seuerè vindicatã, qui cum affligeret Gabaonitas

contra fidem eis datam, communem famam & ſubditorum excidium ſtatim ſentit? Non meminiſti Petre, quanta Deus exarſit ira in Regem Sedeciam qui ob iuramentū mendaciter factum, regno ſpoliatus eſt, & oculis priuatus? [Nunquid ait, proſperabitur, vel conſequetur ſalutem qui fecit hæc? Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in loco Regis qui conſtituit eum Regem, cuius fecit irritum iuramentum & ſoluit pactum quod habebat cum Nabuchodonozore, in medio Babylonis morietur. Viuo ego, quoniam iuramentum quod ſpreuit, & fœdus, quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius. Et expandam ſuper eum rete meum, & comprehendetur in ſagena mea, & adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum ibi in præuaricatione, qua deſpexit me.] *Ezech. 17.* Vides Petre, quam vehementi orationis ſtylo Deus exaggeret periurium, & quam ſibi diſpliceat illud tanta oſtendat ira. Nec vero tacuit tanti furoris cauſam: [quia, inquit, deſpexit me.] Ecce Petre quomodo deſpexiſti grandi periurio magiſtrum tuum, illique grauiſſimam intuliſti iniuriam, diuini ſiquidem nominis auctoritatem, cuius atteſtatione te magiſtrum tuum ignoraſſe confirmaueras, nullam apud te eſſe, ipſo declaraſti periurio, quod certè grauiſſimam mereretur pœnam. [Ecce (inquit Chryſoſtomus) non vna domus, aut duæ; ſed ciuitas vna integra euerſa propter vnum iuſiurandum violatum. Et Hieruſalem ciuitas Dei Arcam fœderis habens, vbi prophetæ fuerunt, vbi Angeli ſæpe incolebant: hæc inquam ciuitas innumeris naſcentibus bellis, & multis ipſam incurſantibus barbaris, tanquam muro ex adamante circundante, vniuer- *Chryſoſt.*

sos hostes deridens tot elapsa periculis, & multis peccatis veniam assecuta, solo iuramento prostrata est!] & hæc te Petre, nihil mouent? Moueat te saltem Ethnicorum religio in iuramentis, ne vlterius te nouo obstringas periurio: [tantum mali habet iuratio, vt qui lapides colunt, timeant falsum iurare per lapides: & tu (Petre) non times Deum præsentem, Deum viuentem, Deum scientem, Deum monentem Deum in contemptores vindicantem!]

Aug. ser. 30. de verb. Apost.

De tertia Petri negatione.

CAPVT XXXV.

Chry. l. contra Gentiles. Principiis obstandum.

1. TAntum induit Petri peccatum robur, vt toto impetu feratur in præceps, [vt scintilla ignis (ait Chrysostomus) si forte immensam materiam corripuerit, non ante subsistit, quam totam depascatur: sic & peccati natura, vbi animi cogitationem aliquam adorta est, nec quisquam est, qui malum restinguat, procedens vlterius magis indomita efficitur: qua vtique ratione complures videas in omne genus peccatorum imprudentes prolapsos, quod flammam initio exorientem non restrinxerint.] Quãti igitur refert peccati principiis obstare, hoc Petri exemplum nos heu! nimium docet. [Intimis (inquit Ambrosius) concepta visceribus lues culpæ, processu temporis coaceruatur.] vt videre est in Petri lapsibus [alligauit quis ignem (ait Sapiẽs) in sinu, vestimenta autem non comburet? etenim qui semel in sinu mẽtis (inquit idem sanctissimus

Ambro. in Ps. 1. ver. 1. Prouerb. 6.

pater) flagitij flammam feruentis adoleuerit, cito corporis ſui veſtimenta comburet.]peccatum enim quod non ſtatim pœnitudine aboletur robur ſumit, & pondus, quibus ad grauiora miſer trahitur peccator. Nam quemadmodum [in ſtipulam ignis exiliens (ait idem) inhæret, ac permanet, donec omne, quod corripuit abſumat: ita vel exigua ſcintilla peccati, ſi quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat,] niſi in ſua origine pœnitentiæ lacrymis extinguatur. [Noli ergo (vt monet idem pater) ſtare in peccato. Poſuiſti veſtigium ſupra voraginem culpæ, cito aufer pedem, ne ſupra plantam tibi aſcendat pollutio, & lapſu faciliore deceptus, ſupra lutum (inſtar Petri) reſideas. Cauenda ergo prima ſunt vitia, ne in plura deinde grauiora proſerpant. Etenim ſicut ij, qui ſe in luto verſant, quo magis volutantur, eo amplius inquinantur: ita qui ſemel ſe luto improbitatis aſperſerit, niſi ab eo velociter exiliat, grauius ſibi dedecoris ſui cænum per ſingulos dies lutulentæ conuerſationis obducit. [Ecce quomodo cum tentatione, cui minimè reſiſtimus, culpa ſoleat creſcere, vti ad oculũ in hoc Petri triplici lapſu cernimus. In primo enim lapſu dixerat [neſcio quid dicis:] in ſecundo cum iuramento: [non noui hominem:] in tertio [cœpit deteſtari, & iurare quia non nouiſſet hominem.]

Ibid.

Ibid.

2. Poſt pũſillũ acceſſerunt, qui ſtabant, & dixerunt Petro: [vere & tu ex illis es: nã & loquela tua manifeſtũ te facit.] Qualis enim vnuſquiſque eſt ſermo indicat. Nã ſicut in ſpeculis vultꝰ figura: ſic in ſermone animi character cernitur, & quẽadmodũ quodlibet fictile ſono, & percuſſũ: ſic homo

Qualis quiſque eſt ſermo indicat.

sermone explorandus est. Et Petri loquela toties manifestum fecit, & præsertim modo, quam inconstantis esset propositi, & quam abiecti animi. Rogatus enim an ex Christi discipulis esset, [cœpit detestari & iurare, quia non nouisset hominem!] Heu Petre! siccine etiam periurium multis cumulas execrationibus, tibi mala imprecans, & diris te deuouens! heu nimius timor hæc omnia à te extorquet! [Ita (inquit Chrysostomus) erat stupidus, ipræque timore semimortuus, vt non modo negarit, sed neque à se ipso Christi verborum fuerit recordatus, præsertim cum gallus cantasset, donec magistri aspectus vox illi factus fuit.] Sed interim, ô Petre, quomodo viuere poteris, qui sic tam turpiter vitam, per negationem, periurium, & execrationem perdidisti? quid sperare potes, qui spem vano amisisti timore; & si resipiscere velles, quis tibi fidem habebit, qui veritatis authorem negasti, abiurasti, execratus es? quid in te boni esse potest; qui Deum bonorum omnium fonté abiecisti, ô scelus scelerum! ô malorum omnium caput! ô infelix Petre! nulli æquandus infœlicitati, ô miser, & miserabilis omni dignus miseria! gigas videbare, sed verbis, & iactantia ante prælium, sed in ipso prælij aggressu, re ipsa imbellem te pumilionem comprobasti. Iactabas te fortem in bello futurum, sed mendacio, periurio execrationes cumulans, in ipso conflictu, tuũm dulcissimum dominum inconstantissime, cum Iudæis, quasi turpissimæ morti adiudicasti, similis naui cui inscriptum est δίπλοια καὶ πλούσια σώζουσα καὶ δεσπόσια, hoc est, splendidi, ac magnifici tituli; at nihilo secius interim iactatur fluctibus, commi-

Chry. in c. 26. Mat. in fine.

Pluthar. in Mora.

nuiturac ſubuertitur. Ligna quæ plurimum fumi exerunt fere minimum caloris exhibent ; ac ferme minima poſſunt, qui plurima iactant. [Si vis ſublime oſtendere virtutis, noli ſapere ſublime,& tunc illud quod egeris eſſe monſtrabis excelſum.Noli te putare quicquam feciſſe,cum feceris, &pleniſſimè cuncta feciſti.]

Truieri apoph. 55. Chryſoſt. in Mat.

3. Non meminiſti Petre, illius cæci nati mentis conſtantiã, & in Chriſtum fidelitatem,& gratitudinem , qui ob vnicum viſus ſibi reſtituti beneficium , ita mordicus Chriſto ſemper adhæſit, vt quantumuis acribus vrgeretur comminationibus , nunquam tamen à publica Chriſti confeſſione , à fide ſemel recepta, neque ab eius laude deſiſteret ; neque quidquam de amore in Chriſtum , quo mirificè efferunt, remitteret! ob vnicum, Petre, prodigium firmus , ſtabilis, & in Chriſti obſequiis feruentiſſimus perſeuerauit; & tu in Chriſti ſchola edoctus , propoſitis tibi ſanctitatis exemplis , tot viſis ſignis , tot in tuo conſpectu prodigiis diuina virtute perpetratis, vnius fragilis fœminæ, fragili vocis telo bis proſtratus , iam tertiò turpiſſimè Ieſum abiuras ! Petre abiuras quem dæmones confitentur ! [quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos. Scio te quia ſis Sanctus Dei ,] fieri ne potuit , vt tam vehemens tibi ſeruilis ineſſet timor , qui debitum Deo obſequium non modo impediret, ſed etiam in eum armaret, & tuam acueret linguam. Scis Petre ſine dentibus naſci infantes , ne morderent vbera, quibus alantur. Nihil enim abſurdius , quam qui inepti ſunt ad referendas matri grates , idonea ſecum inucherent inſtrumenta ingratitudinis. [ille (ait Philo) rerum parens,

Luc. 4.

Phil. l. de specia leg. ad finem.

& conditor, cuius nullum opus est superuacuum, dentes, non vt cætera membra, nascenti statim addidit, ne infantem, lacte nutriendum grauarent inutiliter, & fontes vberum per quos alimenta deriuantur inter sugendum, vexarent: sed in tempus præstitutum, hoc est ablactandi, exortem eorum distulit,] & tu rudior ipsis infantibus parenti, & creatori tuo vix in lucem gratiæ editus, cum in eum insurgis, & dentium morsu illum impetis detestando, & iurando quia non nouisti hominem! scilicet, vt mortem tuam magistro tuo paulo ante votam, qua in vitam æternam, velut in omnis fœlicitatis scopum collimare videbaris, turpiter retractares! [quam bene timor cæcus, quam digno præcipitio iactaris in insaniam, quænam exæcatio est pertinaciſſimæ mentis, sic velle alium perdere, vt prior malis ipse perire? sub alieno exitio te ipsum impius iugulas, & in tuum magistrum serpentinam vibras linguam.] Morere miser morere, vitamque miseriis plenam, mendaciis, & execrationibus onustam, quam excellentissimæ Christi vitæ prætulisti, & quam, vt male incolumem seruares, infinitè meliorem abiurasti. Exhorresce, exhortesce vitam, quæ nihil est aliud, quam inconstantiæ imago, fortunæ lusus, corruptionis speculum, temporis spolium, mancipium mortis, viator transiens, pila, qua ludit Deus ad omnem fortunæ contumeliam proiecta, corruptionis vinculum, viua mors, tenuis vmbra, imo vmbræ somnium. Detestare igitur huiusmodi vitam scrinium dolorum, scholam vanitatis, forum impostorum, bonum præteruolans, & ad dubium properans exitum; quæ mentium, & amorum nihili facit

Chry. ho. 3. ex tribus quas fecit de prodit. & myste. cæn.

Vitæ humanæ descriptio.

diſpendia, imò æternitatis, vt vnam ſibi horam lucretur, qua creatorem ſuum offendat. Et cum hanc etiam ſibi pollicetur, in ipſo ſæpe momento flagrantis delicti præciſa perit. Et tu Petre imprudentiſſimus, & malus vitæ æſtimator, quomodo tanti tuum feceris, vt illius amore, ita præceps fieres, vt illam Chriſti vitæ præferres?

4. Dauid aduerſus armatum præliatorem Goliath cum virga & lapidibus in arenam deſcendit, [vt laceſſitæ (inquit Ambroſius) plebis auferret opprobrium,] victoriam retulit. Nam primo iactu alienigenam barbarum proſtrauit, ipſumque ſuopte gladio capite diminuit. [Vidiſſes tunc inopinatas admirabileſque res, armatum ab inermi deiectum, reique militaris peritum, ab eo, qui præter paſtorale nihil ſciebat, cæſum. Hic tamen non fuiſſet ad pugnam admiſſus, niſi feciſſet fidem, quod ante leonem ſuis manibus ſtrangulatum, extractis raptæ ouis cruribus, peremiſſet, & vrſum pari induſtria interfeciſſet.] Tanta igitur potentia & dexteritas contra immanes illas belluas plurimum extenuat gigantis pudorẽ. Sed nihil tuam excuſat, Petre, ſocordiam, mentiſque imbecillitatem, præſertim cum te antea verbis, & iactantia gigantem, ſed in ipſo prælio imbecillum te nanum oſtenderis; non aliquo lapidis iactu à forti manu dexterè miſſi, ſed tenui mulieris ſibilo bis mortali accepto vulnere, iam tertio, te diris conſecrans, ſaucius, Chriſti caput execrationis gladio feriendũ, miſer præbes! ô te igitur miſerũ, omnis infamiæ obiectum inordinati timoris monumentũ, inuerecundi pudoris mappam, inconſtantiæ ſpeculũ, infamiã infamię, opprobrium hominum, totius terræ peripſema, cælo iam inuiſum terræ iniuriũ, Deo ingratum!

1. Reg. 17. Victi Goliath pudor excuſari poteſt non Petri. Ambr. in Pſal. 118. Octon. 18. Inuenisſum &c.

quid facies? cur non ploras noctibus atque diebus? cur non lacrymæ tuæ perpetuo in maxillis tuis? cur non ad omnes lacrymosos te conuertis oculos, vt tuis impetras omnium lacrymas resignari: cum vix aut ne vix quidem lacrymarum oceanus, tantas animæ sordes, his tribus perfidiæ sceleribus, contractas, eluere sufficiat! Negasti tuum Saluatorem, abiurasti; & execratus es, nullo tibi proposito tormenti genere, sed timore consternatus nudis interrogationibus iam tertiò succumbis.

Exod. 8. Maior mulieris in Petrum victoria quam muscarum in Pharaonem.

5. Exiles muscæ tumidum Ægyptij Regis animum edomuerunt: verum instar examinum illum inuaserunt, acribus armatæ stimulis; quorum acerbissimis puncturis, admirando confectus dolore, paulatim animos remisit. Sed tu Petre, bis turpiter victus mulierculæ verbis, quæ neque mordebant, neque pungebant, & iam tertiò, quorundam astantium futili interrogatione prostratus iaces! ô timor tanti mali causa, timor languentis animi partus, qui te in huiusmodi perditionis foueam traxit! timor pernicios*us*, intempestiua tuæ ipsius animæ ruina, subdolus vitæ tuæ amicus, amara peccati radix, remorsus acerbè pungentis conscientiam occasio, timor in malis perpetrandis heu nimium oculatus, sed in euitandis prorsum obcæcatus! timor sine prælio victus, præceps in ruinam, veri honoris macula, sapientiæ phrænesis, amoris gelu, mendacij, periurij, & execrationis officina. [quam peruersus hic timor (inquit Rupertus,) qui non facti sui gerere pœnitudinem, sed solam mortis suæ se fatetur habere confusionem.] vbi ergo, Petre, lacrymæ pœnitentiæ, quæ huius insani

Mali timoris effectus.

Rup. l. 8. in Gen. c. 14.

timoris

timoris damna reparent? vbi fontes è duriſſima cordis tui rupe, in oculorũ veluti pelues, magno impetu inſilientes, quibus tria ſcelera, ex turbido timoris ſtagno, irrumpentia abluas? à Moſe bis tantum virgæ ictu pertinax rupes percuſſa vbertim aquas dedit: & tuum iam cor adamantinum tertio non virgæ ictu, ſed triplici lethalis peccati vulnere lancinatum, ne vnam adhuc lacrymam emittit: vnde ipſo Caucaſo durius cenſeri debet. *Exod. 17.*

6. Dauid tam ingenti fletu peccata deplorauit ſua, & præ gemitibus plurimum fatigatus nondum à ploratu ceſſabat: ſed per ſingulas noctes, ſomni loco & quietis lectum ſuum lauabat & lacrymis ſtratum ſuum rigabat: triplici enim mœrore eius cor diſtringebatur, mali commiſſione mœrens, boni omiſſione pauens, & tandem mali remiſſione gaudens: [de mœrente (inquit Bonauentura) ſcribitur: dolor meus ſuper dolorem: in me cor meum mœrens: de pauente legitur: erat cor eius, ſcilicet Heli, pauens pro arca Domini; arca fœderis eſt gratia Saluatoris, quæ ſeruatur per obedientiã, alienatur per inobedientiã, recuperatur per pœnitentiã. de gaudẽte traditur: cor gaudens exhilarat faciẽ. Gaudiũ conſcientiæ non poteſt ſic latere interius in affectu, quin pateat exterius in aſpectu.] cur tu Petre, in hæc tibi pœnitentiæ ſpecula iam olim propoſita pœnitens mentis oculos non dirigis, vt mœrens de mali commiſſione, pauens de boni amiſſione, gaudeas de mali remiſſione? Sed heu! ne vllam quidem adhuc pœnitentiæ lacrymam, triplici obſtrictus ſcelere, emittis. Quid excuſationis habes, ô Petre? an fortaſſis fieri poſſe arbitraris, *Bonau. in Pſal. 118. c. 5. ver. 16. Hiere. 8.* *Prou. 15.*

vt virtus, ſapientia, ac robur per mulierum illecebras in Dauidis, Salomonis, Samſonis, lapſibus abolita, tuos aliquo eleuare poſſint prætextu, vel inſtar deturpati parietis marmorei coloris vitro obtecti, velo aliquo honorato abſcondere, ne eorum appareat turpitudo? non ſic Petre, non ſic: nam illi ſua crimina ſpecioſo, in ſpeciem, prætextus velo obtegere quodammodo, ne tanta ſaltem eorum turpitudo hominum oculis ſeſe ingerat, poſſunt: tu vero nullo prætextu, nullo velamine, nullo colore tuorum lapſuum deformitatem abſcondere potes. At certè fallacis gratiæ, & decoræ mulierum ſpeciei, veluti radij in illorum oculos incurſantes, interius amoris faces excitarunt. Amor vero impatienti cupiditatis igne inflammatus, ſic voluptatis hamos abſorbuit, vt antequam ſentirent ſe carnalibus confoſſos telis, forma, amore, & voluptate ad lapſum raperentur. Dulces enim Sirenum cantus, blandientium, inquam, mulierum colloquia, forma, oculi, & amor illis voluptuoſum induxit ſomnum, quo ſopiti, ſuis indulgebant amoribus, verum ſatis commiſerunt, vt perpetuo damnarentur; non tamen, vt tam altè in barathrum, ſicut tu lapſibus tuis commeruiſti, præcipitarentur; qui neque alicuius obiecti pulchritudine, aut alicuius voluptatis dulcedine illectus, ſed tantummodo vilis oſtiariæ, & ſerui garrulitate, ad Magiſtrum tuum prorſus abiurandum impulſus, ſcelere ſcelera accumulaſti. Non amor, ſed timor tuos facinauit ſenſus, neque timor alicuius ſtrenui pugilis, ſed mulierculæ, aut ſerui inermis, deſpecti, ignoti cuius vel ſtatu, in hoc ſcelerum

barathrum præcipitatus es ?

7. O mulieres omnis mali cauſa, viris exitium, muſcipulæ quibus miſeræ animæ illaqueantur, in omnibus tragicis, infortuniis principes actrices, neceſſaria mala, miſerorum mancipia animas veſtræ ſeruituti ſubdentia, iam linguis velut ancipiti gladio interficitis; iam oculorum ictibus, tanquam mortiferis telis hominum corda, dicto citius, conficitis, vitæ parentes & amoris, & vtriuſque depopulatrices, cordiumque fures. Hinc Chryſologus: [mulier, inquit, mali cauſa, peccati author, via mortis, ſepulchri titulus, inferni ianua, lamenti neceſſitas tota: ab hoc naſcuntur lachrymis, mancipantur mœroribus, gemitibus addicuntur, & in lamentis tantum fortes ſunt.] Et ſubdit: [hinc eſt quod lacrymis arma vincunt, Regna fletibus inclinant; lamentis totam fortitudinem virorum frangunt] ineſcant illecebris, blando interficiunt veneno, quis non harum conſortium velis remiſque (vt aiunt), fugeret, vt non modo ancipitem pugnam, ſed etiam pugnandi occaſionem euitet ? [Quid (inquit Hieronymus) tibi neceſſe habes quotidie, aut perire aut vincere ? quis vnquam iuxta viperam ſecuros ſomnos capit, quæ etſi non percutiat, certe ſolicitat ? ſecurius eſt, perire non poſſe, quam iuxta periculum non periſſe, in altero tranquillitas eſt, in altero gubernatio;] & alibi: [licet quidam putent maioris eſſe virtutis præſentem contemnere voluptatem; tamen ego arbitror ſecurioris eſſe cõtinentiæ, neſcire, quod quæras.] Satius ergo eſt à deliciis fugere, quã illas cũ periculo ſuperare. [Si quis enim (ait idẽ ſanctiſſimus Doctor) exiſtimat

A muliere omne malum.

Chryſol. ſer. de Reſurrec. 79.

Hier. Epiſt. 47.

Hier. Epiſt. 7. ad Lætam.

posse se versari in deliciis,& deliciarũ vitiis non teneri,seipsum decipit]Hinc Propheta pro beneficio habet, moneri, vt fugiat, non modo à periculoso certamine,sed ab ipso etiam certandi discrimine.[Dedisti, ait, metuẽtibus te significationem, vt fugiant à facie arcus. Fuga hæc (inquit Ambrosius)fœcunda virtutũ est, non effœta meritorum. Fuga hæc nescit frigus timoris, tremorem mortis,contradictionem solicitudinis,dissolutionis otium,lasciuiæ ferias,torporem lentitudinis; sed vitæ cælestis requirit impigrum viatorem.] qualis si fuisset Petrus,in laqueos mulieris non incidisset, vel si seruasset stabile mentis propositum,stetisset immobilis.Hinc ne quis suũ lapsum, ob prauam aliorum consuetudinem,excusset,audiat B.Ephrem:[Forte cupis dicere: homines isti cogitationem meam peruertunt: vis ostẽdam tibi charissime ex nostra ignauia id ortum esse? Loth in Sodomis habitabat;& non cum his perijt,Giezi prophetæ Elisæo seruiebat,& peccauit. Similiterque Samuel apud Heli permanebat, & simul cum filiis ipsius versatus est, illi ceciderunt,hic autem saluatus est:quia in veritate dilexit Dominum. Iudas vero Iscariotes cum discipulis sequebatur Dominum; & tradidit magistrum ac dominum glotiæ in manus impiorum.] Non itaque ex prauorum consortio semper, sed ex propria cuiusque culpa sæpius quis labitur, quamuis non diffitear, ne periculum nobis creemus cum Petro, malorum societatem oportere nos effugere, & omni loco, & hora, siue inter malos,siue inter bonos à lapsu cauendum. Hinc idem addit[vnusquisque ergo sibi ipsi attendere debet,siue cum iustis conuersetur, siue cum pec-

Psal. 59. Amb. l. de fug. sæculi. cap. 6.

Ephrem in paranesi. 31.

catoribus. Inter iuſtos, & bonos, dum commoramur, iuſtè, & ſanctè viuamus: at ſi peccatoribus cohabitemus; demus operam, vt à nobis illi in viam perrahantur ſalutis.]

8. Sed heu! Petre, qui cum Chriſto paulo ante, & Apoſtolis ſanctè vixiſti, poſtea inter malos deprehenſus tantum abfuit, vt tuo illos exemplo ad viam ſalutis perrraheres, vt potius timore perterritus, ab illa ipſe excideris: quo nos tuo docuiſti malo fugiendum potius à prauorum cõſortio, & præſertim fœminarum, quam cum ſalutis diſcrimine cum illis verſari. Potentiora enim arma muliere quis vnquam vidit? illa enim cominus, & eminus incautos interficit, imo ipſo contactu, ne dicam aſpectu, ſolo interimit. hinc Apoſtolus, bonum eſt ait mulierem non tangere: quaſi & in tactu (inquit Hieronymus) periculum ſit, quod qui illam tetigerit, non euadat: nempe quæ virorum pretioſas animas rapit, & facit adoleſcentium euolare corda. Alligabit quis in ſinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit ſuper carbones ignis, & non ardebit? quomodo igitur qui ignem tetigerit ſtatim aduritur: qui ita viri tactus & fœminæ ſentit, naturam ſuam, & diuerſitatem ſexus intelligit.] Et ſubdit [vnde & noſter Ioſeph, quia tangere volebat eum Ægyptia, fugit ex manibus eius, & quaſi ad morſum rabidiſſimæ canis, ne paulatim virus ſerperet, pallium quod tetigerat abiecit.] tanta etiam veneni vis exiliens ab ipſo mulieris viſu, vt ſtatim ſe enecet, & ſæpius illum in quem euibrat venenatos oculorum radios [per multos (inquit ſcriptura) dies iniecit domina ſua oculos ſuos in Ioſeph, capta ſiquidem eſt ado-

1. *Cor. 7.*

Hiero. l. 1. contra Iouinia.

Gen. 39. Phil. l. de Ioseph.

lescentis pulchritudine (inquit Philo) & affectu indomito rabida, de stupro eum tentauit,] sed frustra. Quis, obsecro, sese huiusmodi sicariis committeret? quis eorum fauori, aut amori sese crederet? quis illas ad sui custodem adhiberet, quarum dolus adeo promptus, vt nescias quando illis fidendum, quæ dum abblandiuntur, magis timendæ. [honestius igitur (vt ait Cyprianus) cum Spiritu, quam cum carne luctamur. Libidinum morsus nemo euadit illæsus: flatus ille pestilens etiam longè positos inficit. Hoc certaminis genus fugam potius, quam assultū requirit.] ergo tale consortium omnino declinandum & si quando oporteat sese in illud ingerere semper nos muniam⁹ diuino timore (vti idē sanctus monet ([estote, dicēs, timidi, vt fitis intrepidi: & licet timor in certamine infirmitas esse videatur: tamē virtus in infirmitate perficitur,] quasi in hoc timore fortitudo, in hac fuga victoria consistat.

Cyp. ser. de ieiunio. & tāta Christ.

Idem. trac. de singula. clerico.

2. Cor. 12.

9. Væ itaque illis, qui sua illarum illecebris cōmittunt! væ qui petulantis carnis custodiæ se fidunt. Nam sicuti illæ, sic hæc semper perfida esse solet. Væ ergo illis, qui ex earum grege ostiariam sibi eligit, vel carnem sui cordis custodē faciunt. [Si enim (vt ait scriptura) volueritis cum eis miscere cōnubia, atque amicitias copulare, erunt vobis sudes in oculis vestris] malam itaque inire cum illis familiaritatem, nihil periculosius. nam mentis oculos eruunt, & tandem veluti spinis vndequaque punctam se sentit infelix anima. quid enim peccatum aliud quam spina quædā animo adacta. hinc Regius vates dum inter huiusmodi delicias versabatur: versari sibi videbatur inter ærumnas, & spinas: [conuersus, ait, sum in ærum-

Ioſue. 23.

na mea, dum configitur ſpina. Vbi ſpinam (inquit Theodoretus) peccatum nominauit: tamquã inutile germen : & ad pungendum natum.] Hinc Ambroſius [tunc tribulos, & ſpinas animo caro, hoc eſt curarum morſus, ſolicitudinumque generat. Etenim quaſi clauis quibuſdã ſuffigitur anima corporeis voluptatibus : & cum ſemel adhæſerit cupiditatibus demerſa terrenis, difficile in altum poteſt, vnde deſcendit, ſine Dei fauore, reuolare.] væ igitur qui huic perfidæ carnis cuſtodiæ cordis ſui claues tradunt: nam vitam proculdubio fraudulenta illius voce, ſicuti Petrus oſtiariæ gratiam, amittent. Iſboſeth ſuæ domus cuſtodiam mulieri oſtiariæ cõmiſit, ſed illa dormiente, ille vita priuatus eſt. Et qui cordis ſui claues fragili committit carni , illa voluptatum illecebris ſopita, gratiæ vitam facile amittet. Hinc Gregorius. [nequaquã Iſboſeth hac morte ſuccumberet, ſi non ad ingreſſum domus mulierem, id eſt, mollẽ cuſtodiã ad mentis aditum deputaſſet.] Si itaque velimus Chriſtum non negare , non carnẽ in deliciis dormitantem cordis noſtri oſtiariã: ſed in ieiuniis vigilantẽ, ac diuini iudicij timore confixã, illius foribus adhibeamus. [Omni ergo (vt nos monet Sapiẽs) cuſtodia cor noſtrũ ſeruemus,] ne & nomen Iſboſeth , & infœlix eius exitus in nos quadret , quod filium confuſionis ſignificat, ac proinde ſuo nomini reſpondentẽ, ſortitus eſt finẽ: fœminæ enim fiſus cuſtodiæ inſperata mortis ſagitta miſerrimè interijt. [Vir ergo (vt ait idẽ Sanctiſſimus Doctor) confuſionis eſt, qui forti mentis cuſtodia munitus non eſt.] Hoc expertus eſt heu! Petrus , qui ad imbellis fœminæ vocem adeo expauit , vt cum magna ſui confuſione ,

Pſal. 31.

Amb. l. 4. in Luc. c. 4.

2. Reg. 4.

Qui ſuæ carni fidit perit.

Greg. l. 1. Mor. c. 18

ſolida mentis cuſtodia minimè circumſeptus, Magiſtrum ſuum pernegans ſuæ animæ mortem adſciuerit.

10. Quis itaque ſibi fidere debet, qui nec Petrus, nec Petra eſt, ſed puluis & lutum: quæ vel abiectè hominum pedibus conculcantur, vel flatu in auras euaneſcunt: imo quamuis aliquid auri, argentiue virtutum inquam in ſe habere putet, ſciat tamen fundatum in fictili pedum baſi, quæ vel exili tentationis, aut humani timoris lapillo facile conteritur. Quis enim exiſtimaret Petrum auri argentique virtutibus locupletatum in Chriſti præſertim ſchola educatum, & cæteris prælatum Apoſtolis? ſed vt videtis, magnus ille virtutum cumulus in fictili vaſe collectus, oſtiariæ voce veluti lapillo ita diſſipatus eſt, vt nihil in eo ſolidæ virtutis remanſerit. Diuini itaque timoris affixi gubernaculo omnes virtute præditi ſint, alioqui inter medias ſæculi procellas facile omnium naufragium patientur. [quemadmodum (inquit Chryſoſtomus) ventis ex aduerſo inter ſe concurrentibus, mediamque ſcapham, dum inter ſe depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus, partim à prora, partim à puppi inſurgentibus, gubernator clauo aſſidens ſeruat nauim, vndarum incurſus gubernandi prudentia depellens: ſic & nos quoties vel timor, vel languor, vel aliqua mẽtis perturbatio in nos impetũ fecerint, rationẽq; perturbauerint, multoſque fluctus excitauerint, fortiter perferamus tẽpeſtatẽ: nec patiamur cum Petro rationẽ demergi: ſed Dei timor tanquã nauclerus gubernaculis aſſidens, perſuadeat eam tempeſtatẽ magno animo perferendam eſſe: nec prius deſiſtat noſtram

Nos parui faciendi ſumus.

Chry. hò 1. de Anna. ſic ferè loquitur.

gubernare mentem, donec in tranquillum adducat ad portum onere plenam, hoc est, vterum pretioso thesauro onustum:] alioquin si initiis non resistamus, sicut tempestas à mollioribus auris incipit, & paulatim glisci ad vehementiores turbines, ac tandem effusis ventorum nimborumque habenis tumultuabitur, donec nos in profundum malorum præcipitet. Sic Petrus à leuioribus, à simplici nimirum negatione exorsus est, deinde acriores excitat vires, vt se in præcipitium conijciat, addens negationi periurium: tandem extremi furoris ac perturbati animi tela in se conijcit, in tantum, vt periurio execrationem adderet. O quale tunc inflixit vulnus Magistri sui cordi! hostes quidem Christi pectus incredibili doloris vulnere lancinarunt: sed tu multo grauiore, qui velut tribus lancearum ictibus cor eius ad viuum transuerberas. Nihilominus tamen mentis oculos in te semper fixos habuit: vidit te ex amore quidem se sequutum, vidit simul ob inauditam in se sacerdotum, Principum, scribarum, Pharisæorum, & impiorum satellitum crudelitatem, & plusquam Diabolicam rabiem, mente turbari, flaccescere, stupore attonitum, & manus tandem impudentiæ dantem. Vidit præ metu te Magistrum tuum negantem, ne fortassis si palam ipsum confitereris, eadem quoque exciperetis, eius causa, in humanitatem, vidit proinde in tuo pectore inæquali marte timorem cum amore certare: timor cruciatuum, ac mortis te retardabat, quo minus Christi esse te discipulum fatereris; amor vero Magistri tui, à quo tot affectus fuisti beneficijs, eum sequi; & palam agnoscere remissius qui-

dem ſuadebat: ſed timor paulatim incrementa ſumens, vt te aſpectui eius ſubtraheres vehementius impulit. Quare inter timorem vehementem, & amorem remiſſiorem mirè vacillans, iuſto Dei iudicio relictus es tibi! ô Petre, vt tandem quid in te fortitudinis, & conſtantiæ eſſet, tuis lapſibus ſalubrius deprehenderes. Tibi itaque relicto, ita timor inualuit, vt amorem penitus vicerit, manuſque dederis gratis, donec Chriſtus benigno oculo in te reſpiceret, gallo iam ter te monente lapſus tui, vti modo oſtendemus.

De Galli cantu.

CAPVT XXXVI.

1. PEtro iam in peccati cæno ſeſe volutanti, diriſque conſecranti, continuo (vt ait Matthæus) gallus cantauit, cuius opportuno cantu ſuæ inconſtantiæ admonitus, quam obliuioſius ſit quiuis peccator tandem didicit, in ſe ipſo expertus promiſſi ſui Chriſto facti quatuor horarum obliuionem; quo temporis ſpatio, Chriſti anguſtiarum obliuiſcens [vbi apparet (inquit Ambroſius) Petri delictum, ſed non ſicut Adam, Adam reus facti nudus erubuit, Petrus conſcius delicti correptus Galli cantu ingemuit. Ille tanquam deprehenſus feſtinat ad latebras: hic tanquam emendatus prorumpit ad lacrymas,] iam in memoriam reuocans, quam turpiter Magiſtrum ſuum offenderit. Quamuis lap-

Amb. ſer. feri. 3. Hebdo. ſancta. inc. 14. Mart.

sum suum ipse antea minime sensit, [vt Lucas dicit, quam in eum Christus respexisset. Ita non solum (inquit Chrysostomus) negauit, sed etiam quamuis gallus cantasset, casum suum tamen à se ipso non sensit: sed Magistri admonitione indiguit, cuius inspectio vox illa facta est.] tanta igitur Dei benignitas fuit, vt obliuioſi Petri, & in peccati barathrum præcipitati meminerit. [Marcus autem ait: cùm semel Petrus negasset tunc primò Gallum cantasse: cum verò tertiò, tunc Gallum secundò. Ita (inquit Chrysostomus) exquisitè solus explicauit, & piam Magistri ad discipulum curam, & imbecillitatem Petri, & quod formidine multa examinatus esset. Quomodo igitur cum Matthæus dicat: antequam Gallus cantet, ter me negabis cum tertiò negasset. secundò Gallus cantauit (vt Marcus scripsit) & quomodo hæc verba consona esse possunt? valde ista certè vera, & sibi ipsis conuenientia sunt. Nam quoniam in vna vice ter, & quater Gallus cantare assueuit, significare voluit Marcus, quia nec voce quidem Galli in memoriam adductus est, nec se à negatione retinuit; vtrumque igitur verum est. Nam antequam vnam cantandi vicem Gallus absoluisset, ter negauit. A Christo autem in memoriam delicti redactus, ne lacrymis proderetur, non est palam flere ausus, sed exiuit foras & fleuit amarè.]

Luc. 22. Chrysoſ. ho. 86. in Mat. c. 26.

Marc. 14.

Ibid.

2. Quare non immerito tantam Dei clementiam in obliuioſum hominem obstupescens Regius vates exclamans ait: [Domine quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum?] in quem locum sic Augustinus:

Pſal. 143.

Digitized by Google

[Quid est homo, quoniam tanti eum pendis? & quanti eum pendis, tanti eum æstimas, pretiosum quiddam esse ostendis.] Quasi vero homo non sit putredo, & filius hominis vermis? & huiusmodi homini non tantum innotuisti per multiplicia largitatis tuæ beneficia, & gratiam conferendo, sed illius etiam, sua culpa, gratia priuati memor es. Hinc idem propheta admirandus ait: *Psal. 8.* [quid est homo, quia memor es eius,] certè nihil aliud, ô propheta, quam ipsa (vt ita dicam) obliuio, quod ipsum nomen Hebræum Nasa, id *Ber. ser. 12. in qui habitat.* est obliuio, indicat [Mira (exclamat Bernardus) dignatio, & vere magna dilectio charitatis!] vt Deus memor sit putredinis, & vilissimi terræ vermis. Tam ingens Dei clementia in hominem, & præsertim in hunc peccatorem Petrum, vt illius sit memor, eiusque dignetur recordari miseriæ, non vt perdat, sed vt in magnis miserationibus, à tanto eum malo liberet. Memor ergo est Dominus obliuionis, cum ipse totus sit memoria, & Petrus totus obliuio. Hunc enim visitat. [cui (vt ait Augustinus) sub protectione alarum suarum posito prætendit misericordiam; & in lumine suo lumen præbet, vt eum deliciis potet conuersum, & inebriet vbertate domus suæ, ad obliuiscendas ærumnas, & errores præteritæ conuersationis.] Visitat ergo obliuiosum, cuius præconem, præ cæteris auibus, obliuiosum Deus instituit, gallum nimirum, qui suæ ipsum obliuionis memorem redderet. Recordatus itaque tandem, qui hactenus sui promissi obliuiosus extitit, galli cantu, verbi Iesu, quod dixerat: [priusquam gallus cantet, ter me negabis.]

Aug. in ps. 8.

3. Neque ex hac tantum galli conditione, ſed ex multis aliis colligere licet, diuino factum conſilio, vt Petri errorum admonitor fieret. Ad hoc [intelligentiam gallus accepiſſe videtur, vt prius nocturni temporis (inquit Gregorius) horas diſcutiat, & tunc demum vocem excitationis emittat.] Nam præterquam quod ſit infallibilis diei prænuncius, ac propterea præco ſuo cantu, intempeſta nocte, [profundioribus (vt idem loquitur) horis noctis valentiores, & productiores edere cantus ſolet, cum vero matutinum iam tempus appropinquat, leniores, & minutiores omnimodo voces format, quaſi iniquis adhuc mentibus prædicans, altis & magnis vocibus æterni iudicij terrores intimet, quia videlicet quaſi in profundæ noctis tenebris clamet.] cuius clamorem Petrus non animaduertit, donec veritatis lucem cordi ſuo adeſſe, per Chriſti reſpectum, cognouerit, tunc clamoris eius magnitudinem in lenitatem dulcedinis verſam ſibi animaduertit, & non tam illa quæ ſunt de pœnis terribilia, quam ea, quæ ſunt blanda de præmiis pœnitentiæ in ſe Chriſti oculis conuerſis ſibi inſinuari, intellexit. Quare Chriſti aſpectu excitatus, & galli cantu ſui tandem lapſus admonitus, ſicuti ille [cum iam edere cantus parat, prius alas excutit, & ſemetipſum feriens, vigilantiorem reddit:] ſic Petrus Chriſti grato oculorum radio è ſomno peccatorum expergefactus, prius pœnitentiæ alis ſeſe ornat, & per ſublimia in poſterum facta ſeſe excutere parat, vt ad bene agendum alios, quos ſuo exemplo offendit, ſolicitos reddat, & quidquid in ſe conſternato metu torpuit, ſolicita inueſtigatione de-

Merito gallus Petri admonitor fit.

Greg. l. 30. Mor. c. 4.

Greg. ibid.

prehendens, districta animaduersione corrigere statuit: prius itaque sua punire fletibus curat, vt postmodum Ecclesiæ caput institutus, quæ aliorum sunt punienda denunciet. Prius ergo alis insonat, quam cantus emittat: quia antequam verba exhortationis proferat, omne quod docturus erat operibus clamare decreuit, vt cum perfectè in semetipso, pristina recuperata gratia, vigilauerit, tunc dormientes alios ad vigilias vocet! suo itaque cantu exorientis gratiæ diem Petro Gallus annunciauit, qua depulsis animi tenebris, claros solis iustitiæ radios, amabili Christi aspectu, exciperet.

4. Altos Gallus gerere spiritus dicitur, & virili in pugnando fortitudine præditus, præsertim domi: vnde natum prouerbium. [Gallus in suo sterquilinio audacia plurimum valet.] Quis generosiores spiritus Petro gessit, cuius tam prompta voluntas, cum Christo persistendi in prœlio, vt sese cæteris Apostolis in pugnando, Christi causa, animi robore præferret, idque domi à cœna dicens: [& si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.] Ecce quanta Petrus fortitudine domi instar Galli se præditum ostendit, qui tamen in alieno sterquilinio, in domo Caïphæ mulieris voce victus, cristas demisit. Gallus enim si palma potiatur (inquit Plinius) statim in victoria canit, seque principem glorioso cantu testatur, victus vero tacitus sese occultat. Et Petrus triumphum ante victoriam canens, præ cæteris sese extulit: [etiãsi, inquiens, oportuerit mori tecum, non te negabo.] Et pugnacissimus hic, in speciem, pugil, arma cum scuto reij-

Plin. l. 10. *c.* 21.

ciens mulierculæ obtuſo vocis telo victus, tacitus foras abijt, quaſi ſe omnibus, præ verecundia abſconſurus. [Galli victi (inquit ille) ſilere ſolent, canere victores.] Non immerito igitur ſimilis tui conditionibus admonitor tibi à Chriſto adſcitus, qui tecũ collatus, qualis ſis oſtẽderet.

5. Quam fœliciter Petre, ab illo Sobnæ dira comminatione euaſiſti, qui ſicuti dignitate minime illi inferior, ſic magnitudine ſcelerum ſuperior. [Ecce, ait Iſaias, Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur Gallus gallinaceus, quaſi pilam mittet te in terram latam, & ſpatioſam, & expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te.] fœlix inquam es, quod duram hanc Sobnæ comminationem euaſeris. Quin & tibi iure optimo, qui ſacerdotis dignitate, ſicut ille, ſublimatus es, dicere potuit Chriſtus: ô Petre, Galli inſtar arrogantiæ ſimul, & iactanctiæ criſtas erigis, pertinaciter aſſeuerando animam tuam pro me poſiturum, cum tamen ſtatim me noſſe, ſine verecundia, negaueris: te igitur tam facile aſportari faciam ex Apoſtolorum meorum numero, veluti alterum Iudam, & in æternæ mortis captiuitatem abduci, quam facile portari ſolet à ruſtico Gallus gallinaceus in forum vendendus: & quaſi pilam, quæ à ludentibus de manu ad manum percutitur, mittere in terram tenebroſam, & caliginis plenam, in terram tartareis ſubditam ſpiritibus, & ſic expelli te de ſtatione tua, & de miniſterio Apoſtolatus deponi. Verum Deus alias inſignes Galli conditiones in te futuras præuidit, fratreſque tuos à lapſu confirmaturum, & miſericordia motus tibi pepercit, teque ve-

Petrus euaſit Sobnæ ultionem

Iſa. 22.

luti nocturnum vigilem, instar Galli, constituere decreuit, qui excitandis ad diuina opera mortalibus, rumpendoque somno, diuina prouidentia, per gratiam renatus videreris, cuius exemplo pij Christiani in posterum ad Dei laudes persoluendas media nocte ad galli cantum surgunt. [Democritus quidem, ait Cicero, optimis verbis causam explicat cur ante lucem galli canant: depulso enim de pectore, & in omne corpus diuiso, & modificato cibo, cantus edere, quiete satiatos: qui quidem silentio noctis (vt ait Ennius) fauent faucibus, rursus cantu plausuque premunt alas. Et Petrus depulsis è conscientia peccatorum tenebris, & in omnes animæ vires gratiæ lumine diuiso, & per cibi parsimoniam somno diminuto, lugubres breui ingeminaturus est cantus, quibus sua deflebit peccata, mœrore satiatos, qui quidem in ipso noctis silentio animæ faucibus minime fauebit, sed somno interrupto, alternatim lugubri cantu, & pœnitentiæ lacrymis veniam deprecans, plausum posthac, humilitatis alis promet.

Bona conditiones galli accommodantur Petro.

Cicer. 2. de diui.

6. Et quemadmodum, auctore Plinio, gallus generosos habet spiritus, & pugnacissimus est, militaresque in vigilando excubias, & regium principatum imperiumque æmulatur. [Imperitat, inquit ille, suo generi, & regnum, in quacunque sit domo, exercet. Graditur ardua ceruice, cristis celsus, cælum sola volucrum aspicit crebro, in sublime caudam quoque falcatam erigit. Denique terrori est etiam Leoni ferarum generosissimo:] vere Petrus altos, ac generosos à conuersione geret spiritus, qui sacerdotum principi

Confertur generosus gallus Petro.

Plin. ibid.

principi nomen Ieſu prædicari impedienti generosè reſpondebit. Ex feruore & zelo, inquit Gloſſa: [obedire oportet Deo magis, quam hominibus, militareſque in vigilando excubias æmulabitur vigil ipſe, ne in poſterum circumueniatur. [Vigilabit Petrus, qui ad aſpectum veri luminis (inquit Gregorius) mentis oculos apertos tenebit; vigilabit Petrus, qui à ſe torporis & negligentiæ tenebras pellet. Tota enim virtute mentis additus muniet, nequando eam inſidiantes hoſtes penetrent foramine neglectæ cogitationis,] & admonitus eſt Eccleſiæ prælatos, vt gregi ſuæ curæ commiſſo ſolicitè & vigilanter proſpiciant, ſobrij ſint, & vigilent, quod aduerſarius Diabolus circumeat, tanquam Leo rugiens, quærens quem deuoret. Cum eo enim hoſte (ait Nazianzenus) dimicandum habemus, qui nos interne oppugnat, & certamine laceſſit, ac nobiſmetipſis (quo quid miſerius?) tanquam armis in perniciem noſtram vtens, peccati morte nos afficit. Ergo aduerſus ita tum magna, perfectaque fide opus eſt, tum maiori Dei auxilio.] Nonne Petrus etiam caput Eccleſiæ à Chriſto conſtitutus imperitabit ſuo generi, toti nimirum Eccleſiæ, ac proinde imperium habiturus in vniuerſum terrarum orbem, & in quacunque Eccleſiæ domo iuriſdictionem exerciturus? [vbi enim Petrus, inquit Ambroſius, ibi Eccleſia: vbi Eccleſia, ibi nulla mors, ſed vita æterna.] Et Bernardus [tria inuenientur in Petro, fidei vnitas, pœnitentiæ veritas, amoris ſoliditas: nihil horum extra Petrum, & Petri Cathedram & Petri caulas inueniri

Greg. ho. 13. in Euan.

Greg. l. 1. Mor. c. 36.

1. Pet. 5.

Naz. orat. 1.

Amb. in Pſ. 48.

Ber. in ſenten.

poterit] Nonne porro ardua cernice graditurus, qui ſuæ poteſtatis magnitudine ipſi cælo quodammodo præeminebit : [quodcunque enim ſoluet ſuper terram , erit ſolutum & in cælis , & quodcunque ligabit ſuper terram , erit ligatum & in cælis.] criſtis erit etiam celſus , quæ nunquam deprimi poterunt, cuius imperium latius patebit , quam ipſius imperatoris. Quidquid enim non poſſidebit armis , tenebit religione , cuius quoque Dominus promiſit ſedem nunquam tuituram, [portæ, inquit, inferi non præualebunt aduerſus eam. Nullis enim (ait Gregorius) aduerſitatibus Eccleſia frangenda eſt, nullis perſecutionibus ſuperanda] Hinc Ambroſius [Eccleſia , ait, & ſi undarum fluctibus ; aut procellis ſæpe vexetur : tamen nunquam poteſt ſuſtinere naufragium. Quia in arbore eius , id eſt, cruce , Chriſtus erigitur : in puppe pater reſidet gubernator: proram Paracletus ſeruat ſpiritus. Et ſi ſæculum iſtud tanquam pelagus ſortitur infeſtum , nunquam alliditur ad ſaxum , nec mergitur ad profundum.] Quam promiſſionem ſi habuiſſent cæteri Apoſtoli , auctoritatis ſuæ criſtas nonduni depoſuiſſent , & ſteriſſet adhuc ſedes Iacobi Hieroſolymis; Ioannis Epheſi ; Andreæ in Scythia , Matthæi in Æthyopia ; contra quas portæ inferi ſenſim præualuere.

Mat. 16.

Greg. in pſ. 7. pœnit. Amb. l. de Sale. c. 4.

Cum gallo ſæpe ſuſpicit cælum.

7. Præterea cælum ſolus inter Apoſtolos crebrius aſpiciet , propoſitis enim ſibi tam execrandis in Magiſtrum ſuum commiſſis flagitiis ita crebro ſuſpiriis , ſingultibus , lacrymis cælum pulſabit , vt qui tardus fuit paſſionis

tempore in Christi obsequio, velut gallus succinctus lumbos, expeditus, & præcinctus ad quantumuis ardua, Christi gratia, subeunda, atque adeo ipsam mortem, oculis in cælum continuò fixis, graditurus sit, cum omni animi submissione de se sentiens iuxta illud Bernardi [oportet humiliter sentire de se, intentum ad altiora, ne dum supra se attollitur, cadat à se. Nisi enim humilitatis merito, maxima minimè obtinentur.] Edoctus igitur Petrus à Gallo, cui Deus indidit quodammodo intelligentiam, vt media nocte surgere Petrum doceret, nosque illius exemplo incitatos ad laudandum Deum à somno peccatorum expergefactos, vt cum Petro suorum scelerum memore, ad Galli cantum semper surgere [gallos (inquit Plinius) vigiles nostros excitandis in opera mortalibus natura genuit; norunt sydera, & ternas distingunt horas interdiu, cantu cum sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia ad curas, laboremque reuocant: nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nunciant cantu.] Et Petrum vigil gallus singulis noctibus excitabat, & maxillas, quæ in Christi negationibus minimè erubuerunt, pœnitentiæ lacrymis sulcabat. Norunt sydera eius pœnitentiæ non tantum noctu, sed interdiu etiam [illegible], quibus se affligebat singulis penè ho- & noctis lacrymarum riuulis. Quoties [illegible]m quietem, sole Occidēte, capiebat lugubri cantu lacrymis mixto cælum, cælitesque in testes suæ pœnitudinis excitabat, & vix defessis mœrore membris quicquam somni tribuebat, cum

Ber. ser. 34. in Cant.

Plin. l. 8. c. 16.

ad curas Eccleſiarum laboreſque proximis impendendos maturius ſurgeret, ne ſolis ortum torpenti pateretur obrepere, & iteratis lacrymis mœſto cantu diem appropinquantem nunciabat, vt Eccleſiarum paſtoribus ſuo exemplo vigilantiam, quæ ipſis, præ cæteris, neceſſaria eſt, ſuadeat. Gallum præterea (vti prodidit Cælius Rhodiginus) Zelotypia, & amor erga aues ſibi ſubiectas toties noctu excitat, & ideo canit, vt cantu ſuo ſe adeſſe teſtetur: ſic Petri zelus erga vniuerſam Eccleſiam ſibi committendam & amor in Chriſtum, & de peccatis dolor peruigilem ſemper efficiet, quibus armis inſtructus terrori erit tartareis Leonibus, quibus antea fuit ludibrio. Merito igitur Gallus ales diei nuncius, & Petri, & noſtrarum mentium excitator à Chriſto inſtitutus, qui media nocte clamet, ad nos in ſordido peccati lecto conſopitos, vt eius ſalutari cantu excitati, ad vigilias, & vitam corrigendam cum Petro reuocemur. Gallus inſuper cum limen intrat, tametſi altiſſimum oſtium (vt ait Ælianus) exiſtat, criſtam tamen inclinat, ne criſta vſpiam offendatur.] Et Petrus pœnitentiæ limen calcans, licet ſummum pœnitudinis exemplum præbiturus iactantiæ in poſterum criſtam inclinabit, ne ſe grauiore peccato inquinet. Hinc rogandus à Chriſto Simon Ioannis amas me plus his; non audeb mare, imo ne plus illis Chriſtum amar mè videretur, timebat, & ideo contrita dicturus [tu ſcis Domine quia amo te] Vide (inquit Chryſoſtomus) quanto melior factus eſt, & modeſtior. Non amplius temere per-

Ioan. 21.

Chryſoſt. in illud Ioan. 21.

ſtat in ſententia, neque contradicit. Contriſtatus inquit ſum, ne forte me amare arbitratus non amem, vt antea cum me fortem, & conſtantem putarem, poſtmodum imbecillis deprehenſus ſum.] Gallus denique cum ſemper aliàs pompaticè, atque magnificè, greſſus regat, tum præſertim exoriente luna. [Tunc enim (vt loquitur Ælianus) quaſi diuino quodam ſpiritu afflatus, ouat, exultat:] vnde Altigradus à Politiano appellatur, quia auium nulli corpus erectius, & ceruix elatior eſt cum graditur: Et Petrus totius Eccleſiæ præfigendus, ſicuti omnibus poteſtate ſuperior erit, ſic etiam animo erit erecto, non demiſſo, ſed ſublimia cogitante, cuius proinde inceſſus magnificus, ſtatus ſublimis, & vita exemplaris omnes ad ſui imitationem prouocans. Gallo rurſus criſta pro Diademate & corona eſt: quapropter (inquit noſter Salazar) dum illi tam cautè proſpicit: & tam diſtantia, & longè poſita offenſionum pericula declinat, ſuadet ſicuti Petro, ſic omnibus Eccleſiæ Prælatis non ea tantum diſcrimina vitare, quæ Eccleſiis proximè perniciem allatura videntur, ſed etiam illa præcauere docet, quæ diſtant & à longè imminent; vti Petrus in totius Eccleſiæ regimine docuit (& præſertim cum Ananiam & Sapphiram Spiritui ſancto mentientes de pretio agri diuenditi fraude partem ſibi reſeruantes interemit, ne alioquin impuniti malo ſuo exemplo alios inficerent. *Act. 5.*

8. Quam fœlix igitur ille, qui peccato commiſſo, arguentis in ſe Galli vocem ſtatim audit, ex diuino in ſe reſpectu. Quam fœlix qui *Fœlix quē conſcientia peccati arguit.*

ſuæ conſcientiæ vocem ſibi acclamantem percipit, vt à perpetrato ſcelere confeſtim reſipiſcat. [Gallum naturalem noſtram rationem (ait Iuſtinianus) ſignificare, quæ vociferationibus ſuis, tanquam Galli cantu domum replet. Audiat peccator rationem, audiat conſcientiæ vocem, audiat Gallum ſuum, & recordetur Dei, quem offendit, egrediaturque cum Petro ex peccato, & ploret amarè:] alioqui ſi crebra iteratio peccati tranſeat ſemel in conſuetudinem, naturalis noſtri Galli nimirum rationis, cantui minimè acquieſcimus: Nihil enim difficilius, quam à longa peccati conſuetudine reſipiſcere. Hinc Auguſtinus inueteratam peccandi voluntatem pertinaci conſuetudine corroboratam merito, tanquam mortem reformidabat. Nam per eam adeo difficilis ad veram conuerſionem aditus redditur, vt quantumuis naturalis noſter gallus clamet, niſi pro infinita ſua bonitate Chriſtus miſericordiæ oculis induratum cor noſtrum feriat, & orationis ac lacrymarum ad Deum fundendarum beneficio nos donet, nunquam nobis pateſcat. [ligatus (inquit Auguſtinus) eram non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me; quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.] Quare cum naturalis Galli vocem, rationis ſcilicet aut accuſantis conſcientiæ nequaquam audire poſſit, qui ferrea ſua voluntate ſic conſtringitur, niſi reſpiciat Chriſtus, illumque ad vocem accu

Iuſt. l. de cruſt. Agon.

Aug. l 8. confeſſ. c. 5.

ſantis galli, gratiæ præuenientis ictibus, fortiter excitet, clamet ex imo pectoris, vt ſe miſericordiæ oculis intueatur cum Eccleſia identidem iterans [Ieſu labentem reſpice, & me videndo corrige: ſi reſpicis lapſus ſtabit, fletuque culpam diluet. Tu lux refulge ſenſibus, mentiſque ſomnum diſcute, te noſtra vox primum ſonet, vt ora ſoluamus ad ibi] Cecinit quidem Gallus Petro negante, ſed non ſatis fuit Galli cantus, vt pœniteret ipſum facti, niſi Ieſus miſericordiæ etiam oculo eum reſpexiſſet, non enim ſatis (inquit Gregorius) concionatoris vox niſi ſimul adſit Chriſti in peccatorem reſpectus. Sonat quidem vox exterius, ſed cordi eam Deus imprimit interius.] O quam felix ergo in quem Chriſtus miſericordiæ oculos conijcit: etenim deterſa mentis caligine, diuinis ſe radiis colluſtrari ſtatim ſentit. Hinc Auguſtinus diuinæ gratiæ radiis illuſtratus, à terra concupiſcentiæ caligine liberatus exclamauit: [Quam ſuaue mihi ſubitò factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me vera tu, & ſumma ſuauitas, eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, omni luce clarior.]

Gre. l. 30. Mor. c. 4.

Aug. l. 9. Confeſſ. c. 1.

Respectus Christi vim habet maximam ad conuertendum peccatorem, si illi cooperetur.

CAPVT XXXVII.

Cooperatio nostra ad nostri conuersionem requiritur.

1 QVoniam non sufficit ad peccatoris conuersionem naturalis nostri Galli, nimirum rationis radarguentis vox, frequensque simul gratiæ præuenientis pulsus, opus etiam est diuino in nos respectu, cui si cooperemur, à peccatorum cœno, per gratiam cooperantem emergere poterimus. Sic fecisse Petrum scriptura docet, qui ad Christi respectum ingemuit, suaque detestatus est peccata. Quemadmodum enim non satis est, ad hoc, vt nauis fœlici cursu portum teneat, prosperos spirare ventos, nisi vela expandant nautæ, anchoramque soluant: sic non satis est, vt peocata nobis dimittantur, rationis vocem nostra redarguentis peccata audire, diuinæ gratiæ fauonios spirare, misericordiæ oculum in nos conijci, nisi etiam peccati anchorã, cum Deo soluere conemur, & voluntatis vela, per dolorem simul de peccato. [Collocauit Adamũ Deus ante paradisum voluptatis; vt dolens (inquit Chrysostomus) cõtinuo aspectu, munitior & cautior esset in aliis, ne iterũ in eadẽ peccata incideret.] Et paulo inferius: [vt & spectando memor esset, & inde lucrũ faceret] Nullũ enim præsentius remedium ad futura cauenda peccata, quã si præterita cũ dolore recordemur.]

Gen. 3. Chrysost. ho. 18. in Gen.

Voluntatis igitur vela non modo per dolorem, sed per propositum etiam emendationis expandere, & per amorem in diuinos amplexus nobis per peccatum hactenus clausos, tanquam ad destinatum nobis portum contendere, sicuti nos suo Petrus docet exemplo, alioquin, si maneat peccati affectus, nihil proderit propositum euitandi externos peccati actus. Hinc Saluianus [Peccare, ait, non desinit, quem in extremis situm recedere à criminibus sola tantum fecit impossibilitas, non voluntas. Qui enim à malis actibus tantum opere discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus; Ac per hoc necessitate exclusus à vitiis, & tum puto peccat, quando cessauerit; quia quantum ad animum, nec dum desijt, qui adhuc velit peccare, si possit.] *Salui. l. 3. ad Eccle. Catho.*

2. Quod, vt ostendamus, quid Christus fecit, cum Apostolorum verticem firmissimam illam petram exili mulierculæ voce findi cerneret, & quid Petrus tandem diuinis oculorum ictibus percussus, videamus. Sanè imprimis tantam doloris amaritudinem sensit Christus à Petro sic ter turpissimè negatus, vt sese mortiferis quasi sagittis horribiliter saucium perciperet. Et licet grauissimè iteratis negationibus, & periuriis diuinam suam maiestatem mirum in modum læsam censeret, tanta tamen commiserationis significatione in Petrum misericordiæ oculos coniecit, vt statim internis charitatis radiis cor eius emolliens, obscuræ mentis tenebras cælesti lucte dispelleret. [Dominus enim (vt ait Leo) Iesus, qui intra Pontificale concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi, diuino vidit intuitu, & pauentis animum *Magno dolore Christum affecit Petri lapsus.* *Leo. ser. 9. de pass.*

mox, vt respexit, erexit, & in fletus plenitudinis excitauit: & conuersus Dominus respexit Petrum:] oculo scilicet commiserationis pleno:

Chry. hom. 81. in cap. Ioan. 18. [tu autem (inquit Chrysostomus) admirari magistri curam & diligentiam, quod & captus, & ligatus discipulo consulit, intuitu suo iacentem excitans, & ad lacrymas mouens.] quem in hunc modum alloqui merito potuit, quemadmodum filium suum Ruben alloeutus est Iacob [Tu fortitudo mea, & principium doloris mei] quasi dicat (inquit Gennadius) [te nato mihi visum est, vires contra iniurias mortalis naturæ comparasse:] Sed, vt video principium etiam doloris mei eris. Et tu Petre primogenitus meus, in quo discipulorum meorum fortitudinem, & constantiam collocatam habui, quem totius Ecclesiæ Vicarium in terris meum instituere decreui: tu fortitudo mea, vti rebar, sed principium doloris mei factus es, qui me magistrum tuum, tui semper amantissimum turpiter adiurasti; prior in donis; malor in imperio, effusus es sicut aqua;] Ad imbellis fœminæ vocem; quibus Christi interiore mentis verbis apprehensione auditis, & Gallo simul cantante; [Recordatus est] Petrus verbi Domini; quia priusquam gallus cantet ter me negabis, & egressus foras fleuit amarè. Ecce quid Christus, & quid Petrus fecerint? Christus permouit ad pœnitentiam Petri cor; & Petrus diuinis inspirationibus motus, pœnitentiæ lacrymas vbertim effudit.

Gen. 49. Genna. in cate grag.

Magno vis oculorum Dei.

3. Thraces (auctore Sidonio Appollinari) vt efficacissimam diuinorum oculorum vim nobis clarè proponerent, solem pingere solebant tribus effulgentem radijs, & à se illos cuibrantem, quo-

um vnus suo splendore mortuũ quasi collustrãs
d vitam reuocabat: alter in durissimam Petram
adium suum conijciens, illam in minutissimas
artes confringere videbatur: tertius denique in
mmensum niuis montem directus calore suo il-
um in aquas resoluebat. cui emblemati inscri-
tum erat OCVLI DEI AD NOS. Licet hæc fictio
it, hos tamen effectus Dei oculi in peccatorum
nimis verissimè operãtur, è quibus non tres, sed
nfinti gratiæ radij emicant, quibus stupendi effi-
iuntur. Vnus Pauli animam peccato mortuam
ncredibili luce irradians ad gratiæ vitam resti- *Act. 9.*
uit [circumfulsit eum lux de cælo. Alius duriss-
num Matthæi cor auaritiæ callo obductum, in-
inita vi contritionis veluti malleo illud contudit
& in partes dissecuit: tertius (vt infinitos aliorum
gratiæ radiorum effectus, quos quotidie corã in-
uemur omittam,] suam in Petri algidũ pectus, si-
cut antea in Magdalenæ vim exerens, tanquam
eram à facie ignis ita liquefecit, vt præ cõcepta,
& doloris amaritudine, & amoris ardore in lacry-
matum imbrem resolueretur, quem effectum
Isaias diuinorum oculorũ efficaciæ tribuit: [à fa- *Isa. 64.*
cie, inquit, tua montes defluent.] Qui iam mor- *Aug. in Ps.*
ui erant (inquit Augustinus) & deserti ab igne *17.*
oni desiderij, ac luce iustitiæ, & frigidi, tenebro-
ique remanserant, rursus accensi, & illuminati
reuixerunt.] hoc igitur diuinorum oculorum in-
genti calore peccator cor suum peccati gelu con-
trictum adeo mollefieri, inflammari, & liquefie-
ri percipit, vt qui ante in peccatis obstinatus *Act. 9.*
uit, totus in alium mutatus, cum Paulo tremens
ac stupens dicat: [Domine, quid me vis facere?]
hoc tremore vtinam & nos, peccato iam com-

mox, vt respexit, erexit, & in fletus plenitudinis; excitauit: & conuersus Dominus respexit Petrum:] oculo scilicet commiserationis pleno: [tu autem (inquit Chrysostomus) admirari magistri curam & diligentiam, quod & captus, & ligatus discipulo consulit, intuitu suo iacentem excitans, & ad lacrymas mouens.] quem in hunc modum alloqui merito potuit, quemadmodum filium suum Ruben alloeturus est Iacob [Tu fortitudo mea, & principium doloris mei] quasi dicat (inquit Gennadius) [te nato mihi visum est, vires contra iniurias mortalis naturæ comparasse:] Sed, vt video principium etiam doloris mei eris. Et tu Petre primogenitus meus, in quo discipulorum meorum fortitudinem, & constantiam collocatam habui, quem totius Ecclesiæ Vicarium in terris meum instituere decreui: tu fortitudo mea, vti rebar, sed principium doloris mei factus es, qui me magistrum tuum, tui semper amantissimum turpiter adiurasti; prior in donis; malor in imperio, effusus es sicut aqua;] Ad imbellis fœminæ vocem; quibus Christi interiore mentis verbis apprehensione auditis; & Gallo simul cantante; [Recordatus est] Petrus verbi Domini; quia priusquam gallus cantet ter me negabis, & egressus foras fleuit amarè. Ecce quid Christus, & quid Petrus fecerint? Christus permouit ad pœnitentiam Petri cor, & Petrus diuinis inspirationibus motus, pœnitentiæ lacrymas vbertim effudit.

Chry. hom. 81. in cap. Ioan. 18.

Gen. 49. Genna. in cate greg.

Magno vis oculorum Dei.

3. Thraces (auctore Sidonio Apollinari) vt efficacissimam diuinorum oculorum vim nobis clarè proponerent, solem pingere solebant tribus effulgentem radijs, & à se illos cuibrantem, quo-

rum vnus suo splendore mortuũ quasi colluſtrãs ad vitam reuocabat: alter in durissimam Petram radium suum conijciens, illam in minutissimas partes confringere videbatur: tertius denique in immensum niuis montem directus calore suo illum in aquas resoluebat. cui emblemati inscriptum erat OCVLI DEI AD NOS. Licet hæc fictio sit, hos tamen effectus Dei oculi in peccatorum animis verissimè operãtur, è quibus non tres, sed infinti gratiæ radij emicant, quibus stupendi efficiuntur. Vnus Pauli animam peccato mortuam incredibili luce irradians ad gratiæ vitam restituit [circumfulsit eum lux de cælo. *Act. 9.* Alius durissimum Matthæi cor auaritiæ callo obductum, infinita vi contritionis veluti malleo illud contudit & in partes dissecuit: tertius (vt infinitos aliorum gratiæ radiorum effectus, quos quotidie corã intuemur omittam,] suam in Petri algidũ pectus, sicut antea in Magdalenæ vim exerens, tanquam ceram à facie ignis ita liquefecit, vt præ cõcepta, & doloris amaritudine, & amoris ardore in lacrymarum imbrem resolueretur, quem effectum Isaias diuinorum oculorũ efficaciæ tribuit: [à facie, inquit, tua montes defluent.] Qui iam mortui erant (inquit Augustinus) & deserti ab igne boni desiderij, ac luce iustitiæ, & frigidi, tenebrosique remanserant, rursus accensi, & illuminati reuixerunt.] hoc igitur diuinorum oculorum ingenti calore peccator cor suum peccati gelu constrictum adeo mollescere, inflammari, & liquescere percipit, vt qui ante in peccatis obstinatus fuit, totus in allum mutatus, cum Paulo tremens ac stupens dicat: [Domine, quid me vis facere?] hoc tremore vtinam & nos, peccato iam com-

Isa. 64.

Aug. in Ps. 17.

Act. 9.

miſſo, conſternemur. [eſt enim initium ſapientiæ timor Domini, eſt pædagogus legis, (vt ait Clemens Alexandrinus,) eſt frænum peccatorum, (inquit Baſilius) ſcopæ (vt loquitur Gregorius) acus, vel ſeta, quæ filum introducit, ait Auguſtinus, eſt ſemen, quo accepto concipitur, & quaſi parturitur Spiritus ſaluris, inquit Iſaias; claui qui nos fixos in officio retinent, vt idem Baſilius oſtendit, & miles armatus excubans ad fores conſcientiæ, vt Chryſoſtomus ſentit. Vim huius timoris expertus hortabatur poſtmodum Paulus Philippenſes, vt cum metu, ac tremore operarentur ſalutem. hoc ſalutari timore corda alioquin adamantina colliqueſcunt, præſertim ſi ſeſe ſimul diuinæ gratiæ radius immiſceat. Si enim innarum ſit ſoli, rem illam, in quam ſuos proijcit radios calefacere, atque adeo gelu, pruinamque diſſoluere; nonne multo magis ille in quem iuſtiriæ Sol ardens ſuæ gratiæ radios proijciet, calefiet, inflammabitur, liquefiet, & in lacrymarum fontes cum Petro reſoluetur: quibus velut cæleſti ſpungia animæ facies, ab omni peccati inquinaméto detergenda. Hinc Chryſoſtomus] peccata tua, ait, in libro ſcripta ſunt: ſpungiæ autem inſtar ſunt lacrymæ tuæ: lacrymas mitte, & obliterantur: lacrymas mitte, & purus illic liber inuenitur. Magna peccatorum ſpungia ſunt lacrymæ: magna lacrymarum vis eſt. Vis dicam quantum lacrymæ valeãt: animum quæſo diligenter attende: quodnam ingens virturis munus tibi eſſe videtur? martyrium dices? maiorem enim hac charitatem nemo habet, quam vt ponat quis animam ſuam pro amicis. Reuera maximum virtutis munus martyrium

Pſal. 110.
Cle. 2. ſtrom. c. 4. Baſil. in Pſal. 33.
Aug. trac. 9. in 1. Epiſt. Ioan.
Iſa. 26.
Baſil. in c. 1. Prouerb.
Chry. ho. 15. ad pop.
Philip. 2.
Chry. in Pſ. 50. ho. 2.

est, quandoquidem martyres sanguinem profundunt: apertum enim est, quod martyres agunt: martyres sanguinem fundunt: peccatores lacrymas fundunt, atque, vt quanta lacrymarum vis sit intelligas, meretrix illa sanguinemne fudit? an non lacrymarum duntaxat fontes effudit, atque hac ratione peccata diluit! & quid meretricem atque impuram fœminam cõmemoro? columna illa Ecclesiæ, illa fidei basis, illud Apostolici chori caput Petrus, an non semel, & iterum ac tertiò Dominum abiurauit? an vero propterea cruorem effudit, ac non potius lacrymarum fontes?] Quanta respectus diuini virtus, vt rupes in fontes aquarum vertat, animasque per peccata mortuas, modo non desit peccatoris cooperatio, ad vitæ gratiam reuocet.

Magna vis caladrij oculorum. Ælia. l. de varia hist.

4. Caladrion auis, auctore Æliano, solo aspectu icterico morbo laborantes sanare solet, ipsa verò mori. Cuius aspectu si aliquem alio conflictantem morbo, & de cuius salute penitus desperatur, obijcias, quasi fatalem eius diem præsentiens suum ab eo aspectum (vt Dionysius Carthusianus scribit) statim subtrahit: sin autem pristinæ valetudini restituendum sentiat, placido, ac iucundo vultu in eum oculos conijcit, certum recuperandæ valetudinis indicium, huiusmodi grato aspectu demonstrans. Et noster Caladrius, nimirum Christus, quem Isaias auem appellat, [vocans ab oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ,] qui ex patris sinu, tanquam ex nido in hunc mundum descendens, regiò laborantem morbo Petrum scilicet, per æterni Regis trinam negationem, quem

Diony. in c. 11. Leuit. Art. 25.

Isa. 46.

nullus alius ſanare poterat aſpectu ſanauit. [Reſ-
Leuit. 25. piciam inquit vos, & creſcere faciam:] quo lo-
Orig. ho. 16. co Origenes [tanquam ſi Sol, ait, reſpiciat ſe-
gerem, & afferat fructus: quam vtique ſi non
reſpexiſſet, infructuoſa manſiſſet: ita Deus ſe-
gerem cordis Petri reſpiciens, & interni verbi
radiis illum illuminans commouit, gratiam illi
contulit, auxit, & multiplicauit: vt vltra iam
non eſſet paruulus fluctuans, ſed in fide conſtans.
[oculi igitur Dei (vt ait Ambroſius) lux ſunt,
Ambr. in Pſal. 36. quos aſpicit, illuminat,] ſanauit itaque aſpectu
ſuo Petrum, ſed cum ſui ipſius poſtea interitu.
Hinc omnia in poſterum Petri deſideria, & gau-
dium erat in Chriſtum ſemper intendere, illique
ſeruire adeo vt [totum gaudium eius de ſpe futu-
ra fuerit, totum deſiderium vitæ æternæ fuerit,
Aug. trac. 10. in Ioan. omnia ſuſpiria eius Chriſto anhelarent: ille enim
vnus pulcherrimus, qui & fœdos diligit, vt pul-
chros faciat à Petro deſideratus fuit, ad illum
vnum cucurrit, illi ingemuit] cuius viſus ſæpius
antea Iudæ auaritia deſperatè laboranti, ſubtra-
ctus eſt, quo certiſſimum præbuit eius pernici-
oſi interitus argumentum.

5. Sed Petrum placido, ac benigno intuens
vultu, de cuius conuerſione minime erat deſpe-
Eccli. 10. Leo. ſer. 3. de paſſ. randum, priſtinæ reddidit gratiæ: [oculus enim
Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab
humilitate ipſius. [Reſpexit enim Dominus
Petrum (vt ait magnus Leo) & inter calum-
nias ſacerdotum, inter falſitates teſtium, in-
Chriſtus ad fiduciam excitat Petrum. ter cædentium, & conſpuentium iniurias con-
ſtitutus, illis turbatum diſcipulum conuenit
oculis, quibus eum præuiderat eſſe turban-
dum & in illum conuerſa eſt veritatis inſpe-

ctio, vbi erat cordis facienda correctio, quasi quædam illi vox Domini insonaret ac diceret: quid habes Petre? quid in tuam conscientiam recedis? ad me conuertere, in me confide, me sequere, meæ passionis hoc tempus est, nondum tui venit hora supplicij. Quid metuis, quod etiam ipse superabis? non te confundat infirmitas, quam recepi, ego de tuo fui trepidus, tu de meo esto securus.] Quibus verbis vel similibus in se reuersus Petrus detestabile suum crimen amarè defleuit, & ita defleuit (vt ait Clemens Romanus) vt toto vitæ suæ decursu, quoties gallum cantantem audiebat, procidens in genua lacrymas funderet, & peccati sui veniam efflagitaret: imo continuo lacrymarum stillicidio in genas vbertim descendente, in illis quasi canales induceret. Quanta hæc vis nostri Caladrij aspectus, vt non modo ægrum plurimis laborantem morbis, perfectè sanet, sed illi etiam lacrymarum antidotum relinquat, quo sese à peccati veneno in posterum tueatur. Hinc Petrus egressus foras, quia (vt ait Lyranus) peccator debet esse elongatus de cætero, non solum à peccato, sed etiam ab occasionibus eius. Egressus itaque foras, fleuit amarè. Nec enim (vt ait Beda) in atrio Caiphæ retentus poterat agere pœnitentiam: egreditur foras, vt ab impiorum concilio secretus, pauidæ negationis sordes liberis fletibus abluat.

Lyr. in quartũ Lenit.

Mat. 26.

Ita Petrus toto vitæ decursu hæc negationum scelera defleuit, vt merito illud Regij vatis dicatur ex intimo animi affectu vsurpasse: [Fuerunt mihi lacrymæ meæ die ac nocte panes, dum

Psal. 41.

dicitur mihi (à conscientia) vbi est Deus tuus] quem triplici flagitio perdidisti? [Luctu igitur, inquit Gregorius, suo animam pascebat, cum ad amissa gaudia flendo subleuabatur, & intus quidem doloris sui gemitum tolerabat, sed eo refectionis pabulum percipiebat, quo vis doloris simul, & amoris per lacrymas emanabat.] Lacrymis ergo quasi panibus sese Petrus sustentabat; conscientia ipsum acriter redarguente, & sine intermissione inclamante: Vbi est Deus tuus, quem turpiter iam tertiò negasti? & quo magis à conscientia opportunè, & importunè arguebatur, ingeminante: vbi est Deus tuus? eò abundantius lacrymas fundebat, seque acrius accusabat. [Maluit enim ipse (inquit Ambrosius) suum accusare peccatum, vt iustificaretur fatendo, quam grauaretur negando. Iustus enim in principio accusator est sui.] Hinc eius sitis Deum quærendi lacrymarum copiâ adeo augebatur, vt illis quotidie veluti inebriatus conscientiæ suæ responderet: scio, & video, quia malum & amarum est reliquisse me Dominum Deum meũ, & non fuisse timorem eius apud me, cuius rei euidentissimæ testes lacrymæ, quibus genas meas quotidie sulco. Hinc Ambrosius: [Petrus doluit, & fleuit, qui erranit vt homo. Non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit, Sed quod defendi non potest, ablui potest: lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri. Et veniæ fletus consulunt, & verecundiæ, lacrymæ sine horrore culpam loquuntur. Lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur, lachrymæ veniam non postulant, & merentur. Inueni cur tacuit Petrus, ne tam cito veniæ petitio

Greg. l. 5. Mor. c. 4.

Ambr. in Euan. Luc. cap. 22. Prou. 18.

Hiero. 2. Ibid.

petitio plus offenderet. Ante flendum est, sic precandum. Bonæ lacrymæ, quæ lauant culpam.]

7. Si itaque velimus & nos, vt cælestis hic Caladrius placido aspectu intueatur, ad primum eius nutum cum Petro commoueamur, singularumque adhibeamus industriam, vt quæ contra Deum impiè commisimus, peramaras pœnitentiæ lacrymas quam citissimè, cũ Petro, eluamus. *Lacrymarum vis.*

[Lacrymæ enim sunt (vt ait Chrysostomus) quæ radunt rudeta, & sanant vulnera, lacrymæ sunt, quæ pœnitentem ornant, & indulgentiam prouocant; lacrymæ sunt quæ cælum pulsantes crimina delent, & conscientiam exonerant, sonant in ore pœnitentiæ verba, & mouent in pectore pietatis veniam, & impletur caput aqua, tumescunt oculi, rigantur genæ, decurrunt riuuli, & Deus indulgentiæ mentem exhilarat. Lacrymæ sunt, quæ reconciliant Deo, à peccatis redimunt animam, & sanant languores eius, sordentem animæ vestem lacrymæ lauant, & dant illi remissionis candorem.] Quam felix igitur in quem Deus misericordiæ oculis respicit, quorum affectus tantus est, vt qui antea, per peccata miser, miserabilis, pauper, & cæcus extitit, diuinis collustratus radiis statim gratiarum copiæ locupletatus, ita in conscientiæ suæ secreta penetrare possit, vt minimas quasque peccati maculas peruideat, deleatque. Quare Petrus huiusmodi oculorum radiis percussus, statim ad se rediens, se circumfluigratiarum donis ita sensit, vt ex oculis lacrymarum riuuli defluerent, quibus animæ suæ vulnera perfectè lauans amoris vulneribus saucius sese in hostiam viuentem Deo consecrauerit. [Quos ergo Iesus respicit (ait Am- *Chrys ser. 11. de pœnit. tom. 5.* *Ibid.*

broſius) plorant delictũ. Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia nõ reſpexerat Dominus. Negauit ſecundò, non fleuit, quia adhuc nõ reſpexerat Dominus. Negauit & tertiò, reſpexit Ieſus, & ille amariſſimè fleuit. Reſpice Domine Ieſu, vt ſciamus noſtrũ deflere peccatũ, lauare delictum.]

8. Petrus iam agnita ſua culpa illamque deflens inclamat: Bone Ieſu, vides, vt oculus, flagitij reus, tuo aſpectu illuminatus, mihi iam tandem obijciat ſcelus, cuius flagellis verberari modo ſe ſentit cor in lacrymas reſolutum non ſecus ac Matricida, matre trucidata, ſe materna ſpecie exagitari, furiarum verberibus, tædiſque ardentibus terreri imaginatur, adeo vt nullo tutus loco poſſit conſiſtere, & mihi omnia minantur mortem, flagella ingeminant, & in characteres quaſi ſe mutantia diſtinctis literis meum exprimunt ſcelus, quod foris oculus legit, intus cor ruminat tanto animi angore, vt in amariſſimum fel cogitabundo vertatur, quod vbi cogitatio linguæ miniſterio, foras eliminare putat, illud ſtatim auris, tanti ſceleris ſoni impatiens, retro defert ad pectus, & pectus illico ad cor, cor ad oculos, & oculi ad genas, accuſante, & flagellante conſcientiæ ſtimulo, ita vt nullus me ſit miſerior, conſcientiæ penitus pace amiſſa, & magiſtri mei ſuauiſſima priuato conſuetudine. [Exitus ergo aquarum deducant oculi mei, vt euidentiſſimum meæ conuerſionis ſint lacrymæ perpetuo ex oculis meis defluentes. [Granditer (inquit Ambroſius) affectum pœnitentiam gerentis expreſſit dicens, quod aquarum decurſus oculi ſui deſcenderint, ſiue quia per eos, tanquam per meatus vndantium fluentorum, ita exuberã-

Pſal. 118.

Amb. ſer. 17. in illud Pſal. 118.

tium lacrymarum se quidam ductus effuderit, & fletus irrigui per continuum quoddam, & iuge profluuium, siue quod ipsi descenderint oculi. Habet enim hoc vis summi doloris, vt cum lacrymis oculi quodammodo ipsi videantur descendere, eo quod tanta vis lacrymarum sit, vt putentur oculi in fletus resolui & in lacrymas effundi.] Quare quod Chrysostomus de Pauli lacrymis, hoc nos de Petri vsurpare possumus [ex quonam fonte tanta emanarunt fluenta, vt ex illius oculis lacrymæ?] non enim per triennium nocte ac die Paulus à lacrymis cessauit. Et addit Chrysostomus: [quemnam fontem vis comparare cum his lacrymis! eumne, qui est in paradiso, qui irrigat vniuersam terrã? sed nihil dices æquale!] ô quantam lacrymarum vbertatem, vt superet fontem adeo copiosum, vt vniuersam terræ superficiem irriget. Profecto Petri lacrymæ non minus vberes redundant. vnde Petrus solum flere, neutiquam vero culpam suam confiteri dicitur: lacrymarum enim tanta est copia, vt loquẽdi vsum auferat, & cũ velit voces edere, multitudine lacrymarum impediatur, & cum in verba linguã formare in suspiria exerter, adeo vt de eo illud Chrysostomi dici possit: [linguã præcurrebant lacrymæ] velociores enim erant oculi ad exprimenda lacrymis crimina, quam lingua ad ea confitenda voces fingere posset.

Chry. hom. 12. in Epist. ad Colos. Act. 20.

Chry. hom 24. in Epist. ad Ephes.

9. Hinc ipse tactus, dolore intrinseco, sic suum exaggerat mœrorem. Quid misera, inquiens, Agar expulsa domo cum filio vagari coacta in deserto Bersabæa sola mœres? quid, consumpta in vtre aqua, abijcis puerum subter vnam arborem, & abis mœsta? cur sedes è regione

pueri, tuam leuans in fletum vocem? quid cælos ſimul precibus & lacrymis imples? maternus amor in deſperatam prolem pectoris tui anguſtias exagitat, quæ nullo poſſunt ſtylo, aut penicillo exprimi: tantus enim eſt, & tam vehemens maternus in prolem amor. [Quod alij quietis, ac relaxamenti tempus ſumunt id illa ducebat in lamentis.] ſed quid Agar agis? ſi tanti doloris tui cauſa, meæ calamitati comparetur, illa, præ meis dolorum cauſis, ducenda nihili, filiumne in conſpectu tuo graui laborantem ſiti cernis, & præ ſiti morientem? non vis filio mortuo viuere? heu! Agar me doces lamentari, non aliquo priuatum filio, ſed Deo meo, quem vnicè aliquando, & præ omnibus hominum filiis, adamaui, ſpoliatum, quo amiſſo ſimul, & me ipſum amiſi, & vter gratia plenus, quem ad ſedandam concupiſcentiæ ſitim timoris, ac inconſtantiæ appetitum à Chriſto accepi, è meis euanuit oculis. Ceſſa igitur, ô Agar, plorare, vices ſubibo tuas, lacrymis ſimul, & precibus cælum fatigabo, conſcientia mihi dictante, & dicente [deduc quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem, non des quietem tibi, neque taceat pupilla oculi tui:] largiter itaque, & iugiter tibi flendum, & in cubilibus tuis compungendum. [compunctionem igitur amplectere, dico non vnius tantum diei, ſed quæ die, nocteque intus in anima, velut fons exuberat. Semper, & abſque intermiſſione plantas tuas irriga, Petre, vt ſic irrigatæ creſcant, fructumque ferant de die in diem, neque taceant oculi tui,) cum lacrymæ quædam ſint voces oculorum, quibus diuinum

Chryſoſt. in Pſal. 6.

Thren. 2.

Ephrem Syrus ſer. de iudic. & cõpunct.

pectus facile flectitur. Quidni ergo admonitus fatigem cælum, vt si forte audiar à Deo meo, & rursus gratiæ vtre fruar. Repulsam quidem vereor, qui nulla coactus necessitate, sed imbellis mulierculæ voce fractus ab æterni patris domo me ipsum eieci, animam omni prole charioremsalutaris gratiæ vtre destitutam, non morientem, sed penitus mortuam videns, perdito triplici scelere magistro meo Iesu, cum tamen ex fonte mihi præsente, Christi nimirum pectore, ex quo aquæ viuæ in vitam æternam salientes, perenni alueo, emanant, facile illam satiare potuissem. Morte igitur dignus, qui ex perpetuo illo gratiarum fonte bibere negligens dissipatas perfidiæ cisternas pleno hausiu suxi, dignus certe morte, qui viuere nolui, & viuere potui.

Io. Qui de naturalium rerum mysteriis scribunt, halecem ex sola aqua, chameleontem ex aere, salamandram ex igne, talpam ex terra viuere asserunt: & in Hibernia, & Scotia arbores quædam gignuntur ex quibus fiunt nauium mali, qui carie exesi, vbi per frusta in mare decidunt, in aues statim viuas vertuntur. Et Petrus cæterorum Apostolorum, vt halec piscium, princeps per totam vitam lacrymis veluti quotidiano vixit pane, mutuum inter Deum & ipsum amorem testantibus: iuxta illud B. Augustini: [da mihi videns signum amoris tui: irriguum lacrymarum fontem iugiter manantem, vt ipsæ quoque lacrymæ tuum in me testentur amorem: ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui, nequit se à lacrymis continere.] *Aug. l. medita. c. 36.*

& Petrus ſuum in Deum teſtatum facit amorem, qui velut quotidiano pane lacrymis
Iſa. 26. veſcitur. Inſtar vero chameleuntis os ſuum aperuit, & attraxit pœnitentiæ ſpiritus, ſpiritus veræ ſalutis, à timore enim tuo concepit, & parturiuit ſpiritum ſalutis adhærendo Saluatori ſuo, quem, præ timore, ter negauit. Inde concepto Spiritus ſancti igne Salamandræ naturam induit, qui reliquo vitæ tempore igneis viuebat lacrymis. Ignis
Sap. 16. enim in aqua valebat, & aqua extinguendi naturam obliuiſcebatur. Quare exeſis penè luminibus lacrymarum vi, & ſpiritalis ignis feruore cor paulatim conſumente, veluti cæleſtis talpa viuebat, corporis ſui terram, per quotidiana carnis decrementa, pœnitentiæ aſperitate abſumens, ac tandem tanquàm peccati carie exeſus, in lacrymarum pelagus decidens, vberrimos bonæ arboris fructus, viua nimirum charitatis opera, reliquo
Baſil. ho. de grati. act. vitæ tempore tulit [ad hæc (inquit Baſilius) dicere poſſumus ſanctorum lamenta lacrymaſque prouenire à feruore charitatis: oculis enim cordis in eum coniectis, quem diligunt lætitiam ſibi illinc accumulant] has vero lacrymas idem ait [ſeminium quoddam eſſe, ac fœnus, quibus æternum illud gaudium increſcit quotidie & cumulatur.] lacrymæ igitur Petri licet mœrorem ſummum de Magiſtri ſui negatione indicauerint, tamen ſpiritalem in eo peperterunt lætitiam, qua animatus æternæ beatitudinis ſibi, & aliis fructum vberrimum fetit.

11. Ex quo itaque concurrentibus Christi oculis in cælum & in domum Caiphæ in quo Christus tenebatur ligatus lacrymarum legationem misit. Tanta facilitate bonorum operum & pœnitentiæ pulcherrimos ex se fructus edidit, vt in proximos etiam redundarent. Prima enim sua concione tria hominum millia conuertit, & aliàs quinque. Ecce quanta lacrymosæ legationis efficacitas. hinc merito cum B. Iustiniano exclamare possumus. [O lacryma (Petri) humilis, tua est potentia, tuum regnum; tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis: non est qui te ad Deum accedere prohibet: si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium virginis, aperis cælum, fugas diabolum.] Tanta ergo lacrymarum virtus est, vt non modo peccata expient, bona omnia à Deo consequantur, sed diabolum quoque mirum in modum torqueant. Quare scitè beatus Petrus Cellensis [Sathan ait, tolerabilius sustinet flammam suam, quam lacrymam nostram: acriusque contriti cordis lacryma, quam flamma infernalis incendij torquetur:] & paulo post subdit [flumina omnia absorbet, sed hanc tamen aquam non sorbet. Rumpuntur namque ventris eius interiora, si conspersa fuerint hac aqua, dentes excutiuntur, fauces perforantur, venæ inflantur, & nerui eius soluuntur?] Quam efficaces Petri lacrymæ, & quam locupletes conuersionis eius testes, quippe charitatis

Iust. l. de lig. vit. c. 9.

Pet. l. de panit. c. 12.

ardore ebullientes ex saxea alioqui cordis terra in perennem aquæ viuæ fontem quotidie prosilientes, & ad Trinitatis subsellia ascendentes ad nouos, & nouos lacrymarum riuos effundendos, & ad dignos pœnitentiæ fructus efferendos inflamment. O quam dulces huiusmodi pœnitentis lacrymæ! [rorulentæ (vt ait B. Antiochus) aspergines lacrymarum, vt dulcor mellis sunt cordi, aut suaue fragrans thymiama apud Deum] hinc optimè Cellensis, panis, ait, lugentium abundantia est lacrymarum. Sicut enim panis esurientem, sic lacryma reficit animam dolentem: deficit esuriens sine pane, lacerata languet anima sine lacrymarum effusione. Panis mitigat famem, lacryma lenit dolorem.] quemadmodum videre est in Petro continuè lacrymante, & de sua conuersione lætante.

Pet. l. de panib. c. 12.

12. Est in Thracia (vt auctor est Dioscorides) miræ conditionis, ac naturæ lapis, qui quoties aqua aspergitur, accenditur, & inflammatur. Neque minus mirandum quod B. Nazianzenus in carminibus scribit de pisce quodam, cui nomen Epirus, qui licet aqueæ sit naturæ, ac proinde frigidus, in igne tamen positus minime læditur. Nam contrariæ horum elementorum qualitates, ira sese eius naturæ attemperant, natiuisque eius conditionibus accommodant, vt ad illius conseruationem, natura duce, conspirasse videantur, cum æquè in aqua, ac in igne incolumis seruetur; & Petrus, cui dictum est: [tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:] admirandæ virtutis est (post præsertim conuersionem)

Dios. l. 3. c. 104.

Petrus simul igne accenditur & lacrymis circumfunditur.

Matt. 16.

lapis censendus, qui quo magis, & quo abundantius lacrymarum aqua inspergitur, eo etiam magis ac copiosius diuini amoris igne inflammatur, adeo vt instar illius piscis in igne, & aqua positus non modo saluus incolumisque perseueret, sed splendidior etiam efficitur. Simul enim ignescit, & pœnitentiæ lacrymis circumfluit. Quare tantam remittendorum peccatorum vim obtinuerunt, vt instar baptismi & Petro culpam, & debitam culpæ pœnam remiserint. Hinc Leo [felices, inquit, sancte Apostole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis.] Et Augustinus lacrymas cum fullonis herba componit, singularem continente vim sordibus eluendis, [Hæc lacryma, ait, est herba cælestis illius fullonis, quæ vestes seruorum suorum deturpatas à sorde quotidie purgat.] Quidni ergo tam feruidæ veri pœnitentis lacrymæ solis iustitiæ ardoribus elicitæ, & culpæ veniam, & pœnæ remissionem impetrarent.] Hinc Chrysostomus lacrymas peccatorum spongias nominat: [In codice, ait, scripta sunt peccata tua, spongia peccatorum tuorum lacrymæ tuæ sunt: effunde lacrymas & poteris ea delere.]

Leo ser. 9. de pass.

Aug. ser. 11. ad frat. in Erem.

13. In Phrygia (inquit Plinius) petræ quædam reperiuntur, quæ natiua quadam conditione, irradiantibus solis radiis, seque percutientibus statim aquæ guttas, quasi lacrymantes, stillant: vna ex his Petrus, haud dubiè dici potest, cuius cor quasi per ternam magistri sui negationem in petram versum durissimam, solis iustitiæ, ac misericordiæ radiis repercussum, respexit enim Christus Petrum, continuo in lacrymas re-

Plin. de nat. Histo. Petrus petræ instinctu solis radiis percussæ lacrymas emittit.

ſoluitur, & tantam vim lacrymarum effudit, vt ſe mundum penitus Deo exhiberet. [Sicut enim (vt ait Chryſoſtomus) poſt vehementes impetus imbrium mundus aer, ac purus efficitur, ita etiam lacrymarum pluuias ſerenitas mentis ſequitur atque tranquillitas, omniſque illa de peccatorum tenebris offuſa caligo diſſoluitur. Et ſicut ex aqua, & ſpiritu, ſic rurſus ex lacrymis & confeſſione purgamur.] Abiit ergo Petrus foras, audito Galli cantu, Chriſti verborum memor, & licet amare fleuerit, ſerenitatem tamen conſcientiæ paulatim conſecutus eſt, & negationum caligine gratiæ ſplendore diſſipata, ſalutari lacrymarum balneo ſe lauans, ſub potenti manu Dei tremefactus ſeſe humiliauit. [A facie enim Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob] à diuino reſpectu terreum Petri cor, & peccati onere prægrauatum ſubito in pœnitentiam mouetur, & ſui peccati agnita magnitudine vberrim fleuit [& idcirco (inquit Chryſoſtomus) ſterilitatem eius in fœcunditatem Deus mutauit, & quaſi è duro quodam ſaxo agrum fertilem reddidit.]. Nam qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum] idem rupem Petri cor & inſtar ſilicis duriſſimum, diuinis gratiæ radiis ictum in aquarum fontem conuertit, imo in quoddam quaſi diluuium, cui Hieronymus lacrymas comparat, & præſertim Petri. [Vide, ait, quanta magnitudo ſit fletuum, vt aquarum diluuio comparentur. Non enim minus Petri lacrymæ ipſum penitus totum, quam diluuium totum orbem expiauit.]. Q ictus omnipotens, qui ex duriſſima cordis rupe perennes contri-

Chry. hom. 6. in Marc.

Pſal. 113.

Chryſ. ho. 6. in Matth.

Pſal. 113.

Hiero. Epiſt. 46. ad Ruſt.

tionis aquas elicuisti; qui purissimos lacrymarum fontes, infinita vi in stagno peccatorum cœno exundante, produxisti, & per duos oculorum meatus, in pectus insilientes, perpetuo plene fluxu, veluti canales sibi per genas peccatoris Petri efficientes, per quos tanquam per proprios alueos vbertim defluerent, quibus peccati sordibus omnino ablutis, gratiarum canales in se deriuari cœlitus percepit. O infinitam diuini respectus potentiam! Quam felix qui sese tuæ radiorum virtuti obijceret! licet enim Caucaso durior, statim instar ceræ ignis vel solis calori applicatæ, emollesceret, & in pœnitentiæ lacrymas resolueretur.

Præclarum Petri pœnitentiæ exemplum nobis imitandum proponitur.

CAPVT XXXVIII.

1. PRæclarum Petri resipiscentis exemplum, & toto vitæ decursu peccatum semper deflentis, audito præsertim Galli cantu, nos ad pœnitentiam excitare debet, præsertim cum aliquando pluries in die, licet non verbis, factis certè Deum plurimi negent. Quouis enim læthali peccato, B. Hieronymo auctore, Deum negare censemur. [Christus, inquit, est sapientia,

Hiero. ad Titum 1. Quouis lathali peccato Deum negamus.

iuſtitia, veritas, ſanctitas: negatur per inſipientiam ſapientia; per iniquitatem iuſtitia, per mendacium veritas; per turpitudinem ſanctitas; per imbecillitatem animi fortitudo, & quoties vitiis vincimur, Deum negamus: è contrario quoties boni quid agimus, non ore, ſed re ipſa Deum confitemur.] Hinc Auguſtinus in huiuſmodi Deum peccatis negantes exclamat: [ô homo ſi te videres, tibi diſpliceres, & mihi placeres: ſed quia te non vides, mihi diſplices, & tibi places.] heu! miſer nondum Dei reſpectum in te ſentis, qui vt tibi placeas, Deo diſplicere nihili facis! & quia tibi places, ſuſquè dequè fers Deo placere, qui ſic perperam putas te Deo placere, quando maxime illi diſplices. cur ergo, ô demens, præcepit Deus, vt nos lauemus? nonne, vt mundi ſimus? [ſicut igitur faciem corporis tui (inquit Chryſoſtomus) quotidie abluis, ne qua forte macula faciei inhærens fœda appareat, ſic & animæ curam habe, quotidie lacrymis eam abluens: hæc enim aqua maculæ deponuntur.] vt mundi itaque ſimus præcipimur non in oculis noſtris, qui ſæpè falluntur; ſed in oculis Dei. [Auferte, inquit, malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.] vult ergo Deus, vt auferamus malum (vt ſuo nos docuit Petrus exemplo) non à noſtris, quibus malum bonum, & bonum malum apparet, ſed à oculis ſuis, qui nunquam falluntur. Quod fiet, ſi præ oculis peccata ſemper, ſepoſitis illorum illecebris, habeamus: Hinc enim Deus benigno noſ aſpectu miſerãdo, & parcendo dignabitur intueri. [quoniam (vt ſcribit Gregorius) electi in malis præteritis, & peccatis ſæpius oculos mentis figunt, quam in

Aug.

Chry. ho. 11. in Gen.

Iſa. 1.

Greg. l. 22. Mor. c. 4.

bonis operibus, & in consideratione perpetuæ scelerum suorum sibimetipsis vilescunt.] Sic Petrus mētis oculos perpetuo in triplicem perfidiæ suæ culpam intentos semper habuit, donec copioso lacrymarum imbre, quo ad culpam, & pœnam pœnitus deleret. [luge igitur, & tu (vt monet Chrysostomus) peccata, vt ipsa deleas.] *Chry. ho. 5. ad pop.*

2. Sint itaque contra nos assiduè peccata, vt cum Petro canalem per genas, continuo lacrymarum cursu, inducamus, & conscientiæ stimuli ad pœnitentiam excitent. hæc siquidem à commisso crimine Galli instar lugubri cantu statim nobis inclamet, cuius voce instar horologij mediæ noctis horam indicantis excitati è peccati somno, ad gratiæ diem nobis appropinquantem, assurgere festinemus, vt peccata Deus nostra nobis condonet, quæ nos pœnitentiæ lacrymis deflemus, [Peccatum meum (ait Regius Propheta) contra me est semper.] *Psal. 50.* quasi dicat: ita oculis meis obuersatur peccatum, vt è regione stare mihi videatur, assiduè me accusans, & iudicans, non aliter, atque carnifex vindictam reposcens. [Sapiens enim aduersum se iudicat delictum suum esse (inquit Ambrosius,) & tanquam hostiles aues, ita lapsus culparum suarum, aduersantium modo sibi arbitratur obsistere, & sine interuallo recordatio, & species ipsa sui illum erroris impugnant.] Nathan Dauidi sceleris sui speciem sub parabola absconditam, vbi sublato parabolæ velo palam fecit, ita cohorruit Dauid, & in se ipsum exarsit, vt ea perpetuo ob oculos versaretur & sicuti tristis, ac terribilis imago peccati me- *Ambro.* *2. Reg. 12.*

Ambin illud 50. delictum meũ &c.

moriam ſemper ingereret. Hinc peccati veniam meruit. [hoc enim bonæ mentis eſt, vulnus ſentire peccati , vbi enim doloris ſenſus, ibi etiam ſenſus eſt vitæ.] & B. Hieronymus [non trado, ait, peccatum meum in obliuionem: ſed propono illud ſemper ante oculos meos. Quia ſi tu ponis illud ante te, Deus illud non ponit ante ſe.] Et. Hinc loca , in quibus peccata commiſerat circumibat flendo, vt nemo eſſet qui ea nouit , cui quoque eius pœnitentia non innoteſceret. quo nos doceret peccatum eo loco caſtigandum, in quo commiſſum eſt. Hinc Hieronymus [non potuit, ait, in atrio Pontificis agere pœnitentiam, foras illi egrediendum fuit, feciſſet conſtantius, & fortius, ſi quo loco peccauerat, eodem pœnitentiam egiſſet , & coram quibus Chriſtum ſe noſſe negauerat, coram eiſdem confeſſus fuiſſet, vt negationis damnum repararet: ſed ita natura comparatum eſt, vt ibi pudeat agere pœnitentiam , vbi peccare non puduit.] & ſubdit [quacunque tandem ratione egreſſus ſit , magnum pœnitentiæ præbuit exemplum.]

Hiero. in il. lud, egreſſus foras. &c.

3. Et peccato in paradiſo olim commiſſo, eiecti inde hominis regreſſum impediens Cherub cum gladio flammeo, atque verſatili, viam ligni cuſtodiuit: voluitque Deus, vt oppoſiti conſpectu paradiſi Adam continuo verſaret animo, vnde , & cur excidiſſet, illius menti propoſita peccati imagine , ipſum ſine intermiſſione terrente , cautioremque reddente, quo bonum amiſſum amarius lugeret, odio in dæmonem totius mali auctorem ardentiore accenſus. Hoc volebat (ait noſter Lorinus) Deus figmento illo etiam ſtatuæ, quam oſtendit Nabuchodonozor, ſtatuitque ante ip-

Dan. 2.

ſum, vt ſuæ ſemper fragilitatis memor, ſuperbiæ criſtas deprimeret. Hoc digitis manus ſcribentis, ſcripturaque, quam vidit Balthazar. Cain vero vbi malè ipſe egiſſet mox illi etiam adfuit cæleſtis vltio, illumque inſtar canis allatrans momordit, lancinauit; & intus corroſit conſcientiæ vermis. nonne hoc ſatis (inquit Petrus) mihi fuiſſet, vt eius malo edoctus mihi cauiſſem? Verum qui alieno cruciatu non ſapui, peccati tyrannidem velim, nolim, ſuſtinere cogor, quæ me cum ſuis aſſeclis, & veluti lictoribus acribus nimirum conſcientiæ ſtimulis, tanquam rabidis moloſſis perſequitur, & mirum in modum affligit. Conſcia ergo ſceleris ipſa ſui, vindex, tortor, & carnifex conſcientia. Flere igitur lubet, vt vos tortores pœnitentiæ lacrymis obruam, vt ſic tanquam errans ouis ad Magiſtrum meum rurſus ducar. [nec enim Eccleſia mittit ad Dominum, qui in ipſa proficiunt, niſi ex magna tribulatione, niſi ex planctu, & fletu, & lacrymis.] Nihil enim efficacius ad exorandum ore lacrymis perfuſo: lacrymæ namque eam ori conciliant venuſtatem, vt qui ſic ornatus deprecatur, nullam vnquam à Deo repulſam patiatur.] [purgatur ſiquidem lacrymis oculus ante caligans, & acuitur viſus, vt intendere poſſit in ſereniſſimi luminis claritatem.] ſed vtinam hac purgatione non indiguiſſem: quamobrem opportunè antea meminiſſe debueram, quomodo plurimos à ſcelere commiſſo, horrendè vexatos inaudierim, quorum vexatio, ne lacrymis quidem potuit mitigari,

Dan. 5.

Gen.

Chry. ho. de Iephte.

Ber. ſer. de conuerſ. ad cleri. c. 19.

Nonne acer conſcientiæ carnifex Alexandrum Macedonum Regem diu, noctuque pungentibus perſequens ſtimulis, vſque adeo vexatum ob Clytum ſibi chariſſimum, ac fideliſſimum à ſe temulento interfectum, reliquit, vt ipſe ſuum geſtans in pectore ſceleris ſui teſtem occultum, vt ait ille. quatiente animo tortore flagellum, mox conſciẽtia tanti flagitij perturbara, ſibi, niſi à ſuis prohiberetur, violentas inferre manus voluerit? & quis mihi manus prohibet, ne negationis ſcelus maiori ſcelere cumulem? certe ſolus ille, in quem fœdiſſimè peccaui, verum conſcientiæ carnificem lictorem ſuum in mea ſæuire viſcera pungentibus aculeis voluit, quibus excitatus & culpam agnoſcerem, & lacrymis delerem, ne in deſperationis barathrum cum Caino, aut Alexãdro præcipitarer, quorum alterius crimen aliquo ſaltem vmbratili prætextus velo, amoris diuini in ſe penitus deriuandi cauſa, excuſari putaretur. Sperauit fortaſſe nullum ſe habiturum corriualem in diuino amore, inter ipſum, & fratrem quaſi diuiſo: alterius vero tumulentiæ non odio, aut rancori tribuendum. At vero meum nullam penitus admittit excuſationem. Hinc accuſante & flagellante me conſcientiæ tyranno, animæ vultus ſeſe in cælum attollere refugit, grauiore exiſtimans ſe obſtringi ſcelere, quam vel ipſe Cainus, aut Alexander: cum alter fraterno ſe tantum ſanguine contaminauerit: alter vino ebrius amici cruore manus imbuerit: ego vero diuinæ maieſtati (quantum in me fuerat) ſacrilegas intuli manus, illamque prius mea damnaui fuga, & poſtmodum negationis flagitio mortis in eam ſententiam tuli, quam ipſi eius iurati

Senec. Epiſt. 83.

iurati hostes: peiori proinde morte ipso Caïno digniorem me censeo.

4. Hanc imitemur Petri pœnitentiam, nostramque condemnemus iniquitatem, qui toties in Redemptorem nostrum grauiter peccauimus: peccata ob oculos perpetuo nobis obuersentur. Cogitatio enim de peccato quam fœdum, quam horrendum efficacissimum remedium est, ad eius odium nobis ingerendum, & ad nostram Deo confitendo ex illo ortam miseriam. Reliquiæ vero cogitationis, cum id execramur, diem festum agunt: & addit Lorinus: quando Rachel Idola furata est, arbitrantur aliqui hoc fecisse, vt eorum crebro aspectu, ptiorem magis idololatriam detestaretur. Præsens præteriti, memoria adulterij cohibuit licitum etiam in Dauide aquæ vsum; & memor Petrus negasse Christum, contra quem præsumpsisset, interrogatus ter an diligeret, non de seipso, sed de Christi respondit scientia (vt obseruarunt Ambrosius, & Chrysostomus.) obuersetur itaque ob oculos nobis peccati nostri imago, terrorem nobis ingeminans, quo ad misericordes Dei vlnas, cum Petro, pœnitentes recurramus vt sicut ille pœnitentiæ lacrymis veniam obtinuit, sic nos eodem lacrymarum remedio animæ vulneribus medeamur [Non sic (inquit Chrysostomus) semina delatus imber germinare, & crescere facit, vt pietatis semen excitat, & vernare facit ex lacrymis ruens imber.] Sicut igitur irrigatio terram fœcundat ad fruges, ita lacrymarum imber Christum ad misericordiam incitat. Hinc exclamat Ambrosius: [Bonæ lacrymæ, quæ non solum nostrum

Memoria peccati commissi salutaris.

Psal. 75.

Chry. ho. 4. ad pop.

Amb. in illud Luc. 7. Hac non cessauit lacrymis &c.

possunt lauare delictum, sed etiam Verbi cælestis rigare vestigium, vt gressus in nobis eius exuberent.] Quidni ergo eius etiam nos pedes lacrymis rigemus cœlestium bonorum fœcundissimos: cum inde vberes gratiarum fructus in nos redundent [Petrus (inquit Ambrosius) amarulentis lacrymis vna hora profusis, non peccatum modo abnegationis promeruit sibi condonari; sed & in earum gratia illi creditæ sunt claues regni cœlorum] Ecquod præclarius sibi munus obtinere potuerunt lacrymæ; quam claues, quibus regnum cœlorum sibi, & aliis aperiretur? [Scimus (inquit Ambrosius) iam hoc exemplo quemadmodum nostra peccata curemus;] nobisque regnum cœlorum referemus, & paulò inferius subdit: [Videte ergo quantum fletus profuerit Petro: antequam fleret lapsus est: posteaquam fleuit, erectus est; & qui ante lacrymas præuaricator extitit, post lacrymas pastor assumptus est: & alios regendos accepit, qui prius se ipse non rexit.]

B. Antioch. ex Ambrosio.

Amb. in c. 14. Marc.

Magna vis lacrymarũ.

5. Collocemus itaque & nos cum Petro ex oppositio iustitiæ soli, vt si quando peccati gelu constringamur, citò eius gratiæ radiis percussi calefiamus & in lacrymas resoluamur [Vbi enim lacrymæ (inquit Antiochus) ibi exorabilis Dei clementia.] Ad hoc ipse Dominus ad nos clamat: [Reuertere Sunamitis, reuertere, vt intueamur te.] quod iuxta Hieronymi interpretationem significat, miserabilem, & captiuam animam à peccatis reuocari, & ad Dei conspectum inuitari, quæ per peccatum terga illi obuerterat, eoque se se loco collocet, vbi suam intueri possit miseriam. Hinc ait: Reuertere

Anti. hq. 307. de compunct. Cant. 6. Hiero. tract. de nomi. Hebrai.

Digitized by Google

Sunamitis, & expergiſcere, quæ in turpiſſimo peccati cœno volutaris. Reuertere in teipſam, & conſidera in quam miſerabili ſtatu, peccatis immerſa iaces, vt ſic reuerſam miſericordiæ oculo te intuear, faciamque odoriferum te virtutum plantis pratum [Non quod roſaria profert, aut alios flores, qui marceſcunt (inquit Chryſoſtomus) ſed quod deprecationem ac fidem, magnamque tolerantiam, ſiquidem hæc ſunt longè vernis floribus redolentiora, vt quæ non aquarum fontibus, ſed lacrymarum imbre rigantur. Neque enim perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, vt plantam precationis fontes lacrymarum irrigantes, faciunt in ſummam altitudinem excurrere.] Quare ſi nos Deus commiſerationis oculo minime intueri velit, etiamſi miſerabilem animæ noſtræ ſtatum intelligamus, parum nobis proderit, neque virtutum flores in noſtræ animæ prato gignere faciet, niſi nos benigno aſpectu ſuo ad pœnitentiæ lacrymas cum Petro moueat. Nam Deus ſæpe in præteritorum peccatorum vindictam, auxilia nobis peculiaria ſubtrahit, relictis tantum communibus, quo nihil infelicius peccatori poteſt obtingere. Parum igitur prodeſt ſine affectu emendationis culpam agnoſcere, cum Deus huiuſmodi animam miſericordiæ oculo intueri non ſoleat. Quare inclamat, reuertere, reuertere Sunamitis, vt intueamur te, reuertere doloroſa peccati admiſſione in te ipſum, & reuertere pio animi affectu ad pœnitudinem [cum hæc omnia vitia (inquit Bernardus) reliquerit anima, intuebitur eam ſponſus eius. Ob hoc autem debet ab aliis abſtinere,

Chry. ho. 1. de Anna.

Ber. ſer. 59. in parui.

vt digna ſiat eius complexibus. Vnde & ad eam dicitur: reuertere, reuertere vt intueamur te] iuxta ergo reſpectus noſtros Chriſtus ſuos attemperat, adeo, vt ſi reuerti ex animo velimus, ad nos reuertatur, ſi reuerti nolimus, terga nobis & ipſe vertet.

Si velimus conuerti Dei aſpectui obijciamur.

6. Quemadmodum enim in ſpeculo imago Prototypi ſeſe inclinantis à terra non reſurgit, quouſque Prototypum ſeſe erigit: ſic anima noſtra peccati pondere in terram incuruata, niſi Dei, cuius eſt imago, aſpectu in altum eleuetur, à peccati lapſu ſeſe erigere non poterit. collocemus ergo nos diuino impulſi ſpiritu, vbi Deus nos poſſit videre, vt algens peccati gelu cor noſtrum Chriſti aſpectu, colliqueſcere incipiat, & in lacrymas reſolui, quibus Deum toties peccatis noſtris iratum veluti efficaciſſimis pœnitentium ſuffragiis placemus [vtiliores enim (vt ait Ambroſius) lacrymarum preces ſunt, quam ſermonum: quia ſermo in precando ſorte fallit: lacryma omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium: lacryma ſemper totum prodit affectum: & ideo Petrus iam non vtitur ſermone, quo fefellerat, quo peccauerat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vſus fuerat ad negandum. Mauult cauſam ſuam flere, quam dicere: & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.] diſponamus itaque nos, quantum in nobis eſt, per lacrymarum ſuffragia, vt cum Petro flentes, fletu oppoſiti iuſtitiæ ſolis radiis elicito, peccata diluamus, vt Deo coniungamur [nihil enim (inquit Chryſoſtomus) ita conglutinat, atque vnit Deo, vt illæ lacrymæ, quas & peccati dolor, & amor

Potentior lacryma ſermone.

Amb. ſer. 14. ſer. 3. hebd. ſãcta.

Chry. ho. 6. in Matth.

virtutum effundit: illa in Euangelio meretrix virgines quoque ipſas honeſtate ſuperauit, & incredibilis in Chriſtum amoris igne ſuccenſa, & à maximis ſordibus peccatorum, largiſſimo lacrymarum fonte purgata] plurimas virgines in cœlo præcedit.] peccaſti, ne adiicias vltra, ſed peccatum lacrymis terge, vt in tui iuſtificatione miſericordiæ Dei adiutor ſis. [Ideo (inquit Ambroſius) tantam gratiam Dauid meruit, qui, per ſingulas noctes lectum ſuum lauabat, & lacrymis ſtratum rigabat, vt ex eius familia virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Chriſtum ederet.] O ſingulare lacrymarum præmium! Quæramus igitur Deum per peccata noſtra amiſſum, vt quem propria perdidimus culpa, eundem per culpæ pœnitentiam reperiamus.

Amb. l. de pœnit. c. 8. Pſal. 6.

7. Michas, idolo ſibi, per furtum, ſublato, tot gemitibus, lacrymis, ac clamoribus fures à tergo perſequebatur. Et illi ad eum conuerſi dixerunt. [quid tibi vis? cur clamas? qui reſpondit: Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & dicitis, quid tibi eſt?] quæ lacrymarum, gemituum, & clamorum cauſa maior eſſe poteſt, quam Dei ſui iacturam pati? ſi igitur idololatra Michas, ob idolum, quod (teſte Apoſtolo) nihil eſt, tot lacrymas fudit, tot gemitus, ac ſuſpiria emiſit, tot clamoribus latrunculos proſequutus eſt, quod perperam [in illis (vt ait Lyranus) ſua omnia bona incluſa exiſtimaret,] quia ex illo idolo, tanquam ex perenni fonte omnium bonorum ſibi flumina oriri rebatur. Si igitur ex vano ſimulacro bona omnia ethnicus ille ſperabat: quid ex vero & præſenti Numine non

Iudic. 18. Lacrymis Deum nobis per peccata ſublatum proſequamur. 1. Cor. 8.

ſperet Chriſtianus? multo ergo acrius peccatorum latrones lacrymis, gemitibus, & clamoribus perſequi debemus, quam ille idoli latrunculos, quòd non idolum, ſed verum Deum, cuius cælum ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum eius, nobis ſurripuerint. ex cuius præſentia omnia nobis obuenerunt bona. Puer Baptiſta adhuc materno in vtero incluſus ex Chriſti præſentia in bonorum omnium ſpem erectus [exultauit in gaudio; præſentia enim Mariæ (inquit Ambroſius) cum vtero grauis eſſet, erudiuit Ioannem in vtero conſtitutum: adeo, vt exiliret, & exultaret Domini præſentiam recognoſcens.] quos igitur bonorum fontes, & gratiarum flumina non ſperaret, qui totius bonitatis auctorem ſibi adeſſe ſentiret? quibus è contrario priuatum bonis ſe intelligeret, cui deeſſet omnium bonorum fons. Non ceſſemus itaque fures hos animarum, & gratiæ latrones, qui nobis Deum ſurripiunt, lacrymis, & clamoribus laceſſere, & ſi ad nos conuerſi importunis cogitationibus dixerint; quid vobis vultis? cur clamatis? illis reſpondeamus: Deum noſtrum cæli, terræque pretium nobis ſuſtuliſtis, & dicitis: quid vobis eſt? fontem vnde bona omnia promanant ſurripuiſtis; & dicitis: quid vobis eſt? omnia per vos perdidimus gratiam, Deum, cælum, & dicitis: quid vobis eſt? vno Deo, per vos, amiſſo, etiamſi omnia alia poſſideremus, nobis omnia deeſſent: & dicitis quid vobis deeſt? vnum nobis deeſt, quo deficiente, omnia penitus deſunt, & dicitis: quid vobis deeſt? refugium, & virtus pariter, Deo noſtro abſente, nobis deeſt: refugium, quod

Luc. 1.

Amb. l. de Iſaac. & ani. c. 6.

ad ſe fugientes benigno exciperet amplexu; virtus, quæ pugnantes brachio extento adiuuaret; & diciris: quid vobis deeſt? [recte (inquit Baſilius) refugium & virtutem dixit, vt oſtenderet, quod aliquando fugiendo, aliquando ſtando, & pugnando vincimus. Nam vtraque iſta ſunt facienda. Simul enim & congrediendum eſt, dum tempus vocat: & rurſus declinandum, dum illud reuocat.] Vtrobique fortitudo eminet, & elucet. Et Ambroſius [perſequuntur nos, ait, peccatorum illecebræ, perſequitur libido. Sed tu fuge tanquam furioſam Dominam: quæ ſi comprehenderit, nec die nec nocte quieſcere ſinit, exagitat, vrit, incendit:] contra autem alia vitia fortiter in acie ſtandum, & ſi quando labamur, tanto animi affectu cum Petro Deum per peccata amiſſo, ſtatim quæramus, & miſericordiæ oculo ſe quærentes ipſe intuebitur, ſuoque aſpectu veluti virga Moſaïca lacrymarum imbrem ex pœnitentium cordibus eliciet. fœlix ergo, quem Deus grato reſpicit intuitu, & infelix, quem ille non reſpicit: induratur enim, adeo, vt gratiæ præuenientis radio percuſſus, pœnitentiæ lacrymas minimè emittat.

Baſil. in pſ. 45.

Amb l. de fug. ſeculi. c. 4.

8. Huiuſmodi ſane à præcipitio in præcipitium quotidie deuoluitur, donec ad imum peccatorum barathrum deturbatus, omni prorſus diuini caloris virtute deſtituatur, longiſſime poſitus à cæleſtibus ſolis iuſtitiæ radiis, in quo miſerrimo ſtatu ſemel collocatus, inueterata flagitioſæ vitæ conſuetudine,

Peccator dū in profundū peccatorum venerit deſpicit ea.

ita sui pœnitus obliuiscitur, vt grauissima etiam crimina leuissima censeat, vti Augustinus docet { Peccata, inquiens, quamuis magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, vsque adeo, vt non solum non occultanda, verum etiam iam prædicanda, ac diffamanda videantur.] Ecce quò nos peccatum, per celerem pœnitentiam minime deletum trahat. Primæ igitur peccati titillationi obuiandum. Nam quis scit, si semel in peccatum lapsus fueris, diuinos in te oculos vnquam reflectendos. Quos quidem Iesus efficaci misecordiæ oculo respicit, instar Petri, delictum plorant: sed quos, ob suam culpam, despicit, illi sese in delicto potius confirmare solent, quam ab eo resipiscere, licet illis communia gratiæ auxilia semper relinquat. Si ergo ita sunt necessarij oculi tui, Deus: vnusquisque dicat: respice in me Deus, & miserere mei. ô [quid homo (inquit Augustinus) sine gratia Dei possit, timor B. Petri ostendit. quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus sine gratia Christi?]

Augustin. Enchir. c. 80

Augustin. ser. 124. de tēp.

Petrus iam perfectè peccati sui fœditatem agnoscens, perpetua in seipsum inuehitur oratione.

CAPVT XXXIX.

1. HEu me inter mortales infelicissimum, qui non modo Apostoli, sed ne quidem nouissimi hominis nomine dignus sum, Magistri mei proditor, mortis pabulum, inferni incola, & iniquitatis spolium! quomodo impune adhuc viuere permittor corpore, gratiæ vita priuatus, qui vitam animæ iam tertiò turpiter negaui factus dæmoni ludus? [Ludus est enim dæmonum cum vagas, & instabiles animas de vitio rotant in vitium.] Heu me ergo infelicissimum de simplici negatione in periurium, & de periurio in execrationem rotatum! heu quomodo mentis lumine orbatus, audebo vnquam corporis oculos in cælum attollere, qui cæli Dominum fœdissimè abiurans, cælestis mihi gloriæ ianuam ferreo peccati pessulo obdidi; vere, vt iam sentio [inter multiplices humanæ animæ tribulationes, & innumerabiles afflictionum molestias, nulla est maior afflictio, quam conscientia delictorum!] heu me igitur afflictissimum, qua fronte coram illo apparere, aut qua lingua tanti sceleris veniam efflagitare potero, cum nulla mihi supersit præter illam vipeream, trisulca armatam cuspide, qua me diris consecrans, triplici ictu Saluatoris ac magistri mei iugulum petij, mendacio, periurio, exe-

Suum Petrus deplorat lapsum.

Greg. 33. Mor. 2.

Greg. in Psalm. 7. pœnit.

cratione, pernegans me nosse hominem, quem
Psal. 99. Baruc. 3. omnes creaturæ suum esse creatorem natiua clamant voce:] Ipse fecit nos, & non ipsi nos:] quem omnes naturali affectu amplectuntur; & amant ingeminantes: [hic est Deus noster.] Et ego solus inter omnes naturæ oblitus, beneficij immemor, ingratus creatori, illum me nosse pertinaciter negaui. O si [lingua iusti cordibus credẽtium verba inscribit vitæ æternæ; tincta quidem
Basil. in illud Ps. 44. lingua mea calamus, &c. non atramento, sed spiritu Dei viuentis!] ecquæ lingua sacrilega, sacrilego cordi verba inscribere potuit, quã mortis ęternæ, tincta quidẽnõ spiritu Dei viuentis, sed nigerrimo periurij atramento?
Pœna rebellionis. Num. 16. 2. Heu quomodo mihi tellus non dehiscit, quomodo me terra non absorbet. Absorbuit quidem Core, Dathan, & Abiron ob iniuriam vni Mosi illatam [Immugiens enim terra, in medio plebis,
Nonnulla huc excerpta sparsim ex nostri Sonthuvelli Anglico metro de Petri lamentatione. scinditur, aperitur, in profundũ sinus abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec aerem hausto, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.] Et ego Deo omnipotenti insigni irrogata iniuria, impune adhuc terram calco, aeris hausto fruor, cælũ visu intueor, maris fluctibus non absorbeor! O oceane, cur præ tanti sceleris indignatione terminos tibi præscriptos, non prætergrediens te in terrã magno impetu exoneras, vt me creatori tuo iniurioſum implices vorticibus! O fluctus, qui aliquando hanc meam perfidiã veluti præsentientes indignabundi vehementioris venti flatu insurgente, me ad imum præcipitare voluistis, nisi Dominus vestrum cohibuisset furorẽ!
Psal. 14. ô vtinam me tunc vos Christi virtute calcantem, & ob modicam fidem in imum descendentem

obruiſſetis, ne vnquam ſol iſte tam nefandū à me patratum ſcelus intueri cogeretur! ô bone Ieſu, cur me tunc mea mole in imum labentem, tua ſubleuaſti virtute, vt cæli omnes, Cæliteſque tanti opprobrij mei, & tibi à me illatę iniuriæ teſtes eſſent? Magiſter bone, cur tunc me ob modicā fidē fluctibus abreptum, & in profundū pelagi abeuntem erexiſti, vt tātam à me hoſtes tui, animæ meæ interfectores, audirent blaſphemiam: [non noui hominem!] vtinam heu! tunc hæc maledicta viperæ lingua fuiſſet piſcibus eſca, priuſquā in tantam me perfidiæ abyſſum præcipitaſſet! vtinam ſaltem abſorpto, vt Ionæ, Balena mihi cubile in ſua ſtrauiſſet aluo. Nam [quem malitia hominum perdidit, beſtia eſuriens fortaſſe cuſtodiret.] ſic ſtetiſſet periurij, & execrationis meæ, haud ambigo, mare à feruore ſuo, & timuiſſent omnes Apoſtoli timore magno, & cauiſſent meo edocti fœlici infortunio ab omni perfidiæ flagitio [magnanimus enim Deus ſicuti patiēter ſuſtinuit abſorberi Ionam à ceto, non, vt in totū periret; ſed euomitus firmā pœnitentiam faceret inimicis: vt conuerterentur ad Dominum, qui eos liberaret à morte conterritos ab eo ſigno, quod factum erat circa Ionā:] ſic ſuſtinuiſſet vtinā abſorberi me ab aliquo marino monſtro, non vt totus peritē, ſed vt euomitus, dignam factis pœnitentiā facerent, qua Dei hoſtes me ſic grauiter punitum audientes, & miſericorditer ſimul liberatum, flecterentur, & ad Dei miſericordiam confugerent. O quomodo in beſtiæ ventre cum Iona neceſſitate ſaltem compulſus linguam illam deteſtabilem, quæ te abiurauit, in tuam erexiſſem laudem, vt illi hoſtes, & præſertim

Hiero. in 9. to. Epiſt. 29. de Reſurrec. Domi. Irene. l. 3. aduerſus hære. c. 22.

fugaces Apostoli, proposito sibi tam præclaro linguæ meæ documento, te laudarent, neque tam trepidi mecum in conflictu inuenirentur! ô quâ opportunè tunc in Balenæ aluo clamassem cum Iona: [abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. Circundederunt me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me, pelagus aperuit caput meum. Ego in voce laudis immolabo tibi; quæcunque voui, reddam pro salute Domino.] quam singularem mihi patronam huiusmodi tunc adesse intelligerem. [oratio Ionæ cetum, domum effecit: Ezechiam ex portis mortis ad vitam reduxit: tribus adolescentibus in ventum rorantem flammam conuertit, Israelitis aduersus Amalecitas trophæum erexit: & centum octoginta quinque millia Assyriorum vna nocte gladio inuisibili prostrauit.] Et mihi haud dubiè absorpto suppetias ferret. dixisset fortasse tunc pisci, euome Petrum in aridam: qua edoctus calamitate, in secundum forte non incidissem, neque in tertium infortunium. Sed quid conqueror? cur non cito in meam linguam descendit vindicta, commissa prima negatione, ne in maiora laberetur? cur non auibus cæli dilanianda statim tradita est, vt sic saltem extracta è faucibus meis, veluti venenoso serpente, liberius cor gemitus supplices, per vacuum os, in cælum veluti pacis legatos transmitteret?

Ionæ c. 2.

Greg. Nisse. l. de orat. subinitium.

Mira orationis effecta.

3. Si Nicanoris blasphemi lingua minutatim præcisa, auibus in escam data sit: quis blasphemus me execrabilior? quis me dignior pœna? cur igitur extractâ hæc blasphema, & impia lingua è viuis faucibus canibus non traditur deuo-

2. Machab. 15.

randa, quæ rabidi canis inſtar, triplici negationis morſu herum ſuum violauit? ſi contabuerint pugnantium contra Hieruſalem in ore linguæ; quomodo non contabuit nefaria hæc lingua, triplici viperæ ictu in Deum erecta? ô linguam perfidam in perfido ore quaſi gladius tricipiti inſtructa acie, in corrupta vagina repoſitam, vt data opportunitate terna perfidiæ ſuæ vulnera infligat! ecce loquor in ore meo: [etiamſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor!] en gladius in meis labiis? Quis hoc vnquam audiuit, vt pro gladio quis lingua vtatur, illaque periculoſius feriat, quam ancipiti gladio, ac mea, qua vtor lingua, velut triceps mucro in ore geritur, cuius triplex ictus Magiſtri mei pectus penetrauit? [quis ergo numeret quantas modicum linguæ meæ membrum ex triplici ictu contraxerit ſordes? quam multiplex in labiis incircumciſis meis immunditia inde copulata? quam grauis pernicies oris incircumſpecti?] hoc docuit heu! lingua hæc mea, per quam mihi inſidias, ſicut & alijs, dæmon præparare conſueuit: [nullum enim æque congruum illi organum in miniſterium eſt interitus, atque peccati. Nam inde nobis mors, inde lapſus, inde perditio, inde naufragium præparatur,] ô lingua inquietum malum, plena veneno mortifero, ignis conſumens vſque ad nouiſſima, vniuerſitas iniquitatis! quis tuo malo remedium adhibebit? quis vulnera, quæ animæ infligis, ſanabit? quis tuis opprobriis coopertus vultum ſuum in cælum attollere audebit? heu! iam diu ſalutarem illam lectionem à Sapiente didiciſſes [fili ne diffluas. quicunque enim facilis eſt verbis, velut

Peccati ſuæ magnitudinem exaggerat. Zachar. 14.

Pſal. 58.

Ber. ſer. de tripli. cuſto.

Chry. to. 5. ho. ad baptizan. Iac. 3.

Amb. ser. 4. in Psal. 18. plenus rimarum, hac atque illac effluens, interiora euacuat sua, & exterioribus passionibus inundatur, regere se nescius, nec tenere verbum,] ô quam graphicè sub communi sententia depingor! heu! satius mihi foret illud Psalmistæ verè vsurpasse: [posui ori meo custodiam. *Psal. 38.* Vectem sibi adhibuit ad os, quo thesaurum cordis, ac virtutum seruaret, qui aperto ore fatiscenteque rimis facile deperditur.] hinc [quoniam ori meo fores non appossui, paucis verbis, *Amb. in Psal. 38.* *Chrysost. in Psal. 38.* quæ intus erant perdidi; quemadmodum qui thesaurum posuisset in domo, in qua nullæ fores fuissent. *2. Reg. 28.*

4. Porro quomodo aër, præclusa respirandi facultate, non me statim suffocat! Suspensus est in aere Absalon patri iniuriosus, quasi cœlo, & terra indignus: & ego æterno patri, cuius filium abiuraui, maximè iniuriosus, cælo, & terra indignissimus, terræ, aeris, & cæli adhuc beneficiis gaudeo! Quid quomodo ignis cælitus in tanti flagitij vindictam demissus non me suis vltricibus absumit flammis. Nadab & Abiu Aaronis filij offerebant coram Domino præposterè ignem alienum, quod eis præceptum non erat,] impunitane abiit eorum siue malitia, siue ignorantia? minime [egressus enim ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino:] ô si tam horrendam subierunt mortem, qui tam leni sacrilegio offenderant, quæ me spes manet, seu eludit non moriendi, & flammis consumendi, qui ingens sacrilegium meum negando Saluatorem cómisi! duplici profecto igne dignus sum, qui & seruus magistrum, vilis creatura creatorem in summo gradu offenderam: ac proinde non com- *Leuit. 15.*

Digitized by Google

muni, ſed gehennæ incendio cremari debueram. Abſumpſit Babylonicæ fornacis flamma puerorum tortores, & mihi rerum omnium creatoris tortori parcet? quomodo præterea cæli contra me armati, non conſpirant, & ſuis mihi fœdifrago ſubtractis influentiarum præſidiis, me in nihilum redigunt! Quomodo cælites tam inſigni Deo ſuo irrrogata iniuria, cõtra inſenſatum non inſurgunt, vt illum tartareis conſecrent furiis? quomodo ipſæ tartari legiones, hoc tam indigno facinore perpetrato, non ex inferni abyſſo emergunt, meque tartari rudentibus detractum in Orcum præcipitant cruciãdum, in iudicium magni diei, vinculis æternis, ſub caligine reſeruandum! detracta eſt ad inferos luciferi ſuperbia: quid obſtat, quo minus iactantia etiam mea: [etiamſi omnes te negauerint, ego nunquam negabo:] ad inferos detrahatur! Hic liceat in me ipſum Iſaiæ pene verbis exclamare [ſuper quem, ô impudentiſſime, luxiſti? ſuper quem dilataſti os, & eieciſti linguam? nunquid non tu filius ſceleſtus, ſemen mendax ambulans per vias tenebroſas? dereliquiſti fontẽ aquæ viuæ, erraſti à via veritatis, profeciſti in peius: negationem periurio, & periurium execratione accumulans?

2. Pet. 2.

Iſa. 14.

Iſa. 57.

5. Si orbis terrarum pugnaturus pro Deo, contra inſenſatos, & omnis creatura ſeſe aduerſus impios armatura ſit, quemadmodum etiam olim in Ægyptios aër tonitruis, aqua, grandine, ignis fulgure inſæuierunt, vt vel ſic inuiti ſe obluctari præpotenti elementorum, & vniuerſi Domino agnoſcere cõpellerẽtur: quomodo omnia in me elemẽta, vno impetu, non conſpirant, vnũquodq; iuxta naturę ſuæ vires, terrę moribus,

Vindictam in ſe expetit Petrus.

fluctibus, tonitruis, fulgure me lacessens, vt vel inuitus pœnitentiæ lacrymis obortis, cogar agnoscere me hactenus præpotenti elementorum Domino, mundique Saluatori pertinaciter obluctatum! Sed quandoquidem illa mihi parcunt, nec in me desæuire permittuntur, ea in meâ prouocare necem non desistam. O formidabiles ergo terræmotus, hiantibus me faucibus suscipite, vt paululum à conscientiæ meæ reatu absconditus, meos deplorem lapsus, vt sic postea in terræ visceribus oppressus, ossibus omnino comminutis, purgatum contritionis lacrymis, spiritum Deo reddam! ô decumani totius oceani fluctus, saxeum meum cor vestris contundite voluminibus, vt sic contusum, instar Mosaicæ rupis lacrymarum fontes emittat, quibus incipiam putrescentia animæ meæ vulnera detergere! ô tonitrua ingenti vestro reboatu emortuum peccato cor percutite, vt saltem maiori pauore, quam imbellis fœminæ voce pertertitum, pio horrore, vitæ sentiat initium, quamuis ob tantum scelus mori, vestro attonitus fragore non recusem! ô fulgura ignitis me ictibus configite, vt si quid in me vitæ resideat, diuino igne accensus in integrum spiritus reuiuiscat, in tanti criminis vltionem, me morte sublato. [Luctus mortui, inquit Sapiens, septem dies: fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum.] temporali funeri deplorando dies sufficiunt septem, spirituali vero funeri meo totius vitæ curriculum minime satis est; nam quemadmodum recedente anima homo moritur, sic anima, recedente Deo, cui non luctus totius vitæ, sed totius æternitatis sufficit, vnde per omnem æternitatem in inferno homo

Eccli. 22.

homo cogitur vel vnicum lethale peccatum lugere. [An verò non in te (ô Petre) ſunt adhuc viſcera Chriſtianæ miſerationis, vt plangas corpus à quo diſcedere (ſi Chriſto adhæſiſſes,) animam putabas, & non plangas animam, à quo receſſit Deus ?] ô præpoſterum ordinem! [qui lugent, non mortuum, non iacturam, ſed peccatum.] Luge ergo peccatum, ô anima mea, quæ intempeſtiue luxiſti corporis à te ſeparationem, ac proinde ne eius ſocietate priuareris, vitam negaſti, vnde in viuo corpore mortua iaces. [Compara hæc duo mortem ad momentum, & pœnas in æternum. Timuiſti mortem ad momentum; veniet, etſi nolis: time pœnas in æternum; non venient, ſi nolueris. Multo maius eſt, quod timere debes, & in poteſtate habes, ne veniat tibi. Quia eligere non potes, ne hic moriaris; elige ne in æternum moriaris.]

Aug. ſer. 13. de Sanct. in fine to. 10.

Chryſoſt. ho. 22. ad pop.

Aug. ſer. 14. de Sanct. in finem.

6. Luge itaque anima mea, grande peccatum tuum, luctus tuus non ſit inferior Nehemiæ, qui vbi inaudiſſet illa verba Eſdræ: [Murus Hieruſalem diſſipatus eſt, & portæ eius combuſtæ ſunt igni:] ipſe etiam captiuus in lacrymas & lamenta erupit [ſedi, inquiens, & fleui, & luxi diebus multis, & ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cæli. Si vir Sanctus audiens deſtructa lignorum, & lapidum ædificia, rectè lugebat, ieiunabat, & orabat diu ſedens in triſtitia: quanto magis in deſtructione, & ruina tua, ô anima, continuis luctibus, & orationibus tibi inſiſtendum.] Imitemur, ô anima, Philiſtinos deformia quidem munera, ſed aurea offerentes: agnoſcamus noſtrorum ſcelerum deformitatem, ſed eam pœnitentiæ lacrymis, quaſi cæleſtis gratiæ radiis

2. Eſdr. 1.

Bed. l. 3. cap. 15.

1. Reg. 6.

inauremus, res enim turpiſſimas, videlicet anos, & mures auro illitos cernimus nobilitatas. quidni etiam lapſuum noſtrorum turpitudinem lacrymarum gemmis ornemus! [quia ad pretium
Greg. æternæ ſalutis, peccatorum turpitudines atteruntur, flendo deaurantur.] deauremus itaque fletibus noſtros lapſus, nam [dum commiſſa attentius lugemus, in iuſtitiæ ſplendorem membra deauramus. Membra quidem deaurantur, cum corpus peccati fœditate deforme, in ſplendorem commutatur æternæ vitæ: cum videlicet per ſanctæ conuerſationis pulchritudinem radiat, quod in appetitum (inordinati timoris) peccatorum fœtore ſordebat,] ſed reuerberans me conſcientia, tantum mei lapſus ingerit mihi fœtorem, vt Chriſto appropinquare detrectem. Sed quemadmodum culpam obtegere, ac velare debuerat Philiſtinorum perpetuus pudor, quem illa
Greg. deformia dona ingerebant; ſic perpetuus pudor deformitates meorum ſcelerum, quem illæ mihi ſuggerunt, fortaſſis abſcondet: [anorum enim ſimilitudines ad ruborem fiunt, quia profecto fœditatis noſtræ maculas ad memoriam ducimus, vt de iiſdem maculis confundamur. Murium vero ſimilitudines deaurantur, dum noſmetipſos eorum (ſcilicet dæmonum) elifos viribus ſuſpiramus. Nam dum ipſorum nos fraudibus victos plangimus: ſimilitudines profecto murium aureas tenemus: dum præterita conſilia dæmonum non habemus, in blandimento operis, ſed in contemptu reprobationis: ex auro itaque ſimilitudines murium fiunt: quia præteritæ fraudes dæmonum ad fulgorem nobis bonæ vitæ proficiunt.] ſed qua fronte, cuius interuentu cõparere audebo, cuius patrocinii implorabo? ma-

triſne? quid dico matris? nam ſi coram matre filij proditor veniã deprecaturus comparuero, vnde ſumã exordium? [peccata mea mali odoris ſunt: putredo ſunt] turpitudo ſunt, quorũ pudore ſuffundor, quid ergo dicam male mihi conſcius? videbit ſtatim veluti penicillo, in impudẽti vultus mei cute ſcelerũ meorũ turpitudinẽ depictã, qua miſericordiæ matrem potius à me auertã, quam ad mei commiſerationem conuertam. [quis puritate, & ſimplicitate pectoris dulcior fructus? quis cibus ſuauior, quam is quo animus bene ſibi conſcij & mens innocentis epulatur!] quis amarior peccati reatu? abſynthio certè amarior male ſibi conſcia conſcientia. hinc vereor coram Ieſu matre me præſẽtare. cernet in fronte totius proditionis ſeriem inſcriptam, verecundiæ lineamẽtis adumbratam. Quid tum faciet? quid dicet? annuetne in tam audacem petitionis formulã? miſerebiturne infelicis mei lapſus? ſuamne interponet auctoritatem, vt filium ſuum mihi reconciliet? quid? quomodo vel auribus filij ſui proditoris verba ſuſciperet, cui conſcientiæ vermis inſultat [ſemel enim iniectus, vel potius innatus per peccatum, hæret firmiter, nequaquam deinceps auellendus: nec ceſſat rodere conſcientiã, eaque paſtus, eſca vtique incõſumptibili perpetuat vitam.] quomodo ergo eius præſentiã ferret, cuius conſcientiam peccati reatus perpetuo mordet? quomodo petitionis ſeriẽ audiret? quomodo vel minimũ halitus eius ſpiraculũ fœtore plenũ admitteret? quomodo tãto violatũ crimine os intueri vellet, quod ſuo fœdo, ac blaſphemo anhelitu, ipſũ aërẽ, cui° beneficio reſpirauit, Dei filiũ negãdo infecit? quomodo vel ſpirare in ſua pateretur

Petrus Chriſti matrem veretur accedere.

Amor. in Pſal. 45.

Ber. l. 5. de conſi. ad Euge.

præsentia hominis monstrum ? quomodo virgineo aspectu perfidiæ in filium crimine, hominem contaminatissimum dignaretur? certè mater est, & tanti filij mater, quomodo igitur illud amare poterit, quod filius detestatur ? heu me miserum! & filius, & mater perfidiæ meæ flagitium execrantur ; quomodo ergo non me simul execrabuntur ? me vereor reijcient, cuius manus innocentis sanguine stillant. Præmunienda igitur mihi, ad tanti sceleris veniam, via.

Omnia sibi infensa putat male sibi conscius.

7. O dulcissimum sororum par, Magdalena, & Martha toti mundo, ob virtutum ornamenta nominatissimæ, quæ vestris illibatis moribus fœlicem illam Bethaniam omnibus amabilem reddidistis, consilij penitus inopi succurrite, si vestrum solicitare mihi fauorempar sit, aut vestrum colloquium ambire: sed quid ago ? quid sanctarũ mulierũ præsentiam quæro, à quo omnes horrent creaturæ ? quid earum mihi patrocinium efflagito, cum æque me perfidum, fœdifragum, mendacem, periurum, ac cæteri, detestentur ? quid sentiret Bethania, si ad se diuerti monstrum, tetro aspectu, omnia obuia suo anhelitu inficiens cerneret ? quid purus beatæ illius habitationis aer ? nonne infici se vel mea forte vmbra, multo magis præsentia, verbis, ac fœdissimo pectoris spiritu putaret ? quid facer ille locus Christi vestigiis toties honoratus ? nonne indignans tanti peccatoris molem, hianti ore, pedem inferentis totum absorbens corpus, ad imum detruderet barathri? non vos igitur adibo, tot armatæ ruinæ meæ instrumentis. Vnum tantum absens à vobis efflagito, vestrarum precum suaui fragrantiâ absentis perfletis pædorem, vt sic

ſaltem grato perfuſus odore, veſtram redoleam antiquam conſuetudinem, vt ad veſtram tandem, expiato lacrymis crimine, admiſſus ſocietatem, mihi ad Ieſum per matrem eius & vos præmuniatur via. [ego interim in flagella paratus ſum,] vt conſequar diuinum fauorem. [Si enim ſeruulum tuum videas peccata propria confitentem, vltro offerre ſe pœnæ, inflecteris, ignoſcis: & de Domini miſeratione diffidam? amicus Dei, propheta Dei, rex ab ipſo electus, Deo, flagellis ſe ſpontaneus offerebat, nec erubeſcebat, & ego erubeſcam.] Interea adſit mihi rediuiuus frater veſter Lazarus, tertia ſanctæ Trinitatis veſtræ perſona: ille facile fœtorem meum patietur, qui quatriduo fœtens in monumento iacuit, typum mei fœtoris exprimens, licet meam mihi conſcientiam audiam ſucclamantem: [vanum tibi eſt, dum adhuc ſordes influant, ſentinam exhaurire. Claude igitur prius feneſtras morti, obſera aditus, foramina obſtrue diligenter, & ſic demum non ſubeuntibus nouis, ſordes poteris expurgare vetuſtas.] vides, quam miſera ſit adhuc tuæ animæ conditio, quæ veluti ſentina à vitiorum fæcibus, vel ſorbendis, vel reſorbendis nunquam interquieuit, donec ad ſummum malorum perueneret. Hinc tanquam æſtuarium alternis ſubſidens, & intumeſcens, ſic egeſtis negationum ſordibus, quaſi exinanitum, vt ſtatim aliis denuo ingeſtis repleretur. Quamuis hæc mea mihi conſcientia inculcet, omni tamen ſpe minimè excido, adſit itaque mihi Lazarus, vt eius præſentia omnes mei ſenſus, pauore attoniti fatiſcant, cuius vel tenui tantum mentione,

Pſal. 37. Ambro. in Pſal. 37.

Ber. ſer. de conuerſ. ad cleric. c. 7.

cor mihi, tã ingentis flagitij stupore iam correptum, labascit, & quoties de illo cogito, toties mihi videre videor nuncium ab inferis emergere, qui æterna indicet tormenta, delicto meo debita esse parata. Tantum igitur concepi dolorem, qui peperi iniquitatẽ [quemadmodum enim mulieres parturientes à doloribus discerpuntur: ita ego qui parturiui iniustitiam, concepi dolorem, & peperi iniquitatem, discerpor, & non leui aliquo, sed vehementissimo dolore afficior] conscientia mihi semper acclamante [non interit iudicium conscientiæ: est enim naturale, & à Deo insitum: etiamsi quis millies se ambitiosè iacter, & glorietur, instat illud vociferans, castigans, condemnans: & nemo est eorum, qui viuit in scelere, qui non innumerabiles dolores sustineat, & de malis consultans & consilium exequens.] Nam [dum in quadam sumus delinquendi libidine, nobilis quibusdam conscientiæ mens obducitur, ne videat eorum, quæ concupiscit, deformitatem. Sed cum omnis nebula transierit: grauia tormenta exercentur, in quodam male conscij secretario;] vt vel sic formidine saltem pœnæ, ad seriam peccati pœnitudinem excitemur.

Chry. in Psal. 7.

Chrys. ibid.

Amb. l. 2. de Abra. c. 4.

Funiculum triplici amoris filo textum peccato sciissum instaurari optat.

8. Et vos, ô Ioannes, ô Iacobe, qui triplicem aliquando funiculum tribus amorum filis mecum texuistis, quid vos interpellare velim; præsertim putrido amoris mei filo, abiectæ mulieris voce, velut rasili cultri acie præciso, & tartari ignibus consecrato, & quorum alterum noui adhuc ex fuga trepidum, alterum tanta mei metamorphosi attonitum, & in cuius pene conspectu vilis ancillæ voce prostratus iacui. Nisi forte ex fuga, & terrore confirmati textoris manui iterum mei inconstantis amoris filum trade-

Digitized by Google

re velitis texendum, ne per me celebre illud Spiritus sancti dictum semel irritum, semper euacuetur [Funiculus triplex difficile rumpitur.] Ad hoc vos impellat arcta illa aliquando inter me, & vos, animorum coniunctio, & cum Christo communis nobis familiaritas, & miraculorum consimilis nobis virtus tributa, qua in Christi nomine etiam dæmonia nobis subijciebamus, admonebamurque omnes, reuertentibus septuaginta duobus discipulis cum gaudio; dicentibus: [Domine etiam dæmonia subijcientur nobis in nomine tuo] admonebamur, inquam, de hisce miraculis nihil nobis arrogandum: quam salutarem lectionem si ego tenaciter memoria retinuissem, in huiusmodi non incidissem infortunium. Ait enim nobis Dominus: [videbam Sathanam, sicut fulgur de cælo cadentem] vere me vidit, in Sathanæ quasi naturam degenerantem, & proinde instar fulguris de cælo, cui inscripsisse nomen videbar, cadentem. Fulgur ideo non sine ratione appellor, non solum quia à summo ad imum cecidi; sed etiam, quia à magna gratia, & gloria, ad magnam ignominiam velocissimè cecidi. [Si ille, (nimirum Lucifer) propter superbiam de tãta magnitudine cecidit: vos quoq; nõ debetis gloriari, quia vobis dęmonia subiecta sũt: sed quia nomina vestra scripta sunt in cælo; vtvnde ille cecidit per superbiã, vos ascendatis per humilitatẽ.] Heu tã salutiferæ immemor lectionis quod ille per superbiam, ego per iactantiam (nisi Deus cito succurrat) perdidi! infelix, in memoriã reuocassem illud Regij Vatis: [Nolite extollere in altum cornu vestrum.] ego ille sum, qui in altũ, in Deum scilicet cornu extuli, in quem iactantia

Eccli. 4.

Sic Beda & Euthimius illud Luc. 10. exponunt.

Hiero. in c. 14. Isa.

Psal. 74.

mea intumuit! [quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cœpit iniuria? ideoque scriptura dicit: Deus superbis resistit. Quare tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit aduersus superbiam speciale certamen. Tanquam dicat: meus iste aduersarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio] Ego sum Sathan ille, cui paulo ante Christus me ex iactantia lapsurum præuidens, dixit: [Vade post me Sathana: scandalum es mihi: quia non sapis, quæ Dei sunt.] Ecce quomodo in me certamen suscipiat [Saluator noster, qui tanquam mitis agnus apparuit, mox vt mihi cæli terræque iura commisit, protinus me dura redargutione corripuit: [vade post me Sathana.] Et quid dicet modo? certè si in suam me gratiã recipere velit, asperius mecum aget [Quia in hac mortalitate rectè non viuitur; si blandis, ac mollibus asperitas non miscetur. Nam vbi penitus disciplina postponitur, necesse est vt prona semper ad malum fragilitatis humanæ conditio relaxetur:] Et ego miser iam tandem post tertium lapsum, hoc intelligo, qui ante passionem redargutus à Christo nihil horum intellexi, video modo superioris seueritatem valde necessariam esse turpiter delinquentibus. Alioqui [inordinata pietas Principis, quid est aliud, quam confusio plebis? nam dum ille à moderanda regiminis habena reprimitur; subiecti quoque velut effrænes equi, per abrupta raptantur] Cum ego in Christi schola edoctus, & sæpe reprehensus; tamen seueritate reprehensionis minime cohibitus à trina Domini mei negatione! vnde nunc opportunius me vocasset, quam vnquam aliàs Sathanam.

Amb. ser. 7. in Ps. 118. *Iac. 4.*

Mat. 16.

Pet. Dam. l. 7. Epist. 11.

Pet. ibid.

Pet. ibid.

Digitized by Google

9. Hinc quos aliquando ex hominum corporibus Chriſti nomine Dæmones ieci, iam merito mihi periuro inſultant, quaſi Sathanæ ab altero Sathana eiecto, qui triumphi loco ducunt me, in eadem pæne damnationis maſſa implicari. Quare præ gaudio tripudiant, idque cum ſummo mei contemptu ob alterius Sathanæ ruinam, cum tamen hoc ipſo potius illis gratior eſſe videor, quo in ſcelere coniunctior. Si Sathanas Sathanam eijcit, aduerſus ſe diuiſus eſt, quomodo ergo ſtabit regnum eius?] Si ergo illis quos aliquando eieci, inſtar Sathanæ eſſe iam iudicor, & quaſi ſe eiectos per alium Sathanam mihi exprobrent, quomodo inter nos non ſumus diuiſi, & aliud illis regnum, & aliud mihi: cum tamen contrarium me mea doceat conſcientia dictitans: quicunque ſocius eſt in ſcelere, ſocius etiam erit in pœna: illi per ſuperbiam ceciderunt: ego per iactantiam. Tripudiant igitur lapſu meo recreati, mea ſcelera illorum tripudio muſica triplici negationis, periurij, & execrationis diſſono concentu male temperata eorum quidem auribus conſono, meis vero diſſono, cui tantæ victoriæ Pœana celebrantes intercinunt: En rupes infracta, fragili mulieris voce medio fiſſa! ô accepta tantæ ruinæ hora! En aquilæ noſtræ alas, quibus ſublimi iactantiæ volatu, ſuper cæteros ferebatur præciſas! En noſtram è nube flammam tonitruantem & ingenti ſonantem boatu: [animam meam ponam pro te,] ſine vllo adhuc lacrymarum nymbo, qui animæ eius terram ſalubriter irrigaret! En humi proſtratum peccati mole, verbis gigantem: ſed factis pumilionem, qui antea iactabundus cœ-

Dæmones à ſe aliquando eiectos ſibi inſultare exiſtimat.

Matt. 12.

Inſultant dæmones Petro.

Luc. 22. lum vertice rebatur attingere dicens: [Domine tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire:] mulieris voci tanquam ſaxo illiſus, capitis vertigine rotatus, in peccati rupem impegit! En Apoſtolorum verticem tenui linguæ ſibilo, diminutovelut capite, inſtar cadaueris, in peccati cœno iacentem! ô quomodo ſalſa hæc, & mordacia dæmonum ſcommata laniant mihi pectus! quomodo nouis cor vulneribus grauiter ſauciant, & eo vehementius, quod tanti opprobrij iuſtam dederim cauſam! increpet vos Dominus, ô humani generis hoſtes, ſicut aliàs dæmonium immundum increpuit dicens: [obmutesce & exi ab eo.] Increpuit illum Ieſus plenè, vt inuidioſum, & in ipſa confeſſione petulantem, & male adulantem, quaſi hæc eſſet ſumma gloria Chriſti, ſi ad perditionem dæmonum veniſſet, & non potius ad hominum ſalutem, qui nec diſcipulos de ſubactione ſpirituum, ſed de cauſa ſalutis gloriari volebat.] heu mihi anima, etenim lacrymare nunc mihi ſuccurrit, & altum ſuſpirare, cogitanti quibus bonis excidimus, qua ſumus expulſi beatitudine! ne quis igitur mihi gehennam hic dicat. [Gehenna peius eſt omni, hac excidere gloria, & innumeris peius eſt pœnis, illa ſorte priuari, cum cæli partes nobis obiectæ tam pulchræ ſint, & amœnæ: qualia ſunt ſuperiora, & cœlum cæli & cælorum rex: quis illam ſermo beatitudinem exprimet.] quã lapſibus perdidimus noſtris! ecquid igitur faciam anima, cum nullus mihi ſolatij locus, nemo ſit, qui meæ miſereatur infamiæ, omnes in me conſpirant creaturæ, cælum, terra, tartarus in me ſurgunt, nullus effugij locus: heu

Luc. 4. Tertul. l. 4. contra Marci. c. 7.

Chry. ho. 35. ad pop.

Digitized by Google

quid agam? quid agam miſer?

10. Ero impudenter impudens, adibo quem offendi Ieſum, ingeram me illi, precibus, & lacrymis inſtabo, & ſi me repellere videatur, minime recedam: noui enim eius ingenij facilitatem. Vincitur etiam improba importunitate, gaudet premi & vrgeri. Iacob cum Angelo luctatus eſt, eumque dimittere noluit, donec eius conſequeretur benedictionem: [dimitte me (inquit Angelus:) non dimittam, ait Iacob, donec benedixeris mihi.] ſic tecum faciendum iudico, bone Ieſu, tecum precibus, & lacrymis luctabor, ſi me velis repellere ſemel apprehenſus; dicam cum Iacob: [non dimittam te donec benedixeris mihi;] imo cum ſponſa, quæ [adeo fortiter tenet quem diligit anima eius, adeo illi adhærere] vt nunquam eum dimittat amoris glutino amatum ſtringens, quod ita tenax eſt, vt neque aquis elui, nec dētibus diſſolui, nec gladiis ſcindi poſſit. Sanctus Patriarcha non te, inquit, dimittam, niſi benedixeris mihi: ego cum ſponſa nolo te ſemel detentum dimittere, & fortè magis quam Patriarcha id nolo, quia nec pro benedictione quidem. Siquidem ille benedictione accepta dimiſit eum; hæc autem non ſic. Nolo etiam ego benedictionem tuam, ſed te. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? non dimittam te, nec ſi benedixeris mihi. Tenui (inquit illa) nec dimittam, ſi ſemel te tenuero, tua adiutus gratia, non dimittam. Nec minus forſitan ille teneri vult, cum perhibeat dicens, deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Quid hac copula fortius, quæ vna duorum tam vehementi voluntati firmata eſt?

Conuertit ſe ad Ieſum offenſum vt importunitatis fauorem cōſequatur. Gen. 32.

Ber. ſer. 79.

Pſalm. 72.

tenui eum, inquit illa, sed nihilominus ipsa vicissim tenetur ab eo, quem tenet] ô Domine tene manum dexteram meam, vt nunquam in posterum à te excidam. Qui enim tenetur, & tenet, quomodo cadere potest? teneam ergo te fidei firmitate, teneam deuotionis affectu, cum nequaquam diu tenerem, si non à te tenerer: tenear ergo potentia, & misericordia Domini, vt post hac verè dicere possim, tenui eum, nec dimittam, donec introducat me in domum matris suæ, & in cubiculum genitricis suæ.

Cant. 3.

11. Vt hoc perfectè fiat, tuo in te vtar argumento. [Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si non dabit ei surgens, eo quod amicus eius sit: propter improbitatē tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios panes.] Et ego apud misericordiæ tuæ ianuā pulsans perseuerabo, gratiæ vel vnicam è magna mensa tua micā opportunè & importune petam, & tūc spero, surgens, etsi mihi non dederis, eo quod amicus tuus fuerim, cum heu modo non sim! propter improbitatem tamen meam surges, & dabis mihi non gratiæ micas, sed quotquot habeo gratiæ panes necessarios. Si enim gutta aquæ, quæ nihil mollius assiduitate labendi, durissima etiam saxa domat, & excauat! quanto magis paternum pectus tuum, quo nihil ad misericordiam mollius, assiduā orationis velut sagitta, statim emolliet, & precibus pertinaciter orantis cedet. Moses iussus à Deo virga petram percutere, cum primo ictu aquam non dedisset, secundum addidit, vnde statim sitienti populo suauissimos aquarum haustus propinauit. Et ego si non prima deprecatione veniam impetrauero, se-

Lue. 11.

Perseuerantia orationis.

cundam, imo, & tertiam, & quartam addam, donec tenerrima Magiſtri mei viſcera ita mollefecero, vt ſalutarem gratiæ aquam mihi porrigat. [Magna (ſcio) perſeuerantia, quæ quamdiu importuna eſt, quanquam moleſta ſit, Deo tamen plus amica eſt, quam amicus. Ecce enim quod amico negatur, perſeuerantia promeretur: illi recuſat de fiducia, hunc de contentione compatitur: illi non largitur familiaritatem pulſanti: huic pertinaciter miſeretur oranti: pulſemus igitur oſtium Domini non ſolum per fidem: ſed etiam perſeuerantia, vt aperiatur nobis.] vis, haud ambigo, tuos oratores eſſe omnimodè importunos. Humilis quippe importunitas ſæpe flexit animos duros, tu in petitione perſeuerantiam deſideras, amas in precibus tibi iugiter aſſiſtentes: optas, vt nec ab implorando deflectantur, ſi non ſtatim acceperint vota, non vis turbari, aut tepefieri oratorem etiam ſemel, atque iterum repulſam paſſum. Cum non ſtatim exaudis, probas fidem, experiris patientiam, prouocas ad perſeuerantiam. Tunc tandem reſpicit ad orationem humilium, & non ſpernit preces eorum: ſeu (vt alij legunt) reſpicis in orationem cicadæ, quæ nimirum os habet quaſi in pectore, cœleſti paſcitur rore, & diu perſeuerat in cantu: tales, bone Ieſu, optas, qui in ſuis deprecationibus corde magis, quam ore deprecantur, rore paſcuntur cœleſtium deſideriorum, & in perpetuæ orationis importuno cantu perſeuerant. Talis fuit Regius vates, dum ait [clamaui in toto corde meo, & exaudiuit me Dominus:] Et alias [expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.] quaſi dicat [ſuſtinens

Hiero. ſuper Luc. 11. to. 6.

Pſal. 101.

Pſal. 118.
Pſal. 39.
Aug. in pſal. 39.

sustinui non quemlibet hominem promissorem, qui possit fallere & falli, non quemlibet hominem consolatorem, qui potest tristitia sua ante tabescere, quam me reficere. Quem nisi Dominum, qui promissa non aufert, sed differt. Exhibebit profecto, exhibebit, quia multa iam exhibuit, & nihil de Dei veritate formidare debeo] qui ait, omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur, etiamsi nihil adhuc exhibuerit. Ecce iam putemus ita, omnia promisit, nondum aliquid dedit: idoneus promissor est, fidelis redditor; sim tantum pius exactor, & si paruulus, & si infirmus, & si indignus exigam misericordiam: video teneros agnos capitibus pulsare vbera matrum, vt lacte satientur; sustinens, inquit Propheta, sustinui Dominum. Et quid ille? non auertit se ab illo, an sustinentem contempsit? an forte non vidit? non plane ita. Sed quid? attendit illi, & exaudiuit deprecationem eius.] Attendet & mihi perseuerando pulsanti; & exaudiet, spero deprecationem pauperis: non frustra igitur si semel atque iterum repulsam sustinuero; super me (non diffido) oculi eius, ad me aures eius.

12. Ecce igitur sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi mei ad Dominum Deum meum, donec misereatur mei.] perseuerabo petens, pulsabo clamans, lacrymis vrgebo, donec miserearis mei. Imitabor Chananæam, ianuæ misericordiæ tuæ instar catelli adhærebo, donec alicuius amici tui ingredientis comitatui me ingeram, & sub mi-

Psal. 122.

Vrgere cum Chananæa Christi misericordiam statuit.

Matth. 15.

ſericordiæ tuæ menſa paululum abſcondar, micas gratiæ, quæ de menſa Domini mei cadent auidè ſuſcipiam, quibus nonnihil paſtus, maiorem tecum familiaritatem, veluti catellus tuus expetam: te allatrabo, & ſi me audire diſſimulaueris, meque etiam velut canem repuleris, repulſam paſſus orationi, cum illa, inſtabo, vt mihi maius tandem gratiæ præmium acquiram, & poſteris illuſtre perſeuerantiæ exemplum relinquam. [noluit tantam mulieris virtutem ignorationis tenebris obfuſcari. Non ergo, quia negligebat, verum, vt repoſitum, atque abſconditum in animo eius virtutis theſaurum in lucem protraheret, eam repellebat.] Quamobrem cum certò mihi ſit, dilationem non tuiſſe inuidiæ, ſed curæ, & prouidentiæ, inſtabo vehementius, quouſque inaudiero: ô Petre, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Catellum me proinde confitebor eſſe, vt quemadmodum Chananæa, [quæ ſe canem confeſſa eſt, in hominem ſtatim commutata, adoptatur in filiam, leuatur ad vlnas, honoratur ad menſam, quæ ſe ſub menſa laudabili humilitate deiecit,] ijſdem gaudeam priuilegiis.

Chry. ho. 53. in Mat.

Chryſolo. ſerm. 100.

Pœnitentia flectit Dei miſericordiam.

13. Cygnus toto vitæ decurſu altum colens ſilentium, canoras tantum voces ante ſuas exequias edit. Et ego ſemel gratiæ velut mica guſtata, in poſterum iactantiæ meæ ſilentium indicam, & reliquum vitæ tempus ſuſpiriis, & lachrymis conſecrabo, donec, abolitis tot illatis Magiſtro meo iniuriis, cygnæum, ſub mortis horam, lætabundus carmen canam. [Non enim dubito, quin Deus preces, & lacrymas meas in conſpectu ſuo admiſſurus ſit.]

Tob. 7.

Ezech. 33. Nolo inquit ipse mortem impij, sed vt conuer-
Tertul. l. de tatur à via sua, & viuat.] quasi dicat: [Pœniten-
pœnit. c. 4. tiam malo, quam mortem. Ergo pœnitentia vita est, cum præponitur morti.] Interim cum cygno alto animi silentio, tanti sceleris conscius, continuos lacrymarum legatos, ad Deum destinabo, veniam deprecaturos; & in hoc salutari occupationis genere, omnes infidi pectoris insumam spiritus, & pulla pœnitudinis veste animæ nuditatem induam, è mœroris suspiriis, gemitibus, & singultibus confecta. Tristitiæ pallium superinduam, sanguineas è perenni cordis fonte lacrymas ebullientes oculis suggerente, vt his indutus pœnitentiæ insignibus Deum placem, & in posterum labentibus formam veri pœnitentis præscribam. Quam facile huiusmodi pœnitentiæ ornamentis induto impiissimo Regi
3. Reg. 21. Achabo Deus olim pepercit. [Nonne, inquit,
S. Cyril. vidisti humiliatum Achab coram me? quasi
Hieroso. cap. 2. persuadens ira accenso Prophetæ, vt subueniret pœnitenti. Quia igitur humiliatus est, mei causa, non inducam malum in diebus eius.] Quid, obsecro, vidit Deus in sceleratissimo homine Achab, quòd eum tantis extulerit laudibus? nihil sanè, præter nuda pœnitentiæ signa. Vidit cilicium, quo carnem cingebat; vidit & saccum, in quo dormiebat, vidit denique pœnitentis more demisso capite, insperso cinere ambulantem. Hinc misericordiam impetrauit. [quod prætexta non valebat, hoc poterat saccus: quod diadema non est assecutum, hoc cinis obtinuit.]
Chrysost. ho. 8. ad pop. Quare [omnibus delictis, seu carne, seu spiritu,
Tertul. l. de pœnit. c. 4. seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam, per iudicium destinauit, idem veniam, per pœnitentiam

nitentiam ſpopondit. Lego Achab Regem maritum Iezabel reum idololatriæ, & ſanguinis Nabuthe, veniam meruiſſe pœnitentiæ nomine.] Si ergo Achab exteriore tantum pœnitentis forma, intentata ſibi flagella iamiam alioqui inferenda auertit, & diuinam mitigauit iram, quo ad ſupplicium ſuis diebus inferendum, Deoque in eo vili amictu, ſpecioſus & gratioſus apparuit. [Bonitatis enim abyſſus Dominus Deus, propter cædem quidem minatus eſt exitium, propter lamentationem autem largitus eſt dilationem ſupplicij.] Flectetur, vti ſpero, diuinum eius pectus, vt mihi non ficto animo, aut dimentitæ pœnitudinis imagine, peccata deflenti, & veri pœnitentis ſigna gerenti miſericordiam impertiatur. [Non enim arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas diuina clementia: ſit qui inuocet, erit, qui exaudiat; ſit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat.]

Tertul. l. 4. contra Marc. c. 16.

Theodoret. in illud 3. Reg. 21.

Arnold. tract. de ſeptem verbis in cruce.

14. Si filiis Iſrael ob eandem pœnitentiæ ſpeciem, miſericordiam tribuit; mihi certè non eſt deſperandum, quamuis grauius illis forte peccauerim. [Loquere (inquit Moſi) filiis Iſrael: populus duræ ceruicis es: ſemel aſcendam in medio tui, & delebo te: iam nunc depone ornamentum tuum, vt ſciam quid faciam tibi. Depoſuerunt ergo filij Iſrael ornatum ſuum.] Ecce quanta Dei noſtri commiſeratio! Vbi illi pretioſæ veſtes, quibus lætabundi erant induti, quibuſque ornati, in ſignum lætitiæ vitulum aureum adorarunt, & feſtum illi celebrauerunt, ad mandatum Domini, tanquam irati heri ſuorum verberare inſtituentis, & nudari præci-

Exod 33.

Hieron. ab Oleaſt.

pientis, exuissent, statim misertus est illorum Dominus. [Iam nunc (inquit) depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi.] Quo loquendi modo volebat, vt Israel nudum, & spoliatũ vestibus, illi se verberibus, ac flagris cædendum præsentaret, seque illa humiliatione, & pœnitudinis habitu, ob Idololatriæ crimen commissum reprehenderet. [Graue quidem malum peccatum: sed non incurabile, graue retinenti, leue autem per pœnitentiam abijcienti.] Si nimirum ex vero animi affectu procedat. Nam si Dominus tantum externo opere populum videns sic humiliatum, & ad sua expositum verbera, misericordia motus peccati veniam illi tribuerit. (tantum est præferre pœnitentiæ imaginem:) quid non faciet verè pœnitenti, & peccata sua flenti? nonne pro lacrymis gratiam reddet? [multa antiquaque peccata illico abolet gratia: nec processu moraque temporis, indulgentia limat, corroditque culpæ rubiginem: sed vbi repente Spiritus sanctus illabitur, quidquid immaduerat peccati siccatur.]

Cyril. vbi supra.

Arnol. Tract. de septem verb. Christ.

Magna spe erectus pœnitentiæ lacrymis veniam consequuturum se non dubitat.

15. Cum hoc probè sciam, ad te, bone Iesu, veri pœnitentis insignia gerens, magna spe erectus, audacter accedam, amarosque afflicti pectoris fructus, gemitus, suspiria, & lacrymas, ex peccati detestatione profectas, deferam. [Est enim aliquid calamitatum delinimentum dedisse lacrymas malis, & pectus laxasse suspiriis.] Huiusmodi pœnitentiæ fructus continua erunt doloris mei fomenta, quæ mei ipsius perpetua accusatio in vnum congeret cumulum ad comburenda ardenti contritionis igne, timore veto gehennæ, & amoris sui amittendi, tanquam

Pacatus in in Panegyr. Theodosij.

flabellis vtar, vt ſuggeſta conſcientiæ foco crebra contritionis pabula, actus inquam contriti cordis incendantur. [multiplicatæ ſunt (ait Moſes) aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra.] ita & animus meus in limo profundi defixus, lacrymarum aqua eleuetur ad cœleſtia. [Peccati diluuium, & mundi piamentum,] cum lacrymæ ſint, omnia in hoc diluuio peccata mea abſorbeantur vtinam! [ô fœlix tunc, exclamarem, diluuium! ô fœlices lacrymas, quæ animum dolentem leuant, & peccato, imo tartaro infixum, ſubleuant in ſublime,] & illum diuino igne incendunt! vbi vero ardentibus huius ignis flammis pectus mihi ardere ſentirem, non alio aquæ flumine, quam hiſce duabus oculorum peluibus ſanguineis lacrymis redundantibus extinguere conarer: quibus quidem peccati reatu extincto, flammæ magis ac magis incrementa ſumerent: & tandem, præ continuo lacrymarum fluxu, conſumptis oculorum orbibus, diuini amoris flamma in gratum Deo holocauſtum penitus conſumerer. Erumpite igitur, erũpite ex mœſtiſſimo cordis alueo, mœſtiſſimi lacrymarum fontes, meque doloris, ac totius mali fontem perpetuo irrigate fluuio. [Hæc aqua, ſi neſcis, aqua eſt mearum lacrymarum, hauritur ipſa à puteo contritionis profundè cauato per acutum ligonem ſtatus mei meditationis: ſitula fidei illam continet: chorda ſpei ſurſum trahit: fornax ardentis charitatis eam calefaciat vtinam! miſceatque cineres recordatio peccatorum. [Tale lauacrum ſibi quotidie præparans inclytus Rex Dauid: lauabo, inquit, per ſingulas noctes lectum meum, &

Gen. 7.

Greg. Nazianze orat. 3.

Greg. ibid.

Gerſon. to. 2. ſer. in cœna Domi.

Pſal. 6.

lacrymis meis rigabo. Non sis oro, ô Petre, piger ad lauandam animam tuam. Non vis habere immundam domum, immundum vas, immundum seruum, immundam caligam: immundam habere animam quare non refugis? sit tibi chariot anima tua, quam caliga: fœlix anima, cui datum est habere talem aquam calidam] nolite, nolite me tanti doloris ac mali parentem, ô lacrymæ, tantillo priuare solatio: tota spes mea in vos inclinata recumbit, per vos peccati debita pro me persoluenda? ô lacryma humilis perge, erumpe, incipe meas sordes abstergere: potens enim es. [ô igitur lacrymarum vis, quousque pertingis, quæ multa cum fiducia nullis impedita retinaculis ipsum cœlum penetras! ô vis lacrymarum, quæ si velis, ante sanctum atque excelsum immaculati Domini thronum cum gaudio assistere potes!] ô lacryma humilis è contrito exiliens corde, te ipsam in acceptum Dei sacrificium, pro me, offerto, per quod vitam mortuo facilè obtinebis! veni effectus optime, pessimæ causæ malè parti peccati proles, tuo tamen natiuitatis modo, scelerata matre è medio sublata; maximè salutaris: nam licet multus sit peccati ignis, modica tamen lacryma illum extinguit.

Ibid.

Ephrem ser. 3. de compunct.

Lacrymarum & doloris hospitium Petrus adit, vt in eo discat quomodo lacrymis, ac dolore diuinam in se flectat misericordiam.

CAPVT XL.

Amb. l. 1. de pœnit. c. 4.

1. QVandoquidem scelera in Deum commissa lacrymis ex sincero cordis dolore pro-

manantibus tantummodo abſterguntur [expectat enim lacrymas noſtras, vt profundat pietatem ſuam. Quærenda ſunt mihi remedia lacrymarum, & currendum ad aquas, quarum abundantia male viuida radix peccati ſuffocatur.] vt ſimul dolor, & lacrymæ Deo, nomine meo, ſupplicent. [Lacrymæ enim niſi diuinitus dentur, pauci inuenientur qui ſalutem conſequentur.] Mihi igitur in animum induxi ad nullum aliud hoſpitij genus diuertere, quam ad illud lacrymarum, & doloris, duarum nimirum ſororum in cœlo & terra maximè celebratum, vt inita cum illius loci hoſpitibus ſocietate, eodem in poſterum communi cum illis lacrymarum ac dolorum alimento viuam. [propter hoc enim triſtitia facta eſt, vt ipſa ad delenda peccata vtamur.] Et ſubdit [peccauit quis, triſtatus eſt, peccatum deleuit, diſſoluit delictum: nam aptam morbo applicuit medicinam.] Quare pulſanda mihi ſerio harum ſororum oſtia, vt ab iis dolere diſcam, & lacrymari. Et ſi pulſantis nomen exprimi efflagitauerint, tantum reſpondebo me quendam eſſe indignum nomine, & multo magis vllius cognitione, cœlo terræque exoſum. Si ad hoc admirari inceperint, addam & omni opprobrio dignum. Verum ſi moram traxerint, & quis ille adhuc qui pulſat, interrogauerint: in promptu erit reſpondere, me omnium miſerrimum eſſe, qui neque Dei, neque ſui ipſius eſt. Si perrexerint ex me ſciſcitari, an homo ſim: exclamabo, ô non! Beſtiane? imo multo deterior: creaturane? rupes: quænam? lutea, mollis, imbellis contra rupium naturam, quæ vnius fœminæ, vel tenui ſibilo labefactata,

Ber. de diuerſ. affect. animæ.

Helias Cretenſ in funeb. era. Nazia.

Chryſoſt. ho. 5. ad pop. to. 5.

medio ſciſſa, turpiſſimè corruit. Petrus mihi nomen, verè Petra ſcandali: Si forte etiam rogauerint: vnde nobis ades? ad ſummam mei confuſioné, veritatis præco ero, & fatebor è domo me Chriſti perſecutoris, impij nimirum Caïphæ, me impium Magiſtri mei proditorem vix erupiſſe. Ah! è domo Caïphæ Chriſti perſecutoris, ad nos venis proditor, vt noua fortaſſis proditione noſtrum perturbes hoſpitium? & quid ibi actitabas? id fari perdifficile, ſed vnico expediam me verbo, villicus ibi iniquitatis effectus, carum peccati cenſum iniuſtitiæ domino ſolui, modo, expirante villicationis meæ termino, locum muto, & ad vos commigrare feſtino. Cui domino ſoluiſti cenſum? heu! non alteri, quam Diabolo. Diabolone illius domus principi domino? quem ſoluiſti cenſum? eheu! non alium, quam quod cariſſimum habui, animam nimirum meam: quo lucro? conſcientiæ ſumma inquietudine, incredibili mentis perturbatione, & horrendo damnationis metu. ô hominum miſerrime, quam carus hic tuæ villicationis cenſus? ah! cariſſimus: mihi proinde vos ſuccurrite, præ cæteris, ſolæ poteſtis, & cenſum (licet in manu forti ſit) redimere, & in meam transferre vtilitatem, caſſo omni iure, quod in illum dæmon obtinuit. At quomodo id fieri poterit? ſi tanto ſceleri abluendo lacrymarum, ac dolorum mihi à Deo impetretis affluentiam, quam facile concedet, qui dolore, & lacrymis placatur, & delectatur. [Qui ab aquis primum ſignum cæperat, finiuit in aquis. In Cana enim conuertit aquam in vi-

num, in morte effluxit aqua, vt ſignificaret virtutem abluendi ſacri baptiſmi, & martyrij, quorum virtutem conceſſit aquis lacrymarum.] Hanc ſalutarem aquam mihi facilè impetrabitis. *Hiero. epiſt. 83. Ioan. 2. Ioan. 19.*

2. Hoc aliàs non ſemel alijs peccatoribus præſtitiſtis lacrymarum, & doloris vim. [Nihil tam coniunctum miſeriæ, quam luctus, nihil tam remotum & contrarium miſeriæ, quam beatitudo: vos dicitis lugentes, & dicitis beatos. Beati qui lugent, qui agnoſcunt ſe eſſe in miſeria, & lugent, beati ſunt] videtis quam prope ſit luctus beatitudini. Nonne in primis ſceleratiſſimo illi Manaſſi huiuſmodi lacrymarum abundantiam impetraſtis? ille [ſanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleret Hieruſalem vſque ad os.] Monitus à Deo, vt reſipiſceret, ipſe monita contempſit, donec ad veſtrum diuerterit hoſpitium, ſuppliciis & verberibus agitatus mentem mutauit, veſtris communitus præſidiis: vos hominem ferè deſperatum, ex ipſis Orci faucibus reuocaſtis, ad lamentationes induxiſtis cantandas, adeo vt [paradiſum ſimul eius lacrymæ aperuerint, infernum clauſerint. O fœlix tabula! ô vitalis nauicula!] peccator è vitiorum cœno emerſit, ſubmerſit hoſtes, & vitia ſuffocauit. Ecquis crederet ad verum Dei cultum, & gratiam reducendum, qui ſe totum & regnum inanium Deorum ſeruituti conſecrauerat? at per vos reductus eſt. Quis crederet è rupe duriſſima dulciſſimam aquam emanare poſſe? *Auguſt. in Pſal. 85. Exemplis mouet hoſpites ad ſui commiſerationem Matth. 5.* *4. Reg. 21.* *Auguſt. ſer. 11. ad frat. in Ere.*

ſed per vos ex rupeo Manaſſis corde ſuauiſſimæ lacrymarum vnda proſiluit. Quis crederet è putrido Leonis cadauere mel poſſe elici? at per vos ex fœtidiſſimo frementis huius Leonis corde pœnitentiæ mel exiit. Quanta veſtra hæc potentia! [poſtquam coanguſtatus eſt Manaſſes, orauit Dominum Deum ſuum, & exaudiuit orationem eius; egit pœnitentiam valde coram Deo patrum ſuorum, deprecatuſque eſt eum, & obſecrauit intente.] Hinc conſecutum eſt vt in [omnibus à priori conuerſatione ita mutatus ſit, & beatiſſimam egerit vitam, vt multi imitatores eius eſſent, ex quo Dei cœpit colere pietatem.] Quare à Deo miſericorditer acceptus, tanquam inſignis propheta miniſterio Angelico in patriam tranſuectus ex Babylonica captiuitate, & miſeria, & in priſtinam dignitatem reſtitutus eſt. Hinc Glycas; [tot, inquit, tantaque facinora Manaſſes patrauit, vt diuinus ille Athanaſius dicere non dubitauerit, ſi Manaſſem Deus ſeruauit; equidem auſim dicere, quod etiam Diabolum ipſum ſeruaturus fuerit, ſi reuerti ad Deum voluiſſet] quidni etiam veſtra adiutus ope, huius ſim imitator futurus, ſi ſemel intra hoſpitij veſtri ſepta commorari me contingat, & veniam tantorum peccatorum conſecuturus, cum ea quanta æquum eſt pœnitudine deteſtari propoſuerim, Deumque, quem amiſi diligentiſſimè quæſiturus? Qua in re mihi ipſa ſuffragatur ſcriptura; [Cum quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.]

2. Paralip. 33.

Ioſeph l. 1. antiqui c. 5.

Glyc. in gloſſa citatus.

Deut. 4.

3. Quid memorem Dauidis duplici obſtricti-

scelere, per vos, conuersionem, qui in vestrum intromissus hospitium, lacrymans dies, cum noctibus iungebat, mœrore prostratus, & acerbissimi doloris velut carnificina exanimatus, & confectus, tandem, per vos, cum Deo in gratiam rediit? Quid denique Magdalenæ conuersionis mentionem facere opus, quæ florido velut in vere, ætate, pulchritudine, vestibus, crinium decore florens insolescebat, per vos, ad mentem saniorem reducta, dolore, lacrymisque plena cœpit rigare Domini pedes? O nouam, per vos, pœnitentiæ irrigationem procuratam! ô inauditam pedum ablutionem! peluis oculi ministerium subeunt, aquæ lacrymæ, lintei crines; vt aquis irrigata sterilis hactenus terra vberem producat fructum. Vere dicere poterat: [Lacrymas meas ne sileas, aitque, si tanta est fiducia ac libertas silentis, beatus homo qui lacrymas fundit, præmittitque illuc, vt cum Sancto propheta confidenter clamare possit, lacrymas meas ne sileas. Noui quod si lacrymarum mearum memor etiam fueris, ô Christe, iniquitatum mearum non recordaberis: cum vel perexigua lacryma multa possit abolere peccata, ideo tuam exoro bonitatem, vt lacrymas meas in medium adducas. Quando igitur positi erunt Throni, & aperientur libri, lacrymas quoque meas ne sileas Domine. Quicunque enim lacrymas illuc præmiserit, confidenter ad iudicium tuum accedet: Noui quantum apud te valeant lacrymæ. O virtutem lacrymarum, quæ medicinalis officina est peccatorum! per te peccatores efficiuntur beati: beati qui nunc fletis] Sicuti ergo, ô par fororum pœnitentiæ lacrymas Magdalenæ

Ephr. de compunct. & salut. anime.

Psal. 38.

ſuppeditaſtis, quibus Domini pedes irrigati, fructum illi vberrimum attulerunt, perfectam ſcilicet ſcelerum remiſſionem [Remittuntur tibi peccata tua; deſiderantis ſe ad vitam reuocatum videre non approbauit Dominus, pœnitentis approbauit, & qui à lacrymis deſiderantis Mariæ in horto tangi noluerit, à lacrymis eiuſdem peccatricis lauari voluit.] O ineffabilem pœnitentis lacrymarum virtutem! quid ni etiam ego veſtræ ſocietati adſcitus, veſtro incitatus ſtimulo Magdalenæ æmulator ſim, [vt quidquid in me polluerunt opera, diluant lamenta, & ſi quid adhuc culpa negationis inquinat, pœna mœtoris tergat.] Quidni ergo pœnitentiæ lacrymis vultum meum ſulcare velim, & continuis fletibus genas exarare, ſternere corpus omnibus calcandum, ieiuno ore, & ſemper pallido mortis ſpeciem ſpiranti in corpore præferre valeam? quid ni breui exclamem, in veſtrum admiſſus ſodalitium: [ô beatum pœnitentiæ aratrum per duas ſorores ductum, fletibus genas exarans! ô beatos pernobile par ſororum vultui meo inductos ſulcos! ô beatam per vos ab oculis meis profluentô lacrymarum pluuiam! vberrimam profecto gloriæ ſegetem huiuſmodi ſororum aratro ſulci, non tantum vultui, ſed multo magis cordi preſſius inducti proferent, & proſtratum corpus, per vos, extolletur ad vitam gratiæ, ieiunio macerarum ſatiabitur Angelorum pane, pallidum decore veſtietur, mortis ſpeciem præ ſe ferens, æterna tandem vita perfruetur. Quibus attractæ motiuis ſorores aditum ſui mihi patefaciunt hoſpitij. Quare bona ſpe plenus introducor harum captiuus ferreis quaſi onuſtus catenis, tanquam vile man-

Luc. 7. *Aug. ſer. 10. de paſſ.*

Greg. 9. Mor. c. 35.

cipium efficior, donec diuinæ bonitati placuerit misericordiæ oculum in me reflectere, cuius ictu ad viuum saucius lacrymarũ & doloris beneficio frui merear, & vti spero [maior gradus reddetur ploranti, quam fuerat sublatus deneganti.] *Arnob. in Psal. 138.*

4. Ad te igitur, bone Iesu, me conuerto, quem tam grauiter iteratis perfidiæ sceleribus offendi, misericordię recordatus, obsecro, vt efficacissima oculorum tela in obcæcatos mentis meæ oculos ita dexterè conijcias, vt illi diuinis illustrati radiis cum Manasse, Dauide, & Magdalena, reflexo in te intuitu palam in tuis oculis lapsus mei ruinas, cum pudore simul lacrymis, & dolore omnes legant. Interim non cessabo clamare [diem crebro cum nocte iungam, nec prius à pectoris cessabo verberibus, donec redeat, Domino imperante, tranquillitas] tunc amabilis in me oculorum tuorum ictus ita meum infortunium dulce tandem reddent, vt meis male conscíis cogitationum fluctibus amaritudinis flumina stillantes, me mihi reddant amarissimum, te vero mihi dulcissimum. Quare cito cælestibus compuncta aspectibus cõscientia tanti sceleris rea, simul gratiæ sentiat virtutem, qua terna animi vulnera sanari incipiant, sentiat, & acribus seueræ redargutionis ictibus sese lancinari, quibus saucia purulento peccati tabo sese exonerans, cælestis gratiæ vita se donatam intelligat! ô infelix ego, quam facile hanc vitassem animę meæ ruinã, toties in tuis suauissimis oculorũ luminibus veluti in veritatis Annalibus, salutares mihi propositas diuinarum virtutum lectiones ediscendas cernens! Quoties per illas tanquam cælestia lumina meis satisfeci desideriis! Quoties tuo aspectu iucundissimo, *Hier. ad Latam.*

ex animi mœrore recreatus, ſingulare cordis iubilum interius ſenſi ! Sed heu ! quos hactenus mei habui doloris conſolatores, modo infamiæ teſtes habeo, & tanti ſceleris vindices, producto contra me in manu tua enchiridio meis inſcripto flagitiis. Nihilominus tamen reſumpta ſpe cum mihi compertum ſit orationis meæ negotium [magis gemitibus, quam ſermonibus agi, plus fletu quam affatu] vrgebo & vtriuſque ſuffragio vtar, vt veniam extorqueam.

Obſecrat Ieſum vt infamiæ librum comburat.

5. O diuinæ igitur è diuinis oculorum ictibus exilientes amoris flammæ, hunc meis exaratum ſceleribus conſcientiæ librum cito arripite, corripite, & veſtra ineffabili caloris virtute concremate, quæ huic conſcribendo libro ruinæ meæ materiam ſuggeſſerunt, vſa pro calamo lingua infeliciter in fronte mea ſcribenti infamiam: corripite igitur ſimul veſtris flammis ſceleratam linguam, & malæ conſcientiæ librum, omnia in cineres redigite, vt ex his natalium meorum inſignibus diſcam in poſterum, non altum ſapere, neque iactantiæ abripi vento, ſed ſub potenti manu Dei, me penitus ſubdere. Conijcite amoris flammas in me, vt totus veluti cera à facie ignis in lacrymas reſolutus, deleam iniquitatem meam [nemo ad Deum flens acceſſit, qui non iuſtam petitionem ſuam acceperit : nullus ab eo beneficium iuſtum optauit, qui non impetrarit, ipſe eſt enim qui conſolatur flentes, dolentes curat, pœnitentiam informat. Quid ergo ? patiens Dominus eſt, ait Iudith, indulgentiam eius fuſis lacrymis poſtulemus.] Vos interim cæleſtes radij è Chriſti oculis erumpentes, condenſate in me ardentes igue ſagittas, quibus caleſiat, vul-

Laurent. Iuſti. de lig. vit. c. 9.

Iudith. 8.

neretur, colliqueſcat gelidum, adamantinum, & ferreum mihi pectus, ſentiat viuificos oculorum tuorum ictus, & ſalutares in ſe deriuari, è duorum oculorum fontibus, viuificæ gratiæ aquas, quarum ſolummodo attactu mentis meæ oculi penitus recreati, claro ſtatim lumine donati, te omnis gratiæ, ac luminis fontem agnoſcant, vt ad te ſtillent [ad Deum (inquit ille) *Iob. 16.* ſtillat oculus meus, ſuas indicans lacrymas non terram petere, ſed cælum. ſtillet etiam ad te oculus meus qui lacrymas non terræ gratia, ſed tui amore fundit. Et quemadmodum Sol terræ vapores ſuo calore tepefactos ſurſum euehit: ſic bone Ieſu tepidas, tui tamen gratia effuſas lacrymas, charitatis calore feruidas effice, & ad te eleua, tua virtute, tibi gratiſſimas effectas. tales te lacrymas in conſpectu tuo collocare, indicat regius vates: [Deus, inquit, vitam meam *Pſal. 55.* annunciaui tibi, poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo,] heu! vitam meam ſceleribus contaminatam miſer ego tuis ſubieci oculis, in qua, veluti in ſpeculo, conſpexiſti turpes ſerui tui lapſus; ſed ſicuti vitam annunciaui tibi, pone etiam lacrymas meas in conſpectu tuo, vt pro me legatione fungantur. [oculus enim meus afflictus eſt, nec tacui. Effluxit, manauit lacrymis, *Thren. 5.* & ſicut fons quaſi præceps emiſit aquas, donec *Hiero. in* reſpiceret, & videret Dominus de cælis:] ne- *illud Thren.* que proinde à fletu quieſcam donec perfectè cognouero Dominum lacrymis meis commotum, *Iſidorus* ſentiamque aſpectum eius in me directum, vt *Hiſt. l. 3.* peccatis meis veniam tribuat. [nunquam enim *ſenten. c. 8.* in poſterum ſine gemitu mihi orandum eſt: nam peccatorum recordatio ſalutarem gignit mœro-

rem. Dum enim oramus, ad memoriam culpam reducimus, & magis reos tunc nos esse cognoscimus. Ideoque cum Deo assistimus, gemere, & flere debemus, reminiscentes, quam grauia sint scelera, quæ commisimus, quamque dira inferni supplicia, quæ timemus,] ô fœlices huiusmodi lacrymæ, quam essent, benigno Magistri mei in me respectu elicitæ!

6. O salutares ergo oculorum tuorum Domine cometæ, amoris scintillas euibrantes, lucidas amoris flammas in me amplius, atque amplius conijciant, & ardentes gratiæ influentias in me deriuare non desistant, quarum virtute cor meum, peccati gelu penitus constipatum, emolleſcat, & velut solis ardore in medio ventris mei, totum colliqueſcens, instar niuis, solis calore dissolutæ, prorsus in lacrymas quotidie abeat. [quotidie lacrymæ, quotidie gemitus. Post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam fac, vt agminibus interſim Angelorum, fac vt lætus, gaudensque cantem & post te in odorem curram vnguentorum tuorum.] Huiusmodi solis radiis memini prophetæ gelidum cor, dum in ventre ceti deliteſceret, colliquefactum: memini & de profundo pelagi in aridam, tuo imperio à bellua euomitum: memini hisce etiam ardentissimi solis radiis è telonio vsurarium, ex arbore publicanorum principem, ex lupanari meretricem, ex sordido piscationis ministerio me aliquando, & Andream, & Ioannem inflammatos ad tuam veniſſe gratiam? naufragium iam ego passus, nunquam è peccati abysso emergam, nisi iterum gratiæ tuæ radij mihi

Hiero. epist. ad Eust.

illuceſcant: [Præcipe igitur iam nunc me his anguſtiis excedere in locum æternum, ne auertas à me faciem tuam.] Memini! ô bone Magiſter, Magos ad tua incunabula deductos, ſed ſtella duce. Mitte igitur fulgentiſſimam gratiæ ſtellam ad me, cuius ductu viam retexam, & inueniam, quem diligit anima mea. Recordare promiſſi tui: petite, & accipietis: ſic decrepito ſeni Abrahæ, & Saræ, cuius vuluam videbaris concluſiſſe, ſemen dediſti inſtanter petentibus. [qui ergo illi promiſeras te multiplicaturum illius ſemen, idem quoque promiſiſti nobis daturum quicquid à te poſtularemus.] in oratione itaque perſiſtens lactymis meis pectus tuum ſine intermiſſione ſolicitabo, vt in me reſpiciens tuo fauore emollias cor meum, & tibi in ſacrificium mactes. Et quoniam nihil magis ad te flectendum, quam in oratione ſimul & lacrymis perſeuerantia, inſtabo quotidie. Nam [qui ad concupita peruenire volunt, reflectere mentem à ſtudio orationis non debent, ſed magis perſeuerare in intentione cæpta illos oportet:] idque cum lacrymis. [Vtere (inquit ille) lacrymis ad recte orandum, antequam quicquam petas: oratione enim lacrymantis magnopere Deus delectatur.

Vatablus in Tobiam. c. 3. ver. 6.

Gen. 15.

Baſil. l. con Mor. c. 2.

Hiero. in lament. Hierem. c. 3.

Nilus Monach. de orat. c. 5.

7. O cæleſtes itaque, in cæleſti Heſebon piſcinæ, cæleſtis gratiæ balnea continentes, in quibus Angelicæ mentis ſeſe veluti gloriæ balneis oblectant, in quibus etiam ſanctorum agmina glorioſos vultus ſui radios, tanquam in lucidiſſi-

lacrymis

mis ſpeculis multo clarius, quam in ſeipſis intuentur conſcientiæ meæ ſordes, ſalutari balneo abſtergite, vt priſtino decori reſtitutus, Angelorum choris diuinas laudes ſuauiter canentibus, aliquando inſerar. Nam anima mea cæleſtem aliquando experta dulcedinem amarè deflet illius abſentiam, qua ob peccatum priuatur.

Auguſt. [Impatiens enim eſt amor, &c. lacrymis modus fit, niſi amori detur, quod amatur.] O Magiſtri mei ergo oculi, quorum viuaces ictus tacitis loquuntur ſermonibus, & mira quaſi ciphra alta exponunt myſteria: quippe qui ſolo aſpectu omnem docent ſcientiam, quorum textus apud fideles non indigent explicatione; cuius rei teſtis ſum ego indigniſſimus, qui vno oculi ictu, poſt galli cantum, plura didici, quam omnes ſimul Scribæ, & Phariſæi didicerunt ex libris, quorum adamantina corda ſemper poſſedit malitia, ferreis ne quitiæ colligata vinculis, neſcia vinci tam efficaci oculorum virtute. At ego licet Caucaſo durior, tuo benigno emollirialpectu incepi, malumque meum deflere, amoris tui iaculo ſaucius didici, & vidi, lacrymis perfertus, ſubtilius diaboli technas: nam quemadmodum columbæ ſuper aquis reſidentes, rapacium auium vmbram conſiderant, vt vngues earum deuitent ſic anima mea [lacrymis quaſi baptizata ipſo contemplatione videt limpidius:] tua præſertim, Domine, gratia præuenta, quod Scribæ, & Phariſæi, obſtinatis in malitia animis, diſcere noluerunt, hinc ſpero breui fore, vt tu bone Ieſu lacrymas meas manu tua veluti ſpongia detergas, reddita mihi priſtina animi tranquillitate; tunc mihi licebit cum illo exclamare qui ait: [Felices

Gregor.

lacrymæ,

lacrymæ, quas benignæ manus conditoris abſtergunt: eſt enim fletus cibus animarum, corroboratio ſenſuum, abſolutio peccatorum, refectio mentium, lauacrum culparum] O ſolis itaque radij, ex oculis benigniſſimi Ieſu erumpentes, qui ex æquo lucis claritate concertatis, quorum grata præſentia diem, & abſentia noctem inducit, exoriri mihi ne grauemini, vt peccati nocte per fulgentiſſimam gratiæ diem eliminata, ſplendoris veſtri claritatem, & amorem, quo in te ferebar mea amiſſum perfidia recuperem, vt ſicut aurum mundatur per ignem, ſic diuina claritate, & charitatis igne omnem in me peccatorum rubiginem conſumi intelligã [Deus noſter ideo ignis conſumens diceris, quia flammis amoris tui incendis mentes, quas imples, & à vitiorum ſordibus mundas reddis.] Hoc à te poſtulo iam in fide nihil hæſitans: [indignus enim eſt cæleſti benedictione, qui eam dubio quærit affectu.] Et [Non hortareris nos petere, ſi non velles dare Erubeſcat ergo humana pigritia; plus vult ipſe dare, quam nos accipere.]

Deut. 4. Gregor. in Eze. l. 1. hom. 5. Iac. 1. Greg. Aug.

8. O gratiſſimæ cælo terræque oculorum ſphæræ duobus ornatę ſolibus, quorum altero cælites, altero iuſtos in terra adhuc degentes mirifice recreatis, fierine poterit, vt veſtros dignemini radios in fœdum animæ meæ ſterquilinium proijcere? [Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Non clauder miſericordiæ fontes, quodam veluti pariete iræ: nam miſericors Dominus & iuſtus eſt, & Deus noſter miſeretur. Bis miſericordiam poſuit, ſemel iuſtitiam, in medio iuſtitia eſt gemino ſepto incluſa miſericordiæ.] Ergo miſericor-

Expetit diuinos radios in ſua animæ cloacam immitti. Pſal. 76. Theodoret. in illud Pſal. 76. Ambro. in idem Pſ.

dia vtrinque posita Dei mitigabit iram. Hinc fieri posse spero, vt auricomo iubare meam illustrare animam, ipso tartaro fœdiorem velit. Nam sicuti Sol suis radiis spurcissimas sordium cloacas, sine vlla sui splendoris diminutione, aut sordium commixtione verberat: sic tu, bone Iesu, hanc contaminatissimam animæ meæ sentinam oculorum tuorum radiis, ita verberare vales, vt non modo meæ animæ sordibus ipsi non contaminentur, sed supra solis etiam materialis virtutem, illam sordibus omnino exuens, cælestium radiorum vi, ipso sole derepente pulchriorem efficias, interim recogitabo tibi cum Ezechia omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Oportet enim, si fieri potest, reuiuere me, vt ita loquar, denuò, quod male vixi. Sed, quia hoc non possum, saltem recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: faciam recogitando, quod recuperando non possum.

Isa. 38. *Ber. in illud Isa.*

9. Quis huiusmodi radiorum virtute animæ suæ sentinam expurgare non optaret? quis suum cor illis quantumuis ferreum non exponeret, vt eorum vi liquefactum salutares euibret in oculorum pelues pœnitentiæ aquas, quibus & simul à sordibus vendicetur, & sitienti animæ gratiæ fontem impetret: [Anima mea (inquit sponsa) liquefacta est, vt dilectus loquutus est] vtinam bone Iesu vox tua sonet in auribus meis, vt illius virtute ab anima intus liquefacta suauissimæ pœnitudinis lacrymæ emittantur, vt ex animo dicere possim: [quanto suauius vocem atque vicinia dilecti mei accepi, tanto sublimius quicquid in me erat frigidum incaluit; quidquid rigidum, liquefactum est; adeo, vt nihil nisi in lacrymas

Cant. 5.

Beda. in illud Cant. 5.

reſolui dulce habuerim, & quem me ad punctum ſua gratia contingentem retinere nequiueram abſcedentem, iam fleru requirere gemituque delector !] vtinam diuini ſpiritus in animam illapſu eius duritia omnis primo emolliatur, deinde vrente intus diuini amoris flamma liquefactum quicquid eſt veteris hominis in lacrymas expietur, vt vere dicere valeam [ſuſtuli animam ad cælum, vt de dilecto meo intelligerē.] O quomodo tunc lacrymarum aquas amplius & amplius optarem libandas in gratiarū actionē magiſtro meo. Ciſternæ Bethleemiticæ aquas tanto deſiderio Dauid experiit, vt exclamauerit : [ô ſi quis mihi daret potū aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleē!] Sitiebat ſanctiſſimus Rex aquam Bethleem præ cæteris fontibus, quia Chriſtum in ea naſciturum deſiderabat. Dauidis deſiderio ſatisfacere tres fortiſſimi viri optantes Philiſthinorum caſtra irrumpunt, hauriuntq; aquam, & ego cur non eodem feror deſiderio,, vt ſalutares aquas cum gaudio hauriā de fontibus Saluatoris ? mea me, proh dolor! ab illa gratiæ aqua prohibēt peccata. Quid nonne etiam crudeles Philiſthæi Dauidis explendum deſiderium prohibere conati ſunt, nihilominus tamen intellecto Regis voto tres illi viri fortiſſimi Dauidi, inuitis hoſtibus, aquam hauſerunt: quidni etiam & audito mentis meæ deſiderio, tres fortiſſimi pugiles, è duplici illa Chriſti oculorum ciſterna inuitis omnibus animarū hoſtibus aquam mihi hauriant [Sitiebat Dauid non aquam de lacu, qui eſt in Bethleem ; ſed oriundū ex Virgine Chriſtum in ſpiritu præuidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, ſed potū gratiæ ſpiritualis.] Audiatur ergo ex intimo

Pſal. in illud Cant. 5.

2. Reg. 23.

Amb. in Apolo. Dauid. c. 7.

animi affectu à me desiderante gratiæ potum: O si quis mihi daret potum aquæ de Dominica oculorum cisterna, biberē quidem ex eo pleno hau-
Amb. ibid. stu, meque prorsus Deo libarem. Dauid quidem [non bibit oblatam aquam, sed Domino profudit, significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum: illud sacrificium in quo esset, remissio peccatorum: illum sitire se fontem æternum, non qui periculis quęreretur alienis, sed qui pericula aliena depelleret.] hunc eundem fontē vehementer sitio, ac proinde tres fortissimi pugiles, tres, inquam, fortissimæ virtutes, cordis nimirum contritio, oris confessio, operis satisfactio, statim irrumpant hostium castra, peccata nimirum, donec ad fontem in altissima dominici vultus rupe scaturientem accedant, & aquam haustam, quæ sola æternam sitim explere potest, ad me deferant, vt allatam mihi largiter bibam, quo mihi oculorum lumen multo perfectius, quam Ionathæ ex mellis gustu restituatur.

Obsecrat vt cælitus pluuia in suæ animæ sulcos decidat, quo dignos pœnitentiæ fructus efferant.

10. O misericordiæ igitur radij densas prius mœroris nubes in obscuro animæ meæ hemisphærio, vestro calore, in salutarem resoluite pluuiam, vt sicci animæ sulci, gratiæ fluore, mea culpa, priuati, superno perfusi irriguo, dignos pœnitentiæ fructus efferant, spirantibus è cælo desideriorum fauoniis, & iustitiæ solis calore fructus ad maturitatem perducentibus. Rorent igitur benigniori in me respectu tui desuper, bone Iesu, oculi, & veluti grauidæ nubes gratiarum plenæ, in me vbertim pluant, vt fauoris tui grato aspectu, in cubilibus amoris tui vulnere saucius, cumpungar vehementer, & tanquam gratiarum fonte ebrius, de fontibus Saluatoris largiter bi-

Digitized by Google

biſſe, per vberrimos pœnitentiæ fructus, omnibus videar, & in poſterum pœniteat me facti, idque ex viua fide, orem inſtanter ex compuncto corde, plorem ex intimis viſceribus, & ſicut propheta dicit: [adorare, & procidere, & plorare ante Dominum, qui fecit nos, poſſim: quia qui ſerũt in lacrymis, in gaudio metent Felix heu! nimium felix officium lacrymarum, quo non modo confertur hic gratia, ſed futuro etiam tempore colliguntur præmia: & beatum ſeminis incrementum, quod in fletu profunditur, vt in lætitia metatur.]

Pſal. 94. *Pſal. 125.* *Amb. l. de pœni. c. 27.*

11. Si diuini amoris iactura, ſi infinitum animæ damnum illatum, ſi diuinæ maieſtatis offenſa, ſi fama in ſummam conuerſa ignominiam, ſi æternæ damnationis periculum, ſi Dei ira in me armata, ſi meritorum, ac gratiæ in me collatorum naufragium, mereantur oculos continuis defluentes lacrymarum riuulis, gerere; tantæ meæ in magiſtrum benigniſſimum proditionis culpa, vt oculos ſanguineas perpetuo ſtillantes lacrymas gerere debeam, ſemper ingeminans: peccaui, iniquè egi, receſſi à Deo meo, vt ſi forte per huiuſmodi confeſſionem me in hoſtiam contrito corde, ſuſcipiat, memini enim ſcriptum eſſe [Immola Deo ſacrificium laudis,] vel vt in Hebræo eſt, [ſacrificium confeſſionis.] Et alibi: [In voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis,] vel, vt Hieronymus, Symmachus, & Aquila verterunt: [In voce laudis, & confeſſionis] laudatio enim diuina, & peccatorum confeſſio ita inter ſe copulantur, vt à ſe ſeiungi non poſſint, vnde ex peccatorum confeſſione, ad ſonum epulantis, ſeu ad tranquillæ conſcientiæ epulum via

Dan. 3. *Pſal. 49.* *Pſal. 41.*

Chry. hom. 3. in Mat. cap. 3. munitur. [Hoc est enim referre gratias Deo, peccata ei propria confiteri, vt cum mille se aliquis reum fateatur malorum; nulla tamen magna satis se pro his arbitretur pati supplicia.] Quam ergo infelix ego, qui in me penitus extinxi tui amorem, me male amando, cum meipsum intempestiuè lucrari vellem, cuius rei iactura totius vitæ meæ lacrymis reparari non potest. Ni-

Ionas. 3. hilominus tamen genas perpetuo lacrymis sulcabo: [Quis scit si cõuertatur & ignoscat Deus?]

Greg. in illud Iona. 3. Si cum Niniuitis facti pœniteat mei. Sed me terret illud fulmen: [Commoueri ad pœnitentiæ lacrymas cum magna fortitudine debemus: quia si hi, qui pœnitentiam austeram faciunt vix fiduciam salutis inueniunt, negligentes saluos fieri, quando possunt? Laboraui, inquit ille, in gemitu

Psal. 6. Greg. Naz. orat. in Sãct. lumina. meo, id est, studiose egi, vt essem in gemitu, scilicet vt quousque viuerem gemendũ mihi putarẽ. In gemitu meo, id est, modo mihi proprio] Et ego, qui omnia perdidi, Iesu perdito, & me perdidi, ipsum perdendo, quam agam pœnitentiam?

Naz. ibid. [Nemini profecto, sicut mihi ingemiscendum æstimo, quia præ omnibus, me peccasse perpendo.] Hinc meritò [turbatus est, cum Da-

Hiero. in illud Psal. 6. turbatus, &c. uide, à furore oculus meus. O Deus! per quem supplicia mihi timeo præparata: turbata est mens mea, & totum cordis mei principale contremuit.] Ecquid igitur faciam? à furore Domini mei fugiam? peccauit quidem Dauid, at minime conspectui Dei se subtraxit, sed oculos in cælum sustulit, Dei faciem, quam peccatis contempsit, & irrisit, contemplatur, & quamuis illius aspectu erubescat, contremiscat, perturbetur, non tamen abijcit animum,

Digitized by Google

ſed potius in ſpem erectus, ad pœnitentiam, & lacrymas ſeſe componit, & ex diuino concepto timore ſpiritum ſalutis tandem, & gratiæ parturiuit: [Lacrymis inquit, meis ſtratum meum rigabo.] quidni ergo, qui grauius peccaui [rigem lacrymis ſtratum meum, vt continuo luctu, & dolore lapſuum meorum maculas diluam, & cordis duritiam imbre compunctionis emolliam: vt ſicut hortus recepta ſuaui pluuia euidenter germinat: ita caro lacrymarum fluentis rigata bonorum operum, & iuſtitiæ germen emittat.] Sic, vti ſpero, meipſum per peccata perditum, rurſus inueniam! ſiſtam me tribunali tuo, & in lacrymas reſolutus dicam ex animo contrito: [Saluum me fac, tempus eſt, vt facias; nam ego laborauí in gemitu meo. Adeſt miſer; adſit & miſericordia.]

Greg. in illud Pſal. 6.

Greg. ibid.

12. Agedum igitur pudor adeſto, vera conſcientiæ male ſibi conſciæ teſſera, & qui tetro obumbras velo tetri pectoris crimina, tuo tandem condemnati animi indice elimina [omne enim malum, aut timore, aut pudore natura perfudit. Et malefici geſtiunt latêre, deuitant apparêre, trepidant deprehenſi, negant accuſati; ne torti quidem facile, aut ſemper confitentur: certè damnati mœrent, dinumerant in ſemetipſos mentis malæ impetus, vel fato, vel aſtris imputant: nolunt enim ſuum eſſe, quia malum agnoſcunt.] Age ergo pudor pœna delicti comes, mihi, non fato, aut aſtris tot lapſus imputa, tuo me pudore accuſa, quia [ſero venit quædam erroris præteriti verecundia, quæ errorem præ-

Pudorem conſcientiæ teſſerâ pronocat, vt ſuâ infamiam manifeſtet, Tertul. in Apologe. cap. 1.

Amb. l. de parad. c. 14. *Greg. Naz. orat. 1. Apolo.* *Orat. 26.* *Ioſue. 7.* *Greg. Niſſe. hom. 3. in Eccleſiaſt.* *Naz. orat. in ſancta lumina.* *Naz. orat. 1. Apologe.*

uenire debuerat.] Eſto itaque inuerecundus hactenus pudor, eſto inquam [pharmacum perſuaſionis: quo nullum maius adiumentum ad virtutem excogitari poteſt] Perfringe igitur veniæ obſtacula [fili mi da gloriam Domino Deo Iſrael (inquit ſacra pagina) & confitere atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas] Itrue igitur, ô pudor, cum Magdalena in domum, vbi tuus magiſter non menſæ aſſidet, ſed opprobriis ſaturatur. Nam [& pudor ſequens debiti reprehenſionem per ſe ſufficit ad caſtigandum eum qui peccat, ne rurſus in ſimilia incidat] Mira ergo vis eſt ſcio, in pudore, luctu, ac lacrymis erga Deum, ad quælibet iuſta, & vtilia impetranda, maxime vero ad ſcelerum indulgentiam, qua nobis nihil ſalubrius, vtilius, & glorioſius condonatur [Lacrymarum enim baptiſmus eſt, quo quidem ille tingitur, cui ipſæ quoque vitij cicatrices fœtent. Inſta igitur, ô vtilis modo pudor, opportune, importune, colloca te, demiſſo in terram vultu, ante Ieſu pedes, pudore enim affici pietatis pars eſt non minima] quo comite ego author omnis mali, tanquam alter Lazarus vlceribus peccati plenus, omni deſtitutus humano præſidio, canum potius, quam hominum dignus ſocietate, ad pietatis ianuam tranſcurram, & alternatis pulſibus ingreſſum ſolicitabimus, vt ſaltem noſtra admiſſi importunitate, micas, quæ à puerorum orbibus cæleſti menſæ aſſidentium cadunt, liceat nobis anido ore ſuſcipere. Perge itaque pudor, & tu mea vultus tui rubore vulnera omnibus denuda, ſublato male ordinati pudoris pallio, expande laceras conſcientiæ veſtes, meæ miſe-

riæ teſtes euidentiſſimas. Mordaces ſub attrita animæ lacerna, conſcientiæ vermes, omnium expone oculis, qui probent planctum meum, meo infortunio longe eſſe inferiorem, quo bonus Ieſus, viſa conſcientiæ meæ amaritudine, ſua meam manſuetudine offenſam miſericorditer metiatur, vero conſcientiæ remorſu, debitam offenſæ vindictam mitigante, lacrymis iram, qua ad delicti vltionem incenditur temperantibus, corde tacitis conclamante deprecationibus: bone Ieſu, tuum in me odium tua moderetur pietas, condonet gratia, amor obliuiſcatur me cum timore veniam deprecante, & cum ſpe humiliter implorante, vt amoris tui lytro meum redimas lapſum. Reuoca, obſecro, in tuo tribunali latam in me mortis ſententiam, iudicij tui rigorem ſuſpende, humani cordis fragilitas fauorem, intimus animi dolor opem impetret. Tu ipſe bone Ieſu, quamuis per me grauiter offenſus, promoue ſupplicantis petitionem, hanc mei cordis fœdiſſimam cloacam, puriſſima cæleſtis gratiæ aqua expurga, mea dele debita, vt ſic priſtinæ reſtitutus tuæ amicitiæ, in ſanctitate, & iuſtitia coram te viuam omnibus diebus vitæ meæ.

De cauſis, cur permiſerit Deus Petrum labi.

CAPVT XLI.

1. MIrum videri poteſt; cur Deus permiſerit Petrum tam turpiter labi, qui, præ cæteris, feruentiſſimus Chriſti amator extitit, & ab eo Apoſtolorum vertex, & totius Eccleſiæ caput erat conſtituendus; ſed mirari deſinemus, ſi cum Auguſtino credamus, nullum vnquam Deum peccatum fieri permittere, niſi vt inde magnum eliciat bonum: [Deus, inquit, malarum voluntatum eſt iuſtiſſimus ordinator: vt cum male illæ vtuntur naturæ bonis, ipſe bene vtatur etiam voluntatibus malis.] Ex hoc verò Petri lapſu multa ſalutis documenta elicere nobis liceat, quibus eius lapſu in cautelam verſo, alieno malo ſapere doceamur. Quare optimè Ambroſius etiam ait: [Lapſus Sanctorum vtilis eſt. Nihil mihi nocuit quod negauit Petrus, profuit quod emendauit. Didici cauere colloquia perfidorum. Petrus inter Iudæos negauit, Salomon contubernio gentili deceptus errauit. Fleuit igitur amarè Petrus, vt lacrymis culpam ablueret,] noſque ſuo malo cautiores redderet, ſuoque in primis lapſu doceret, quam periculoſum ſit in baſilicis Principum verſari. Hinc Bernardus: [Clauſtrum quoſdam malos recipit, quos, vt plurimum bonos efficit, curia vero è contrario

Deus ex malis elicit bona.

Aug. l. 11. de Ciuit. c. 17.

Ambr. l. 10. in Luc.

Docemur primum Petri lapſu Principum aulas fugere.

Ber. l. 1. de conſiderat.

Digitized by Google

plures bonos recipit, quos non perficit, sed inficit.] Nam qui paulo ante bonus, inter bonos agens, mortem pro Christo optabat; in aula Caïphæ inter malos positus, tantum abfuit, vt mori, Christi gratia, voluerit, vt potius pretiosæ eius morti, suam præferens vitam, indignissimè illum negauerit. Quam aptè illud Iobi in Petrum quadrat: [Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: non noui te.] Absorpsit quidem adeo de loco suo, de statu, inquam, gratiæ Petrum ingens pauor, vt sui compos esse non videretur, ac proinde à Christi disciplina illico auulsus, in iniquitatis scholam translatus, Magistrum suum negauit, eiusque abiecit disciplinam, & dixit: [non noui hominem.] Ecce quam pronus etiam viri sancti, inter discolos versantis in peccatum lapsus!

2. Discamus igitur, Petri exemplo edocti, peccati occasiones fugere, ne si cum illo audacius in malorum societatem nos ingeramus, cum illo etiam pereamus: [qui enim amat periculum, peribit in illo.] Hinc sancti [tentationes, etiam speciem boni (vt ait Isidorus) præferentes, abijciunt, quia sub esca, statim Diaboli hamum introspiciunt, Non ignorant quod plerumque plus periculi est in insidiatore occulto (vt ait Leo) quam in hoste manifesto.] quare & hosti manifestè tentanti, & insidiatori in obscuro sagittas mittenti, se prudenter opponunt, & sic ab omni periculo se subtrahunt. Si verò contingat nos aliquando labi, memores statim Petri, opportunis peccatum lacrymis,

Peccati occasio fugienda.

Eccli. 3.

Isi. l. 2. de sum. bon. c. 10.

Leo. ser. 9. in quadr.

deſleamus, omneſque relabendi occaſiones, per Dei gratiam, velis, remiſque fugiamus. Ille confeſtim Gallicantu admonitus, Chriſtique aſpectu vehementer commotus, non modo lacrymas fudit. Caïphæ domo egreſſus, in qua Magiſtrum ſuum negauit; ſed ignem etiam in poſterum, ancillam oſtiariam, & cæteros huius farinæ ſocios, lapſus ſui occaſiones fugit, ne iterum relaberetur. Quamobrem, ſi velimus peccati occaſiones euitare, in primis cum Petro principum Baſilicas fugiamus. Quemadmodum enim Baſiliſcus, à quo Baſilica (vt aliqui volunt) deriuatur, viſu ſuo hominem interficit, ſic Magnatum Baſilica tot venenatis ſæpe aulicorum moribus, tot lethiferis fœminarum aſpectibus, tot impudicitiæ, ebrietatis, crapulæ, adulterij, periurij, blaſphemiæ, detractionis occaſionibus infectæ, quaſi in Baſiliſcos conuerſæ, innumeras intoxicant animas: imo ſi in Petram (teſte Æliano) Baſiliſcus virus euibret, illam ſtatim medio ſcindit, quod reipſa etiam huic Eccleſiæ Petræ cernimus contigiſſe. Nam ſimulac Baſiliſci inſtar, oſtiaria illa Caïphæ domus, è ſuo ore velut virus in Petrum euomuit: [& tu cum Ieſu Nazaræno eras!] illum dicto citius infecit, & trepidationis veneno, ſolidam alioqui Petram, medio fidit, illamque à Chriſto per turpem negationem ſeparauit. Verum, (ſicuti idem affirmat auctor) nihil præſentius ad Baſiliſcum in fugam vertendum, Galli cantu, vti effectus in Petro comprobauit: illo enim canente, Petrus ad ſe reuerſus, lethiferum, quod antea de negationis poculo incautè hauſerat venenum, ſalubriter penitus euomuit. Quare

Æli. de vari. hiſto.

egressus Caïphæ aula, gratiæ radij, quos per peccatum amiserat, confestim illi apparuerunt, suaque luce mentis caliginem discutientes, Petri cor in lacrymarum fontem resoluerunt.

3. Fugiamus igitur de medio Babylonis, de mediis, inquam, impiorũ principũ palatiis, quæ iniquitatis vniuersitates, (in quibus variæ nequitiarũ scholæ vigent) merito appellari possunt. Nam sicuti in vniuersitatibus, aut literariis Academiis diuersæ scientiæ, in diuersis Cathedris, quotidie, tam ante meridiano quã postmeridiano tempore discuntur: sic in impiorũ præsertim principũ palatiis, tanquam in iniquitatis vniuersitatibus antemeridiano tépore, pigritia, somnolentia, & lasciuia, primariam sibi cathedram vindicant. Tempore vero prandij, tanquam ad mensam lectio, intemperantiæ, ebrietatis, & gulæ documenta prælegũtur, ipso epulo mordaci detractionis sale condîto. Cui succedit recreationis loco alearum, chartarum, taxillorum lusus, mendaciis, periuriis, blasphemiis, & auaritiæ facibus, inconcinnisque clamoribus intermixtus, quem tanquam longissimam prælectionem iniquitatis magistri in vesperum protrahunt: & tunc demum rursus cœnæ tempore omnis intemperantiæ assumuntur documenta, quibus cœnantes ita animum intendunt, vt nihil antiquius habeant, quam sese opiparis ferculis variè condîtis, vinoque pretioso ingurgitare, donec belluarum instar, sine vllo rationis sensu in mutuis vomituum sordibus sibi lectum sternant: deinde digesta ex parte crapula per inquietam quietem reliquo no-

ctis tempore præter communem vniuerſitatis morem in libidinis & veneris ſordidas nequitiæ lectiones diligentius incumbunt, donec iterum pigritiæ, ſomnolentiæ, ac omnis laſciuiæ repetant lectiones: & ſic impij in circuitu ſemper ambulant, donec in puncto in tartara præcipitentur. Quare ſi ſapimus ex huiuſmodi iniquitatum vniuerſitatibus, quàm citiſſimè, cum Petro, egrediamur, & pœnitentiæ lacrymis malorum morum lectiones, & omnia intemperantiæ documenta è conſcientiæ noſtræ libris expungamus, illoſque ſalutaribus vitæ documentis pingendos Spiritus ſancti calamo velocitet ſcribentis ſubijciamus, vt conuerſi, cum Petro fratres noſtros confirmemus.

Secundo Petri lapſu docemur nobis non fidere.

Aug. ſer. 124. de tẽp. Caiet. Mat. 26.

4. Deinde permiſit Dominus Petrum labi, vt in illo totum hominum genus, teſte Auguſtino, poſſet agnoſcere, nihil ſe, ſine Dei gratia prænalere, neque in ſuis fidere viribus debere. [Nemo, inquit, ſibi fidat, cum Apoſtolorum verticem à corporis & ſanguinis Chriſti ſuſceptione proſtratum videat.] vnde Caietanus [Petrus, ait, paulo ante, Chriſto atteſtante, mundus ſacramentis corporis, & ſanguinis Chriſti digne communicans, prænonitus de futura tentatione, paratus potius mori, quam negare illum, negauit. Quare hoc? quia magna eſt differentia inter charitatis gratiam habitualem, & vſum illius. Quia non ſumus ſufficientes ex nobis ad vſum charitatis, & gratiæ, quam habemus infuſam à Deo, ſed egemus ad vtendum illa continuo gratuito auxilio, quo quia Petrus ca-

ruit, tunc ideo cecidit.] vt diſceret in poſterum, ad Chriſtum conuerſus, ſuis viribus minimè fidendum: illud coapoſtoli ſui reipſa ſecum ſemper recolens: [tu ſi fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. Optimus enim virtutum (inquit Anſelmus) & beneficiorum cuſtos eſt timor. Ideo (ait Auguſtinus) non perſeueraturi perſeueraturis prouidentiſſima Dei voluntate miſcentur, ne regenerati & piè viuere incipientes ſecuri alta ſapiamus. Qui ergo exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat. Vtile eſt (inquit Auguſtinus) omnibus, vel pene omnibus, vt quales futuri ſunt, ſcire non poſſint, vt quiſque dum neſcit, an ſit in bono perſeueraturus, humiliter, & ſolicite Dei gratiam imploret, cum eaque caſum cauere, & in gratia perſeuerare ſatagat.] In pœnam igitur iactantiæ permiſſus eſt Petrus cadere, vt ex caſu diſceret ſeſe humiliare ſub potenti manu Dei, neque terrore poteſtatis cuiuſquam, ſed vnius mancipij ſola eſt interrogatione proſtratus. Quia ergo ad pertinaciam quandam (inquit Chryſoſtomus,) animique præfractionem ſenſim prolapſus fuiſſet (oportebat enim ipſum, & Chriſto, & prophetæ credere) idcirco permiſit Dominus, vt caderet, vt à lapſu illum inſtrueret, maiorem verbis Dominicis eſſe fidem adhibendam, quam propriæ conſcientiæ.]

Rom. 11.

Auguſt. epiſt. 107.

1. *Cor.* 10.

Auguſt. l. de bon. perſe. c. 8.

Greg. l. 17. *Mor.*

Chry. c. 26. *in Mat.*

5. Ne erigaris, ſacræ literæ monent, in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut li-

Eccli. 6. *Iactantia fugienda. Rabanus.*

gnum aridum in eremo.] ecce quomodo [vetat Deus iactantiam, inquit Rabanus, & deteſtatur ſuperbiam: quia initium omnis peccati ſuperbia eſt, & omnis arrogantia abominatio eſt apud Deum, & ne ſufficere nobis credamus, ſi extollentiam vitemus in actu, dicit, ne te extollas in cogitatione animæ, velut taurus. Deus enim inſpector eſt cordis, & non ſecundum faciem, ſed ſecundum veritatem vnumquemque dijudicat.] En nobis propoſitum, non modo mentis, ſed etiam in actu confidentiæ in ſuis viribus, iactabundum Petri exemplum, qui plus æquo ſibi fidens ait [& ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego non ſcandalizabor.] Et Chriſto lapſum illi prædicente: non cantabit Gallus donec ter me abneges noſſe:] ſtatim ſubiunxit: [& ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Tametſi (inquit Chryſoſtomus) præ nimio hæc, & genuino in Chriſtum amore dicebat, non tamen procul à temeritate loquebatur, veluti nimium ſibi ipſi fidens. Propterea & Deus ſua ipſum ope nudauit, humanæ naturæ valorem refellens,] ob huiuſmodi ergo pertinacem confidentiæ reſponſionem, ſua ſpoliatus virtute, mulieris voci miſerrimè ſuccubuit, cuius lapſus tamen plurimum nobis profuit [error enim Petri (inquit Ambroſius) doctrina iuſtorum eſt: & titubatio Petri, omnium Petra eſt.] Et paulo poſt: [titubauit quidem Petrus in mari, ſed ambulauit firmior. Titubatio Petri, noſtra eſt firmitudo. Ibi cadit, quò nullus aſcendit, ibi nutat, vbi nemo ambulat. Et tamen inter vndas licet titubat, non labitur: nutat, non cadit, fluitat, non præcipitatur. Etſi cecidit,

Chry. ibid.

Amb. in l. 10. in c. 22. Luc.

cidit, in monte tamen cecidit. Sed felicius ille cecidit, quam alij steterunt: fœlicius cecidit, quem Christus leuauit] permisit igitur Christus illum labi, vt illius exemplo omnes doceamur, neminem quantumuis sanctum, & in quacunque dignitate constitutum, de sua gratia, vel stabilitate confidere debere. hinc Chrysostomus: [quin & cæteri, & ipsius negatione, humana simul imbecillitate, ac Dei virtute comperta, non modicè profecerunt.] Sit ergo semper oratio nostra [non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.] rogemus igitur quotidie instantius, vt nos Deus ad nostræ vilitatis, & inconstantiæ cognitionem deducat, quo puluerem nos esse, & vile lutum agnoscentes, de nostra virtute non efferamur; sed potius in illo spem omnem collocemus, cuius potentia tentationum ictibus animosius resistimus, & vt indulta nobis gratiæ dona, cum continuo gratiæ incremento seruare valeamus.

Chry. ibid.

Psal. 35.

6. Tertio permissus est Petrus in peccatum grauius labi, vt disceret ex iis, quæ passus est, peccatorum veniam petentibus misericordiam ostendere. Quare cum futurus erat totius Ecclesiæ supremus pastor, expediebat omnino, vt in sua culpa intelligeret, qualiter aliorum miseriæ commiserari debuisset, vti disertis verbis docet Gregorius [considerandum, inquit, nobis est, cur Deus eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerit, Ancillæ vocem pertimescere, & se ipsum negare permisit? quod nimirum magnæ actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, vt is, qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri de-

Tertio vt aliis misericordiam facilius exhiberet.

Greg. ho. 21. in Euan.

buiſſet.] Cui illud B. Auguſtini concinit: [ideo Dominus Petrum paululum ſubdeſeruit, vt in clauibus eſſet fidelis ianitor, in ſententiis clementiſſimus diſpenſator.] Item [permiſit diuinæ ſapientiæ ſecretum, vt prius ipſe laberetur, ne circa peccantes durior eſſet, ideo non Angelis hæc eſt commiſſa poteſtas, qui nunquam peccauerunt, ſed homo paſſibilis ſupra homines ordinatur, vt dum in aliis ſuas recolit paſſiones, mitem apud eos ſe præbeat, & benignum.] Quanta itaque bona Chriſtus ex grauiſſimo illo Petri lapſu elicit clarè videmus. Quis ergo in poſterum à peccati confeſſione abhorrebit, cum ille peccator ſit, cui commiſſa eſt abſoluendi poteſtas? Hinc Auguſtinus quemlibet ad confeſſionem hac præclara ſententia inuitat [Quid times ô homo? quid erubeſcis confiteri peccata tua? peccator ſum, ſicut & tu; homo ſum, ſicut & tu, humani nihil à me alienum putans, confitere ergo homo homini; homo peccator homini peccatori.]

Auguſt. ſer. 124. de tempo.

Chry. ho. 80. in Mat.

Auguſt. ibid.

Quarto vt diſcamus quid per Spiritus ſancti gratiam poſſimus.

7. Quarto permiſit Petri lapſum, vt intelligamus, quam trepidi, ac timidi extiterint Apoſtoli ante Spiritus ſancti aduentum, & quam fortes ſua gratia poſtmodum idem Spiritus effecerit. Quemadmodum enim ſole abſente, omnia licet ſpecioſiſſima tenebris obuoluta obſcurantur: ſic Spiritus ſancti ſole nobis abſente, quod in nobis eſt tenebræ ſunt. Et è contrario illo nobis illuceſcente, firmi, ſtabiles, & inſignes efficimur. [Vt ſponte ſol radiat (ait Cyprianus) dies illuminat, fons rigat, imber irrorat: ita ſe ſpiritus cœleſtis infundit, poſtquam

Cyp. Epiſc. ad Donat. l. 2. Epiſ.

authorem suum cœlum intuens anima cognouit, sole altior, & hac omni potestate sublimior, id esse incipit, quod se esse credit.] Et Petrus, licet peccati tenebris obductus, irradiante tamen Spiritus sancti gratiæ sole, authorem suum, cœlum anima intuente, cognouit, & lacrymis iterum sibi deuinxit: vt hinc intelligamus nos nihil esse, nec posse quicquam præclari præstare, si nobis desit Spiritus sancti gratia, qui nos [monet, vt ait Gregorius, mouet & docet: monet memoriam, mouet voluntatem, docet rationem: nec minimam paleam intra cor quod possidet, residere patitur, quam non igne circumspectionis, & compunctionis exurat. Contra stultitiam suggerit sapientiam, contra hebetudinem intellectum, contra præcipitationem consilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiam, contra duritiem pietatem, contra superbiam Dei timorem.] Ecce quibus hominem præsidiis Spiritus sanctus communit, vt quem omni destitutum gratia reperit, modo facti illum pœniteat, suis cumulet donis. [Dat enim (vt ait Bernardus) illi quem possidet pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen (sicut Petro verè pœnitenti tribuit) dat, inquam, pignus salutis, vt ipse reddat testimonium Spiritui tuo, quod sis Filius Dei:] quod Petro peccatum deflenti suum præstitit, vitæque illum robore instruxit, vt quod per naturam ipsi impossibile videbatur, per Spiritus sancti gratiam non solum possibile, sed & facile fieret, Christum nimirum confiteri, & suo etiam sanguine il-

Greg.

Ber.

lum Dei filium eſſe coram tyrannis comprobare. Dat etiam lumen ſcientiæ, vt cum omnia bene feceris, te ſeruum inutilem putes, & quicquid boni in te inueneris, illi tribuas, à quo omne bonum eſt. Hoc præclaro ſcientiæ lumine Petrus à lapſu illuſtratus, ſeſe non tantum ſeruum inutilem reputarat, ſed quicquid boni faceret, Spiritui ſancto, à quo omne bonum acceperat, ſemper tribuit, ſciebat enim neminem venire ad Filium, aut Spiritum ſanctum, neque quicquam boni præſtare, niſi ad id trahatur à cæleſti Patre. hinc ſponſa inuitat ſponſum ad ſe poſt ſe trahendum [Trahe me, inquit, poſt te.] quo loco Bernardus [Domine ſcio me nequaquam eſſe peruenturum ad te, niſi gradiendo poſt te: ſed neque hoc quidem, niſi adiutus à te: ideo precor, vt trahas me poſt te. Beatus ſiquidem eſt, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, peruenturus quandoque ad te, in montibus gaudiorum.] Tractus itaque Petrus per gratiam, poſtea gregem ſibi commiſſum humilitate, manſuetudine, & charitate pauit.

Ber. in illud Cant.

8. Quinto, vt nobis præberet à lapſu, veræ pœnitudinis exemplum [Beatus (inquit Leo) Apoſtolus Petrus, cuius fides ea deuotione feruebat, vt & Domino compati paratus eſſet, & commori, ancilla ſacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit: ob hoc, ſicut apparet, hæſitare permiſſus, vt in Eccleſiæ Principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de ſua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec B. Petrus potuiſſet euadere.] quam

Quinto vt nobis præberet pœnitentiæ exemplum. Leo ſer. 9. de paſſ.

Digitized by Google

singulare vero pœnitentiæ exemplum nobis exhibuit, perpetui illi lacrymarum fontes, per genas, canales sibi facientes, ostendunt, quorum vis tanta fuit, vt ad diluendam negationis culpam virtutem sacri baptismatis habuerint. Nam sicut illud non modo culpam, sed pœnam etiam culpæ debitam, penitus delet: sic hi lacrymarum fontes Spiritus sancti igne accensi, culpam simul ac pœnam prorsus diluerunt, præsertim frequentem negationis memoriam menti obijcientes, vnde & magnam obtinuerunt misericordiam [delicta enim sæpè repetendo (inquit Ambrosius) merito magnam misericordiam poscit: nec solum magnam misericordiam, sed etiam multitudinem miserationum. Quod ergo peccatum talis non diluat deploratio, quam culpam precatio huiusmodi non emundet?] *Amb. in Apolo. 1. Dauid. c. 8.*

9. Huius rei figuram sacra nobis scriptura proponit [conuenerunt, inquit, in Masphat, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini: & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: peccauimus Domino] sicut ergo [Israelitæ (inquit Sabellicus) ob eas clades, quas adierant, erant diuinis rebus vehementer addicti. Nullus enim populus fuit vnquam aut in secundis contumacior, aut in aduersis obsequentior.] Sic Petrus tres illas negationum clades passus, ita repente diuinis rebus, atque adeo consequendæ Magistri sui amicitiæ studuit, vt in posterum tam in secundis, quam in aduersis nullus eo in Magistri sui iussis obsequentior fuerit. In Masphat enim, quæ speculationem significat, veræ pœniten tiæ concepit formam, *1. Reg. 7. Pœnitentiæ figura.*

ſua nimirum ſcelera ſeria ſpeculatione cognoſcens, ea ſincero mentis iudicio condemnauit: in qua condemnatione tres interuenerunt actiones: hauriendi aquam, & effundendi in conſpectu Domini, & ieiunandi: denique dicendi: peccauimus, quibus tribus, in vera eius pœnitentia, tres reſpondent actiones, contritio, confeſſio, & ſatisfactio, mutato paululum ordine. Hauſit ergo in primis Petrus aquam in conſpectu Domini: haurit vero non vt biberet, ſed vt in conſpectu Domini eam effunderet, aquam dico lacrymarum ex contrito corde hauſtam. [Quid eſt (inquit Gregorius) aquam haurire, niſi de profunda animi pœnitentis confuſione lacrymarum fluenta producere? velut enim aquam haurimus, dum, quam profunda iniquitate cecidimus, conſiderantes, plangimus.] Huiuſmodi profecto fuerunt pœnitentis Petri lacrymæ in conſpectu Dei effuſæ, ad diuinam eius miſericordiam obtinendam. Hinc Gregorius [quam profecto, ait, aquam in conſpectu Domini effundimus: ſi cum pœnitendo compungimur, de eiuſdem compunctionis fletu non quærimus fauorem ſæculi, ſed ſolum fructum diuinæ placationis.] Hauſit itaque Petrus compunctus de imo pectore, fontem lacrymarum, quem effunderet, quaſi gratiſſimum Deo libamen per oculorum vaſcula proferendo.] ecce contritio. Et ieiunauit quoque Petrus in die illa, qua Magiſtrum ſuum negauit, [dum enim mens, ait Gregorius, flendo compungitur, neceſſe eſt etiam, vt caro, quæ delectationibus ſubiacuit, affligatur. Vbi ergo ſic ieiunatur, vt nec cibum, nec potum attingere li-

Greg.

Beda in illud 1. Reg. 7.

Greg.

Philo. heb. l. 2. de vit. Moſ.

ceat, ne quid corporearum affectionum purgatæ menti obstrepat: ibi intentis omnibus ad placandum patré omnipotentem, id vnũ agitur, vt concedat præteritorũ peccatorũ veniã, & in posterũ nouis beneficijs suam gratiám augeat.] Sic à Petro prorsus actum est: ecce satisfactio. Denique dixit reipsa: peccaui Domino, idque non semel, sed tacitis semper lacrymis in genas decidentib⁹ corde clamabat: peccaui Domino. Quare peccatis coram Deo per lacrymas confessis, quæ ante scripta in diuina mente fuerũt prorsus subito deleta sunt. [quod ergo ibi (vt ait Bernardus) scripsit trãsgressio: hic delet cõfessio.] ecce cõfessio! 10. Nonne ergo vera hæc pœnitudinis documenta nos excitare debent, ad nostra quoque deflenda peccata? imo lacrymarum Petri per genas defluentium strepitu, quasi nostris auribus perpetuo insonante, quam citissimè à lapsu ad pœnitentiam prouocari nos oporteret, diuinæ præsertim misericordiæ oculo in nos intento, vt nostram promoueat conuersionem. [Lapsos enim, & Diaboli fraude deceptos pœnitentiæ lacrymis (inquit Leo) ablui oporteret, & portas misericordiæ Apostolica claue reserante ad remedia reconciliationis admitti: sentiat igitur vnusquisque, per peccatum, lapsus, Dominicæ passionis diem adesse, & se illius crucis potestate conteri, quæ in Christo ab omni debito mortis alieno, redemptio fuit mundi, non pœna peccati:] Et alibi [multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, vt qui regenerationis

Ber. de interio. dom. 37.

Leo. ser. 11. de quadrage.

Leo. ibid.

Leo. epis. 91. ad Theodo. Foroiulien. Epis.

donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum, per ianuam reconciliationis admitterent.] quis ergo peccati conſcius ad hoc pœnitentiæ lauacrum non feſtinabit? [aperi igitur conſcientiam tuam (vt monet Ambroſius,) ne eam ſeculi iſtius grauet vmbra, vel carnis; prorumpentia enim ſemina, ſi fuerint obumbrata, tenuantur, ſoli obiecta pinguescunt. Quid de ſeminibus loquor? ipſas arbuſculas, quo minus ſe in altum ſubijciant, vmbra ſilueſtris internecat, & prohibet brachia ramoſa diffundere.] Eodem prorſus modo conſcientia dum peccata occultat, marceſcit, dum ad lucem per confeſſionem ea aperit, reuiuiſcit quodammodo, & refloreſcit. [Quoniam (inquit ille) iniquitatem meam annunciabo.] Petrus quoque eius ſequutus exemplum lacrymis peccata ſua palam annunciauit. [Dauid inquit Ambroſius (imo neque Petrus) vult latêre ſua delicta. Nam vt febres in alto ſitæ non queunt mitigari: cum foras eruperint, ſpem afferunt deſinendi: ita peccatorum morbus, dum tegitur, inardeſcit: ſi confeſſionibus proditur, euaporat. Reuela ergo (vt monet Regius Propheta) Domino viam tuam. quis, interrogat Ambroſius, reuelat

Amb. in pſ. 36.

Pſal. 37.

Amb. ibid. Pſalm. 37.

Ambr. in Pſalm. 36.

viam suam, nisi qui Deo occultorum suorum arbitro interna sui peccatoris confitetur?] Confiteamur itaque ex animo, & pacem reperiemus perditam. hinc Regius Vates postquam dixisset: [confiteantur tibi populi Deus] statim subdidit: [lætentur, & exultent.] in quem locum [tristis (inquit Augustinus) esto, antequam confitearis: confessus exulta, iam sanaberis: dum confitentis conscientia saniem collegerat, & apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat, confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies: iam exulta, iam lætare] Certissima enim animi sanitas ex oris confessione subsequetur. *Psal. 66.*

De Christi ad Pilatum deductione.

CAPVT XLII.

1. MAne autem facto concilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent, & vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.]ô bone Iesu [vinctum (vt exclamat Bernardus) ante faciem Pilati perduxerunt, postulantes crucis supplicio te interimi, qui peccatum non noueras, & virum homicidam dari sibi, agnum lupo, aurum luto postponentes. O indignum, & infelix commercium!] Quare quicquid poterant excogitarunt, vt coram præside illi obijcerent quod morte dignum esse videretur. Verum cum nihil penitus nece dignum reperirent, vt aliquid saltem *Math. 27. Deducitur Christus ad Pilatum. Bern. serm. 3. de pass.*

illi obijciendum haberent, mane conueniunt, & multa falsa confingunt: [ô impij sacerdotes! ô stolidi seniores! ô scribæ perfidi! hoc mane non ortus vobis lucis contigit, sed occasus, nec vestris oculis solitus dies prodiit, sed impiis mentibus nox tetræ cæcitatis incubuit. Hoc mane vobis templum, & altaria diruit, legem, & prophetas ademit, regnum & sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia festa conuertit:] vosque è patria sede proscripsit, & profugos super vniuersi facie effecit. Mane concilium iniistis; ad quid? vt impium scilicet animi vestri rancorem effectui mandaretis, vt Iesum innocentissimum Dei agnum calumniis obrueretis, eumque turpissima morte afficeretis. [in istis enim (vt ait Leo) insanum cruentumque consilium, tauri pingues, vituli multi, frementes bestiæ, canes rabidi, vt morti auctorem vitæ & Dominum gloriæ traderetis: & tanquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si eius sententia, qui prouinciæ vestræ præsidebat, vteremini, vinctum Iesum ad Pilati iudicium deduxistis.] nimirum vt alienigena, sine vlla commiseratione vestram in Christum expleret libidinem. Hoccine vestri consilij negotium, hæccine nefaria eius conclusio, vt innocentem interficeretis; mane concilium coëgistis, & concluisistis Dei filium oportere è medio tolli!

Leo serm. 3. de pass. Iudais infaustum mane.

2. O sceleratissimi principes, seniores, & Scribæ, putatisne hoc falso concilij velo tegere Deo impiam mentis vestræ designationem? sistere coram alienigena iudice Christum decreuistis, vt confictis calumniis auctorem vitæ Pilatum morti tradere cogeretis. Hinc vinctum

ad eius tribunal trahitis festinantem, in eius necem conspirantes, qui pro omnibus mori desiderat. Hinc [clamoribus (vt ait magnus Leo,) trepido cognitore superato, interfectorem hominum eligeretis ad veniam, & Saluatorem mundi petieretis ad pœnam.] Quò abijt humanitas vestra, vt gentilem vestrum, quem homo Ethnicus indemnem iudicaturus est, toties mortis esse reum, ex inuidia conclamaretis.] Et quid illi obijcitis? quod ipse se filium Dei dixerit, quod multorum opinione futurus esset Rex, & populum à tyrannide liberaturus, quid inde? nihil criminosius Romanis imperium in Iudæos obtinentibus hac re videri poterit. Nostræ igitur deliberationis felicem nacti finem illum tanquam criminis læsæ maiestatis reum è domo Caiphæ in domum Pilati vinctum duximus, itane, vt insulsa in eum militibus, ac ministris clamorum ac vociferationum vicissitudine insultantibus, & plurima ad spectaculum concurrente plebis multitudine, quæ illum sannis, ac scommatibus onerarent, coram præside de aliis etiam rebus accusaretis? De quibus? de affectato imperij principatu, de prohibitione dandi censum Cæsari? ô impudentissimi calumniatores! Optimè Pilatus intelliget hanc vestram accusationem nihil esse, præter meram calumniam, cum illi certum fuerit, ex Christi innocentia, & vestra malitia, nihil minus affectasse, quam inter vos Regium tenere sceptrum, cuius specialis semper fuit de humilitate, ac paupertate doctrina. Prohibuit dari censum Cæsari? ô perfrictæ frontis impostores! *Ibid.*

Math. 17. Leo serm. de pass. 10. Math. 22.

[Romanis legibus non contradixit, censum subiit; didrachma soluit, vectigalia non inhibuit, quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddenda constituit.] Quomodo igitur de huiusmodi prohibitione accusari potest? [Paupertatem elegit, obedientiam suasit, mansuetudinem prædicauit; hoc est vere non impugnare Cæsarem, sed adiuuare.] euersorem fortassis populi esse conclamabitis, qui semper mansuetudinem, pacem, & concordiam exemplo, & verbo prædicauit? audietis, audietis ab Ethnico Iudice, qui probè percipiet vos ex inuidia Christum suo tribunali sistere, audietis, inquam, Præsidis responsum, quo impurum mentis vestræ vlcus tanget: [Accipite eum, & secundum legem vestram iudicate,] secundum, inquam, impietatis vestræ desiderium, ignominiosæ crucis morti tradite; hoc est enim iniqui cordis vestri dictamen, hæc impiæ mentis designatio, quam pro lege Pilatus vobis propositurus est.

Christus tāquam malefactor Pilato sistitur.

3. Vt vidit Præses Iesum tot circumseptum militibus, accusantibus acerrimè sacerdotum principibus, Scribis, & Pharisæis, hominibus authoritate in republica pollentibus ad suum tribunal tractum, idque solemni die, insignem aliquem sibi malefactorem offerri cogitauit, cuius tanta esset iniquitas, vt iudicium, & mortis in eum sententiam minimè differendam iudicaret, præsertim hominibus adeo, in speciem, grauibus illum simul comitantibus, & grauissimam instituentibus accusationem, & præ sacra religione prætorium ingredi piè scilicet recusantibus, ne nimirum contaminarentur [O impia cæcitas! (exclamat Augustinus) alienigenæ Iudicis præ-

Digitized by Google

totio contaminari timebant ; & fratris innocentis ſanguinem non timebant.] Et Chryſoſtomus [Quænam, inquit , contaminatio ingredi prætorium, vbi iniuſti pœnas dant? decimantes mentam , & anethum : ac cum iniuſte interficiunt contaminari ſe non exiſtimant; ſed cum ad prætorium veniunt.] Væ vobis Scribæ , & Phariſæi hypocritæ , qui ſub ſpecie religionis, religionem contaminatis. [Videre eſt (inquit hoc loco Ianſenius) præpoſteram religioſorum iſtorum hominum religionem , qui metuebant coinquinari ingreſſu domus prophani hominis , nec metuebant contaminari effuſione ſanguinis innocentis!] ô bone Ieſu, quam recte olim propheta de his tuis accuſatoribus : [Loquuti ſunt, ait, aduerſum me lingua doloſa , & ſermonibus odij circumdederunt me , & expugnauerunt me gratis.] Ecce qui ſtatim à contaminatione ſibi metuebant per ingreſſum domus , non timent iuſti ſanguinem confictis mẽdaciis effundere. O quoties , bone Ieſu , fraudulento , & maleuolo ore aduerſum te loquuti ſunt Scribæ, & Phariſæi, captantes , & quærentes occaſionem , vt te in ſermone caperent , & hac fraude inquinari ſe non timebant, & pollui ingreſſu prætorij metuebant. Fictas aliquando præmittentes laudes, venenum vt facilius in Chriſti famam euibrarent; de cenſu dando Cæſari , vel non , quæſtionem mouerunt: [Magiſter ſcimus , quia verax es; & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum] Ecce quomodo ſub velo veræ laudis ſuam hypocriſim occultare ſtudeant [Non eſt enim (vt ait Bernardus) apud hypocritas virtutes colere , ſed

Aug. Ioan. 18.

Chryſoſt. in eundem Ioa. locum.

Ianſen.

Pſal. 128. Iudæorum hypocriſis.

Matth. 22.

Bern. ſerm. 66. in Cant.

Digitized by Google

vitia colorare quodam quasi virtutis minio.] Hi serpentis diaboli administri, & satellites, dolendum est quantum in perdendis hominum animis desudent. [Sub oue lupum celant (ait Gregorius Nazianzenus) vt mactent, æri vtique non absimiles: sub pabuli illecebra piscibus mortem occultant.] & Christo infamiam vel necem sub ementitæ laudis pallio afferant. Et cum hoc ex animi sententia non cederet, modo apertis te criminationibus, ô Domine, coram Pilato aggrediuntur, de affectato in Iudæos principatu, &c. malitiosè accusantes, idque gratis, ex sola nocendi cupiditate.

Naz. carmi. ad Epis.

Pilatus redarguit Iudæorum calumnias.

4. Verum cum Pilatus eorum accusationem veritate niti minimè videret, & probe intelligeret, ob inuidiam suo tribunali illum sisti, accusantium eleuans probationes, & falsas depositiones, [Quam, inquit, accusationem affertis aduersus hominem hunc?] cum quæ hactenus attuliſtis in domo Caiphæ meras fuisse calumnias, haud ambigam. O Pilate benè incipis: noli itaque accusantium authoritate, & in Christum inuidia simul, & malitia flecti, noli, inquam, pro eorum libidine innocentem condemnare. Considera diligenter in quibus eum nunc accusant, & an veritate accusantium calumniæ, an potius inuidia & maleuolentia nitantur, facile intelliges. Propone illud tibi laudabile Periclis Athenarum Principis exemplum, qui (vt author est Plutarchus) quotiescunque ex officio iudiciaria sese induebat veste, & ad diiudicanda populi negotia in publicum prodibat, dicere solebat: [attende tibi Pericles: liberi sunt quos regis: mancipiorum ergo instar minime regendi: Græci

Præclarum Periclis exẽplum.

Digitized by Google

sunt, seditiosi, ceruicosi, tractatu difficiles ; ciues Athenienses sunt, præ omnibus ingratissimi, quibus haud facile satisfit. Quare enim circumspectione opus, ne si quid perperam iudices, tibi inde capitis periculum crees.] Huiusmodi, ô Pilate, considerationis speculam conscendas velim, tibique identidem ingemines : attende tibi Pilate ; innocens est, quem Iudæi seditiosi homines, & Deo ingratissimi, duræ ceruicis, & placatu difficiles, tot calumniis coram te obruere conantur : non est igitur tractandus more latronis, neque Iudæorum rabiei cedendum. Messias est, qui tuo sistitur Tribunali, idque Iudæorum inuidia : noli igitur, per iniustam sententiam, eius iustam incurrere indignationem : filius Dei est, quem aggrederis examinare, & iudicare : noli itaque facere aliquid iniquum in iudicio, ne tibi animæ periculum crees, & iustè iudiceris, æterna dignus morte, ab eo quem iniustè mortis reum iudicares. obuersetur etiam tibi semper ob oculos singulare illud Alexandri facinus, qui cum matris suæ efferuescens in quendam animaduerteret odium, cum eumque instantius ad necem malè expeteret, importunas illius preces, regio certè animo, digna responsione, retudit : [Pete, (inquit) aliud mater : nam vita hominis nulla mercede potest compensari.] Noli igitur Pilate, impio accusantium affectui quicquam dare : noli prauæ eorum voluntati succumbere, sed potius innocenti comparere, eius causæ patronus esto, quod iustum est, iudica: alioqui æternæ mortis sententiam in te ferri iustè audies.

Alexandri responsum matri ad necem quẽdam expetẽti iniustè.

Digitized by Google

5. Exiuit Pilatus foras ad Christi accusatores: [aliquando humanior (vt ait Theophylactus) & qui Dominum vidit vinctum, non existimauit Iudæos causam habere contra illum, ac proinde interrogat de causa vinculorum, & hi cum nihil possent dicere, vt aliquid dicere viderentur, aiunt: nisi hic esset malefactor, non tradidissemus eum tibi. Vides eos omni loco accusationes declinare! ô dementiam (exclamat Chrysostomus) quid non adduxistis in medium, quid fecerit, sed obtegistis; itane arrogantes estis perfidi Iudæi, vt credatis vestram sufficere auctoritatem ad innocentis condemnationem? satis à vobis dictum, malefactor est, nullo prodito nedum confirmato maleficio, vt reus in crucem Christus ageretur. Siccine diuino iure neglecto, tanquam Romanis deuoti Regibus omne iudicium (vt loquitur Leo) potestati præsidis reseruastis, qui expetitis executorem magis sæuitiæ, quam arbitrum causæ. offertis enim Iesum duris nexibus vinctum, colaphis, & alapis frequentibus cæsum, sputis oblitum, clamore prædamnatum, vt inter tot præiudicia, quem omnes vultis perire, non audeat Pilatus absoluere!] Quid mali fecit, pessimi latrones? hunc inuenimus, inquiunt, subuertentem gentem nostram seditiosa doctrina, & prohibentem tributum dari Cæsari. Vide dolum, ô iudex, ac malitiam accusantium! Volentes enim tuam Pilate iram aduersus Christum exacuere, quo eum citius occidas, defectionis ac tyrannidis crimen Christo affingunt: simul etiam, vt timens Cæsarem etiamsi velis hunc à morte eripere, non possis. has accusationes audiés Pilatus introiuit iterum in

Humanior Pilatus Iudæis.

Chry. hom. 62. in c. 18. Ioan.

Leo. ser. 8. de pass.

Euthym. in Mat. 27.

Digitized by Google

in prætorium, vt de his Christum examinaret, & quod grauius esse videbatur, illi obijcit dicens: [tu es Rex Iudæorum ?] qua interrogatione videtur ridere Iudæorum calumniam, illorumque perstringere maleuolẽtiam: rem enim ipsam (inquit Theophylactus) subsannat dicens: tu es Rex Iudæorum ? quasi sic dicat: tu qui tam pauper, tam vilis, tam destitutus auxilio, tam nudus es, accusaris regnum ambire ? hoc autem deridentis est eos, qui in his accusabant Iesum quod fingant talem rem attentari ab homine tam nudo, & tam vili, ad quam tot diuitiis, atque præsidiis opus est] cui Christus: [regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc] quo loco seipsum Christus Regem ostendit. Accusatus quidem paulo ante à Principibus sacerdotum, & Senioribus nihil respondit. [Dicentibus enim (inquit Chrysostomus) maleficium esse, & quo cum arguerent non habentibus, tacuit tamen: cum de regno interrogatus est, tunc locutus est ad Pilatum, erudiens eum; & ad altiora erigens.]

Luc. 23. Theophy. hic.

Mat. 27. Chrysost. hom. 83. in Ioan.

6. Hinc interrogauit Pilatus iterum: [Num itaque Rex es tu ? cui Iesus: tu dicis, quia Rex sum ego.] Quam sapienter respondit, vt & simul verum diceret, & sermo eius calumniæ non pateret? respondit itaque patris sapientia sapienter Pilato, qui antea Sacerdotum Principibus, & senioribus eum accusantibus, eadem sapientia noluit respondere, suo indignos sermone iudicans, & quamuis Pilatus ad responsionem eum vrgeret: [Non audis, inquiens, quanta

Matt. 27.

aduersum te dicunt testimonia? & non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer. Attende (inquit Hieronymus) quod Pilato qui promebat sententiam inuitus, aliqua ex parte responderit; Sacerdotibus autem & Principibus respondere noluerit, indignos suo sermone iudicans; ex quo Christi silentio & responso etiam Præsidi eum iudicauit Præses omnino esse innocentem: admiratio enim illa Præsidis aliquid præ se ferebat, quo tacitè accusantium reprehendit malitiam, & Christi suspexit innocentiam. Quam bene Christus Dauidis patientiam simul & prudentiam, cuius ille typus fuit, hoc suo silentio ad viuum refert. Vnde merito illud Dauidis vsurpare potest: [Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum, & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.] Vnde etiam meruit Angeli nomine ab Ache compellari, cum eum videret inter multas hostium calumnias tacentem, & patientem. vbi enim humana patientia conticescit, ibi æquum est, vt Angelica præsentia patrocinetur, [Scio (inquit ille) quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei. Imo Deus ipse patienti & tacenti calumnias adest; qui enim se ab iniurijs non defendit, Deum certissimè habet defensorem. Tãta verò Christi fuit inter calumnias patientia ac taciturnitas, vt cum Principes sacerdotum, & Seniores eum onerarent calumniis, ita illas silentio oppresserit, vt Præsidi admirationem pepererit, imo, vt ait Cyrillus, & compassionem.

Silentium Christi prefiguratur in Dauide.

Psalm. 37.

1. Reg. 29.

Cyril. Cathe. 13.

7. Hoc tuum silentium, bone Iesu, iam olim

Isaias vaticinatus est: [Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum!] non enim inuitus ad aram duceris, sed quia ipse vis, teque sacrificantium voluntati sponte offers, ac proinde non aperis os tuum, tam multis accusantiũ calumniis lacessitus [Accusatur Dominus (inquit Ambros.) & tacet, & benè tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci: non ergo accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo.] Imo non tantum tacendo aduersarios vicit, sed etiam de illis triumphauit. [Christus enim (ait Ambrosius) calumniis appetitus silentium detulit triumphale.] Quare, bone Iesu, cum fidelis pro peccatore fideiussor existas, ad soluendum eius debitum vltro te offers, neque contra creditorem vocantem, neque contra ministros, licet iniustissimè debitum exigentes, obmurmuras, sed silentio omnia inuoluens, patris decretum effectui dare non detrectas, tuam interim ipsi Iudici, & aliis etiam, si velint, non modo innocentiam, sed etiam tuam diuinitatem hoc silentio indicas. Purus enim homo continere se non posset, quo minus tam iniquas à se calumnias retorqueret. Vnde scitè Cyprianus: [inter cætera, inquit, admirabilia virtutum, quibus iudicia diuinæ maiestatis expressit, paternã quoque patientiam tolerantiæ tenore seruauit.] Eodem igitur tolerantiæ modo, quo pater suam exhibuit patientiam, sic Christus suas iniurias prudenti silentio tolerauit. Hinc fortasse miratus est Præses vehementer: ratus non esse humanum, sed potius diuinum inter tot calũnias tam longanime silentiũ, quod optimè animaduertit Tertul-

Isa. 53. Christi silẽtium manifestatur.

Ambros. in illud Luc. 23. Nihil respondebat.

Amb. ser. 17. in Ps. 118.

Cypr. lib. de bono patientiæ.

Tertul. l. de patien. c. 3. lianus: [qui ait in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè, Pharisæi Dominũ agnoscere debuistis: patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.] Non respondit itaque Christus calumniis, quia sciebat inutilem ac fatuam responsionem futuram fatuis, ex quibus nullus sperabatur fructus. Sciebat itaque silentio, & mansuetudine, aut prodesse inimico ad exemplum, aut grauius se vindicaturum per responsionis dandæ contemptum vt vel vno, vel altero discerent sapere.

8 Quorsum olim facies Moysis tanto splendore fulgurauit? quia nimirum in facie contumelias pertulit, non intulit lacessitus à Maria sorore, & Aarone fratre: imo ab vniuerso populo Core, & qui erant de eius factione Moysi in os probra, & calumnias impingentibus. Hinc Ambrosius [quantus, ait, à populo illatas Moyses absorbebat contumelias? quam miti sermone post iniurias appellabat? quomodo consolabatur in laboribus? delinibat oraculis? fouebat operibus? merito æstimatus est super homines, & vt vultui eius non possint intendere.] quasi dicat iure radiorum coruscationibus vultus ille decoratus est, quem tacentem calumniarum pudor contaminauit. Et merito Iudæorum oculi ad intuendam illam faciem caligarunt, in quam ipsi nihil respondentem maledicas acuerunt linguas. Et Christus tot contumeliis hodie oppressus ita tacuit, vt merito ex tam alto silentio non aliquis purus homo, sed Deus homo existimari debuit. ô vere igitur innocens Saul, qui tuus aliquãdo typus extitit, cũ adhuc paruulus in oculis

Exod. 34. Num. 14. Num. 16.

Ambr. lib 2. offic. c. 7.

1. Reg. 10.

Digitized by Google

ſuis eſſet, qui deſpicientibus ſe vitis Belial diſſimulauit ſe audire? ô manſuete Iob, qui inſtar illius diſſimulas, quieſcis, ſiles veniente ſuper te indignatione, & calumniis, inimicis te opprimentibus, nec ſtultum quid contra Deum loquutus es, ſed nec aduerſus eos, qui te contumeliis obruere conantur! ô vere Ioſeph, qui ad adulterij calumniam nihil reſpondes, ſed in ipſam meretricem ſcilicet Synagogam, in tanto miniſtrorum eius fremitu in te calumnias confingentium, eaſdem ſilentio intorques. Bonus mutus es, qui loqui male neſcis, & qui ſilẽtio aduerſariorũ iniurias refutas! Bonus mutus es, cuius ex ore crimen exire non nouit. Tu es ille mutus verè beatus, qui cum taces, intra te loqueris, & linguam habes à Domino eruditam, vt ſcias quando oporteat loqui & ſilentium colere. Hinc ſilentio ita prudenti ac manſueto tuam ſimul innocentiam ac Deitatem declaras, & hoſtium calumnias opportunè eleuas.

De infelici Iudæ, ad ſuſpendium properantis, exitio.

CAPVT XLIII.

1. TVnc videns Iudas, qui eum tradidit, quod Ieſus in concilio ſacerdotum damnatus eſſet ad mortem: omnes enim vnanimi voce conclamarunt: [reus eſt mortis] videns quoque illum tanquam malefactorem Pilato ſiſti, vt hic ſua etiam ſententia eorum maleuolen- *Ad majora & maiora peccata damon nos trahit.*

tiam in Christum approbaret, & effectui dare iuberet: pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, qui tunc in templo in sua incumbebant ministeria. [hoc tam Iudæ (inquit Chrysostomus,) quam pontificum culpam exauget: illius quidem, non quia eum pœnituit, sed quia tardè pœnituit, & seipsum condemnauit, confessus à se factam esse traditionem: horum autem, quia cum possent mutare propositum, perseuerauerunt pertinaces, nulla pœnitendi cogitatione compuncti. Retulit ergo triginta argenteos, quod nequiret (inquit idem sanctissimus pater) ferientis conscientiæ stimulos vltra perferre,] & ait: [peccaui tradens sanguinem iustum.] Etenim [patientiam Domini (inquit Ambrosius) ferre non potuit, cuius maiestatem prodidit, vt sibi tanti sceleris reatus posset ablui: sed abijt, pecuniam refudit, hoc est, condemnauit auaritiam suam tantæ impietatis auctorem, pretium perfidiæ Synagogæ reddidit. Non excusatur proditor, qui pœnitentiæ locum inuenire non potuit, sed aceruatur sacrilegium Iudæorum, qui etiam proditoris vocibus arguuntur. Ille suum crimen agnouit, isti & pretium sceleris receperunt, & acrioribus studijs iustitiæ principem persecuti sunt:] peccaui (inquit ille) tradens sanguinem iustum: at illi dixerũt, quid ad nos? tuum erat, priusquam tale facinus committeres, perpendere quid ageres: nunc autem tu videris: quid ad nos?

Chr. ho. 86. in c. Math. 26.

Chr. in c. 26 Math. c. 27.

Ambros. in Psal. 39.

Impij Iudæi ansam desperandi Iudæ præbent.

2. O insensati sacerdotum principes, seniores populi, & scribæ auditis à proditore: [peccaui tradens sanguinem iusti:] & consolationis loco desperationis ansã illi datis: quid ad nos? tu vide-

ris? quo quid crudelius! Quid ad vos, ó truces Christi simul, & Iudæ tortores, quorum inuidia Christus ad crucem, Iudas ad desperationis laqueum trahitur. Et dicitis quid ad nos? ô obstinati in scelere tyranni, non auditis proditorem pœnitentia ductum, sui Magistri confitentem innocentiam, & vos nihilo secius commoti, in vestra persistitis impietate. Quid ad nos, quod Christus sit innocens, aut tu eum tradendo peccaueris? tu videris [maximè (inquit Chrysostomus) illorum crimen ex hoc augetur: siquidem & audaciæ, & iniquitati videntur attestari. Vnde & condemnant illum. Qui sub passionis tempus præ furoris temulentia satanicis ausibus abstinere noluerunt] Iudas itaque huiusmodi audito responso, proiectis in templo argenteis, recessit. Et quod iniquissimum est, pretium venditionis recipiunt principes sacerdotum; Dominum tamen remittere noluerunt. Quorum nequitiam B. Ambrosius grauiter perstringit: [in pecuniarijs, inquiens, causis refuso pretio ius soluitur: hi pretium recipiũt, & sacrilegiũ persequuntur, ac pertinacibus studijs funestũ sibi vindicant sanguinis auctionẽ; cum refunderet venditor sacrilegij mercedem.] Ecce quomodo dæmon Iudæorũ oculos inuidia simul, & exiguo pecuniæ lucro extinxerit penitus, & Iudæ adeo obcæcauerit, vt tanti sceleris turpitudinem, in ipsa criminis perpetratione (quod omnibus peccantibus vsu venit) non viderit; sed ipso iam scelere turpiter admisso sibi oculos aperiri sensit, & flagitiũ iam perpetratum per dæmonem ita exaggerari, eius fœditate ob oculos proposita, vt præ mentis simul pertur-

Chry. ibid.

Amb. l. 10. c. 22. in Luc.

batione,obſtinatione,& inordinato fortaſſis pudore in deſperationis lacum ſtatim inciderit.[Tu verò(vt bene monet Chryſoſtomus) cogita,quãdo illum pœnituit, aliquando ad exitum ſcelus iam omnino peruenit. Talis nempe diabolus eſt, vt non dimittat hominem, niſi vigilet, ante vltimum effectum,magnitudinem peccati præuidere,ne pœnitentia ductus à peccato reſiliat.] Hũc itaque auaritiæ facibus accenſum à minoribus ad maiora paulatim impulit ſcelera: prius illum ad loculos habendos traxit, deinde ad murmurationem contra Magdalenam, quod Ieſu pedes pretioſo vnguenti genere vngeret:[Quare, ait, hoc vnguentum non vænijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis? dixit autem hoc (inquit B. Ioannes) non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens:] inde ad Magiſtri ſui proditionem, & triginta argenteis venditionem; denique ad deſperationem & laqueum: abiens enim deſperabundus laqueo ſe ſuſpendit [Tunc abijt (inquit Euangeliſta) vnus de duodecim] quonam? ad infelicem ſibi nundinationem, hinc Rupertus in extremam eius infelicitatem inuectus ait: [vere & veraciter dictũ eſt; tum abijt vnus de duodecim. Abijt enim, & totus receſſit ab illis. Apoſtolatum ſuum dimiſit, Epiſcopatũ ſuum alteri reliquit; abijt in concilium impiorum. Abijt à Deo, ſtetit cum diabolo, & relatis triginta argenteis, in triginta maledictionibus, trigecies maledictus antequã natus.]

Chry. hom. 86. in 26. c. Mat.

Ioan. 12.

Mat. 26.

Rup. in illud Mat.

Apoſtrophe ad deſperatum. Iudã.

3. O Iuda ſatius tibi fuiſſet, antequam Dei, & tui ipſius crudeliſſimus homicida eſſes, ad amantiſſimam Chriſti vocem reſipuiſſe, amabiliter te amicum compellantis, & toties tuæ conſcientiæ

ſceleris atrocitatem ingerentis [tam multis (inquit Chryſoſtomus) admonitionibus Chriſti nihil flexis: cum vero in vltimum iam effectum res venit, tunc pœnitentia duceris, neque tunc vtiliter, & vt oportebat.] Videbare bene, ô Iuda, pœnitêre, ſed poſtmodum, ex deſperatione caſſam reddidiſti pœnitentiam, nam (vt ait Chryſoſtomus) condemnaſti teipſum & argenteos proieciſti nec Iudæos veritus fueris, omnia hæc laudabilia ſunt : quod verò teipſum ſuffocaſti, id ab omni venia remotum, pernicioſum fuit conſilium Dæmonis. Præripuit enim te antequam pœniteret, vt pœnitentiæ fructum amitteres, & turpiſſima morte, cunctiſque manifeſta ſuſpenſus perijſti. ô Iuda Iuda meminiſſes anteſignani tui calamitatis, ac miſeriæ, Caini nimirum impiiſſimi, qui interficiendo fratrem ſuum Abelem tui expreſſit typum, qui fratrem tuum ſimul & Creatorem tua occidis auaritia: ille magis conſiderans malitiam ſuam, quam diuinam miſericordiam ait : [Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear,] aut miſericordiam conſequar. Et tu infelix Iuda tuam potius proditionem, quam diuinam commiſerationem expendens, deſperabundus dixiſti: [Peccaui tradens ſanguinem iuſtum] cum tamen vtrumque Dominus ad flagitij ſui pœnitudinem prouocaret [Vbi eſt, inquit, Abel frater tuus? non tanquam Iudex blando hoc ſermone, ſed velut benignus parens ad ſuam illum miſericordiam inuitat. [Vult te (ait Ambroſius) prouocare ad pœnitentiam Deus, vult de ſe ſperari indulgentiam.] quid nihilominus Cain ? pertinaciter impudens [Neſcio, inquit, Contuma-

Chyſ. ibid.

Ibid.

Gen. 4.

Matt. 26.

Amb. l. 2. de Cain & Abel. c. 9.

ciam (ait Ambrosius) prodit hic sermo.] Nec immerito, nam qui culpam negat, non agnoscit, qui non agnoscit non detestatur; imo iterum patraret si non patrasset. Et ad Iudam, osculo filium hominis tradis! amice ad quid venisti? melius fuisset ei si non natus esset homo ille. Post tãtam curam (inquit Chrysost.) & tanta remedia nihil commodi amplius inde sensit, tantum valet mentis peruersitas & malitiæ excellentia.] Nam licet pœnitentia ductus triginta argenteos retulisset, re ipsa tamen dixit ad Dominum: [maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Vidisti (inquit Chrysostomus) ingratitudinis excellentiam? vidisti stupidas, & doloris sensu carentes animas? neque pœnæ timor, neque longanimitatis tempus arcuit illos à malis operibus: sed semel in præceps deiecti, & mentis oculo excæcati à malitia, quasi ab ebrietate quadam demersi redire vltro noluerunt:] ac proinde miserè vterque perijt.]

Chry. ho. 18. in illud Gen. 4. Peccasti &c.

Chry. ho. 22. in Gen.

Infelix aliorum exemplo ad pœnitentiam non conuertitur. Eze. 18.

4. O Iuda Iuda cur non potius flagitij tui magnitudinem & infinitam eius turpitudinem agnoscens, ad infinitam Magistri tui misericordiam confugisti? cur non venit tibi in mentem voluntatis diuinæ non esse mortem impij, sed vt conuertatur à viis suis, & viuat? Hoc probè intellexit iam olim Dauid, duplici scelere adulterij, & homicidij obstrictus: non ficta pœnitentia, sed ex intimo animi affectu exclamauit: peccaui Domino,] ac propterea statim audijt: [Dominus quoque transtulit peccatum tuum.] tu quidem Iuda pœnitentia ductus retulisti triginta argenteos, vile Dominici sanguinis pre-

2 Reg. 12.

Digitized by Google

tium, dicens; peccaui tradens ſanguinem iuſtum.] Sed dolor hic tuus, & confeſſio, & ſatisfactio nihil tibi profuerunt, quia neque dolor ex pio animi affectu natus eſt, neque confeſſio, cui fieri debuit facta, neque ſpe communita veniæ obtinendæ, neque ſatisfactio ex ſincero iuſtitiæ affectu proceſſit. Hinc oratio tua facta eſt, vt ait propheta, in peccatum: quoniam conſummato ſcelere, tam peruerſa tua conuerſio fuit, vt etiam pœnitendo (Leone magno auctore) peccares: & quamuis nihil tibi profuerit pœnitentia illa, cum deſperatione coniuncta, Iudæorum tamen impudentiam, (vt optimè obſeruauit Ambroſius) confutauit. [Et ſi caſſa, inquit, eſt pœnitentia proditoris, quia peccauit in Spiritum ſanctum; eſt tamen aliquis in ſcelere pudor, culpam agnoſcere: & quamuis ille non abſoluitur, Iudæorũ tamen impudentia confutatur: quos cũ profeſſio redarguat venditoris, ſceleſti tamen ſibi vendicãt iura cõtractus: & exortes reatus ſe eſſe credunt, dum dicũt: quid ad nos? tu videris; amentes planè, qui putãt ſolui ſe magis auctoris ſcelere, quã teneri.] Sed cũ tanto ſe obſtrictũ flagitio Iudas videret, illudq; omnẽ vltionis menſurã ita exceſſiſſe iudicaret, vt nullũ aliũ mereretur iudicẽ, aut carnificẽ, quãſe ipſum, meritò ſanè (vt ait Leo) illi ſua pœna eſt cõmiſſa, quia in ſuppliciũ ſuũ nemo ſe ſeuerior potuit inueniri.] de ſua enim ſalute deſperans, vt maiori peccato præcedens obrueret, manus ſibi inferre violentas ſtatuit, quo omni ſublato humanitatis ſẽſu, naturæ oblitus, & diuinæ miſericordię protectionẽ negligens, ſui etiã ipſius moriẽs obliuiſceretur. [Hac enim animaduerſione percutitur

Pſal. 108.

Leo. ſer. 5. *de paſ.*

Amb. l. 10. *in Luc.*

Leo. ſer. 16. *de paſ.*

Aug. ho. 2. de innocent.

peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei. Nam qui omni pœnitenti promiſit gratiam, non omni peccanti promiſit pœnitentiam. Sed quantos putamus in ipſo fuiſſe terrores, vt ſibi ipſe tam grauis pœna exactor incumberet, & ſemetipſum laqueo ſtrangularet.] ô Iuda, Iuda ſiccine cordis tui ſequutus rabiem, [& ſtante Diabolo (vt loquitur magnus Leo) à dextris tuis iniquitatem, quam in Sanctorum omnium armaueras caput, in tuum verticem retorſiſti, vt quia facinus tuum omnem vltionis menſuram exceſſerat, te haberet impietas tua iudicem, te patereturtua pœna carnificem!] ſiccine Iuda cum tam grande tuum fuerit ſcelus, vt neque terræ beneficio, neque cœli frui mereretur, ipſe auctor ſceleris inter cœlum, & terram ſuſpenſus, diffuſis viſceribus, medius crepare maluiſti, quam ad diuinam confugere clementiam, vt tanti criminis veniam impetrares? ſed quid? qui viſcera charitatis amiſeras, tua etiam ipſius amittere commerueras, & qui omnia eò contuleras ſtudia, vt multa poſſideres, ipſa etiam inteſtina perdere debueras. Vide, vide, ô omnium infeliciſſime, quis te calamitoſus excepit finis, vt ſuſpenſus in aëre cælo, terræque peroſus, nihil præter laqueum in tormentum poſſideas, quam hæreditatem perfidis reliquiſti Iudæis [ſuſpenſo enim (inquit Rupertus) Iuda, populus Iudæorum totam damnationis eius ſuſcepit hæreditatem, pendens inter cælum, & terram, id eſt, neque ſpem habens in cælo, quia vitæ æternæ indignum ſe iudicauit, neque terram habens ſuam. Venerunt enim Romani tu-

Leo ſer. 3. de paſ.

Rup. l. 11. in Mat. c. 26.

leruntque locum, & gentem.] ecce proditionis pœnam!

5. O hominum sceleratissime, expectasses saltem ante consummationem criminis tui, Christi mortem, per quam sanguinem, pro omnibus, fusurus peccatoribus, vt aliquam stillam mortali animæ tuæ vulneri impertiretur! Distuliſſes informis lethi suspendium, donec Christus in cruce suspensus laqueum desperationis collo tuo iniectum sanguinis sui virtute dissiparet. Sed quid te desperatio festinare fecit, & traxit ad laqueum, qui pecuniæ implicatus cupidine ad Domini tui proditionem attractus es! Sicuti enim Auceps vili esca auem decipit, & ad laqueum trahit: sic te Dæmon, ô auare proditor, vili pecuniæ illecebra circumuenit, & circumuentum desperationis laqueo implicauit. Vnde tandem tui ipsius tortor factus, te ipsum inhumaniter suspendisti. [Iudas (ait Leo) dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum.] nec immerito infamis huiusmodi pœna, infami tuo respondit flagitio: dignam nimirum tibi pœnam tantum inuenit scelus, vt guttur per quod vox proditionis exciderat, laquei nodus necaret; & qui hominum, Angelorumque Dominum morti tradideras, cælo terraque indignus, in aëris medio perires, & viscera quæ dolum proditionis conceperant, rupta caderent. Non decuit per os, quo fraudulenter osculatus eras Christum; egredi maleuolam & perfidam animam, dignaque blasphemo pœna est, qualem & Arius passus est, fœdissimè viscera effundere. Sic Architophel Regis prius consiliarius, mox proditor sui Regis, Dauidis mini-

Expectaret Iudas Dei misericordiam.

Leo. ser. 7. de pas. Simile.

Leo. ser. 9. de pas.

Bed. Actor. 1.

rum, cum ſuum conſilium locum non obtinuiſſe
2. Reg. 17. apud Abſalonem intelligeret, domum adiens, laqueo ſibi vitam ademit. Sic etiam in Patrem rebellis Abſalon periit, in quem cum nemo manus iniicere auderet, ipſa inſenſilis arbor ramo ſuo, veluti manu, nefarium in capillicio apprehendens, tanquam iuſtitiæ adminiſtra, quem neque terra dignum inuenit, inter vtrumque ſuſpendit. Sic denique ambitioſus ac populi Dei proditor Aman infœliciter vitam finiuit, qui ſibi (non ſine occulto Dei iudicio) licet præter eius intentionem, patibulum parauit. Nam in quo Mardochæum ſuſpendendũ exiſtimauit, in eodem ipſe ſolus ſuſpenſus eſt. Paraſti & tu miſerrime Proditor, Saluatori noſtro crucem, ſed ipſe prior tui ipſius Tortor iugulum laqueo innectens, te ipſum infelici occidiſti nece. Sic nimirum Deus ſæpenumero ſolet arma, quibus aliis nocere volumus, in noſtra retorquere viſcera, iuxta illud Pſalmiſtæ [incidit in foueam quam fecit.]

Quinam ſeſe laqueo è medio ſuſtulerunt.

Pſalm. 7.

De triginta argenteis & agro illis coempto.

CAPVT XLIV.

Matth. 27. Cæci bonum dicere neſciunt. nec uidẽt reſta

1. PRincipes autem ſacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: non licet eos mittere in corbonam (ſiue ciſtam templi,) quia pretium ſanguinis eſt.] Ecce quomodo cæci principes omittunt, (Iuſti) vt aliquo velo ſuam te-

gere videantur malitiam, quod Iudas ipſe paulo ante adiecit: [peccaui, inquiens, tradens ſanguinem iuſtum.] Sed neſciunt homines errore ſimul, ac odio cæci, aut vera ſentire, aut loqui: non abſimiles illi tyranno Adonibezek, cui, in pœnam ſuæ tyrannidis in ſeptuaginta Reges, cæſæ manuum ac pedum ſummitates: nam cum aliis potentia, dignitate, auctoritate, & doctrina ſibi videantur præſtare; tamen veluti abſciſſis manuum pedumque pollicibus, ne quod bonum norunt, exequantur, nec in execrandum Iudæ ſcelus, iuſtitiæ, correptionis, hortationiſque haſtas validè intorquent: nec à praua animi deſignatione, & in Chriſtum inolito odio recedunt. Sciunt quidem ex ipſa lege, & prophetiis, & ex Chriſti quoque miraculis illum eſſe Meſſiam, & propterea niſi eorum corda obcæcaſſet malitia, probè norunt, quid facere debeant. [Noluerunt quidem pecuniam mittere in Gazophylacium (inquit Auguſtinus) & dixerunt, pecunia ſanguinis eſt. Quid eſt Gazophylacium? arca Dei vbi colligebantur ea, quæ ad indigentiam ſeruorum Dei mittebantur:] & ſubdit: [cum ergo hæc ita ſint, qualis illa innocentiæ ſimulatio fuit, pecuniam ſanguinis non mittere in arcam, & ipſum ſanguinem mittere in conſcientiam?] quid enim execrabilius quam ſanguinis & cædis pretium in Gazophylacio reponere? ô hypocriſin intolerabilem! verè culicem liquatis (vt ait Hieronymus) & camelum glutitis. Siccine mali rerum æſtimatores cenſetis, non licere ſanguinis pretium in corbonam mitti, licere verò in ipſo Paſchatis ſolemni

Iudic. 1.

Aug. in pſ. 63.

die innocentis ſanguinem ſugere, & morti turpiſſimæ mundi creatorem addicere. Illud profectò eſt culicem liquare: hoc vero camelum glutire: ſed camelum, qui vos poſtea ſtrangulabit. Siccine hac egregia ementitæ religionis ſpecie, ad Dei honorem Chriſti cædem maxime ſpectare vultis indicare? non Chriſti, inquiunt, ſed malefactoris [Ecce Iudæorum improbitas (ait Auguſtinus) condemnat admiſſum, & non condemnat ſacrilegium. Si tollere non licet pretium, cur implere feſtinas homicidium? aut pretium innocentis ſanguinis in corbonam non licebat mittere, ipſum innocentem licebat occidere!] Non occidimus innocentem, ſed euerſorem populi: ô Diabolica excuſatio! profecto non eſt adhuc vobis erutus à Naas, à vafro ſerpente Diabolo oculus, quin adhuc videre poſſitis, & intelligere, quis hic ſit, quem turpiſſima nece conamini interficere: ſed abſciſſi ſunt vobis efficacitatis omnis, & iuſtitiæ pollices, ita vt ne ſubſcribere quidem illi veræ proditoris confeſſioni velitis, nec vllum ad miſericordiam gradum facere, ſed infra dæmonis menſam, inſtar illius tyranni iaceatis, miſeri, & tanquam rabidi canes hiantibus faucibus Chriſtum pænitus deuorare, & deglutire delicias ducatis.

Aug. appen. de diuer. ſer. 46.

2. In gazophylacio ſanguinis pretium reponere ſummum eſſe nefas ducunt, & tamen innocentis ſanguinem fundere non erubeſcunt. O infami ſacerdotum Principes qui plus reuerentiæ gazophylacio, quam ipſi Deo tribuendum eſſe cenſetis & maius ſcelus eſſe innocentis ſanguinis pretium in corbonam mittere, quam ipſum innocentem interficere. Siccine ſub falſa religio-

Perſtringitur ſacerdotum hypocriſis.

nis

mis vero cordis vestri malitiam & rancorem Deo tegere putatis? hinc tandem consilio inter vos inito, postquam nimirum cruci Christus affixus esset, vel fortasse post diem festum Paschæ, cum toto illo die in accusando, & crucifigendo Christo occuparemini; die autem insequenti in ipsius Paschæ celebratione (quo tempore contractus inire non licebat) vacaretis religioni, emistis ex illis agrum figuli. Quanta hæc vestra hypocrisis specioso mentitæ pietatis pallio adumbrata [Emerunt, inquit scriptura, ex illis agrum in sepulturam peregrinorum. Qui profecto (inquit Chrysostomus) ager contra eos est testimonium ac tuba clarius, eorum cædem huius agri nomen vniuersis æquè denunciat. Non simpliciter autem id faciunt, sed consilio prius inito, ne quis ab eiusmodi facinore esset immunis, sed omnes prorsus obnoxij tenerentur.] Verum aliud Deus significare voluit per hanc vestram hypocrisim, quam vos intendebatis. Secreto enim instinctu ad huiusmodi vos consilium & electionem permouit, vt argenteos in corbonam mitti nefas esse duceretis, sed illos extra templum auferri, quibus ager ad sepulturam peregrinorum coëmeretur. Inuenit quidem (inquit Augustinus) mens cæca remediũ, Ad requiem peregrinorum Saluatoris deputant pretium. Licet non agnoscant, impletur tamen mysterij sacramentum.] Per hoc igitur voluit Deus significare Saluatoris nostri sanguinem nulli ex iis sacerdotibus profuturum: futurum tamen pretium, quo æterna requies ijs compararetur, qui in hac vita tanquam peregrinos sese gererent. Quare pretium sui sanguinis in sacerdotũ

Chry. 27. in Matt. c. 5.

Aug. ser. 46. de diuer.

gazophylacio reponi noluit, cuius sanguinis participes minimè essent, sed sicuti tota passio Christique sanguis in remedium electorum ordinata sunt; sic etiam pretium illud in sepulturam pauperum & peregrinorum cedere voluit.

Cur ager figuli dicitur

Maldonat. hic.

3. Videamus modo quare ager iste, ager figuli dicatur, & quali præditus virtute censeatur. Ager itaque iste, ager figuli appellatur, vel quia alicuius figuli erat, vel quia ex eo figuli ad fingenda vasa terram effodiebant, aut quia in eum testarum fragmenta proiiciebantur, ita vt culturæ inutilis esset, solisque mortuis sepeliendis commodus. Miram vero fuisse huius agri virtutem ad consumenda mortuorum corpora Adrichonius est author: [Est, inquit huius terræ virtus mirabilis, & fidem penè superans, quod defunctorum corpora viginti quatuor horarum spatio in puluerem redigat, quam virtutem etiam in alias regiones deuecta minimè perdit.] Quæ etiam iussu Helenæ (vt ipse ait) Romam aduecta eandem ibi retinuit vim in campo, quem Sanctum vocant, Romanos respuit, sola peregrinorũ corpora ad sepulturã recipit, quasi memor ad hoc obsequij genus destinari, vt tantummodo peregrinis sepulturam exhiberet. Quamuis enim sacra illa ac execranda pecunia ager ille emptus sit à sanctis scilicet illis sacerdotũ Principibus bono reipublicæ, vt ipsi ementitæ pietatis imagine præ se ferebãt, consulentibus; tamen quia Christi sanguinis pretiũ fuit, noluit Deus (licet execrandũ in se esset) quin inde singularem aliquẽ fructum eliceret. Quare cũ vnusquisque ciuiũ Hierosolymitanæ ciuitatis aut in publico loco aut in suo fundo proprium haberet sepulchrũ, in quo om-

Mirꝛ huius agri virtus.

nes qui eiuſdem eſſent familiæ cõderentur, opus fuit ob ſepulturę difficultatem aliquem coëmere locum aduentantibus peregrinis, cum patriis in vrbe ſepulchris carerent. Vnde oblatam templo pecuniam, quod res Deo ſacra eſſet, non niſi in pium opus, pij ſcilicet iſti Sacerdotum Principes inanis gloriæ venatores impendere voluerunt, quod opus licet ab impiis profectũ, ſingulare tamen inde reipublicæ emolumentum obuenit, ob illam quam habuit cum Chriſti ſanguine (cuius pecunia illa pretium fuit) coniunctionem.

4. Vocatur vero ager ille Haceldama, id eſt, ager ſanguinis, vſque in hodiernum diem] non ſine diuino conſilio, vt nimirum hoc nomine perpetuo celebris eſſet, & cuilibet vſque in hodiernum diem pernotus: vt qua ratione (inquit noſter Maldonatus hîc) ſacerdotes impietatem ſuam vna cum illa pecunia obruere, & quaſi ſepelire voluerunt, ſempiterno monimento in omnem poſteritatis memoriã tranſtulerint, vt quoties ager ille Haceldama, id eſt, ager sãguinis vulgo diceretur, toties ſceleris eorum memoria renouaretur. Hoc vſu ſæpè venire ſolet, vt noſtra ſcelera, quæ perpetua obliuione putamus obruere, velimus nolimus ſingulari Dei prouidentia omnibus manifeſtentur, quo vel ipſi ex infamia per illa nobis conflata reſipiſcamus, vel alij ſaltẽ illorũ manifeſtatione perterriti diſcant nullum ſcelus debere cõmitti, ſpe illud aliquo nouo ſcelere, aut humana induſtria ab hominũ memoria occultandi. Sic Dauid adulterium à ſe cõmiſſum æterna deterere obliuione conat*, propriũ Berſabeæ maritũ gladio filiorũ Amnon interfici curauit, vt illa ſibi in vxorem aſſumpta prius ſcelus

Deus occulta manifeſtat, licet aliquo artificio illa abſcondere conemur.

maiori tegere putabat: sed res aliter euenit. Nam
2. Reg. 12. Deus vtrumque eius flagitium propalam fecit,
Salui. l. 2. hinc Saluianus. Tu, ait, qui ad solatium peccatorũ tuorum considerari actus nostros à Deo non putas & hoc ipso & aspici te à Christo intellige, & puniendum forsitan propediem esse cognosce, quia etiam Dauid sanctum vides vnum errorem suum, nec secreto occultorum penetralium potuisse contegere, nec à præsentibus pœnis priuilegio saltem maiorum operum vendicare.] Sic fratrum Patriarchæ Ioseph scelus per aliud tegere conantium postliminio manifestatur, eiusque gloriam ex inuidia obscurare dum existimarent,
Greg. l. 6. splendescere viderunt. [Ideo, inquit Gregorius,
Mor. c. 12. venditus est à fratribus Ioseph, ne ab eis adoraretur;] sed quemadmodum per crucis ignominiam Christus exaltatus est, & nomen super omne nomen Iesu adeptus est, cui omnes etiamnum cælestes, terrestres, & infernales creaturæ genua flectunt: sic Ioseph præ fratribus suis sublimatus est, & nomen obtinuit Principis in tota Ægypto, cui etiam fratres sese trepidi incuruarunt: [Ideo enim (ait sanctissimus pater) est adoratus, quia est venditus. Sic diuinum consilium dum deuitatur impletur; sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur.] Appositè igitur & verè
Ælian. l. 13. quidam dixit, persecutores aurifabri sunt, qui nobis & præsentis & æterni regni coronas fabricant.

Homicidiũ occultum detegitur. §. Subijciam quoque aliqua Gentiliũ exempla, quibus miro indicio Deus occulta hominũ peccata non tantum detegit, sed etiam punit. In primis Macarius Mitylenensis Bacchi sacerdos hospitem semotis arbitris in templum adducens,

occidit, & cum hoc scelus homines lateret, Deus mirabiliter manifestauit. Paulo enim post filij eius volentes patris sacrificia imitari, vnus alterum quasi victimam iugulauit. Mater id rescíens, filium qui reliquus erat, quique alium iugulauerat, furibunda torre occidit, Qua re intellecta pater ipsam filiorum matrem coniugem suam interemit. Vnde captus & tanti criminis ex parte conuictus, ante publicum supplicium in tormentis animam exhalauit. Ecce quomodo occultum sacerdotis homicidium Deus palam faciens prolis, vxoris, & ipsius homicidij interitu vindicauit. Quid de Ibici Poëtæ morte per grues propalata? cum enim in latrones incidisset iam occidendus, grues fortè superuolantes obtestatus est. Quare cum ijdem latrones postmodum in foro securi sederent & grues superuolitare cernerẽt, per iocum susurrabant inter se in aurẽ, adsunt Ibici vltores, quo audito murmure quidã assidentes in suspicionẽ homicidij latrones traxerunt, qui tormentis subiecti facinus confessi sũt. Ecce quomodo Deus per aues ipsas occulta hominum scelera eliminet, vt & ipsi iuxta delicti grauitatẽ hîc puniantur, & alij seuera illorũ castigatione edocti ab omni caueant scelere, cũ Deus non modo ipsa hominum flagitia clam perpetrata, sed occultas etiam animi designationes sæpè manifestet. Quare cũ principes sacerdotum coempto triginta argenteis agro illo figuli suam non modo malitiã in Christũ, sed omnem etiam eius memoriã, hoc falsæ pietatis velo obliterare putarent, vtrũque Deus ita palã fecit, vt vix sit è Christianorũ numero aliquis cui non sint & eorũ malitia execrabilesque illius effectus pernoti.

Plutar. l. de loquaci.

Pergit Pilatus in Christi examine.

CAPVT XLV.

Pungitur Pilatus Christi responsione.

1. VT ad reliquum Dominici examinis explicandum redeamus, persuadet perturbata Pilati conscientia, quæ Christi responsione puncta videbatur (vt ait noster Maldonatus) Pilato enim, vt diximus, sciscitanti an Christus esset Rex Iudæorum, respondit [Tu dixisti: à temetipso hoc dicis an alij tibi dixerunt de me. Quasi diceret (inquit Maldonatus) tu vtique scis me Iudæorum Regem non esse temporalem nimirum, neque aliorum inuadere sceptra qui regna dat cælestia: sed hæc tua interrogatio per Iudæorum importunitatem à te extorta est, quorum indignationem times; qua Christi perstrictus responsione, non sine animi commotione videtur id in quo Christus illum arguit fateri, dicens: nunquid ego Iudæus sum? quasi diceret, non sum, sed iudicis officio fungor qui te mihi à Iudæis traditum non possum non de rebus obiectis interrogare. Pontifices Gentiles tui tradiderunt te mihi: quid fecisti? ô Pilate, quandoquidem modestia eius vetet tibi indicare quid fecerit, eius vices subibo. Audi igitur quid fecerit: in principio creauit cœlum & terram, creauit hominem de limo terræ & inspirauit in eum spiraculum vitæ: omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra. Quid etiam in gratiam populi huius ingrati à quo acerrimè accusatur,

Antoninus c. 6. de Christi examine. tit. 5. §. 5.

fecerit, audi; eduxit in primis patrem eorum Abraham de Vr Chaldæorum: fuit illius eiusque posterorum Isaac & Iacob vbicunque ambulauerunt protector egregius: ipse Ioseph in Ægyptum præmisit, illumque à Pharaone secundum constituit, vt tempore famis vestris maioribus suppeditaret: ipse populum hunc in manu potenti & brachio extento è duro seruitutis iugo & Pharaonis Tyrannide vindicauit, flagellatis sæpius Ægyptiis & demum in mare submersis: ipse populum istum, vt peculiarem, præ cunctis nationibus elegit, sanctaque lege communiuit: ipse populum istum quadraginta annis per desertum gradientem cælesti pauit alimento: ipse illum in terram promissionis, expugnatis habitatoribus illius incolumem adduxit: ipse ex illo carnem assumens singulari modo eum honorauit, & cum eo humiliter conuersatus eius se infirmitatibus accommodauit: ipse eum omnibus penè beneficiis donauit, innumeras illi sanitates contulit, cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, loquelam mutis, mundiciem leprosis, vitam mortuis restituit, peccatoribus indulgentiam, mœstis lætitiam, plurimis gratiam, ignorantibus sapientiæ doctrinam impertijt, & denique propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & homo factus & hominum gratia tantis nunc calumniis coram te lacessitur. Hæc sunt Pilate quæ fecit Christus.

Beneficia collata in populum Israeliticũ.

2. Pilatus verò vt animaduertit Christi innocentiam & accusantium malitiam simul & inuidiam, conatus est eum liberare, eoque corã omni populo proposito [ego ait nullam in eo inuenio

Pilatus Christi innocentiam asserit.

causam, cum itaque iudex ego sim qui ex iustitia cuilibet ius suum tribuere debeam, eoque potius quod totius Romani imperij personam geram, à ratione alienũ duco quempiam causa non benè cognita iudicare siue absoluendo, siue condemnando: & præsertim hunc, quem meo iudicio calumniis potius, quam vera accusatione opprimere conamini. Non est Romanis huiusmodi consuetudo dãnandi aliquem, priusquam, qui accusatur præsentes habeat accusatores, non calumniatores, locumque defendendi se accipiat & ad abluenda, quę ei obijcerentur crimina. Quantum ad me attinet hæc omnia quæ huic homini obijcitis meras esse iudico calumnias, ego proinde nullã inuenio in eo causam, nullã culpã morte dignã. Proinde si vos illum læsæ maiestatis reum iudicatis, quod gentis vestræ subuersor sit, quod prohibeat tributa dare Cæsari, & consequenter illius detrahat potestati, quod regiam affectet dignitatem, hæc mihi penitus ignota sunt, neque stabili aliquo nituntur fundamento. Quare mortis causam in eo non reperio: [accipite igitur eũ vos & secundum legem vestram iudicate eum.] quib⁹ verbis apparet voluisse iudicẽ à suo remouere tribunali Christũ, cognita illorũ in innocẽtem malitia. Cui simul omnes succlamãt: [nobis non licet interficere quenquã] ô insana crudelitas! nõ licet vobis quenquam interficere, & fictis tamen criminibus innocentissimum Dei agnum interficere conamini. Quid est, nobis non licet interficere quenquam? si malefactor est, cur non licet? nonne lex vobis præcipit ne malefactoribus præsertim qualem istum putatis, ignoscatis? sed intelligendũ est fortasse vos dicere nõ licere

vobis interficere quenquam ob diei festi sanctitatem, quem celebrare iam religiosè scilicet cœperatis, propter quam de ingressu etiam Prætorij contaminari metuebatis? O sacrilegi hypocritæ licet vobis hominem iustum, innocentem, sanctum, Dei filium falsis obruere criminibus, vt pro libidine vestra moriatur, & dicitis vobis non licere quenquam interficere, & contaminari vos antea existimabatis si in Prætorium ingrederemini & contaminatos vos esse, neque hominem interimere non iudicatis, cum iniustè innocentis sanguinem effundere contendatis cuius gratia etiam tam mane conueniistis: [hoc nimirum consilio (vt ait Leo) rem agitis vt ab actione sceleris vestri immunes videamini, subtrahentes opera manuum, & exerentes tela linguæ. Quid hac specie religionis iniustius? quid hac clementiæ simulatione crudelius? qua lege, quod vobis non licet facere, licet velle? qua ratione, quod corpora polluit, corda non lædit,] ne contaminaremini scilicet? ô quam verè vos Christus aliquando sepulchra nominauit dealbata! Introire Prætorium ne contaminaremini minimè voluistis, qui paulo ante insano, & cruento concilio auctorem vitæ cruci affigere statuistis, & tamen à contaminatione, qui estis contaminatissimi, immunes vos esse prorsus, sed perperam, putatis. *Leo. ser. 6. de pass.*

3. Pilatus vero omni ex parte cognita Christi innocentia, ex prætorio vt diximus, eum foras secum deducens coram tota multitudine Sacerdotum Principibus & turbis dixit: [nihil inuenio causæ in hoc homine morte dignum; eoque firmius in sua perstitit sententia, quod nulla Chri- *Pilatus causæ Christi suffragatur.*

ſtum concuti trepidatione cerneret, tot calumniosè illum inſtanterque accuſantibus, quod magni miraculi loco habuit, & vt exhibitus ad criminale iudicium inturbabilis, vt loquitur Origenes, maneret, & ſtaret ante mortem, quæ apud omnes homines terribilis exiſtimatur:] neque ſe contra tot calumniatores defenderet, ſed tanquam Agnus innocentiſſimus coram tondente ſe & calumniantibus obmuteſceret. Quid ita? quia probe nouit ſua condemnatione aduerſarios ſuperatum iri & ſuo vincendos iudicio. [Quid igitur erat opus, vt ait Ambroſius, loqui ante iudicium, cui ipſum iudicium erat plena victoria? vincet ergo Chriſtus cum iudicabitur, quia innocens approbabitur, dicente ipſo iudice: [innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.] Admirabaris quidem præſes & vehementer admirabaris cur Chriſtus pro ſe non reſpondiſſet, cur inter tot calumnias non trepidaſſet, cur mortem non timuiſſet. Sed, ô Pilate! ſi tunc cognouiſſes quiſnam ille cuius ſilentium admirabaris, vehementer vtique obſtupuiſſes, vehementer trepidaſſes Deum coram te latronis inſtar ſiſti, vt in eum mortis ſententiam ferres: vehementer obſtupuiſſes ſublimem Deum, humilem fieri reum, & in tuo tribunali ab impiis accuſari: vehementer obſtupuiſſes patientiam illius in cuius alioqui manus incidere horribile eſt. Vehementer obſtupuiſſes magni Dei hactenus ſilentium alapis, ſputis, verberibus, opprobrijs; iniurijs & calumnijs toties vexati, ſi eum, ô Pilate, cognouiſſes! videris tamen aliquo diuini luminis radio percuſſus quod intrepidè coram omnibus Chriſtum innocentem cenſeas, nihil inquiens inuenio cauſæ in hoc homine.

Origen. in Math.

Digitized by Google

4. O Pilate, Pilate! videris bene incepisse, licet nonnihil subinde in Christi causa strenuè defendenda vacilles humano motus timore: hinc vbi Iudæi inualescerent, & tibi insultarent ob lucalentum de Christi innocentia testimonium dicentes: [commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc,] *Luc. 23.* à tuo tribunali Christum remouere statui, ne cogaris vel inuitus illum condemnare; cum mordicus debueras tanquam præclarus Iudex & interritus, veritati insistere, & innocentem sicuti à calumnijs, sic etiam à morte vendicare Pilatus autem, inquit Sacer textus, audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset? & vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem,] eoque libentius quòd ipse præses illius innocentiæ conscius esset, ac proinde à tribunali suo ad aliud amoueri optaret, ne reclamante conscientia Iudæorum importunitate victus, innocentem neci tradere cogeretur. Ecce quomodo lupi rapaces innocentem ouiculam exagitent! quomodo instar pilæ percussæ, & repercussæ ab vno ad alium innocentissimum Dei agnum pellant & repellant. Ductus enim ab Anna ad Caïpham, à Caïpha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, à quo illusus remittetur. O bone Iesu! quanti tibi constat meæ animæ salus! quanto te onere præmit! faxit Deus vt tam multæ Redemptionis nostræ causæ velut supplicationes à te exhibitæ, non cadant in irritum.

Digitized by Google

De missione Christi ad Herodem & iniurijs ab eo acceptis.

CAPVT XLVI.

1. HErodes Tetrarcha erat Galilææ, qui tum Hierosolymis agebat vt Paschale celebraret festum. Hic verò erat filius Herodis infanticidæ frater Philippi & Archelai, isque fuit qui Ioanni Baptistæ caput per spiculatorem in carcere abscidi curauit. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri] illo itaque vehementer cupiente aliqua mirabilia eius videre, Christus omnino tacuit & nihil fecit: quia [nec illius crudelitas, inquit Ambrosius, merebatur videre diuina, & Dominus iactantiam declinabat. Et fortassis typicè in Herode omnes impij significantur, qui si legi non crediderint, & Prophetis mirabilia Christi opera in Euangelio quoque videre non possunt.] Cum verò Herodes videndi aliquod signum desiderio inardesceret & præ inanis gaudij magnitudine Christo abblãdiretur, Regiam inquit Anselmus, Iesu capiti coronam imposuit pollicens illi liberationem, & per ludibrium regni successionem, si prodigiosa illa signa, quæ solebat facere, in conspectu suo patrare voluisset. Heu miser! cur non potius, deposita humi corona, cum viginti quatuor senioribus, ad pedes agni innocentissimi

Luc. 23.

Ambros. in c. 23. Luc.

Ansel. l. de pass.

in faciem prolapſus, prodigioſum in te edere miraculum, in conſpectu totius exercitus, ſeriam nimirum conuerſionem, & ab omnibus à te flagitiis commiſſis horrorem & deteſtationem humiliter efflagitaſti? cur non cordis dolore intrinſecus tactus non exclamaſti: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea: & ſicut Centurionis deſiderio Chriſtus ſtatim ſatisfecit, eius famulo priſtinam reſtituens ſanitatẽ, ſic ſi te animi ſalute donaſſet, audiſſes proculdubio cum Zachæo: [quia hodie ſalus domui huic facta eſt eo, quod & ipſe ſis filius Abrahæ: venit enim filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat. *Luc. 19.*

O quanta gaudij tibi tunc obueniſſet cauſa ab omni ſcelere liberato; cur non tibi oblatam magnæ exultationis occaſionem arripis vt gaudium tuum verè ſolidum ſit? ecce enim adeſt tibi modo filius Dei omnibus ſalutem & gratiam offerens, cuius miſericordia adeo incredibilis, vt ſcelera quantumuis enormia verè pœnitenti condonet. Adeſt tibi vniuerſorum Dominus, cuius præcurſorem non ita pridem inhumaniter interfeciſti, non vt tanti ſceleris pœnas à te expoſcat, ſed vt illius veniam ac remiſſionem, ſi velis, tibi præſtet. Gaude ergo Herodes viſo Ieſu, viſo Saluatore, qui omnes ſaluos facere deſiderat: gaude igitur & propoſito tibi totius gaudij fonte, non omittas, quin inde ſalutarem gratiæ hauſtum ebibas. Ne verearis illum accedere, licet acerrimus ſcelerum ſit vindex, facilè pœnitentia & vera morum emendatione placatur, non tibi patris tui infanticidæ, crudelitatem exprobrabit, modo verum illum eſſe Meſſiam velis agnoſcere, & in eum ex

Magna gaudij occaſio Herodi offertur.

intimo animi affectu credere. Gaude igitur Herodes hac opportunitate tibi oblata: gaude mūdi Saluatoris præsentia, qui suo beneuolo aspectu mentis tuæ tenebras ita penetrare nouit, vt illis per gratiæ radios planè excussis, immortalem tibi vitam tribuat. Sed quid ago? nescit gaudere vero ac solido gaudio superbia inflatus, luxuriæ deditus, infanticidæ filius & Dominici Præcursoris carnifex, è cuius digitis sanctissimi viri cruor distillans vindictam clamat viso innocentium protectore, & effusi contra iustitiam sanguinis certissimo vindice. Cum ergo tua petitio curiositatis plena extitit, tantum abfuit vt signum salutis cerneres, vt potius in tuis confirmatus sceleribus multis Christum insolenter interrogans sermonibus tandem contempseris.

3. Quamuis incertum nobis sit quid Herodes Christo dixerit, certa tamen fide nobis constat nihil illi Christum respondisse, neque vllum patrasse miraculum. Et licet Sacerdotum principes ex hac Christi taciturnitate, & Herodis contemptu auidius occasionem Christo insultandi arripuerint & constanter ipsum accusauerint: Dominus tamen veluti rupes immobilis stabat, altum colēs silentium, circumsonantibus Sacerdotum, Scribarum & Herodis vndequaque veluti minarum fluctibus, nihili faciens curiosi Principis desiderium ac itam, Sacerdotum & Scribarum accusationibus responso indignis iudicauit. O mirandum diuini Verbi silentium! ô impudens Sacerdotum & Scribarum circumfrementium audacia! ô insolens Herodis curiositas! Cur siles ô Verbum, quod omnibus facultatem loquēdi tribuis! cur ô patris Verbum in aula Herodis Te-

trarchæ obmutescis, quod toties in desertis locis turbas verbo & opere docuisti! Auditores minimè tibi desunt pernobiles: Regem habes Herodem, Sacerdotũ Principes, Scribas, Pharisæos, & grandem Herodis exercitum. O nobile auditorium! ô ingens hominum concursus! Nonne Domine huiusmodi auditorio nobili & frequenti delectaris? cur igitur, ô Verbũ, nullum dicis verbum? en te Rex inuitat, cupit te ex multo tempore videre & audire. Aperi ergo diuinum os tuum, eructa bonum verbum, aut silẽtij tui causam nos edoce. Itane? idcirco taces quia doceri non cupit salutis documenta, audire negligit, salutis viam discere derrectat, signa tantum videre gestit, non vt ex illis bonum, sed curiositatem hauriat. Huius silentij rationem reddit Greg. illa B. Iob verba [Lampas contempta] explicans: [Huius, inquit, lampadis flammas Herodes explorare voluit, cũ eius miracula videre concupiuit: sed lampas hæc ante eius oculos nullo radio lucis emicuit; quia ei, qui se non piè, sed curiosè quæsierat, nihil de se mirabile ostendit. Inquisitus quippe Redemptor tacuit, expectatus miracula exhibere contempsit, seseque apud se in occultis retinens, eos quos exteriora quærere comperit, ingratos foris reliquit: magis eligens aperte à superbientibus despici, quã à nõ credẽtibus vacua voce laudari.] Cùm igitur Herodes per miracula profectum suum, aut aliorum non quæreret, sed signa vel scientiam mirari tantum vellet, requisitus ab eo, & tacuit, & eius curiositati signa petenti minimè satisfecit. Addit silẽtij eius aliã causam Carthusianus [Noluit, inquit, respõdere, aut miraculũ facere corã Rege eiusq; nobilibus, vt exemplũ nobis

Iob.12.
Greg.lib.10. Moral.c.17. Christi silentij causa.

præberet fugiẽdi ostentationẽ corã Magnatibus.] Tertiam adiungit noster Barradus: merito ait, nó respondit Dominus Herodi qui vocem Domini occiderat, nempe Ioannem Baptistam, qui de se ait: [Ego vox clamantis in deserto,] silet ergo Christus, quia vocem suam Herodes ipsi eripuit: silet Verbum coram lupo, qui voci suæ Ioanni, quasi aspectu suo loquendi facultatem ademit.

Illuditur Christus veste alba.

4. Cum igitur nollet Herodis curiositati satisfacere, ab eo irrisus & à toto exercitu induitur veste alba, quo irrisionis modo, & Christi, qui candor est lucis æternæ & speculum sine macula, animi candorem & vitæ innocentiam indicauit.

Ambr. l. 10. in c. 23. Luc.

Hinc Ambrosius: [Non otiosum, ait, quod veste alba induitur ab Herode, immaculatæ tribuens indicia passionis, quod Agnus Dei sine macula peccata mundi susciperet. Dauid, qui Christi typum gessit, olim illusus & contemptus à Rege Achis, tanquam mentis inops extra Regis palatium eiectus est. Et Achior coram impio Holopherne spretus & multis oneratus conuitijs, in Bethuliam ignominiosè remissus est. Illusus igitur cum Dauide, & Achior æterni patris sapientia Christus veste indutus alba ad Pilatum remittitur. [Etsi vterque (inquit Ambrosius) reum non pronunciant, alienæ tamen crudelitatis studiis obsequuntur, qui facti sunt amici eodem die. [In typo (inquit Ambrosius) etiam Herodis atque Pilati, qui amici ex inimicis per Iesum Christum facti sunt, plebis Israël, & populi Gentilis figura seruatur; quod per Domini passionem vtriusque sit futura concordia.] Decebat igitur (vt ait Cyrillus) eum qui mundum erat pacificaturus, vt prius etiam ipsos Iudices suos pacificaret.

1. Reg. 21.

Amb. ibid.

Ibid.

Cyril. Hier. cat. 13.

5. O

5. O æterni patris sapientia, siccine pro insano, ab insano Rege haberis? siccine in signum simul insipientiæ,& summam derisionem veste indueris alba? nihil tibi, bone Iesu, defuit ad contemptum, nisi vt stultus habereris; ante enim habitus es pro malefactore: [Nisi hic esset malefactor, non tradidissemus eum tibi;] aliàs pro incantatore: [quid facimus? quia hic homo multa signa facit, si dimittemus eum sic, omnes credent in eum?] aliàs pro impostore: [quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum;] aliàs pro Samaritano,& à Dæmone possesso:] Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?] aliàs pro seductore: [seducit turbas;] iam verò pro mente capto! O qualia & quàm cæca mundi iudicia! stultum existimat & phreneſi laborare patris vnigenitum! Tacerene coram curioso ac crudeli rege postulanti signa stultitiæ tribuis, & insaniam appellas sapienter illi negare miracula, qui miraculis abuteretur, neque illa ad suam salutem acquirendam vsurparet, cum hæc ab illo curiositatis tantum causa efflagitentur? insanire reris idem esse quod silentio vti, cum res ipsa silentium exagitat? phreneſi laborare Christum putas, quod iactantiæ causa, signum non patrauerint? proculdubio si hæc sit insania appellanda, insania hæc non ex mente à rationis sede deturbata proficiscitur, non ab alio fonte insania hæc originem trahit, quàm ex ardentissima amoris febri quæ illum quasi insano quodam amore ita incendit, vt insanus æstimari & stultus haberi nostri gratia desideret, sine sua tamen culpa, cum hoc sit vnum è medijs, quo sanet insaniam nostram ex tur-

Omni modo Christus cõtemnitur.

Ioan. 11.

Ioan. 10.

Ioan. 8.

Ioan. 7.

bido concupiscentiæ cœno profectam. Insanis itaque bone Iesu amore nostri, & sapienter insanis, adeo, vt id quod vix homini aut Deo concedi posse veteres existimarunt, tibi concedatur: amare nimirum & sapere: amas siquidem nos ita ardenter, vt stultitia & insania multis videatur amor in nos tuus: sapis tamen super omnes, cuius sapientiæ non est finis. Potuisti quidem ab hac insaniæ imputatione, si velles, apud sapientes etiam mundi, qui stulti sunt, te vindicare, noluisti tamen, quoniam tuis ignominijs nostras voluisti abolere. Voluit quidem Dauid, vt diximus, pro insano haberi, vt vitam seruaret, vitæ potius consulens quam honori: sed Christus è contrario, quamuis optimè nouit se à morte liberatum iri suam declarando sapientiam; permisit tamen se pro stulto haberi coram Rege Herode eiúsque exercitu, eligens potius & honoris, & vitæ detrimentum pati, quàm Redemptionis humanæ opus negligere. O ineffabilem Christi charitatem! ô amorem sine exemplo! ô ingratitudinem nostram! qui ardentissimum nostri amatorem non redamamus.

Psalm. 2. 6. Quàm verè à Propheta olim dictum: [Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.] Non satis fuit Herodi Ascalonitæ, iam iam Christo nato insidias struxisse, nisi etiam suæ crudelitatis hæredem relinqueret, qui Christum à Pilato ad se missum, veste indutum alba illusum remitteret & amicitiæ fœdus cum Pilato suo hoste iceret, ob communem in Christum conspirationem: ex quo discimus improborum conspirationem & concordiam, inter

Improborũ inter se conciliatio in bonos est cõspiratio.

quos alioqui perpetua ſolent eſſe iurgia, facilè coaleſcere aduerſus bonos, vti videre eſt in hac amicitia inita inter Pilatum & Herodem, ſimul in Chriſtum conſpirantes, hoc nefandiſſimum fœdus quod in occidendo Chriſto pepigerunt. Hactenus, inquit Beda, eorum velut hæreditario iure ſucceſſores cuſtodiunt, quando Gentiles & Iudæi, ſicut genere & religione, ita etiam mente diſſidentes, in Chriſtianis tamen perſequendis, Chriſtique in eis fide interimenda conſentiunt; quamuis capitibus, id eſt, voluntatibus diſſideant, caudis inſtar vulpecularum Sampſonis cohærent, quibus noceant. Sunt inſuper velut ſcuta fuſilia ſquamæque ſe premẽtes, vt ait Iob, ac ita iunctæ, & tenentes ſe inuicem, vt nequaquam ſeparentur, & ne ſpiraculum quidem diuinæ inſpirationis altera alteram peruertente, ſi qua tangatur, incedat per eas. Spinæ ſunt ſe inuicem complectentes, quæ ſuis Chriſtum aculeis, eiúſque ſectatores vehementer pungunt. Tales ſunt profectò Pilatus & Herodes, qui alioqui voluntate inter ſe diſſidentes, gratia tamen in Chriſtum conſpirandi, quem innocentem iudicarunt, nouo amicitiæ fœdere coniunguntur, quorum alter illum ſpreuit & illuſit, alter tandem voluntati Iudæorum tradidit.

Beda.

Iudic.15.

Iob 41.

De prælatione latronis Barrabbæ Christo.

CAPVT XLVII.

Vetus Iudæorum cõsuetudo vnũ è vinctis dimittere in Paschate.

VEtus fuit Iudæorum traditio in memoriam liberati ex Ægyptiaca seruitute populi, vinctum vnum in die solemni Paschæ è carcere liberare: qua allectus consuetudine Pilatus conuocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & Iudæorum plebe, Christi innocentiam omnibus palam confessus est, eandémque Herodis sententia comprobatam manifestauit, qui Christum ad se innocentiæ præsidio munitum remisit indemnem: ego, inquit, nullam inueni in eo causam mortis, & statim subdit: [sed neque Herodes;] quare sicuti Herodes noluit eum capitali damnare sententia, neque ego, qui idem cum Herode iudico, damnabo: [vides, inquit Chrysostomus, quàm diligenter ille prouidebat, vt eos ab hoc scelere liberaret, & quanto ipsi studio contra agerent, vt ne vmbram quidem sibi excusationis relinquerent. Vter enim dimittendus erat, certè iam criminibus condemnatus, an cuius adhuc causa pendebat? Nam si quis lata sententia etiam dimitti poterat, multò magis ille cuius res in ambiguo vertebatur. Est autem consuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Pascha. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabbas. Non simpliciter habuisse latronem, sed insignem, Euangelista dicit, ne eis, inquit Chrysostomus, vel

Chr. ho. 87. in Mat. 27.

Chrys. in c. 27. Math.

vmbram quidem excusationis relinquat.] Barrabbas verò homo fuit turbulentus, latro, & homicida, qui multis nominibus odio omnibus habitus fuit, sibi proinde Pilatus persuasit plebem, præ sceleſtissimo illo homine Christum electuram. Quare cum illo Saluatorem nostrum componit, cum tenebris solem, cum stercore aurum, cum luto gemmam, cum latrone innocentem, cum fœtenti stagno spurcitijs redundante bonorum omnium fontem, cum famosissimo malefactore omnis beneficentiæ auctorem, fecitque populo optionem, vt alterum ad vitam, alterum ad mortem eligeret. O inusitatum honoris vitæque certamen, sed nihil addubitauit Pilatus quin præ latrone & homicida fontem bonorum eligerent, ac propterea audacter dixit, quem vultis ergo dimittam vobis Barrabbam, an Iesum qui dicitur Christus, hac ratione liberare Christum, inquit Chrysostomus, tentauit, vt si nollent tanquam innocentem absoluere, saltem vt tanquam condemnatum solemnitati largirentur.]

Chr. ho. 87. in c. Math. 27.

2 O mœstissima Christi mater! modo si vnquam aliàs, adsis, omni seposita tristitiæ causa. Quis enim dubitare potest, iamiam vteri tui filium è manibus hostium liberandum? Adsis ergo vt captiuum à vinculis soluendum, & vniuersæ plebis suffragio præ latrone illo eligendum, Dei inquam innocentissimum Agnum, amoris amplexu arctius stringas, ne in posterum illum dimittas, modo humanæ Redemptionis opus hac ratione non impediatur. Adsis igitur & vide vt omnis iustitiæ auctor, cum omnis iniquitatis auctore conferatur, Iesus nimirum filius Dei,

Inuitatur Maria vt adsit huic electioni.

& tuus, cum Barrabba. Proculdubio ficario hoc ad patibulum damnato, filius tuus libet dimitteretur. Quis enim filium Dei postponeret filio Belial? Nemo certè; satis ignominiæ est, vel filium tuum cum illo latrone conferri: quare huiusmodi hostes contenti tanto opprobrio liberum tibi filium tradituros quis ambiget? [Nequaquam enim, vt ait Chrysostomus, manifestis homicidis peior eis Iesus videbitur: propterea non simpliciter Pilatus dixit latronem, sed insignem latronem eos habuisse, famosum videlicet in proteruitate, & multis homicidijs inquinatum.] Liberabitur itaque filius tuus, ô virgo, haud ambigo, hostibus grandi illa ignominia qua afficitur, cum latrone comparatus, contentis, præsertim cum ipsemet Christus opprobrij loco duxerit in horto se tanquam latronem comprehendi. Tacuit quidem ad multas sibi irrogatas ignominias, sed tam ignominiosum facinus noluit dissimulare: sed ait, tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me. Qui ergo tam acerbum reputauit in morem latronis quæri & comprehendi, quid ignominiosius illi potuit accidere, quàm cum latrone componi?

Chryſ hom. 87. in cap. Math. 27.

Chriſtus & latro in bilance æſtimantur.

3. Sed, ô bone Iesu! Rex gloriæ, in vna bilancis parte impurissimo & mortalium pessimo latrone collocato, in altera collocaris, quo ignominiosius nihil; vt scilicet cœli princeps, cum infimo terræ vermiculo conferatur. Verùm videamus vtra bilancis pars pondere grauior in terram sese sit inclinatura. Cùm enim in alteram libræ lancem animæ tuæ bona fuerint translata: in alteram pessimi latronis furta, latrocinia,

& homicidia, in tantum haud dubiè propendere illam latronis, præ tua Christe lance in terram, imò & sub terram videbimus, vt hac latronis, in ipsam tartari abyssum depressa, tua in cæli empyrei verticem assurgat. Adsis itaque, ô virgo, vt, depressa infra ipsam terram sicarij illius lance, in cælum vsque alteram, in qua filius tuus residet, eleuatam videas, & iustum rei huius pretium, ac pondus cælestis pater iusta deprehendens trutina infiniti esse meriti, immune ab omni peccati næuo tibi reddet. Ecce filius Dei, & filius Belial vtrinque in libræ lancibus, vulgi opinione æstimandi ponuntur. [O horrendum honoris vitæque certamen! exclamat Augustinus, sed nihil est dubij, quis latronem & homicidam eliget? quis fontem bonorum omnium damnabit? absque dubio reiecto Barrabba Christum eligent Iudæi.] Sed heu! quid video, ô bone Iesu! omnium hominum peccata tecum in lance cumulatim, atque adeo huius etiam latronis poni cerno! heu cerno lancem, in qua collocaris, ex improuiso ita deorsum pondere suo deprimi, vt non modo terram attingat, sed etiam penetret! Si enim vel vnum murmurationis scelus, Core, Datan, & Abiron, tantæ fuerit molis, vt terra medio sciſſa tam ingens peccati pondus sustinere non valuerit, sed aperto hiatu, illos etiam viuos, cum omni sua substantia, ad ipsa tartari ima transmiserit; quid fiet, si cum filio non solum illud murmurantium facinus, sed omnia quoque hominum flagitia in lance collocentur? Nónne saltem vnius latronis, quamuis pessimi, iniquitatibus præponderabunt? Væ itaque nobis, tanta siquidem no-

Num. 16.

ſtrorum ſcelerum moles, vt tua, ô Chriſte! lanx niſi diuinitas tua (quæ humanam tuam naturam ab omni peccati næuo ſemper immunem conſeruauit) omnibus noſtris prænaleret iniquitatibus, tam ingenti labaſcens pondere nos omnes in tartari abyſſum exoneraret, cum te infra infimum omnium hominum depreſſum videamus. Nam audimus tanto cum ſtridore in inſtanti alteram libræ lancem ita deprimi, vt haud dubiè mole ſua noſtris ſceleribus illi impoſitis labaſcat, altius aſſurgente Barrabbæ lance? Quem vultis (ait Præſes) dimittam vobis Barrabbam an Ieſum? vulgus clamat (inquit Auguſtinus) crucifigatur. O inordinata nequitia Iudicantis. Pronunciat innocentem, & eligendi tribuit facultatem. Vides (inquit Chryſoſtomus) ipſum ordinem inuerſum fuiſſe? moris enim erat, vt populus condemnatum aliquem à Principe peteret, quem ſolemnitatis gratia Princeps populo condonaret: nunc autem è contrario Princeps à populo petit, neque ſic illi mitigantur, ſed inuidentes magis, quaſi atroces feræ perturbatione liuoris inſaniunt: Non hunc, ſed Barrabbam.

Aug. ſer. 46. de diuer.

Magna infamia Deũ conferre cũ latrone.

4. O bone Ieſu! terræ cęlique gloria, quid ſi præ illo infami latrone liber dimittereris? nõne ſummam tibi conflatam infamiam omnes iudicarent componi crudeliſſimo ſicario? quæ enim atrocior tibi eſſe potuit infamia? quis contemptus maior? quæ infamior ignominia quàm innocentiſſimum Dei Agnum cum ſanguinario carnifice comparari, authorem vitæ cum homicida, pacificatorem cæli cum terræ turbatore, ipſam innocentiam cum ſumma iniquitate, & denique

Deum cum Barrabba? [Quem vultis dimittam vobis, Barrabbam, an Iesum] Cui succlamant: non hunc, sed Barrabbam. O mentem sceleſtam (exclamat Chryſoſtomus) ſimiles ſui petunt! ſceleſtum dimitti, inſontem puniri iubent. Sic enim eis antiquitus mos fuerat.] ô Pilate Pilate, conſidera quẽ comparas, & cui comparas, filiũ Dei cum filio Diaboli! ô inaudita hominum peruerſitas! ô iniqua hominum iudicia! in eadem bilance ex æquo æſtimandam Chriſti innocẽtiam, & latronis iniquitatem collocas. [Mendaces filij hominum in ſtateris ſuis; Iudex Chriſtum cum latrone in eadem bilance æſtimandum ponit, Iudæi regni ſcilicet ob incolumitatem latronem præferunt Chriſto, qui regna dat cæleſtia, & cuius regnum non eſt de hoc mundo, hinc & ipſi vtroque regno etiamnum priuati ſunt. Hinc venerabilis Beda. [Hæret Iudæis vſque hodie ſua petitio, quam tanto labore impetrauerunt, quia enim data ſibi optione, pro Ieſu latronem, pro Saluatore interfectorem, pro datore vitæ elegerunt ademptorem, merito ſalutem vitamque perdiderunt, ac latrociniis ſe ſeditionibuſque in tantum ſubdiderunt, vt & patriam regnumque ſuum, quod plus Chriſto amauere, perdiderint, & hactenus eam, quam vendidere, animæ & corporis libertatem recipere non meruerunt. Tolle hunc ingeminant & dimitte nobis Barabbam.] Ecce quomodo latrones petant latronem, hæccine reddis Deo tuo ingrata Iudæorum plebs? non meminiſti quàm ſolicitè olim Deus ſignis & portentis veſtram dimiſſionem à Pharaonica captiuitate vrſerit. [Dimitte, inquit populum meum, vt ſacrificet mihi, ſin autem re-

Chr. ho. 83. in c. 18. Ioan.

Pſalm. 61.

Bed. in Luc.

Exod. 9.

Digitized by Google

sistis, ego inducam cras locustas in fines tuos.] Ecquid ingrate populus, pro tanta de te solicitudine Deo tuo reddis? vrsit Deus Pharaonem vt te dimitteret, tu verò vrges modo Pilatum, vt Christum morti tradat. [Tolle hunc & dimitte nobis Barrabbam.]

Chry. c. 27. in Matt.

5. Si summa sit ignominia, & incredibilis infamia filium Dei Barrabbæ comparari, quo verbo vtemur, vt infinitam illam ignominiam, & infamiam exprimamus, quo afficitur, prædoni impurissimo postpositus? qua ratione immensam illam indignitatem enarrare poterimus, qua vita indignior censetur qui vitam mortuis tribuit, illo qui ex viuis mortuos facit? [Qui sceleribus (inquit Chrysostomus) celebrem, innumeris inquinatum homicidiis vniuersi orbis seruatori prætulerint, populumque corruperint, vt sibi latronem dimitti postularent: ita & populi deceptionis supplicia luent extrema. Barabba igitur ab vniuersis postulato, quid igitur faciam, inquit Pilatus, de Iesu qui dicitur Christus? conuertere illos rursus aliquo voluit pudore: potestatem enim eis eligendi reliquit, vt saltem veriti Iesum petant, vt clementiæ ipsorum totum attribuatur. Contentiosos enim magis videbat fieri, cum eis nihil ipsum peccasse dicebat, ac ideo putabat, si humanitati eorum salutem ipsius attribueret, facilius posse persuadere.] Ecce quomodo Iudex ethnicus Christi causæ multo magis faueat, quam Gentiles ipsius Iudæi: quorum tamen singularem præ omnibus nationibus curam gessit, & ad quos à Patre cælesti se missum esse Cha-

Iudæorum ingratitudo. Matth. 15.

nanæ misericordiam ab eo postulanti respondit: [non sum ego missus nisi ad oues quæ perierant domus Israel] & tamen ex ouibus rapaces facti lupi insignem suo Saluatori præferunt latronem, insignem, inquam, scelere & improbitate: non hunc, inquiunt, sed Barabbam. Verum cum Pilatus eius innocentiam magis ac magis assereret, insana plebs, ad hoc quidem à principibus sacerdotum incitata, Christum morte dignum, & infamem latronem libertate conclamarunt, quasi vita digniorem Christo, crucifige crucifige ingeminans: ad quod præses [quid enim mali fecit? at illi magis clamabant dicentes, crucifigatur:] putabat enim se à crimine immunem si per alienigenam iudicem morti eum traderet: [narrauerunt, vt ait Prophetа, vt absconderent muscipulas, dixerunt, quis videbit eas? Latêre putabant, inquit Augustinus, eum, quem occidebant, latêre Deum. Ecce puta homo erat Christus, sicut & cæteri homines: nesciebat quid de illo cogitarent, nunquid & Deus nescit? ô cor humanum, quare tibi dixisti, quis videt me, cum ille videat, qui te fecit? dixerunt, quis videbit eas? videbat Deus, videbat & Christus, quia & Christus Deus. Sed quare videbatur eis non videre? audi sequentia: perscrutati sunt iniquitatem, defecerunt scrutantes scrutationes, id est, acerba & acuta consilia. Non tradatur per nos, sed per discipulum suum: non occidatur à nobis, sed à iudice. Totum nos faciamus, & nihil feciſſe videamur. *Aug in ps.* 63.

Et vbi est clamor linguæ, crucifige, crucifige? sic cæci estis, vt & surdi sitis. simulata innocentia non est innocentia, simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia & iniquitas est & simulatio.

Chry. ho. 87. in Matt. Act. 24.

6. Videns autem Pilatus nihil se proficere, lauit manus dicens, innocens ego sum à sanguine huius iusti, vos videritis. Cur igitur tradis? cur non eripuisti, sicut postea militum tribunus Paulum? qui & sciebat gratum fore Iudæis, si Paulus traderetur, & seditio ac tumultus propter ipsum factus erat: restitit tamen generosè atque repugnauit] non ita tu Pilate, sed paulatim ignauissimè & mollissimè manus dare incipis, aduersariorumque crudelitati paulo post eum penitus relinques, quod tibi & illis in extremum malum cedet. [obtinuerunt, inquit magnus Leo, iniqui in damnationem suam, quod pertinaciter exigebant: quorum dentes, sicut propheta attestatus est, arma erant, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. frustra enim à crucifigendo maiestatis Domino manus proprias continent, in quem lethalia vocum spicula, & venenata verborum tela iaciunt. O Iesu dulcissime quot patronos latro pessimus suæ libertatis habuit, quot strenuos solicitatores qui eius causæ fauerunt, eumque defenderunt, & populum prensarunt in causa iniustissima? & tu innocentissimus ita solus ac desertus relinqueris, vt nullum habeas, qui audeat vel insanientem populum de tuæ vitæ innocentia informare, vel aliquod verbum in tuum fauorem loqui, quamuis tua causa sit iustissima, vel ipsius iudicis sententia, quo abierunt modo dulcissime Iesu omnes tui amici?

Leo. ser 8. de pass. Psal. 59.

quomodo dispersi sunt omnes tui discipuli? quo terrore prostrati terga tibi verterunt? Ecce nemo est qui tibi succurrat, nemo est qui tibi condoleat: nemo est qui tibi patrocinari audeat, ô insignis pauperum protector! ô aduocate miserorum. [vobis vobis, exclamat Leo, falsi Iudæi (in quos aliquando plurima Iesus beneficia contulit; vobis & sacrilegi principes populi, totum facinoris istius pondus incumbit: & licet immanitas sceleris & Præsidem obligarit & milites, omnis tamen facti summa vos arguit. Et quicquid in supplicio Christi vel Pilati peccat iudicium, vel cohortis obsequium, hoc vos facit humani generis odio digniores: quia vestri furoris impulsu, nec illis innocentes esse licuit, quibus iniquitas vestra non placuit.] *Leo. ibid.*

7. O bone Iesu cum tua dixerim venia, cur adeò te affligi & contemni nostri causa permittis, qui peccatis nostris hanc tibi conflauimus ignominiam? quis enim præposteram illam & indignam Iudæis suggessit electionem, vt Barabbam vita donaret, te ad mortem iudicando [electe puer Dei mei, exclamat Bernardus, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? prorsus nihil. Ego ego homo perditus totius perditionis tuæ causa extiti] nonne nostra ô Domine peccata, quæ è cœlo vindictam ita clamabant, vt necesse fuerit vel nos omnes perire, vel te horribili vindictæ subdi, cuius rabies tanta est, vt nullius castigatione mitigari possit, nisi tua solius. Vnde in supremo illo Augustissimæ Trinitatis tribunali sancitum est, vt tu solus ignominiis, opprobriis, infamia ac pro- *Ber. ser. de pass.*

broſa morte, noſtra expiare ſcelera, vt è terra iniquitate deleta, è cælo vindictæ loco deſcenderet miſericordia, vt in te vno tanquam in condicto loco iuſtitia & miſericordia ſibi obuiarent, caduceatore nimirum pace interueniente, vt te iuſtitia pro noſtris debitis, in tuo cõrpore ſatisfaciente, in ſuam nos tutelam miſericordia ſuſciperet, pace interueniente, qua æterno fœdere iuſtitia miſericordiæ conciliata deſinat in homines poſt hæc deſæuire; tu enim omnium fons benedictionum, vt ait Leo, omnium es cauſa gratiarum, per quem credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte,] cuius miſericordia iuſtitiæ rigorem temperat, quæ hactenus alteram miſericordiæ lancem in cælum vſque eleuabat, quæ inter Angelos maximè ſplendebat. Hinc miſericordia & veritas, in crucis ara, in qua hoc fœdus inter ſe initum tua morte confirmaturæ ſunt, ſibi obuiabunt, iuſtitia & pax ſeſe oſculabuntur, illa altercatione ſublata, qua hucuſque miſericordia & pax ex vna parte, veritas & iuſtitia ex altera de humanæ redemptionis negotio diſceptabant, vbi [ſe nouum Chriſtus & verum reconciliationis ſacrificium offerens patri (inquit Leo) non in templo, cuius iam erat finita reuerentia, nec intra ſepta ciuitatis ob meritum ſui ſceleris diruendæ, ſed foris & extra caſtra crucifigendus eſt: vt veterum victimarum ceſſante myſterio noua hoſtia nouo imponatur altari, & crux Chriſti non templi ſit ara, ſed mundi] Per tuam igitur mortem breui efficietur, vt præponderet lanx miſericordiæ, ad

Leo ibid.

Leo. ſer. 8. de paſſ.

terras vsque descendens, iuxta pacis conditiones, iustitia in sublime subleuetur: & tunc [mirabilior (vt idem sanctissimus pater ait) erit erga nos misericordia Dei, quod *Ibid.* non pro iustis, neque pro Sanctis, sed pro iniquis & impiis Christus est moriturus: Venit enim in hunc mundum peccatores saluos facere: & cum mortis aculeum recipere non posset natura deïtatis, suscepit tamen nascendo ex nobis, quod posset offerre pro nobis.] Tum demum illud Regij Prophetæ in Christo expletum videbimus vaticinium: [Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit;] tu es enim, ô Christe, illa veritas, de virginea orta terra completæ promissionis, de misericordia hominibus largienda. Quamobrem te per iustitiam in crucis verticem eleuato, altera misericordiæ lanx meritorum pondere pressa, ad terras vsque descendet. [Exaltato igitur dilectissimi (inquit Leo) per crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moysem dictum est: Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifixo Domino præter facinus suum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera iustificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster verò intellectus, quem spiritus veritatis illuminat, gloriam crucis cælo terraque radiantem puro ac libero corde suscipiat, & interiore acie videat, quale sit,

1. *Tim.* 1.

Psal. 84.

Ibid.

Deu. 28.

quod Dominus cum de passionis suæ loquere-
Ioan. 17. tur instantia, dixit: [Venit hora, vt clarificetur filius hominis.] Clarificatio itaque Christi est nostra redemptio. Tunc præ admiratione tantæ charitatis iustitia de cælo prospiciet, lance sua iam quæ hactenus in terram dominabatur, in altum euecta, in cælo in posterum apparebit, præponderante lance scilicet misericordiæ: nam decretum est, pace inter misericordiam & iustitiam inita, vt fiat mors bona, quæ satisfaciat omnibus, & quæ, vt peccatoribus debetur, pessima est, euadat in sanctis pretiosa.

8. Interim Pilatus licet iam ex parte Iudæorum importunitate victus succubuisset, persistere tamen licet flaccide in Christi liberatione videtur [quid vultis ergo faciam Regi Iudæorum? at illi iterum clamauerunt: crucifige eum.] Vide, inquit Theophilactus, sanguinarias Iudæorum mentes, & Pilati modestiam: quamuis etiam ipse condemnationem mereatur, eo quod non strenuè iustum defenderit. Nam illi clamabant, vt crucifigeretur: ille autem, licet mollius, tentabat eripere à condemnatione Iesum: propterea iterum rogat: quid faciam de Iesu qui dicitur Christus, tolle tolle crucifige eum: [recessit, inquit Ambrosius, ab illis veritas, quando dixerunt, tolle tolle, crucifige eum. Tradiderunt enim veritatem, & elegerunt iniquitatem: sola Ecclesia veritatem pio affectu possidet.] ô insani Iudæi, quid fecit vt crucifigeretur qui vestro etiã iudicio omnia benè fecit, surdos audire & mutos loqui, an ergo propterea, quia omnia benè fecit succlamatis, crucifige crucifige? Quam inusitatum hoc in innocentem, & benefactorem vestrum

Marc. 15. Theo. ibid. Pilatus modestior Iudæis.

Amb. ser. 12.

vestrum odium? quam aptè Iob in Christi persona incredibilem hanc vestram perstringit ingratitudinem: [habitum meum horruit vxor mea] Synagoga nimirum, quæ particeps adhuc erat spiritus mei, eademque spiritus societate mecum viuebat, nunc ipsum meum halitum, quasi alienum & fœtore plenum fastidit, & veluti tetrum contaminatumque adeo auersatur, vt etiam ad mei spiritus suspiria gemitus, & singultus vehementer nauseet, & non aliter meam vocem, quam rem sibi abominabilem detestetur: & quia eam aliquando recusabam audire, flagitia suadentem, nunc me iniuriis, molestiis & morte ipsa conficere adoritur. Hinc Gregorius [halitum ergo eius vxor exhorruit: quia Synagoga eum, quem videbat hominem, Deum credere expauit. Cumque ab eius ore verba corporaliter audiret, in eo intelligere diuinitatis arcana recusauit, & creatorem non esse credidit, quem creatum vidit. Carnis ergo halitum carnalis vxor exhorruit, quæ carnalibus sensibus dedita, incarnationis eius mysterium non agnouit] quia noluit. Hinc præ rancore & inuidia sceleratissimo latroni illum postponunt.

Perstringitur synagoga ingratitudo.

Iob. 19.

Greg. l. 14. Mor. c. 21.

9. Stulti quoque (scribæ scilicet, & Pharisæi) despiciebant me] homines flagitiosissimi, quibus nihil magis in votis erat, quam sub simulatæ virtutis larua, virtutem & pietatem, maxime si cum innocentis miseria ac calamitate coniunctam videbant, irridere, & more petulantissimorum conuitiis, & ludibriis quemlibet virtute præditum lacessere: me hodie despiciunt, & vehementi cum fastidio aspernantur ac si aperte dicat: [& ab ipsis (vt ait Gregorius)

Perstringitur Hypocrisis scribarum.

Greg. l. 14. Mor. c. 22.

despectus sum, pro quibus stultus æstimari veritus non sum. Et quia Iudæorum plebs cum miracula nostri redemptoris cerneret, hunc ex signis honorabat, dicens, hic est Christus: cum verò humanitatis eius infirma conspiceret, eum creatorem credere dedignabatur, dicens: non, sed seducit turbas.] de qua calumnia modo apud Pilatum eum accusant, vt præ infamissimo Barabba turpissimæ adiudicetur morti: [Rectè igitur (inquit Gregorius) subiungitur: & cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. Quasi accedebat quippe ad corda populorum Dominus, cum eis miracula demonstraret: & quasi recedebat (vt videre est coram Herode) cum nulla signa ostenderet. Sed recedenti Domino detrahebant, cum à miraculis quiescenti præbere fidem nolebant.] Sed potius confictis criminibus accusabant apud Præsidem, vt clamoribus obrutus, illum crucifigere cogeretur: [hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. [Sed (inquit Gregorius) quid mirum eum perpeti ista à plebibus, cum ipsi quoque, qui legis doctores esse videbantur, qui eum verbis propheticis incarnandū esse perhibebant, & incarnatum viderunt, & ab eo tamen perfidiæ interruptione diuisi sunt.] En quomodo pro beneficiis, pro filiorum à morbis curatione, imo à mortuis resuscitatione, pro sana doctrina, & cælestis vitæ documentis, perfidiam rependant, & illi sceleſtissimum præferant latronem: Et [consiliis suis (ait Gregorius) multos ab eius fide diuiserunt, quamuis prius ad credendum incarnationis eius my-

Luc. 23.

Ibid.

Ibid.

Digitized by Google

sterium per prophetarum verba multos docuisse viderentur.] veniet, veniet dies, in qua vos, ô Iudæi, huius succlamationis, crucifige, crucifige, veniet, veniet, in qua, & vos sacerdotum principes, scribæ, & Pharisæi perfidiæ pœnam luetis, non ab alio quopiam tyranno, quam à vestris sceleribus venundati, & in seruitutem traditi, ob Christo iniurias, & mortem illatam, vestræ cupiditati, & ambitioni seruientes. Iuxta est, qui iustificat Christum, pater nimirum æternus, qui filij sui causam suscipiens, eius innocentiam in crucem breui exaltati, illustribus testabitur signis, vbi terræ machina, vobis minimè commotis, ob eius mortem contremuerit: Ecce (inquit propheta) omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedit eos:] quasi dicat: vos omnes, qui Christum, tanquam sceleris reum morte damnastis, eiusque nomen extinguere, ac penitus abolere, illum postponendo Barabbæ conati estis: Vos inquam, velut vestimenta, aut ligna à tineis comedemini [qui non solum (inquit Gregorius) ad non credendum Christo, sed vsque ad persequendum quoque Dominum secuti estis, & vsque ad passionem illius sæuitiæ facibus accensi.] quemadmodum ergo vestes, & lignum ab eo plerumque exeduntur, & consumuntur, quod ex suis visceribus genuerunt, & nutrierunt, à tineis nimirum, & teredine: sic etiam vos, qui Christum hodie pessimo hominum postponitis, illumque crucis, & mortis reum proclamatis, non tam à vendente, vel prodente Christum, quam à vestris sceleribus consumemini.

Isa. 50.

Greg. ibid.

Greg.l.11. Mor.c.25. Et ſicut [tinea (vt ait Gregorius) damnum facit, & ſonitum non facit: ita iniquorum mentes, quia damna ſua conſiderare negligunt, integritatem quaſi neſcientes perdunt.] ſcelera itaque veſtra, ô Iudæi, lentè, & occulte ad exitium vos trahit. Eo enim calamitatis paulatim adducemini, vt per Romanos armis ſubacti, republica veſtra pereunte, omnibus odio, atque ludibrio habendi ſitis. Peccata igitur veſtra, inuidia præſertim, & in Chriſtum odium, quæ in veſtris viſceribus, tanquam tineas, & teredines alitis, in veſtra rurſus viſcera deſæuient.

Pilati inconſtantia. 10. Sed ô Pilate ad te rurſus conuertor: currebas hactenus benè; quis te impediuit veritati, quam tibi conſcientia dictauit, non obedire? Chriſtum innocentem iamiam palam profeſſus es, inquiens: [Ego nullam inueni in eo cauſam mortis] neque Pilate alicuius etiam vel leuiſſimæ pœnæ, & tamen dicis modo: [Emendatum illum dimittam] ô Iudicis inconſtantiam grauiſſima dignam reprehenſione. *Luc.23.* *Leo.ſer.8. de paſſ.* Hinc Leo: Nec in accuſato eum reperiſſe culpam, nec in ſententia ſua tenuiſſe conſtantiam docet ipſa cognitio: in qua Iudex, quem innocentem pronunciat, damnat, addicens iniquo populo ſanguinem iuſti, à quo abſtinendum ſibi, & intellectui proprio ſenſerat, & ſomnio vxoris nouerat quæ tibi ſalutis cauſa, ſi velis, eſſe poterit, ſalutare etenim ſuggerit tibi conſilium, diſſimilis noſtræ parenti Euæ, quæ mortis marito author extitit. *Aug. ſer. 121.* Hinc Auguſtinus: [In natiuitate mundi vxor ducit virum ad mortem: in paſſione Chriſti *Vxor Pilato bene cõſulit.*

vxor ad salutem. Illic serpentis subtilitas præcipitat; hic terror Angelicus reuocat; vt inde inciperet venia, vnde videntur prorupisse peccata] ô Pilate quam felix, si vxoris acquiescere velis consilio, quæ per Angelum territa, & sibi & tibi consulere optat. Vrget te, vt nihil tibi & iusto illi. Quare si tanta sit Iudæorum importunitas, vt à te iniustam extorquere velint in eum mortis sententiam, potius te iudicis officio abdica, quam prauæ eorum voluntati satisfaciens perperam iudices. Haud dubiè perspicuum fit mihi à Deo visum hoc prodire vt à gentilitatis errore conuersa vetarem te contra Christum ferre sententiam. Nihil tibi igitur & iusto illi: vel si velis iudicis munus retinere, iusti iudicis partes exple, innocentem Christum absolue & insulsos Iudæorum clamores ex inuidia, odio & rancore profectos contemne, vt à Deo iustitiæ præmium accipias.

11. Vides, ô homo, quantas in se, tui causa animi & corporis calamitates Christus suscipiat! vides [quomodo (vt ait Leo) sub oculis ouium, pastoris iusti sanguinem frementium bestiarum rabies expetat! sed Dominus ita vtetur malitia earum, vt de intentione (vt loquitur Leo) facinoris voluntas impleatur miserentis, si autem in exitu Israel de Ægypto, agni sanguis fuit restitutio libertatis, & sacratissima est facta festiuitas, quæ per hostiam pecudis iram auerteret vastatoris: quanta populis Christianis concipienda sunt gaudia, pro quibus omnipotens pater filio suo vnigenito non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, vt in occisione Christi Pascha esset verum, & sin-

Leo ser. de pass. 9.

gulare ſacrificium, quo non ex dominatione Pharaonis vnus populus; ſed ex Diaboli captiuitate totus mundus eruitur.] Hinc te, ô bone Ieſu, vt video, ſcriptura agnum ab origine mundi occiſum appellauit: quia tua nos ignominia, infamia, miſeria, ac demum ſanguine, ab æterna morte eras liberaturus. [Hoc igitur illud eſt (vt ait Leo) ſacramentum, cui ab initio omnia ſunt famulata myſteria. Nunc ſanguis iuſti Abel mortem ſummi paſtoris eloquitur, & in Parricidio Iudæorum Cain interfector fratris agnoſcitur. Nunc diluuium, & Noe Arca manifeſtat, quid ſit renouationis in baptiſmo, & quid ſalutis in ligno. Nunc Abraham gentium pater promiſſos acquirit hæredes, & in ſemine eius non germen carnis, ſed fidei propago benedicitur. Nunc ad prænunciatum feſtis omnibus feſtum, ſacer nouorum menſis enituit, vt in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Chriſtiana creatura principium.] Hanc itaque vocem: [tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam,] non tam Iudæorum, quàm humanæ naturæ vocem eſſe credidetim, te ad mortem depoſcentis, vt ipſamet inſtar Barabbæ, tot latrociniis infamis, tot criminibus obnoxia, per æterni patris decretum, ab æterna morte vendicetur, te in crucem acto, vt morte tua noſtram deſtruas. Barabbas ergo humana, inquam, natura, homicidij, latrocinij, furtique rea inclamat ad hos ſicarios, atque adeo ad Pilatum, vt dimiſſo Barabba, ſe ipſa nimirum, tu morti ipſi debitæ addicaris. Hoc eſt illud graue iurgium ab æterno, in-

Leo. ibid.

Vox naturæ humanæ: tolle hunc &c.

Digitized by Google

ter misericordiam, & iustitiam : misericordia vtique naturæ fauens humanæ semper ingeminabat : [tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam :] tolle è medio Christum & humanam nobis dimitte naturam, licet æterna morte dignam : iustitia verò Barabbam mortis reum ad crucem deposcebat, naturam scilicet humanam, multis obstrictam sceleribus, Christo Dei agno innocentissimo à probrosa crucis morte vendicato. Sed vicit vox naturæ iustitiæ rigorem ; vicit misericordia iustitiam.

De inconstantia Pilati.

CAPVT XLVIII.

1. ANtequam eò dementiæ progrediaris, iniique Iudex, vt insanientis populi minis perterritus, non tantum flagellis cæsum dimittas Dei filium, sed in eum etiam ignominiosæ mortis sententiam feras ; discute diligentius, quid de Domini Iesu operibus, per totum terrarum Iudæorum tractum, notum sit, illisque in memoriam reuoca, qui Christi sanguinem sitiunt, vt si forte, tantis commemoratis à Christo in illos aliquando collatis beneficiis, tibi non modo mortis sententiam, quam intendunt, mutare, sed illæsum omnino dimittere persuadeant. [Dis-

Perstringitur Pilati inconstantia.

Leo ser. 10. de pass.

cute igitur (vt monet magnus Leo) diligentius Præſes, quid de Domini Ieſu operibus notum ſit, quid de poteſtate compertum. Cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis donauit eloquium: febres abegit, dolores reſoluit, dæmonia eiecit, mortuos viuificauit, mari & ventis, vt quieſcerent, imperauit. *Matth. 8.* Magnum prorſus Regem iſta demonſtrant, qui non humana excellit potentia, ſed virtute diuina. Hanc ergo Iudæi obijciant poteſtatem, commutent actionem ſuam, & hoc proferant ore, quod tenent corde] hæc illis, Pilate, præſtitit, & fateri poſſunt, ſi vellent. [Quare ergo de terrenis calumniantur, qui cæleſtia perſequuntur?] Cur tibi inſultant, quia innocentis partes tuendas ſuſcepiſti? noli, noli eorum calumniis, in Chriſtum eiaculatis, ſuccumbere; noli indomita eorum pectora manſuefacere, Chriſtum flagis ſubdendo, attentare, qui neque honeſtatis, neque conſcientiæ, neque beneficiorum rationem habent, mortifero Diaboli incenſi in Chriſtum odio, quo ita occæcati ſunt, vt nihil à diaboli dictamine flectere velint, ſed omni arte illius *Ioan. 8.* exemplo innocentem opprimere [Ille enim *Leo. ſer. 6. de paſſ.* mendax eſt (vt ait Leo) ab initio, & in ſola viget arte fallendi, vt humanam ignorantiam falſæ ſcientiæ oſtentatione decipiat, ſitque eorum nunc malignus impulſor, quorum poſt futurus eſt improbus accuſator.] Probe noſti Iudex, ex malitia, rancore & odio contra Chriſtum illos procedere diaboli parentis ſui imitatores, fratrum accuſatoris, neque teſtimonio illius innocentiæ, per te, & Herodem

dato, permotos, à peruersa animi sui designatione abstinere. Hinc [parricidialis odij furore (ait Leo) concepto, ad vnum opus vacant, & in vnum facinus simili crudelitate coniurant.] *Leo. ser. 7. de pass.*

2. Rectè quidem interrogasti Pilate, quid mali fecit, cui nota fuit eius innocentia: imo vel ipso populo teste, omnia eum bene feciſſe, audiuisti, qui tamen hodie à Principibus Sacerdotum, solicitatus omnia illum male feciſſe, vna voce conclamant. Hinc aiunt [tolle hunc]; ô insana plebs! plus nimio mobilis & inconstans, quid boni non fecit hic vobis, qui verum totumque hominem, vt loquitur Leo, vestri gratia assumpsit, veros & corporis sensus, & animi susceptit affectus. Nec quia omnia in illo plena erant Sacramentis, plena miraculis, ideo aut falsis lacrymis fleuit, aut mendaci esurie sumpsit cibum, aut simulato sopore dormiuit.] Sed verè hæc omnia pro salute vestra fecit. Porro vt idem addit [in nostra humilitate contemptus, in nostra mœstitudine contristatus, in nostro est dolore crucifixus. Passionem enim mortalitatis nostræ ob hoc misericordia subijt, vt sanaret: ob hoc virtus recepit vt vinceret.] Quid ergo populo huic boni non fecit? & ob tanta in eum collata beneficia succlamat omnia male fecit. Audis hoc Pilate, & tamen consentiens prauæ voluntati eorum, emendatum dixisti illum dimittam! qua lege? qua consuetudine? qua conscientia innocentem vis castigare! O Pilate Pilate! cur huiusmodi plebis furori succumbis? non est mihi, inquis, animus, vt innocentem è medio tollam, sed vt Iudæorum satisfaciam voluntati flagellatum dimittam. O inconstans Iudex! flagellatum dimittes, qui fla- *Leo. ser. 7. de pass.*

Digitized by Google

gellationi cauſam non dedit, quem tua ipſius ſententia ab omni crimine abſoluiſti: & iam mutata voluntate innocentem quaſi nocentem flagellis ac Iudæorum crudelitati tradis! Vbi eſt illa conſtantia in iudicibus requiſita? vbi inuictum pectoris robur? ſiccine furioſæ plebis clamores tuam expugnant conſtantiam? ſiccine Sacerdotum, Principum, Scribarum & Phariſæorum vultus extimeſcis? emendatum illum dimittes, in quo nullam emendationis cauſam reperiſti? deſine mihi obijcere te hoc facere, vt eorum in Chriſtum rabiem nonnihil mitiges; quandoquidem probè ſcias illos non ex amore iuſtitiæ, aut religionis, ſed ex mero animi rancore contra
Ibid. Chriſtum agere. [prouidentibus ergo, vt ait Leo, Principibus, ne in die feſto tumultus oriretur: non deuotioni, ſed facinori ſtudebatur, nec religioni ſeruiebat hæc cura, ſed crimini, diligentes enim Pontifices, & ſoliciti Sacerdotes, ſeditiones turbarum fieri in præcipua ſolemnitate metuebant: non vt populus non peccaret, ſed ne Chriſtus euaderet,] quam malitioſa hæc hypocriſis! ſuam rabioſam nunquam reſtinguere poterant ſitim, neque flagellis, neque ſpinis, neque clauis, ſed tantummodo ſanguine illius quem ad mortem non ad flagella quæſierunt. [Quid aſſecuturi ſupplicio innocentiæ, condemnatione iuſtitiæ, inquit Leo, niſi vt & noua myſteria non apprehenderent, & antiqua violarent?] O crudeles Iudæi! ô Iudicis inconſtantia! quos [malignis cogitationibus dæmon obligarat, iam ipſo impietatis opere poſſidet.] Iudæi enim Chriſtum ad necem expetunt, & iudex emendatum à ſe dimittere cupit.

Digitized by Google

3. O Pilate! tu iudex cum ſis vinci ob improborum inuidiam, & odium te permittes, cum iam tertiò tua te cogente conſcientia illis reſponderis, quid mali fecit iſte? tuo igitur te ore condemnas, ſi eorum velis crudelitati cedere, & innocentem vel virgis cæſum dimittere, cum liber ſit dimittendus, in quo nullam caſtigationis cauſam inueniſti. [Quid profuit tibi hactenus teſtimonium perhibuiſſe de Chriſti innocentia, & iam tradere criminoſum? ipſe enim iniquitatis teſtis es, qui ore abſoluis, & ore condemnas. Nullam inquis cauſam inueni in homine iſto, ex his, in quibus eum accuſatis.] Ecce quomodo ore eum abſoluis! & ſtatim ſubdis: [emendatum illum dimittam] quem nulli obnoxium crimini fateris: ecce quomodo eodem eum ore condemnas? nihil mali fecit iſte, flagris tamen cæſum dimittam. Verè quamuis nihil mali fecerit, omnia tamen pœnæ mala in ſuo corpore, noſtri gratia, perſoluenda ſuſcepit. [Quaſi victor (inquit Ambroſius) infirmitatum, non infirmitatibus victus, pro nobis non pro ſe dolebat, & infirmatus eſt, non propter ſua, ſed propter noſtra peccata, vt nos ſuo liuore ſanaret.] Et ſubdit; [ſuſcepit ergo peccata noſtra, vt portaret: ſuſcepit etiam, vt purgaret. Quod portat igitur, ad remiſſionem pertinet: quod purgat, ad correctionem.] Non ſolum igitur flagellis illum modo ſubde, ô Pilate! ſed crucifige etiam eum, crucifige; etſi nihil mali commiſerit, omnia tamen noſtra in ſua cute pœnarum debita perſoluet. hinc, vt ait Leo, [diuino intelligimus diſpoſitum fuiſſe conſilio, vt ſacrilegi Iudæorum Principes, & impij Sacerdotes, qui ſæuiendi in Chriſtum occaſiones ſæpè

Pilati mollities carpitur.

Aug. ſer. 118 de Temp.

Ambroſ. in Pſal. 61.

Leo ſerm. 7. de paſſ.

quæsiuerant, non nisi in solemnitate Paschali, exercendi furoris sui acciperent potestatem. Oportebat enim, vt manifesto implerentur affectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio: vt quem significatiuam ouis vera remoueret, & in vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum.] ad hoc crucifigendus est Christus, & sicuti scriptum est: [qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.] Christus igitur ab omni peccato immunis, factus est peccatum, hoc est hostia pro peccato à Deo pro nobis, ve nos quasi victimæ peculiares illud æterna morte, & igne persolueremus. Factus est itaque Christus sic pro nobis peccatum, quia instar peccatoris pœnas, peccatis nostris debitas persoluit, vt nos per eius merita iustificaremur. [Nam omnia illa, inquit Leo, quæ de immolatione agni diuinitus per Mosen fuerant præstituta, Christum prophetarant, & Christi occisionem propriè nunciarant. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur.] Quare merito vna conclamandum nobis voce: Crucifige crucifige; non tamen ex inuidia aut rancore, sed vt cito pertranseat passionis calix quem ex patris decreto bibiturus est, vt sic cessantibus nostri sacrificij vmbris veritatis præsentia gaudeamus, cuius vberrimus gratiæ fructus & gloriæ in nos deriuandus est.

2. Cor. 5.

Ibid.

4. Crucifige ergo crucifige eum, noli Pilare contentus esse paucis flagellorum ictibus, sed

ſupra dorſum eius fabricent peccatores, illud ſibi velut incudem ſupponant, & adeo vehementer, iterata flagellatione, verberent (non ſecus ac fabricatores aſſidue ferrum incudi applicatum malleis contundunt) prolongent iniquitatem ſuam, vt ex tot verberibus ſalutare ſanguinis poculum in electos propinetur. Nec ſolum ſupra dorſum eius fabricent, ſed potius arent diligenter, vt illud tanquam tellus frugifera, flagellis, & verberibus proſciſſum, & aratum in vniuerſam Eccleſiam gratiæ ſementem faciat. Arent igitur peccatores ſuper Chriſti dorſum, & meritorum nobis ſegetem parent. Nam dum Chriſti dorſum arant, non modo meritorum copiam, ſed pulcherrimas etiam gloriæ coronas nobis fabricant. Prolongent iniquitatem ſuam, ſulcos inducant ſuos altius in Chriſti dorſo, imo in toto eius corpore, flagellis, ſpinoſis virgis, & ferreis catenis [vt à planta pedis, vſque ad verticem capitis non ſit in eo ſanitas.] Extendant ergo iniquitatem ſuam, ſulcum ſulco addant, donec totius corporis Chriſti ager in ſulcos diuiſus, electis omnibus gratiarum ſementem faciat: vt ſic Chriſtus fortitudo, ſanitas, & lætitia noſtra ſit, à quo ſi deficere, cum Iudæis, incipiamus, languidi & triſtes efficiemur: [ſicut enim modica (inquit Origenes) aquæ gutta multo vino infuſa, à ſe tota deficit, vinique colorem, & ſaporem inducit, ferrum candens priſtina propriaque forma exuitur, & igni ſimillimum efficitur; ſolis radio aer perfuſus in eandem transformatur luminis claritatem: ſpeculum radiis ſolaribus directè irradiatum ſolis in ſe recipit ſimilitudinẽ, idque putares alterum

Pilatus inſtigatur ad Chriſti flagellationem.

Iſa. 1.

Cyp. vel potius. Orige. l. de ſingulac. cleric.

quæsiuerant, non nisi in solemnitate Paschali, exercendi furoris sui acciperent potestatem. Oportebat enim, vt manifesto implerentur affectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio: vt ouem significatiuam ouis vera remoueret, & in vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum.] ad hoc crucifigendus est Christus,
2. Cor. 5. & sicuti scriptum est: [qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.] Christus igitur ab omni peccato immunis, factus est peccatum, hoc est hostia pro peccato à Deo pro nobis, ne nos quasi victimæ peculiares illud æterna morte, & igne persolueremus. Factus est itaque Christus sic pro nobis peccatum, quia instar peccatoris pœnas, peccatis nostris debitas persoluit, vt nos per eius
Ibid. merita iustificaremur. [Nam omnia illa, inquit Leo, quæ de immolatione agni diuinitus per Mosen fuerant præstituta, Christum prophetarant, & Christi occisionem propriè nunciarant. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur.] Quare merito vna conclamandum nobis voce: Crucifige crucifige; non tamen ex inuidia aut rancore, sed vt cito pertranseat passionis calix quem ex patris decreto bibiturus est, vt sic cessantibus nostri sacrificij vmbris veritatis præsentia gaudeamus, cuius vberrimus gratiæ fructus & gloriæ in nos deriuandus est.

4. Crucifige ergo crucifige eum, noli Pilate contentus esse paucis flagellorum ictibus, sed

ſupra dorſum eius fabricent peccatores, illud ſibi velut incudem ſupponant, & adeo vehementer, iterata flagellatione, verberent (non ſecus ac fabricatores aſſidue ferrum incudi applicatum malleis contundunt) prolongent iniquitatem ſuam, vt ex tot verberibus ſalutare ſanguinis poculum in electos propinetur. Nec ſolum ſupra dorſum eius fabricent, ſed potius arent diligenter, vt illud tanquam tellus frugifera, flagellis, & verberibus proſciſſum, & aratum in vniuerſam Eccleſiam gratiæ ſementem faciat. Arent igitur peccatores ſuper Chriſti dorſum, & meritorum nobis ſegetem parent. Nam dum Chriſti dorſum arant, non modo meritorum copiam, ſed pulcherrimas etiam gloriæ coronas nobis fabricant. Prolongent iniquitatem ſuam, ſulcos inducant ſuos altius in Chriſti dorſo, imo in toto eius corpore, flagellis, ſpinoſis virgis, & ferreis catenis [vt à planta pedis, vſque ad verticem capitis non ſit in eo ſanitas.] Extendant ergo iniquitatem ſuam, ſulcum ſulco addant, donec totius corporis Chriſti ager in ſulcos diuiſus, electis omnibus gratiarum ſementem faciat: vt ſic Chriſtus fortitudo, ſanitas, & lætitia noſtra ſit, à quo ſi deficere, cum Iudæis, incipiamus, languidi & triſtes efficiemur: [ſicut enim modica (inquit Origenes) aquæ gutta multo vino infuſa, à ſe tota deficit, vinique colorem, & ſaporem inducit, ferrum candens priſtina propriaque forma exuitur, & igni ſimillimum efficitur; ſolis radio aer perfuſus in eandem transformatur luminis claritatem: ſpeculum radiis ſolaribus directè irradiatum ſolis in ſe recipit ſimilitudinẽ, idque putares alterum

Pilatus inſtigatur ad Chriſti flagellationem.

Iſa. 1.

Cyp. vel potius. Orige. l. de ſingula. cleric.

Digitized by Google

esse solem: ita & sancti in intimis suis (Passionis Dominicæ participes) totaliter Dei charitate penetrantur, sicque Deiformes effecti in Dei similitudinem transformantur.] Fructu enim diuinæ sementis in electos transfuso, ita Christo vniuntur, vt vnum cum eo per amoris & charitatis vinculum efficiantur. Arent itaque peccatores non sibi sed nobis, fructiferam illam Dominici corporis terram verberum vomeribus & ferrearum catenarum aratro, vt gratia nos & gloria locupletent.

5. Neque contẽtus sis, Pilate, hac in Christi dorso aratione, sed corporis eius botrum in pertica suspende, vt inde sanguinis haustus ebibere nobis liceat. Crucifige ergo, crucifige, quamuis nullam mortis causam in eo inuenias; sicut peccator igitur factus est pro nobis, sic eadem ratione maledictus fiat: [Maledictus enim omnis qui pẽdet in ligno.] [Maledictus (inquit Ambrosius) quia nostra maledicta suscepit, sed in seruilis formæ assumptione, non in Dei maiestate, vt dum ille nostræ fragilitatis se præberet in carne consortem, nos in virtute sua diuinæ faceret consortes naturæ.] Crucifige ergo eum, cum nos mortis causam, dissimilem quidem illi, quam rabida plebs Christo iniuriosè impegit, inuenimus. Inuenimus, inquam, admirandum charitatis excessum, incredibilem amoris in nos vehementiam, inflammatum salutis nostræ desiderium. Inuenimus mortis eius causam; ab æterno, viso Adę peccato, decretum esse à patre ob singularem in nos amorem, vt eius vnigenitus nostri gratiâ irrisiones, sputa, verbera, iniquam mortis sententiã, opprobria, spinas, clauos, atque adeo ignominiosam

Deu. 21. Amb. l. 5. de fid. c. 6.

Causa Christi mortis nimia in nos eius & patris charitas.

crucis mortem ſubiret Inuenimus porro patris vnigenitum hoc decretũ ab æterno lubenti animo ſuſcepiſſe [In capite, inquit, libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei] hoc eſt caput & ſumma omnium ſcripturarum ea eſt, vt faciam voluntatem tuam, quæ eſt vt ego pro humani generis ſalute vitam ſanguinemq; profundam [Scriptum eſt (inquit Ambroſius) non ſolum in capite, ſed in omni legis complexione venturum hominem ad conſeruandum hominum genus, qui omnia vellet, quæ Deus vellet. Vnde etiã ad ſacrificium paſſionis voluntarius acceſſit, meritoque prædixit: voluntariè ſacrificabo tibi.] Huc pertinet etiã illud Iſaiæ: [Et voluntas Domini in manu eius dirigetur] hoc eſt (inquit noſter Viegas) voluntas patris de humani generis redẽptione per eum cumulatiſſimè implebitur. Quod verò ad crucem eum impellat charitas clarum eſt [Propter nimiam (inquit Apoſtolus) charitatem qua dilexit nos Deus, miſit filium ſuum, vt cum eſſemus mortui peccatis conuiuificaret nos in Chriſto, cuius gratia ſaluati ſumus, & conreſuſcitaret, & conſedere facere in cæleſtibus cum Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.] Dines ergo Dominus qui omnia creauit: ſed multo magis dines miſericordia (inquit Ambroſius) qui omnes redemit, & nos ſecundum carnis naturam iræ filios & morti obnoxios mutauit; quaſi author naturæ, vt ſimus filij pacis & charitatis.] Ecce igitur Pilate noſtræ ſalutis neceſſitas Chriſti nos amor patris-

Pſal. 39.

Amb. commen. in Pſal. 39.

Pſal. 53.

Epheſ. 2.

Ambr. l. 5. Epiſ. epiſt. ad Irenæum.

que decretum ex infinita charitate profectũ, vt filius Dei pro nobis mortuus in cælum nos eueheret & sedere in cælestibus faceret, & sibi consedere Christi mortis causa, & tu tamen nullam in eo inuenis causam.

Diuersimode de nos è Iudæi Christi mortem expetimus.

6. Perfidi Iudæi multas confingunt causas, ac proinde pro sua libidine, vt crucifigatur, vrgent: sed aliter nos, vt minimum sua morte ab æternæ mortis supplicio genus vendicet humanum: illi, vt vitæ auctorem morti tradant liberato à morte illo qui ex viuis mortuos facit: Crucifige crucifige inclamant. O quam recte impiam hanc vestram vocem frementis Leonis rugitui B. Cyrillus comparat, iuxta illud prophetæ [facta est mihi hæreditas mea, id est Synagoga, quasi Leo in silua: dedit contra me vocem suam. Fertur Leo, cum aliquod animal capere vult, mirabilem solere rugitum edere, quo animalia, quæ propinqua sunt perterrita cadunt: quasi Leo in silua Synagoga aduersus Saluatorem facta est. Nam quamuis nullo ille timore perculsus sit, clamoribus tamen suis Christum Synagoga interficit: aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens. Audiamus, inquit Augustinus, rugitum ipsorum in Euangelio: Crucifige crucifige: crucifige Christum, & Barrabam dona libertate quam crudeles furentium leonum in hominem innocentem rugitus, quibus sensim ô Pilate succumbis. O barbara plebs! ô iniquitas iudicis! sentient vestri posteri tam iniquæ electionis vltionem: sentiet & iudex, qui hodie vestræ annuit petitioni, suæ iniquitatis pœnam cuius iniustitia, & in suum, & in capita etiam vestra retorquebitur: sentient idque breui filij vestri

Cyrill. in Ioan. Hiere. 12.

Psal. 21. August. in Psal. 21.

veſtri in ſeditioſos homicidas & latrones incidentes, qui eos ob hanc iniquæ petitionis impetrationem exquiſitis afficient ſupplicijs, diruta penitus vrbe & inteſtina ſeditione vaſtata, iudice, qui huic infami veſtræ petitioni annuit, peſſima mulctato morte. Imo ipſi vos & filij veſtri mutuis vulneribus extrema vobis parietis ſupplicia, vbi Titus & Veſpaſianus Imperatores diuino impulſi conſilio ad ſubruendam acceſſerint Hieruſalem, quod ſeditioſi & homicidæ poſtpoſuerint mundi Saluatorem latroni peſſimo. hinc Ioſephus [non quidem ait recuſabo dicere, quæ dolor iubet; puto enim ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ deuorandam eſſe ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulgura & Sodomitana incendia paſſuram: multo enim magis impiam progeniem tulit quam illa pertulerat] & tu Pilate, iniquæ eorum petitioni ſatisfaciens, dimiſiſti Barabbam hominum interfectorem & Ieſum mundi Saluatorem flagellis primo ſubijcis, quem poſtea in crucem agendum præ humano timore iudicabis. [tradidit, inquit Leo, Ieſum perſequentium voluntati, Barabba illis latrone dimiſſo, vt qui in die feſto auctorem interficiebant vitæ, impunitas eis præſtaretur homicidæ.]

Ioſeph. l. 6. de bel. Iud. cap. 28.

Leo ſer. 10 de paſſ.

7. Cur impie Iudex in veritatis throno reſidens, ius cuique ſuum non tribuis, filio Dei immunitatem & honorem; perfidis Iudæis flagella & crucem crebris vocibus ex inuidia & rancore acclamantibus, Crucifige crucifige. Sed hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum, voluntati veſtræ innocens traditur. Ite igitur lictores, rapite innocentem, omnibus eum exuite veſtibus, nu-

dum ad columnam ligatis manibus ac pedibus applicate : ferreas expedite virgas , omnem in eo explete crudelitatem , dorſum eius , imo totum corpus flagellis & ſtylis ferreis conſcribite: non remaneat in eius corpore vlla ſanitas ! qua lege ô impie iudex ? quo iure , qua conſuetudine , ſic innocentem flagellari iubes , vt inſanientis plebeculæ furori , & ſacerdotum ac ſcribarum odio ſatisfacias ! vbi vnquam in lege ſcriptum reperiſti , legem pedibus calcandam , iudicium peruertendum , innocentem condemnandum vt populo placeres ? nonne potius in lege reperis , [iuſtum & innocentem non interficies ? & tu cum Iudex ſis , & legum interpres , cur verba legis , & legiſlatoris ſenſum euertis ? ſed quid cum impio & inconſtanti iudice diſputo ? perge perge cum Iudæis , ô Pilate , Chriſtum ad crucis tormentum dira flagellatione præparare : omnia adhibe extrema , ſi vis magis populo placere , ſed ſcias Chriſti patientiam per vos omnes à diabolo ſubornatos minimè defatigandam. Qui enim hactenus indigna à te & cæteris tuæ impudentiæ ſociis noſtri cauſa æquo tulit animo , hanc etiam flagellationis crudelitatem , eadem de cauſa lubens ſuſcipiet. Ille enim [tanto noſtri ardet , calet , exæſtuat , anhelat affectu , vt dicat , baptiſmo habeo baptizari , vt nimirum ſuo baptizatus in ſanguine quicquid ex noſtra carne , inquit Chryſologus , ſuſcepit , diluatur , renouetur , & totam ſuæ diuinæ maieſtatis redigatur in formam. Baptizabitur itaque Chriſtus ſuæ baptiſmate paſſionis , qui totius peccatum mundi lauabit , quod non niſi ab eo , qui mundum fe-

Inuectiua in Pilati inconſtantiã.

Chryſ. 164.

cerat, poterit aboleri.] Quando igitur Christo nocere putatis, mundo pretiosi sanguinis balneum præparatis, quo omnes filiorum Adæ sordes elui possunt.

Inuitamur ad flagellationis spectaculum.

8. Ad vos, ô Christiani, iam tandem conuertor, qui hactenus animæ vestræ sponsum variè derisum, turpiter conspurum, indignè vellicatum, inhumaniter verberatum, cum intimo animi affectu consideraſtis: nunc maximè attendite, & videte quomodo ad sanguinolenta deueniat vulnera. Nam statim cernetis sanguinem non guttatim, sicut in horto, sed magno ex omni corporis parte, impetu, in terram decurrentem, quo nobis infinitam charitatem, amoris signa haud dubia, ardensque nostræ salutis desiderium clarè ostendat. [distendit (inquit Chrysologus) membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, vt patrem se tantæ obsecrationis demonstret affectu. Rogat itaque Deus per misericordiam, ne vindicet per rigorem,] qui nostri causa, non modo flagellationem, sed mortem etiam subiturus est [audi rogantem: tota die, inquit, expandi manus meas,] vt vos susciperem, & vobis sanguinis mei pretium applicarem. [Nonne (inquit Chrysologus) qui expandit manus ipso habitu rogat? expandi manus meas: ad quem? ad populum, & ad quem populum? non tantum non credentem; sed contradicentem:] obsecro vos per misericordiam Dei ne tales simus populi, qui minimè Christo patienti credunt, nec tales, qui eius iussui contradicamus, quo-

Chrys. ser. 108.

Esa. 65. Chrysibid.

rum cauſa, diris afficitur ſuppliciis. [Audi (ſubdit Chryſologus) & aliter rogantem Deum: popule meus quid feci tibi, aut quid contriſtaui te? nonne dicit? ſi diuinitas ignota eſt, vel caro ſit nota. Videte, videte in me corpus veſtrum, membra veſtra, veſtra viſcera, oſſa veſtra, veſtrum ſanguinem. Et ſi quod Dei eſt timetis, quare vel quod veſtrum eſt, non amatis? ſi Dominum fugitis, quare non recurritis ad parentem? ſed fortè vos paſſionis meæ, quam feciſtis, magnitudo confundit.] Nolite timere, ego vos in clientelam meam ſuſcipiam, modo ſanguinis mei collyrium animi oculis applicare velitis: obſecro itaque vos ne cum Iudæis me perſequimini, quorum gratia, flagellis tondar, & ad crucis patibulum euehar, in quo amoris mei viſcera aperiam, vt hac inuſitata amoris ſignificatione intelligatis, quid vos mihi in poſterum præſtare debeatis.

Miche. 6.

9. Inſtituit quidem nefarius hic iudex ignominioſam hanc flagellationem fieri, vt execrandam Iudæorum rabiem, viſo Chriſti corpore tot plagis conciſo, aliquantum mitigaret, & ne ad crucis ſuſpendium amplius illum expoſtularent, quod expreſſis verbis indicat Leo. [Quod ergo Pilatus implacabilis, inquit, populi victus inſania, multis Ieſum dehoneſtari ludibriis & immodicis vexari permiſit iniuriis, quodq; eum flagellis cæſum, ſpinis coronatum, & amictu irriſoriæ veſtis, indutum perſequentium oſtentauit aſpectui: mitigandos proculdubio inimicorum manibus exiſtimauit, vt exſaturatis inuidiæ odiis non vltra iam crederent perſequen-

Leo ſer. 8. de paſſ. Cauſæ flagellationis.

dum, quem tot modis intuebantur afflictum] Verum tantum abeſt, vt viſo eius ſanguine flagellorum ictibus largiter effuſo manſueſcant, vt potius inſtar elephantum, qui ex aſpectu ſanguinis magis in iras exardeſcunt; ſic illi magis in Chriſtum efferati, eius ſolo ſanguine ſatiandi ſint. Quod ſuſpicans Pilatus, & in furore perſeueraturos ratus, hunc atrocem flagellationis cruciatum tanquam præludium vere luctuoſum, crucifixioni præmiſit. Lege enim apud Romanos ſancitum fuit, vt crucifigendi prius flagellis quam ſuſpendio afficerentur, vera autem ratio occulto Dei iudicio cur cæleſtis pater hoc permiſerit, vt opinor, eſt vt in primis totius corporis ſui vulneribus nos totos, qui peccati morbo toti languebamus, ſanaret; deinde vt nos totos ſibi vendicaret qui ſe totum, noſtri cauſa, flagellis ſubderet. Denique vt illi charitatis viſcera aperiremus, qui ſua nobis viſcera flagellis detecturus erat.

De Dominicæ flagellationis præludijs.

CAPVT XLIX.

Inuitamur ad commiſerationem.

VIdeamus modo, quam crudeliter hoc flagellationis opus aggrediuntur; vt ſi aliqua in nobis reſideat pietatis ſcintilla, ſi aliquis commiſerationis ſenſus, ſi aliquis in Chriſtum pius animi affectus in nobis ſit ſeſe efferat, viſo tam lamentabili ſpectaculo. Adeſte igitur animis, & hanc admirandam contemplemini

rum cauſa, diris afficitur ſuppliciis. [Audi (ſubdit Chryſologus) & aliter rogantem Deum: popule meus quid feci tibi, aut quid contriſtaui te? nonne dicit? ſi diuinitas ignota eſt, vel caro ſit nota. Videte, videte in me corpus veſtrum, membra veſtra, veſtra viſcera, oſſa veſtra, veſtrum ſanguinem. Et ſi quod Dei eſt timetis, quare vel quod veſtrum eſt, non amatis? ſi Dominum fugitis, quare non recurritis ad parentem? ſed fortè vos paſſionis meæ, quam feciſtis, magnitudo confundit.] Nolite timere, ego vos in clientelam meam ſuſcipiam, modo ſanguinis mei collyrium animi oculis applicare velitis: obſecro itaque vos ne cum Iudæis me perſequimini, quorum gratia, flagellis tondar, & ad crucis patibulum euehar, in quo amoris mei viſcera aperiam, vt hac inuſitata amoris ſignificatione intelligatis, quid vos mihi in poſterum præſtare debeatis.

Michæ. 6.

9. Inſtituit quidem nefarius hic iudex ignominioſam hanc flagellationem fieri, vt execrandam Iudæorum rabiem, viſo Chriſti corpore tot plagis conciſo, aliquantum mitigaret, & ne ad crucis ſuſpendium amplius illum expoſtularent, quod expreſſis verbis indicat Leo. [Quod ergo Pilatus implacabilis, inquit, populi victus inſania, multis Ieſum dehoneſtari ludibriis & immodicis vexari permiſit iniuriis, quodq; eum flagellis cæſum, ſpinis coronatum, & amictu irriſoriæ veſtis, indutum perſequentium oſtentauit aſpectui: mitigandos proculdubio inimicorum manibus exiſtimauit, vt exſaturatis inuidiæ odiis non vltra iam crederent perſequen-

Leo. ſer. 8. de paſſ. Cauſa flagellationis.

Digitized by Google

dum, quem tot modis intuebantur afflictum] Verum tantum abeſt, vt viſo eius ſanguine flagellorum ictibus largiter effuſo manſueſcant, vt potius inſtar elephantum, qui ex aſpectu ſanguinis magis in iras exardeſcunt; ſic illi magis in Chriſtum efferati, eius ſolo ſanguine ſatiandi ſint. Quod ſuſpicans Pilatus, & in furore perſeueraturos ratus, hunc atrocem flagellationis cruciatum tanquam præludium vere luctuoſum, crucifixioni præmiſit. Lege enim apud Romanos ſancitum fuit, vt crucifigendi prius flagellis quam ſuſpendio afficerentur, vera autem ratio occulto Dei iudicio cur cæleſtis pater hoc permiſerit, vt opinor, eſt vt in primis totius corporis ſui vulneribus nos totos, qui peccati morbo toti languebamus, ſanaret; deinde vt nos totos ſibi vendicaret qui ſe totum, noſtri cauſa, flagellis ſubderet. Denique vt illi charitatis viſcera aperiremus, qui ſua nobis viſcera flagellis detecturus erat.

De Dominicæ flagellationis præludijs.

CAPVT XLIX.

Inuitamur ad commiſerationem.

IN Videamus modo, quam crudeliter hoc flagellationis opus aggrediuntur; vt ſi aliqua in nobis reſideat pietatis ſcintilla, ſi aliquis commiſerationis ſenſus, ſi aliquis in Chriſtum pius animi affectus in nobis ſic ſeſe efferat, viſo tam lamentabili ſpectaculo. Adeſte igitur animis, & hanc admirandam contemplemini

excarnificationem. Ecce milites [quasi omnes (inquit Chrysostomus) ex composito conuenissent, ita signo dato ad choream omnes diabolus concitabat. Nam etsi possumus inuidiæ tabo existimare ad insaniam Iudæos concitatos fuisse, tamen qua de causa moti milites fuerint, non patet. Diabolus igitur erat qui vniuersos tunc illos occupauit : voluptatem etenim ex contumeliis propter immanitatem suam capiebant.] hinc Christum animæ nostræ sponsum insani milites tanquam è vilissimis mancipiis vilissimum sponte abeuntem inhumaniter pertrahunt,& veluti flagitiosissimum latronum antesignanum ad columnam rapiunt , qui Iudæorum maiores olim in columna nubis per diem , & in columna ignis per noctem quadraginta annis illuminans in deserto protexit, eorumque hostes fudit fugauitque [deduxit eos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei , & in luce stellarum per noctem.] videte quomodo sponsum animæ vestræ suis exuant vestimentis , qui lilia etiam agri sic quotidie vestit , vt nec Salomon in gloria sua sic vnquam vestitus fuerit ! cernite quomodo neglectim humi projciantur , quorum fimbriæ vel semel tactæ sanguinis fluxum cohibere poterant! videte, vel clausis potius oculis , vos humi præ verecundia prosternite ? ecce enim stat in conspectu omnium nudus Iesus ignominiis, irrisionibus & contumeliis oneratus. Ad hoc spectaculum nos sponsus inuitat, significans contumeliis & persecutione oportere eum sequi [profecto, inquit Bernardus, vt eam nimirum sponsam attolerantium animaret, cui

Chry.ho.88. in cap. 27. Mat.

Sap.10. Luc. 12.

nouerat opus esse, si vellet pie viuere persecutionem pati, inuitatus ad thalamum inuitauit ad campum: & subdit, semper & illa appetit quietem, & ille incitat ad laborem, denuncians ei, quod per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.] & paulo post [illa ergo monstrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat] vt suo exemplo pro se pati illa disceret qui pro ipsa cum tanta ignominia nudus ad columnam trahitur. Hinc Bernardus [nec putat cælestis sponsus quidquam persuasibilius fore illi ad ineundum certamen, quam si se ipsum certantis, aut exemplum proponat, aut præmium] dicamus ergo in hac sponsa ad patiendum cum Christo excitati quod ipsa statim subdidit: [vtrumque es mihi Domine Iesu, & speculum patiendi & præmium patientis] vel vt paulo ante dixerat [pugnantis forma, & gloria triumphantis. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ: tu caput meum post victoriam, tuæ coronas præsentia maiestatis: siue quia pugnantem te specto: siue quia te expecto non solum coronantem, sed etiam coronam: in vtroque mirabiliter tibi me allicis, vterque funis vehementissimas ad trahendum.] quo loco vult, vt ne auidior deuota mens ad societatem regni, quam ad societatem crucis prouocetur. Nudi igitur nudum nobis hodie Christum expositum ad columnam & inde ad crucem sequamur.

Ber. ser. 47. in Cant.

Ber. ibid.

Ibid.

2. O amantissime animarũ sponse, qui suades no-

Apoc. 3. bis emere à te aurũ ignitũ charitatis, vt ocupletes fiamus, & veſtimentis albis virtutum induamur, vt non appareat confuſio nuditatis noſtræ : cur modo tua te in nos charitas adeo veſtimentis ſpoliat, vt nudus coram impudentibus totus appareas, donec induas non veſtes aliquas albas, ſed ſordidas, tuo intinctas cruore, nimirum vt nos ab æterna confuſione liberans diuites efficias, orneſque albis virtutum veſtimentis nuditatem noſtram. Miratæ ſunt ſupremæ illæ virtutes hanc tuam ineffabilem in nos charitatem, neſcientes quid hac in re dicerent : ſed mutuis

Iſa. 63. interrogationibus, quid hoc ſibi velit, conſulunt, [quis, aiunt, eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra ? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ !] ecce quomodo alioquin perſpicaciſſimi rerum, tam naturalium, quam ſupernaturalium indagatores in tanta Dominicæ erga nos charitatis demonſtratione hæreant ! [Dignum (inquit

Dionyſius Areo. de cæleſt. Hierar. cap. 7. Dionyſius) miraculum eſt, cur primæ illæ virtutes angelicæ, quæ cæteras diuinarum intelligentias rerum tanto celſitudinis honore tranſcendunt ; quaſi non ſummæ, ſed mediæ ſint, à Deo mediatè, & reuerenter diſcere cupiant. Non enim ad ipſum ſtatim verba dirigunt interrogantes : quare rubra ſunt veſtimenta tua ? ſed prius inter ſe hærentes inquirunt : quis eſt iſte qui venit de Edon ? vt oſtendant quidem ſe diſcendi auidas, & diuini operis ſcientiam cupere : verum hanc ſibi nequaquam ante diuinæ illuſtrationis gratiam ſuo ordine procedentis vſurpare præſumere.] Viderunt omnium rerum

Dominum suo aspersum sanguine, ex quo tandem intellexerunt fuisse sanguinem qui effusus est (vt ait Bernardus) tam multum & efficacem ad ignoscendum, vt ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est, vt effunderetur, deleret.] Quidni ergo & ipsi Angeli tam stupendam non modo erga innocentes, sed erga etiam occisores suos misericordiam admirati, [quid enim potest patientius (vt ait Cyprianus) quid benignius dici ? viuificatur Christi sanguine, etiam qui effudit sanguinem Christi] cuius rei euidentissimum argumentum est restituta in horto Prædoni Malcho auricula: [demonstrans (inquit Ambrosius) & ipsos, si conuertantur, posse sanari: qui in passione Domini vulnerati sunt: eo quod omne peccatum fidei mysteriis abluatur.] ô infinita filij Dei in homines charitas! ô inusitata commutatio! ille nostram suis vestibus confusionis nuditatem tegit, nostra ipse confusione quasi veste tectus? quid retribuemus tantæ charitati? [si toti nos debemus pro nobis factis, quid addemus iam pro refectis, & refectis hoc modo ? nec enim tam facile refecti, quam facti. Nam qui nos semel & tantum dicendo fecit, in reficiendo certè & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna, in primo opere nos nobis dedit, in secundo, se, & vbi se dedit, nos nobis reddidit. Dati ergo & redditi, nos pro nobis debemus, & bis debemus. Quid Deo retribuemus pro se? nam & si nos millies rependere possemus, quid sumus nos ad Deum?]

Ber. epis. 190.

Cyp. l. de bono patient.

Amb. in Luc. 22.

Ber. de diligen. Deo.

Quanta filius Dei nudus in columna verecundia afficitur.

3. En filius Dei funibus alligatur columnæ, in cuius conspectu cæli columnæ contremiscunt!

ô Angeli, qui huic indigno adestis spectaculo, tam insignem Deo vestro iniuriam à Diaboli mancipijs irrogatam, non perhorrescitis? ecce Deus vester nudus columnæ applicatur, cuius amictus præfulgens diuinitatis splendor, & non erubescitis? modo opportunum foret, præ quadam verecundia simul ac reuerentia vultum vestrum alis tegere, ne tantum Deo illatum dedecus contemplari cogamini: cur non saltem virgineum eius corpus nudum inuerecundis expositum inferni incolis, qui aliquando nudata virginum corpora, pro ludibrio omnium oculis exposita, Agnetis nimirum & Barbaræ, grandi miraculo cælesti lumine ita contegitis, vt impudicorum aspectibus illa subtracturi sitis? cur non saltem inferris nouam tenebricosis militibus lucem, qua insolita luminis claritate hostes perculsi ita obstupescant vt Christi corpus nudatum non videant? Christi igitur imperatoris vestri verecundiæ obsecro consulite, virgineum illius corpus, vestrarum alarum lumine impiorum aspectui subtrahite. Si enim Adam & Eua peccato iam commisso suam cernentes nuditatem adeo erubuerint, vt foliis sese ficus induerint: quanto affectum pudore putatis filium Dei, cum sese in conspectu nefariorum militum prorsus denudatum videat, cum hoc virgineæ eius verecundiæ penitus repugnet [vbi est, inquit Ambrosius de Adamo latebras quærente agens, vbi est inquam tua bene sibi conscia confidentia? timor iste culpam fatetur, latebra præuaricationem. Vbi es ergo? non in quo loco quæro, sed in quo statu, quò te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem ante

Amb. l. de para. c. 14.

quærebas ?] quis fur vel latro te omnibus tuis gratiarum veſtimentis ſpolians, in tantam miſeriam redegit? vnde nuditatis ſenſus, vnde confuſio hæc tibi contigit ? cur fugis ? cur erubeſcis? cur lates ? cur paues ? quia omni gratiarum veſte ſpoliatus coram te Domine nudus comparere erubeſco. Si itaque ob vnum peccatum merito Adam omni præſertim gratia priuatus coram Deo ſic erubuerit vt latibula quæreret, quanto affectum pudore Chriſtum exiſtimabimus, qui coram tanta ſcurrarum multitudine nudus peccatorum omnium peſſimus cenſetur.

4. Tanta ſanè perfunditur verecundia vt non immerito in perſona eius Regius vates olim prædixerit : [tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me.] Ergo, inquit Ambroſius, hæc verecundia habet in ſe confuſionem. Quæ autem confuſio Chriſti, niſi columna & crux, quod nudus in vna ligatus & in altera ſuſpenſus eſt ? & benè tota die : quia ex quo affixus eſt cruci, vſque in horam nonam tenebræ factæ ſunt : & poſt horam nonam lux refulſit vſque in veſperum?] & paulo poſt ſubdit : [quæ autem eſt confuſio, quæ operit Dominum Ieſum ; cum confuſionem peccata faciant ? ipſa ſunt enim, quæ operiunt peccatorem. Hic autem peccatum non fecit. Sed quemadmodum eſt confuſio adducens peccatum ; ita eſt confuſio quæ peccatum abolet : vt confuſio nuditatis in columna & cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quam peccata mundantur.] Et poſtea, bona ergo confuſio. Pleriſque tamen huiuſmodi

Pſalm. 43.

Amb. in pſal. 43.

Matth 27.

confusio Christi amara est, hoc est, non credentibus, iucunda credentibus] Verè ergo non potest non suffundi Christus hic nudus coram omnibus, qui ruborem ac verecundiam nostris debitam peccatis in se suscepit, induens quodammodo personam adulteræ coram viro : proditoris coram Domino, infidelis filij coram patre benigno : & tanquam talis à Iudæis modo tractatur & confusio facici cooperuit eum, adeo vt pudore suffusus, & tanquam velo oculis prætenso non audeat illos aut circumducere, aut in cælum attollere, sed deiectos ac depressos in terram coniicere, præferens peccatoris in se imaginem. Si inusitato rubore castissima Susanna de adulterio accusata coram notis, & ignotis, perfusa fuerit, quam ingenti putatis agnum Dei innocentissimum pudore obrui, tot calumniis, fictis criminationibus, tot ignominiis, & opprobriis immerito per inuidiam, rancorem & odium oppressum ? cur ergo tantæ eius verecundiæ, ô Angeli, non consulitis ? consultum est pudori Susannæ, eius verecundia ac dedecus in summum honorem ac gloriam conuersa sunt, & nullus vestrum omnium creatoris verecundiæ consulit, aut eius nuditatem suis alis festinat ! ô inusitata filij Dei derelictio! succurritur creaturæ & deseritur creator !

Ad Christi nuditatem tegendam cæli sol luna inuitantur.

5. Quare cum nullus eius nuditatem cooperire velit, ad cælos me conuerto. ô igitur cæli, vestros oculos, solem, inquam, & lunam in sanguineas soluite lacrymas, vt lumine penitus extincto, in densis tenebris diluuium, præ commiseratione Creatoris vestri simul ac tortorum vltione efficiatis, quo tenebris obruti, absor-

beantur, antequam ſanguinolentum huiuſmodi tenebrarum opus, per truculentas è tartaro excitas furias patratum veſtris oculis, ſole nimirum & luna, quæ nunquam hactenus tam horrendum ſpectaculum conſpexerunt, videre cogamini! ô tartara, quæ exquiſitiſſima fouetis tormenta, tenebricoſis reſeruata dæmonibus, obſcurarum volumina flammarum euomite, quibus implicati hi tortores ad vos, vnde emerſerunt, præcipites ruant! ſed quoniam manſuetiſſimus agnus vos in vindictam adhuc armari contra huiuſmodi inſenſatos non permittit, ſed potius in ſe illos armari, donec redemptionis humanæ opus perficiat, patitur; vos ſaltem cæli obſtupeſcite, clauſiſque oculis, ſole ſcilicet & luna, córam Creatore iam nudo & columnæ alligato, portæ veſtræ deſolentur, filiumque Dei diuinis illis brachiis, quibus vaſtam cælorum ſuſtinet molem, diſtractis, & duris finibus tumores efficientibus ad columnam conſtrictis nudo palpitantẽ pectore, vel tenebris obuoluite oculis veſtris ſole & luna per denſam nubem veluti palpebras obductis, vel ſubducta palpebrarum nube oculorum veſtrorum ſplendoribus veluti cæleſti amictu vos induite, vt ſic quomodocunque eius aſpectus impiis ſubtrahatur tortoribus. Ecce quomodo altum colat ſilentium. [Quid igitur? mutos nos eſſe oportet? minime. Eſt enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Denique ſi pro otioſo verbo reddemus rationem; videamus, ne reddamus, & pro otioſo ſilentio.] Sed quid? ipſe qui patitur ſingulari patientiæ exemplo, ſilentium nobis imponit, re ipſa dicens: maledicent illi, & tu benedices,

Amb. l. 1. offi c. 3.

Pſalm. 118.

Digitized by Google

quasi hominum maledictionibus & iniuriis diuinæ benedictiones comparentur, & qui illas patiuntur, has assequantur. Hinc scitè Ambrosius, non potest, ait, maledicto moueri, qui maledicta hominum diuinæ munere benedictionis excludit.] Tacet ergo Christus, vt nos doceat malum bono compensare. Vnde nec cælis ipsis permittit in vindictam sui causa assurgere.

Amb. ser. 6. in ps. 118.

6. Heu incassum ergo à vobis, ô cæli, auxilium imploro, vnum tamen, ô sol & luna, à vobis impetratum cupio, cum vobis hanc Creatoris vestri ignominiam vindicare non liceat; neque vos adhuc obscura nube tegere, exoriri saltem ne dedignemini, & condensatis radiis verecundissimum Creatoris vestri corpus amicire, aut certè, ô verecunde sol, præ creatoris tui verecundia ab eius conspectu ad aliud hemisphærium recede, & tu luna tanquam indiuidua solis comes, tuum sequere illuminatorem, vt nostro hic hemisphærio vestra absentia tenebris obducto, ipsis etiam tenebris veluti amictu virgineum Christi corpus ab impudentium oculis abscondatur. [Erubescat luna, & confundatur sol, cernens (inquit Hieronymus) homines, qui suo fruebantur lumine nihil dignum Dei bonitate feciſſe, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos.] Erubescant & astra omnia quod luceant impiis prædonibus, qui huiusmodi luce abutuntur ad indigna & nefanda in Christum perpetranda scelera, quibus terram, aërem, & cælum inficiunt & contaminant. Si

Hiero. in illud Isa. 24

aſtra, quomodo ergo tandem aliquando erubeſcent & confundentur ipſi Chriſti torto-res? Sed quid ago? nihil tui cauſa in præſentiarum, bone Ieſu, ſolatij tibi conceditur, neque cæli, neque ſol, neque luna, neque tartara ipſa meas audiunt querelas! Quare tandem aliquando ad vos, ô animæ ſanctæ, me conuerto, veſtros igitur expandite ſinus, & munda conſcientiæ ſyndone corpus ſponſi veſtri, vnigeniti patris filij, tegite. Perrumpite inimicorum aciem, & proiicite vos animosè ſuper dulciſſimi Ieſu corpus, vt eius ſaltem prius verbera corpore excipiatis veſtro, quam ſponſi veſtri, patris æterni filij, corpus attingant.

Obijcit ſe Chriſtus patris iræ, quam nos commeruimus.

7. Et vt ad hoc Chriſti obſequium præſtandum incitemini, conſiderate, quomodo ſeſe iam patris ſui iræ obijciat, vt verbera, & vulnera peccatis noſtris debita, in ſe excipiat. Quemadmodum enim pia mater ſuum videns dilectiſſimum filium à patre eius crudeliter flagellari, flagellis ſe ac ictibus exponens in filium irruit, brachiiſque ſuis illum complectitur, vt eum à tanta patris ſubducat ſeueritate: ſic Chriſtus cum tot in nos flagella ab irato patre intenta videat, ſeſe flagellis exponit, noſque, extenſis ad columnam brachiis, à tot flagellorum ictibus defendens, ad patrem acclamat: [Ego feci, ego feram, ego portabo.] Ego feci! quid, ô manſuetiſſime agne, feciſti? feci, vt debita peccatis veſtris flagella in me

Iſa. 46.

conuerteret pater. Feci, vt mea ſatisfactio pro omnibus Adæ poſteris exhibita, paternam placaret iram; feci, vt vos filiorum Dei amiſſum per peccatum recuperetis titulum. Ego igitur feram omnia in vos flagella à patre intentata; ego feram hanc ignominioſam flagellationis infamiam; ego feram hanc nuditatis confuſionem; ego feram tot plagas, quot ad menſuram totius mundi peccatorum explendam requiruntur; ego portabo omnia mundi ſcelera ſupra dorſum meum, vt flagella illis debita in meo ſuſcipiam corpore; ego portabo pungentium ſpinarum coronam, vt à vobis peccatorum aculeos eximam, ego portabo in humeris meis ponderoſam crucis arborem, in qua, pro veſtris ſceleribus ignominioſè ſuſpendar; ego portabo vos, quaſi nutricius filios, in brachiis meis; ego ſaluabo, quod feci. Hæc omnia materno affectu faciam. [Mater enim ſum, mater infanti ſuo iraſci nequit] & ſicuti huiuſmodi puerorum ineptiis magis accenditur matris erga illos amor: ſic meum creſcit deſiderium humani generis per mea tormenta redimendi multiplicatis licet mortalium ſceleribus: & ſi quis me, vel tacitè arguat, dicam tanquam mater [neſcis quid ſit eſſe matrem, Maternum cor quale, & quantum ſit ignoras, matris affectum, quantus ſit nemo ſcit niſi expertus, niſi quæ fuit vel eſt mater:] cum ergo matris vices ſubeam qui vos genui ab infantia, vt ait ſeruus meus Hieronymus, & meo vtero vuluaque geſtaui, ipſe vſque ad ſenectam protegam. Quæ mater vnquam filij ſui imaginem candeniti ferro in manu ſua expreſſit, ego tamen in manibus meis deſcripſi te. Cum ergo

ita

ita sit Domine, noli mei vnquam obliuiſci [ecce in manibus tuis deſcripſiſti me, lege ipſam ſcripturam & ſalua me. En ad te ſuſpiro creaturâ tua; creator es, recrea me, en ad te clamo factura tua: vita es, viuifica me, en ad te reſpicio tuum plaſma: plaſmator es, reſtaura me] tua infiniti meriti paſſione. *Aug. in ſoliloq. c. 2.*

§. Sed Domine non alius tibi nos redimendi modus occurrit, niſi tot te ſubijciendo flagellis, & crucem ſubeundam ignominioſa. Potuiſti, non dubito, multis aliis modis nos redimere: voluiſti tamen, vt ſicuti noſtra redemptio ratione tuæ cæleſtis naturæ infiniti eſt pretij, ita ratione etiam humanæ eſſe maxime copioſa: copioſa enim apud te redemptio.] vt ſic & nobis peccati grauitatem oſtenderes, cui abolendo maximas tolerare pœnas voluiſti, & infinitum ſimul in nos amorem cõprobares, te ipſum, noſtri cauſa, tam crudeli ſubijciens torturæ. Probè enim nouiſti nos, ſi leui dolore, ac pœna redimeremur, peccata nullius eſſe grauitatis exiſtimaturos; vnde ſeruus tuus Cyprianus: [etſi, inquit, ſine hoc holocauſto poterat Deus tantum condonaſſe peccatum, noluit tamen, ne facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrænibus, quæ etiam Chriſti vix cohibent paſſiones, quæ vix ſceleratos animos à voluptatum face euellunt.] licet itaque ſtupenda hæc fuerit, pro peccatis noſtris, ſatisfactio, alia tamen conuenientior ratio inueniri non potuit, quæ & Dei iuſtitiam, filium ſuum noſtri gratia, tormentis ac morti ſubijcientis, eiuſque miſericordiam, ac incredibilem in nos amorem, per filij ſui paſſionem, nos ab æternis inferni incendiis liberantis, oſtenderet. *Quãta moles humanæ redemptio.* *Cyp. tract. de paſſione.*

Digitized by Google

conuerteret pater. Feci, vt mea ſatisfactio pro omnibus Adæ poſteris exhibita, paternam placaret iram; feci, vt vos filiorum Dei amiſſum per peccatum recuperetis titulum. Ego igitur feram omnia in vos flagella à patre intentata; ego feram hanc ignominioſam flagellationis infamiam; ego feram hanc nuditatis confuſionem; ego feram tot plagas, quot ad menſuram totius mundi peccatorum explendam requiruntur; ego portabo omnia mundi ſcelera ſupra dorſum meum, vt flagella illis debita in meo ſuſcipiam corpore; ego portabo pungentium ſpinarum coronam, vt à vobis peccatorum aculeos eximam, ego portabo in humeris meis ponderoſam crucis arborem, in qua, pro veſtris ſceleribus ignominioſè ſuſpendar; ego portabo vos, quaſi nutricius filios, in brachiis meis; ego ſaluabo, quod feci. Hæc omnia materno affectu faciam. [Mater enim ſum, mater infanti ſuo iraſci nequit] & ſicuti huiuſmodi puerorum ineptiis magis accenditur matris erga illos amor: ſic meum creſcit deſiderium humani generis per mea tormenta redimendi multiplicatis licet mortalium ſceleribus: & ſi quis me, vel tacitè arguat, dicam tanquam mater [neſcis quid ſit eſſe matrem, Maternum cor quale, & quantum ſit ignoras, matris affectum, quantus ſit nemo ſcit niſi expertus, niſi quæ fuit vel eſt mater:] cum ergo matris vices ſubeam qui vos genui ab infantia, vt ait ſeruus meus Hieronymus, & meo vtero vuluaque geſtaui, ipſe vſque ad ſenectam protegam. Quæ mater vnquam filij ſui imaginem candenti ferro in manu ſua expreſſit, ego tamen in manibus meis deſcripſi te. Cum ergo

ita

ita sit Domine, noli mei vnquam obliuisci [ecce in manibus tuis descripsisti me, lege ipsam scripturam & salua me. En ad te suspiro creatura tua; creator es, recrea me, en ad te clamo factura tua: vita es, viuifica me, en ad te respicio tuum plasma: plasmator es, restaura me] tua infiniti meriti passione.

Aug. in soliloq. c. 2.

§. Sed Domine non alius tibi nos redimendi modus occurrit, nisi tot te subijciendo flagellis, & crucem subeundam ignominiosa. Potuisti, non dubito, multis aliis modis nos redimere: voluisti tamen, vt sicuti nostra redemptio ratione tuæ cælestis naturæ infiniti est pretij, ita ratione etiam humanæ esse maxime copiosa: copiosa enim apud te redemptio.] vt sic & nobis peccati grauitatem ostenderes, cui abolendo maximas tolerare pœnas voluisti, & infinitum simul in nos amorem cõprobares, te ipsum, nostri causa, tam crudeli subijciens torturæ. Probè enim nouisti nos, si leui dolore, ac pœna redimeremur, peccata nullius esse grauitatis existimaturos; vnde seruus tuus Cyprianus: [etsi, inquit, sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonasse peccatum, noluit tamen, ne facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrænibus, quæ etiam Christi vix cohibent passiones, quæ vix sceleratos animos à voluptatum face euellunt.] licet itaque stupenda hæc fuerit, pro peccatis nostris, satisfactio, alia tamen conuenientior ratio inueniri non potuit, quæ & Dei iustitiam, filium suum nostri gratia, tormentis ac morti subijcientis, eiusque misericordiam, ac incredibilem in nos amorem, per filij sui passionem, nos ab æternis inferni incendiis liberantis, ostenderet.

Quãta mollis humanã redemptio.

Cyp. tractat de passione.

Vnde Augustinus: [eos inquit, qui dicunt: Itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miseria mortalitatis huius, vt vnigenitum filium suum sibi coæternum, hominem fieri vellet, mortalemque factum, mortem perpeti? Parum est sic refellere, vt istum modum, quo nos liberare dignatur, asseramus bonum, & diuinæ congruum dignitati; verum etiam ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent. Sed sanandæ nostræ miseriæ conuenientiorem modum alium non fuisse, nec esse potuisse.] cui illud B. Cypriani optimè concinit: [vulneri, inquit, tam putrido, & antiquarum cicatricum fœtori non inueniebatur medicamentum conueniens, nisi vnguento sanguinis Christi; plaga vetus liniretur, & malagmate carnis in cruce extensæ exsiccarentur venena, quæ calcaneo primi hominis, & omni posteritati eius serpens infuderat.

Aug. l. 13. de Trini. c. 10.

Cypri. vbi supra.

Eze. 8. Grauitas peccatorum per figuram proponitur.

9. Præcepit Deus Ezechieli parietem fodere, & cum fodisset parietem apparuit ostium vnum, & dixit ad eum Deus: ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidit, & ecce omnis similitudo reptilium animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete, & in circuitu per totum] Quam altum hic latet mysterium! vt videret propheta omnes populi abominationes, præcepit Deus, vt foderet parietem. Quis, obsecro, si mystice loqui velimus, paries iste perforandus? nonne Christi corpus, intra quod, velut intra parietem tota sese diuinitas continet? Paries vero iste

Digitized by Google

flagellis perforandus, & vulneribus concidendus, per quæ introrsum, tanquam per ostia si perspicere velit peccator, peccatorum suorum grauitatem facile intelliget [En ipse stat post parietem nostrum] Verbum scilicet diuinum carnis pariete inclusum stat nos inuitans, vt per Christi vulnera introspiciamus abominationes nostras [Benè (inquit Bernardus) stat Christus post hunc parietem: quia solus reuera in carne stetit, qui carnis peccatum non sensit.] Hinc parietem hunc Christi carnem verberum vulneribus perforari permittit pater, vt sic liceat nobis contemplari, quam grauia sint peccata, quibus abolendis oportuit Christi carnem varie perforari: quare iuxta hunc parietem flagellorum ictibus contundendum stantes aperturas eius sedulo dispiciamus. Hic vniuersæ domus Israel visuntur idola, intelligitur, inquàm, quam graue sit & abominabile sibi creaturas, pro Deo, constituere, illisque cultum, affectum & honorem Deo debitum exhibere. Vniuersa idola depicta erant in pariete, & nostræ abominationes in circuitu per totum. Hic nostra [auaritia feruet, alienarum opum violentus ereptor: similem lupi dixeris. Hic ferox atque inquietus linguam litigiis exercet; cani comparabis. Hic insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet; vulpeculis exæquetur. Hic iræ intemperans fremit: leonis animum gestare credatur. Hic pauidus ac fugax non metuenda formidat: cerui similis habeatur. Hic segnis ac stupidus torpet: asinum viuit. Hic leuis atque inconstans

Cant. 2.

Ber. ser. 56.

Boetius. l. 4. prosa. 3.

ſtudia permittat: nihil ab auibus differt. Hic fœdis immundiſque libidinibus immergitur: hic ſordida ſuis voluptate detinetur. Ita hominem probitate deſerta verti in belluam hic videbis, in Chriſti corporis pariete depictum, omniaque eius flagitia ferreo ſtylo exarata cernes, idque in circuitu per totum, vbi depicto liuoribus & vulneribus dorſo, verberibus ſacratiſſimum Chriſti ventrem tibi obuerti perſpexeris. In circuitu per totum: [Nam à planta pedis vſque ad verticem capitis non erat in eo ſanitas.] Quis huic picturæ adhibẽdus color? pretioſiſſimus filij Dei ſanguis. Qui pictores? barbari ac crudeliſſimi tortores. Quib penicillis vtentur? virgis aculeatis, nodoſis flagellis, & ferreis catenis. Quis igitur intra hunc parietem & extra videre non poterit abominationes ſuas earumque grauitatem cognoſcere, modo velit perſonæ dignitatem, quæ infinita eſt, conſiderare, tormenta quæ patitur animaduertere, & cuius gratia ea toleret, ſerio ſecum contemplari: ſecundæ ſiquidem Trinitatis perſonæ caro hic noſtris abominationibus veluti pictura depingitur, tormentaquæ patitur in eius carne pœnes omnes noſtris debitas peccatis inſcribunt, quæ declarant quam execrabilia, quam grauia, quam abominabilia ſint hominum ſcelera, quorum cauſa Chriſtus modo tortorum flagellis ſubiiciendus eſt, vt ipſe noſtris inſcriptus vulneribus, ab æternis nos vendicet flagris. O infinita filij Dei in nos charitas! ô ingens peccati grauitas! ô incredibilis peccatorum ingratitudo! qui tot flagella etiamnum congerunt ad Chriſti carnem lacerandam, quot peccata committunt.

Iſa. 1.

Nihil profuit Pilato manus la-

10. Quare Pilatus, cum nihil proficeret, ſed

magis tumultus fieret, accepta aqua, tanquam iniquitatis ſuæ pallio, lauit manus coram populo: quaſi hac ratione ſuam indicaret innocentiam, neque ſe velle in Chriſtum deſæuire, ſed potius ad id Iudæorum rabie compulſum, qui nullo innocentis cruciatu aut contumeliis contenti, niſi etiam crucifigeretur. [Manus (inquit Euthymius) aqua purgauit, oſtendens, quod purus eſſet, & non particeps cædis; quare lotis manibus ait: [Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.] ô Pilate, Pilate, ſiccine in innocentem commiſſum crimen eluis? tantum ſcelus perfide Iudex aqua non diluitur, ſed ſententiæ retractatione, & ſeria mentis pœnitudine. [Non purgant Pilate contaminatum iniuſtitiâ animum, & innocentis cæde manus lotæ, neque iudicij iniquitatem tegunt, nec in aſperſis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur. Exceſſit quidem tuam, Pilate, culpam facinus Iudæorum, qui te territum & inuidioſis vocibus increpatum ad effectum tanti ſceleris impulerunt. Sed nec ipſe propterea, Pilate, euaſiſti reatum, qui cooperatus ſeditioſis, reliquiſti iudicium proprium & in crimen transiſti alienum.] Manus quidem lauas, ſed cor tuum lauare non poteris, manes igitur ſcelere pollutus, quamuis manus tuas millies aquæ infuſione laues. Quare ſi à tanto flagitio immunis eſſe velis, ſicuti aqua manus lauas, laua etiam & conſcientiam pœnitentiæ lacrymis, vt quod impij Iudæi præ execratione ſibi imprecantur acclamantes: [Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros,] ſuper te ipſum & tuã poſteritatem, non in vindictam, ſed potius in peccatorum ablutionem deſcendere experiaris.

uiſſe, cuius mens criminis reafuit.

Euthy. in pſal. 25.

Leo. ſer. 8. de paſſ.

11. Interim reclamant Iudæi Pilato: [Sanguis eius super nos, & super filios nostros.] Crudelis, exclamat B Maximus, sub tali sententia impietas Iudæorum, quæ facinore suo non solum præsentes liberos damnat, sed etiam non natos occidit. Quantos enim hac voce ad conscientiam facinoris vocant, quos scientia criminis non tenebat. Crudelis, inquam, impietas, quę posteros ante in reatum vocat, quam producit in lucem, vt prius futuris contingeret peccare, quam viuere. Cruenti planè genitores, qui ante parricidæ facti sunt, quam parentes: & ante eos socios suis sceleribus assumpserunt, quos vtrum sanguinis participes possent habere, nescirent. Non igitur mirandum est, si in Saluatorem tam crudeles fuerunt, qui extiterunt in suos posteros tam crudeles.] ô voces inhumanas [sanguis eius super nos & super filios nostros!] ô desperationem perfidæ gentis! Quod ratione nequis, & iustitia obtinere, vocibus detestabilibus conaris extorquere, [vt quod criminando (inquit Beda) & quasi ratiocinando nequiuit, postulando, & vociferando perficiat.] ô perfidiam gentis rabidissimæ non modo in Christum, sed in se ipsos prolemque nondum natam inhumanissimæ [sanguis eius ingeminantis super nos & super filios nostros. O cruēti, exclamat hic Hieronymus, parentes, patres scelerati, genitores infidelissimi, quid peccaui in te, populę nequam, proles nondum concepta, vt prius obligares ad mortem, quam gigneres ad vitam: prius interficeres, quam ad esse qualecunque propagares: prius tuis peccatis inuolueres, quam naturam in qua peccare posset, ministrares] verè sanguis eius super

Maxi. ho. 3. paſcha.

Hiero. in Matt.

vos & filios veſtros : non in remedium ſalutis quam à vobis proſcripſiſtis, ſed in tanti ſceleris vindictam : quæ enim natio Iudæorum miſerior omnibus exoſa & per terrarum orbem ſine rege ſine duce, ſine domo, ſine templo vaga; pro tanto enim redemptionis vobis oblatæ huiuſmodi Domino retributionem rependitis, vt cum Saluiano loquar, vt in quantum vos beneficiis ſuis ille ad ſe illexerat, in tantum vos ab eo recederetis, ſanguinem vtique Dei ſitibundi ſuper vos, & ſuper liberos veſtros poſtulatis, pro quo potius ſanguinem & vitam veſtram fundere deberetis.] Et Chryſoſtomus [quam benè inquit furor cæcus, quam digno præcipitio iactaris in inſaniam, quę nam excæcatio eſt pertinaciſſimæ mentis, ſic velle alium perdere, vt prior malis ipſa perire ? ſub alieno exitio, tuos impia iugulas, & in tuam ſobolem parricidalem vibras dextram. Ecce currit per tui generis proſapiam, nunquam expiandi vena facinoris, & cum crimine radicis ſuæ pullulant iniqua plantaria. Egreditur ex metallo veteri ſui tam cruenta progenies, & infecta ſanguine naſcitur infauſta poſteritas. En quæ bona ad hæredes tuos quodam ſacrilegij teſtamento tranſmittis! Macula ſanguinis innocentis te perfundis, & poſteros perimis: pertinaciter quidem in mortem noſtri redemptoris inſiſtis, ſed crudeliter tuos natos mucrone impietatis extinguis. Quære iam cui poſſis videri non noxa, quæ erga filios tuos extitiſti pertinax parricida.]

Salui. l. 7. de prouid.

Chry ho 3. de prodit. & cæna.

Tradidit Pilatus Iesum flagellis cæsum vt crucifigeretur. Mar. 15.

CAPVT L.

1. DImisso Iudæis Barabba, primam contra Christum sententiam Pilatus tulit, vt nimirum flagellaretur. Verè omnes conuenerunt in vnum aduersus Christum agnum mansuetissimum, qui, vt loquitur Isaias [de angustia & de iudicio sublatus est:] quasi dicat (vt exponit B. Hieronymus) [Christus iudex omnium, iudicij sui non reperit veritatem, sed absque vlla culpa seditione Iudæorum, & Pilati voce damnatus est.] Iussit itaque per inimicorum manus illum verberibus cædi, & horrendè excarnificari, vt visa tam inusitata excarnificatione mitigati ad necem illum minimè expeterent. [Mollicie, inquit Chrysostomus, factum est Pilati & vt cæderet, & flagellis cæsum concederet. Itaque mollis hic eneruisque fuit, pontifices autem proterui atque malitiosi. Nam postquam ille cogitando legem adinuenit quandam, quæ solemnitati ex condemnatis aliquem condemnare iubebat, turbis persuaserunt, vt Barabbam vna omnes peterent voce.] Data igitur hac flagellationis sententia rapiunt auidissimè innocentissimum Dei agnum, ad supplicij locum tanquam peccatorum pessimum, in quem proindè illud Regij vatis quodammodo quadrat [multa flagella peccatoris, sperantem

Isa. 53.
Hiero. in illud Isa.
Chry. ho. 87. in c. 26. Mat.
Psalm. 31.

autem in Domino misericordia circundabit] Christus instar peccatoris qui spem suam terrenis rebus fixam habet, flagellis subditur, & quasi iniustus seuera iustitiæ censura mulctatur, adeo vt illud Prophetæ potius inuertendum sit, multa flagella sperantis in Domino, circumdabit autem misericordia peccatorem. Quis obsecro Christo iustior, cuius tota spes in patre defigitur, flagellis tamen statim circũdabitur; aderit proinde misericordia, & peccatorem circundabit liberum à diuina ira, & flagellis misericordia circundabit, iusto multis affecto flagris: [non ergo ira, vt ait Bernardus, continebit misericordiam, sed misericordia iram: cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.] peccatoris itaque recordaberis ad misericordiam, & vnigeniti tui ad iustitiam, vt ipse peccatoris personam induat, vt omnia peccatori debita flagella in suo corpore suscipiat.

Bern. serm. 10 in Cant.

Ber. in Ps. 76.

2. Sed interim paulisper, ô Christiani, velut ante oculos nostros modo flagella illa parari, ignominiosam illam crucem fabricari, crudeles illos clauos sub incude gemere, funes illos confici, spineam coronam compingi, lanceam aptari consideremus, audiamus, & prostrati cum Christo in terra ploremus, pectora identidem pugnis, genas lacrymis, cælum precibus fatigemus, & vna voce ad patrem conuersi conclamemus [quæ iustitia, ô pater, exigit, vt Dominus flagelletur pro seruo, innocens pro reo, omnipotens pro vermiculo? parce mihi Domine: nam de tua iustitia nisi blasphemando nequeo explicare quod sentio, excessisti factis, excedam verbis; excessisti omnes iustitiæ metas, & dum nimium videri vis

Thom. de Villa noua. Valent. Epis. ser. 3. de Nati. Domi.

iustus, plus iusto factus es iustus: imo si dicere auderem, præ nimia hac iustitia, nisi quia Deus es, dicerem quod appareres iniustus.] ô iustitiæ in filium Dei abyssum! ô misericordiæ abyssum in peccatorem, qui [non solum, vt ait Bernardus, non compatitur huic Domino, tanta sui causa patienti: sed perinde ac si nihil aliud quam maleficiis, & iniuriis ab eo fuisset affectus, in eum crudelis exardescit, ipsoque spectante peccare non erubescit.] O patientiæ, & benignitatis in Christo abyssum! ô ingratitudinis & crudelitatis in peccatore abyssum! ô Christiani! si vel minima in nostro pectore commiserationis resideat stilla demissis humi vultibus lacrymis subiectam nobis terram semper irrigemus donec Saluatorem nostrum à flagellatione concisum, & veluti semimortuum ægrè assurgentem, quocunque ierit comitemur: statim enim ac sicarij hi hanc flagellationis sententiam in Christum dari audierunt, omnes certatim eius necis instrumenta parauerunt, vt tormentis & verberibus fatigatum, in crucem tandem agerent, quo præter eorum opinionem copiosior esset nostra redemptio, non per aurum aut argentum, sed per immaculati agni sanguinem [bonum (inquit Ambrosius) aurum sanguis Christi, dives ad pretium, profluus ad lauandum omne peccatum.]

Ber. ser. de Nati. Dom.

Ber. ser. de pass.

Deplorat peccator Christi vices.

3. Sed bone Iesu, quò raperis? ad flagellationis columnam? [Abyssus verè abyssum inuocat] hinc Bernardus: [ô bone Iesu, mori nos debuimus, & tu soluis: nos peccauimus, & tu luis: opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.] ecquæ sunt hæ inusitatæ patris adinuentiones, vt filium suum vnigenitũ flagris cædi permittat, vt

me ab æternis vendicet verberibus? Ego sum ille latro, qui instar Heliodori Dei templum, animum nimirum meam, sapientiæ sedem, gratiæ ornamentis expilaui. Ego sum prædo, ille improbus Antiochi imitator, qui sacra charitatis vasa, & virtutum thesauros surripui, & tu tamen mei latrocinij, vt pœnas des, festinas! Ego sum ille impudens Balthazar, qui in pariete manum video, contra me omnia, quæ impudenter gessi, scribẽtis: & tamen mortis sententiam in me merito ferendam impedis, vt eius in te ipso executionem experiaris! cur non potius è cælo Angeli accurrunt, meque tanti latrocinij auctorem, instar Heliodori, ex vtraque parte sine intermissione multis plagis verberant, donec in terram semianimis corruens, dignas sceletibus pœnas me persoluisse intelligam, manifesta Dei cognita virtute? cur non cum Antiocho diris viscerũ doloribus, & amaris intestinorum tormentis me afficis, cuius peccata sunt tui tortores, qui multis & nouis cruciatibus tua viscera inhumaniter torquẽt? cur non cum impudenti Balthasare impudentiæ meæ censurã conscientiæ veluti tabulis inscriptã in me exeris, qui vasis aureis, septẽ nimirũ Ecclesiæ Sacramentis abutens, hanc tibi ignominiam conflaui, ad flagellationis columnã rapui, flagellis subdidi? cur non in me tuæ ignominię vertuntur? cur flagella tua meũ potius non atterũt corpus, vt diuisa eius pelle Medis, & Persis, tartareis, inquã, hostibus interimendus trador, te innocentissimo Dei agno, ab omni infamia, & flagellatione libero? [Quis dignè (inquit Bern.) penset, quãtę fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis Dominũ maiestatis carnem indui [ad flagella iudicari, mulctari morte, turpari cruce?] fuitnè alia ratio nos

2. *Macha.* 3.

2. *Mach.* 9.

Dani. 5.

Bernard.

redimendi hac excarnificatione apud Deum mitior? fuit (inquit Bernardus [sed maluit cum iniuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis occasionem vltra reperiret in homine.] adiecit ergo creationis beneficio redemptionē, vt ab ingrato homine omnem ingratitudinis causam, tam singulari beneficio penitus excluderet. Hinc, bone Iesu, mauis te applicari columnæ penitus nudum, corpore verberibus exposito, vt tua nuditate, ignominia, & flagellatione meam tegas ignominiam; meque ab æternæ mortis verberibus vendices, quam te libero abeunte, ego tuis subdar cruciatibus. Hinc vulneribus tuis, vt mea gratis, & cum gratiæ etiam dono sanes, vulnera, accurris festinus. Vnde Augustinus: [Misit Deus medicum, qui nos gratis sanaret; parum est, qui gratis sanaret; qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad istam beneuolentiam potest; quis est, qui dicat: sanem te, & do tibi mercedem? optimè fecit; sciebat enim venisse se diuitem ad pauperes: sanat ægrotos, sanatis donat, & non aliud, quam seipsum donat.] Vnde te audire videor parenti nostro Adæ acclamantem: ô pater mi Adam, noli amplius Dei vocem extimescere, noli te sub arboribus abscondere, eo quod nudus sis. Ecce ego tui causa columnæ applicor nudus, vt tuam nuditatem, hac mea confusione, tegam: exue pelliceas illas vestes, calamitatis magnæ insignia: quas è paradiso eiectus induisti, & meis te vestibus indue. Ecce vt contemptim humi iacent? eas collige. Si enim Hæmorrhoissa ex tactu meæ fimbriæ à sanguinis fluxu libera mansit, multo magis tu à peccatorū fluxu, meis ornatus vestibus liberabere. [Quis

Aug. ser. 13. de verb. Domi.

non (exclamat Bernardus) poſt illum hilariter currat? qui & ab errore liberat ſapientia, & curat, diſſimulat iuſtitia; qui deinde merita viuendo tradit per ſanctificationem, & præmia moriendo conquirit per redemptionem. In omnem terram exiuit hic odor vitæ, quoniam miſericordia Domini plena eſt terra, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Ergo qui vitalem hanc ſparſam fragrantiam non ſenſerit, & ad hoc non currit, aut mortuus eſt, aut putidus.] Accedite ergo, & vos ô filij Adæ, & mea ſuſcipite veſtimẽta ſuauiſſimo virtutum odore inſperſa, vt eorum fragrantia animati mecum maneatis, donec à flagellatione ea à vobis aſſumam ab omni peccati etiam fluxu liberis, meque ſequamini, vt quoties mutanda mihi ſit veſtis, veſtrum experiar obſequium.

4. Ecce filius Dei applicatur iam columnæ: ô fœlix columna, quæ cõplexu tuo fortiſſimum illum Herculem ſtringis, & eo te fœliciorem iudico, quod inſenſilis exiſtas, ne ingenti ſuffuſa pudore cogaris tibi alligatum Dei filium confuſione cooperiũ & ignominioſè nudum, omnium ludibriis expoſitum intueri: præ nimio certè dolore ſimul & indignatione ſicuti Petræ in eius morte ſciſſæ medio frangereris. Fœlix ergo es, quia ſenſu cares. merito tamen in te exarandum maiuſculis literis, quæ ab omnibus legi poſſint, illud Herculis, imperium ſuum longè latéque porrigentis dictum [NON PLVS VLTRA.] Amor enim Chriſti in nos ita ſeſe extendit, vt plus vltra ſeſe extendere non poſſit. Nam cum non modo columnæ alligat nudum, ſed infamiæ etiam flagellationi ſubdit, pœnaſque nobis debitas ab eo

Columna, ſi eſſet ſenſibilis, frangeretur præ compaſſione

Amor Dei quo ſe vltra extendat nõ habet.

Iustī. in lig. vit. c. 4.

exigit. Hinc merito exclamat Laurentius Iustinianus, [ô charitas quam magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit! nullum vinculum filium Dei ad columnam tenere potuisset si charitatis vinculum defuisset: in hac verò columna charitatis nexu vinctus præ amoris ebrietate nudum se exhibere vix erubuit [amore, inquit idem sanctissimus pater, ebrius mediator, suam coram omnibus exhibuit nuditatem. alter equidem Noë præfiguratus.] Imo ad hunc passionis Dominicæ calicem Regium vatem alluisse existimat cum ait, calix meus inebrians, quam præclarus est: quomodo, inquit Iustinianus, nō inebriet meditantē, cum amor ipse inebriauerit patientē.

Iustin. de triumph. Christ. Agon. cap. 7. Psal. 22.

Ion. 2. Figura accommodatur Christo.

5. Ionas propheta cum Niniuitis, ex diuino imperio inclamasset: [adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur:] statim Rex (vt diuinum à se flagellum, subditisq; suis iam iam imminens auerteret, vrbisque & regni excidium impediret, purpuram exuit, sacco, & cilicio lumbos accinxit, cinere ac sordibus caput inspersit, seque tam horrendo diuinæ vltionis flagello opposuit, & inclamante æterni patris iustitia, tanquam vindictæ cælestis præcone; pereat scelerata illa Adami progenies; æterno contumax supplicio mulctetur homo: de repente Angelorum Rex filius Dei sese patris furori obiecit, iram eius mitigare, quasi deposita diuinitatis maiestate, flagellis subditus, hodie properat, ac proinde sese colūnæ non cineribus conspersus, sed opprobriis, ignominia, & confusione coopertus alligari permittit, vt à posteritate Adami cladem auerteret, eosque sub scapulis suis defenderet. Hinc Iustinianus [amor idem, ait, aquilā nostram cōpulit homines dilectissimos, scapulis

Iustī. in lig. vit cap. 4.

defendere iuxta illud: scapulis suis obũbrabit tibi. Nonne scapulæ Domini flagellis conscisse humanum obumbrauêre genus, & à summo diuinæ iracundiæ æstu protexerunt?] ô amor, qui nõ plus vltra potes extendi! ligas omnipotentẽ, vincis inuincibilem, inclinas Dei filium, vt verberibus sese subdat, nostris sceleribus debitis. Hinc Dominus præ nostri amore, quos tam carè non modo flagellis, sed etiã morte sua redemit, vult in posterũ nos suos esse filios, non seruos, se patrẽ non Dominum [neque enim (inquit Chrysost.) sic ille lætatur; cum Dominus, vt cum pater, audit, neque cum seruum, & cum filium habet: atq; adeo hoc mauult, quam illud. Propterea omnia ille fecit, ac ne vnigenito quidem pepercit, vt adoptionem filiorum reciperemus: vt non tanquam Dominum solum, sed tanquã patrem se amaremus] nos proinde licet serui conditione simus: dignitate tamẽ reges, & amicos, tanto in nos amore, effecit: iuxta illud Ioannis [& regnabimus super terram.] quo autem modo dicamur Christi passione redẽpti, in terris regnaturi, ostendit Rupertus [confitentur, ait, omnes redẽpti, & verũ dicunt: quia sunt serui eius, qui eos redemit: sed ipse, qui redimit, nõ seruos, sed amicos: non subseruientes, sed conregnãtes facit, ac dicit. Quid multa? conditione sui sunt serui emptitij, dignatione illius vocantur, & sunt amici] deinde idẽ expendit nõ esse dictũ [in terra; sed super terram. Quia sancti conditione in terra sunt: sed vita & conuersatione super terram, & super terrena mẽbra sua, tenent principatũ] ecce quã fœlicem adepti sumus, per Christi passionẽ, seruitutem: nam qui seruit, & cui seruitur, æquo quasi iure dominantur, imo Dominus potius nobis seruit, quam nos ipsi.

Psal. 90.

Chry. ho. 10. in Epist. ad Roma.

Apoc. 5.

Rupert. in illud Apoc. 5.

Christus columna ignis nobis per noctem & nubis per diē. Exod. 13.

6. Quare olim, vt populum suum in deserto dirigeret, præmisit ante illos tanquam viæ ducem de nocte igneam, de die nubis columnam; (quæ huius cui modo alligatur typus extitit:) illa, instar tædæ accensæ, noctu præibat: hæc loco solis de die, vt à suo itinere non aberrarent, & tota obumbraret castra, & ab æstu solis protegeret. [in igne (inquit Gregorius) & nube per deserta gradientibus Dominus apparet, quia mentes cõtemplantium se in hac exilij peregrinatione etsi aliquando terret de iustitiæ pauore, deiectas erigit blandimento protectionis. Quia qui in igne terroris aspicitur, in nube etiam dilectionis exhibetur.] Et modo præsertim non dissimilem nobis columnam in hoc mundi deserto peregrinantibus in Pilati atrio Christus igneam prorsus exhibet, vt & iustitiæ seueritatem per ignem adumbratam in se, nostri causa, experiri significet, nobis verò ardentissimam charitatem. Nam à Christi charitate ita iustitiæ columna inflammatur, vt ex se, in nos, non vindictam, sed amoris incendia longè lateque spargat: cuius lumine inter infidelium, & hæreticorum tenebras religionis veritatem clarè agnoscimus. Christus enim huic columnæ alligatus fideles suos obumbrat, protegit, & ad terræ promissæ, quam electis suis policitus, delicias deducit: ipse siquidem in columna ligatus dux noster est, qui de se ait: [ego sum via, veritas & vita.] Ignea nobis columna est per noctem, qui ignem venit mittere in terram, quo omnes accensi infidelitatis, ac hęreseon tenebris omnino excussis, viam veritatis ingrederemur, & gratię vitam consequeremur. Nubes vero per diem, vt indicaret, sicuti corpora illu-

Ioan. 14.

stria,

ſtria, pellucidaque ſolis radio contacta efficiuntur,& ipſa iam ſplendida, & fulgorem ex ſe profundunt: ſic & animas Spiritu ſancto afflatas, & diuina illuſtratas gratia, ſpiritales penitus effici, & in alios gratiam quodammodo tranſmittere, impiorum ſordida peccatorum fuligine deturpatas, igni deuorãdas æterno, obnoxias reddi. [Lux ergo (vt ait Ambroſius) Chriſtus in columna, vt electis luceat, ignis impiis, vt cõſumat. Dominus itaque noſter vt ignis conſumens eſt, & ſplendidus ſolis radius, qui illuminat omnem hominem ad ſe venientem. Quam rem iam olim ſacra ſcriptura præſignificauit. Inito enim inter Abrahamum, & Deum fœdere [apparuit clibanus fumans, & lampas ignis.] Clibanus, (ait Procopius) vt portenderet impiis conflagrationem, lampas, vt pijs illuminationem præberet] Ecce duæ columnæ in vna contentæ ignis & nubis, quæ electos ad cæleſtem patriam ducunt, reprobis æternæ conflagrationi conſecratis.

Amb. ſer. 5. in Pſal. 118.

Gen. 15.

Procop. in illud Gen. 15.

7. Sed quid, bone Ieſu, ſic columnæ aſtrictus, & oculis in cælum ſublatis tacitè tecum euoluis? nõne, ô animarũ amator, quanto ignominiis, & cruciatibus noſtra tibi ſteterit ſalus conſideras, noſque tacita alloquens cogitatione ingeminas: ô filij Adam, quorum cauſa hæc omnia patior, quam facile peccata peccatis non ſolummodo cumulatis, ſed in poſterum etiã cumulabitis, quorum pœnæ tam atroci modo non tantum mihi corpus, ſed cor etiam lancinãt, eoque acerbius, quod videam præſtantiſſimam paſſionis meæ medicinam paucis, idque ſua culpa, profuturã. [Nam, vt ait meus ſeruus Cyrillus Alexandrinus) incaſſum ſumitur medicina, ſi poſt inſtauratam ſanitatem; per vitæ

Quid Chriſtus columnæ aſtrictus cogitabat.

Cyrill. l. 3. in Ioan. c. 17.

incontinentiam, qui conualuit in priſtinum incidit morbum. Quinimo relapſus in ægritudinem periculoſior ſolet eſſe, & exitio propior, quã prior ille languor; & quos prima valetudo aduerſa non extinxit, ſæpius iterata poſt redditam incolumitatem ægrotatio ſuſtulit è vita. Haud ſecus fruſtra pœnitentiæ medicamentum ſumitur, ſi poſt eam peractam, ad præteritæ vitæ ſordes reditur. Hæc enim ſecunda admodum periculoſa eſt animæ febricitatio.] Ego ex patris æterni decreto, ex humana ſtirpe maternũ traxi genus, vt meis laboribus, ignominiis, opprobriis, flagellis, ſpinis, clauis, cruce ſalutem veſtram promouerem: ex infinita tamen propè multitudine præuidens pauciſſimos fore, qui diuinis mandatis obſecuturi, ſed ſalutem, vel liberaliter oblatam, vel etiam obtentam neglecturi ſint, non poſſum in hac columna ex duro & gelido marmore conflata ligatus de vobis non conqueri, qui inſtar canum ad vomitum redituri meæ paſſionis prorſus obliuiſcemini: ſed audite quid de huiuſmodi dicat ſeruus meus Bernardus [reuerſus ad vomitum canis, odibilis erit multo plus, quam ante: & fiet filius gehennæ multipliciter, qui poſt indulgentiam delictorum, in eaſdem denuo ſordes inciderit, vt ſus lota in volutabro luti] hoc me acerbius pungit quam imminens mihi flagellatio. Quare, ô peccator, ſi velis ærumnas meas in gaudium mihi, & gratiæ fructum tibi conuertere, [noli, vt te monet ſeruus meus Chryſoſtomus, peccare poſt veniam: noli vulnerari poſt curam: noli ſordidari poſt gratiam: cogita grauiorem culpam eſſe poſt veniam: renouatum vulnus peius dolere poſt curam: moleſtius hominem ſor-

Ber. ſer. de Aſſumpt.

Chry. ſer. de lap. prim. hom. to. 1.

didari post gratiam] & subdit huius curæ neglectæ culpam [indulgentiæ, inquiens, ingratus est, qui post veniam peccat: sanitate indignus est, qui semetipsum, postquam curatus est, vulnerat: nec mundari meretur, qui se ipsum post gratiam sordidat.] Et tandem mirificè exaggerat grauitatem relapsus [graue est, ait, hominem instructum delinquere: grauius absolutum peccare. Seruo peior est, qui patronum post datam libertatem offendit.] quæ ergo grauior offensa esse potest quã ita sese gerere vt laborum meorũ non modo non meminerit, sed sanguinẽ meum terræ cęlique pretiũ pessundet, quo mihi nihil grauius.

8. Quare illud prophetæ vsurpare cogor, cernens mortalium hac in re intolerabilem negligentiam, & in suæ salutis negotio torporem; cogor, inquam, exclamare [in vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi,] laborem frustra à me susceptum esse ingemisco, quem in hominum conuersione incassum consumpsi. [Quid prodest, obsecro, studiosè vestes abluere, & lotas rursum luto inquinare? quid lauare manus, & ablutas iterum contaminare sordibus? sicut sus lota, dicit Sapiens, in volutabro luti: ita stultus, qui iterat stultitiam suam.] quid vobis prodest, si hic ad columnam salutare alioqui, ex sanguine meo flagellis elicito, balneum peccatis vestris abluendis parem; si postmodum ad ingenium redire velitis, nihil enim periculosius quam recidere in peccata, per meum sanguinem abolita. non meministis, quid aliquando dixerim languido probaticæ piscinæ? [ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.] Quibus verbis

Isa. 49.

Cyril. Alex. l. 5. in Ioan. cap. 17.

Ioan. 5.

significaui per peccati iterationem, hominem in deteriora prolabi mala, time ergo à relapsu.

Ber ser. 54. in Cant. [Timeas quidem (inquit Bernardus ardentissimus mei amator) pro accepta gratia; amplius pro amissa; longè plus pro recuperata.] Et subdit: [iam, si gratia propitiata redierit, multo magis tunc timendum, ne fortè contingat recidiuum pati: iuxta illud: iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Audis, recidere, quam incidere esse deterius? proinde inualescente periculo, inualescat & metus,] alioqui incassum labora, & consumo fortitudinem meam. Et ad patrem conuersus: honorem tuum, ô pater, & gloriam ex humani generis salute, meo labore, sudore, opprobriis, & sanguine comparatam exigis: sed heu! pro illo quod debui, facio; & in ea cura vires vitamque consumo, in vacuum tamen, magna ex parte. Ex illa siquidem larga duraque semente laborum, ac ignominiarum adeo exiguum, & tenuem (præ detrimento animarum, quod passurus sum) prouentum referam, vt vanè, & sine causa laborasse videar. Quomodo ergo de me dicis, ô pater:

Querela Christi ad patrem.

Isa. ibid. [seruus meus es tu Israël, quia in te gloriabor.] cum tenues meæ passionis fructus in genus humanũ, sua quidem culpa, redundaturos videam.

9. Tu interim, ô pater, scis improperium meum

Psal. 68. & confusionem meam, & dolorem meum, scis, ô pater, calamitatis meæ magnitudinem, quam solus cognoscere Deus (vt par est) potest, solus cõprehendere, solus æstimare: solus enim pater nouit filium, eiusque infinitam dignitatem, sed heu! plerique modo conténunt cælestes diuitias, quas per hoc improperium meum sibi compara-

re possint. Hoc felicius considerauit iam olim Moyses, quod æstimauit maiores diuitias thesauro Ægyptiorum. Hinc Ambrosius : [Si opprobrium tuum gloria est, Domine Iesu, quanta est gloria tua? tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus, cuius sumus opprobrio glorioſi ?] Ecce quomodo opprobrium meum gloriæ esse possit, quibus erit confusioni. Propter tamen paucos electos nolo aufferri à me hoc opprobrium, quo illorum auferantur opprobria [Quare mihi sit opprobrium tu nosti pater : quare confusio tu nosti : quare verecundia tu nosti. Ergo erue me (redemptis sanguine meo electis) propter inimicos meos , quia tu nosti ista mea flagella , illi non nouerunt: ac per hoc , quia ipsi in conspectu tuo sunt ista nescientes, non poterunt vel confundi vel corrigi , nisi manifestè me erueris post passionem propter inimicos meos.] Leuia sunt quidē & parui momenti opprobria, improperia, ignominiæ , contumeliæ , conuitia & flagra quas quilibet homo purus ab alio homine patitur: sed tu scis pater, quam grauia, quam indigna , quam horribilia in filium tuum infinitæ maiestatis opprobria , contumeliæ & improperia iaciuntur. [Quid ergo est, ô pater, opprobrium meum? quid est confusio ? quid est verecundia? opprobrium est, ô pater, quod obijcit inimicus; cōfusio est quę mordet conscientiam meam ob aliena peccata; verecundia est quæ facit ingenuā frontem, etiam de falsi criminis obiectione erubescere] Confundor ob membrorum meorum crimina. Opprobria, pater, sustineo, Deus ab homine, Dominus à seruo , filius Dei à filio Belial, & confusione coopertus sum tum consputa facie , deinde velata &

Heb. 11.

Amb. in Ps. 118. ser. 5.

Aug. in Ps. 68. Con 2. illius Psal.

Parui momenti sunt hominis miseria Christi miseriis cōparata.

Aug. ibid.

percussa, tum (vt vides) toto corpore coram omnibus nudato. Tu scis ergo, ô pater, & confusionem meam, quamuis vera in me cõfusio esse non possit, in quo culpa non inuenitur, tamen confundar aliena culpa, tu scis proinde, ô pater, & dolorem, quem inde concipio. [In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me] & tamen eorum non arces insolentiam. Quare cum ita sit, ô pater, à te decretum, vt opprobria sustineam, vt confusione operiar, vt dolore lanciner, vt flagella subeam, vt per crucem moriar, tua sanctissima fiat voluntas. Non abnuo, non repugno, non recalcitro. Ecce igitur corpus meum per Spiritum sanctum è purissimis matris meæ sanguinibus efformatum & nudum omnibus expositum, tibi in sacrificium & holocaustum liberaliter offero, quo honor tuus, per hos sicarios, quodammodo obscuratus, tibi restituatur, peccatoribus in gratiam redeuntibus.

De Christi flagellatione.

CAPVT LI.

1. ECce modo nudus in medio militum stat Iesus, traditur crudeliter verberandus, & illud sanctissimum corpus pectusque Dei capax flagellis subditur ad columnam applicatum: ligantur Dei manus, manus, inquam, quarum opus firmamẽtum, quæ nos ex limo terræ plasmarunt: ligantur & pedes, qui in quærenda oue perdita sæpius defatigabantur: ligantur inquam pedes Iesu, cuius sedes cælum, & terra scabellum pedum eius, & ita ligantur vt sicuti manus ad verbera extenduntur, ita etiam ipsi expanduntur vt ictibus pateant, & totum eius corpus tortorum

Accingunt se tortores flagellationi.

Digitized by Google

flagellis exponatur prius dorso verberibus penitus expositο. [ecce iam Dominus, ait Augustinus, aptatur ad verbera, iacet extensus ante hominem Deus, vt supplicium patiatur rei, in quo nullum peccati vestigium potuit inueniri.] Interea expediunt lictores flagella, virgas & ferreas catenas, nouam & inusitatam induunt crudelitatem. Accinguntur operi, feriunt crudelissime diuinum Christi dorsum, sibi per vices integri fessis cessantibus succedunt, flagella ingeminant, sonant verbera, sacratissimam Dei carnem contendunt, vulnera infligunt, erumpentibus vndique sanguinis riuis. [Stat nudus coram omnibus iuuenis elegãs & verecundus, speciosus forma præ filijs hominum, suscipit spurcissimorum flagella, dura & dolorosa: caro illa innocentissima, tenerrima, mundissima, & pulcherrima, flos omnis carnis & humanæ naturæ repletur liuoribus, & fracturis. fluit vndiq; regius sanguis de omnibus partibus corporis: superadditur, reiteratur, & spissatur liuor super liuorem, & fractura super fracturam. Carnifices præ verberum contentione anhelant, & viribus deficiunt, flagella, vultus, & vestes eorum, sacro cruore intinguntur, columna, subiectaque illi terra sanguine perfunditur, diuina interim heu! Christi caro cõteritur, discerpitur, dilaniatur; caro Dei omnipotẽtis tanta crudelitate vt in syndone, qua inuolutus postea in sepulchro fuit, totius corporis notæ flagellorum etiamnum expressæ videantur, quod horribilem post hominum memoriam & inhumanam fuisse indicat flagellationem. Bone Iesu, nonne ego sum qui peccaui, nonne ego qui inique egi, & tu ob peccata mea qui peccatum nunquam

Augusti.

Crudelis flagellatio.

Bonau. meditat. vita Christic. 78.

feciſti, neque vllus vnquam in ore tuo inuentus eſt dolus [liceat mihi cum amatore tui ardentiſſimo Bernardo paucis tecum agere [illudendum te miſit Pilatus Herodi, illuſum recepit, nudum in conſpectu irriſorum te ſtare iuſſit, nec pepercit amariſſimis verberibus virgineam carnem tuam diuellere, plagas plagis, liuores liuoribus infligens. Electe puer Domini Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confuſione dignum commiſeras? prorſus nihil: ego homo perditus totius contritionis, totius confuſionis tuæ cauſa fui: ego Domine vuam acerbam comedi, & dentes tui obſtupuerunt: quia quæ non rapuiſti, tu exſoluiſti. Amortuus & iniquitas noſtra ſic te fecit imbecillem. Maledicta ſit tanta iniquitas, pro qua ſic affligeris.]

Ber. ſer. de paſſ.

Effari nequit tortorum crudelitas.

2. Væ mihi interea, quò me vertam, cuius cauſa hæc, bone Ieſu, indigna pateris, aut vnde incipiam tam horribile propoſitum mihi ſpectaculum effari? quam triſtis materia ſanguineis potius lacrymis, quam verbis exponenda, mens refugit, lingua ſtupet, vires omnes deficiunt, palleſcunt ora, oculi, præ lacrymis, caligant, totis contremiſco artubus, hoc ingrediès flagellorum pelagus! heu! quomodo circumſtantes tortores clamoribus inſtant, vt flagellantes fortius inſurgant in ictus! heu! quomodo ipſi tortores ſibi inuicem ſuccedentes, inter ſe ictibus concertent, & crudelitate. Sex (inquit Hieronymus) carnifices accedunt, duo eorum virgis ſpineis, duo loris nodoſis: duo catenis ferreis vnguib' terminatis aduncis in Dei carnem crudeliſſimè inſæuiũt, incipiuntque primi toris eam viribus percutere, adduntur vulnera vulneribus, decurrit ſanguis,

& ſanguinis fluenta : accedunt ſecundi primis defeſſis,& ſuper eorum vulnera noua inducunt, & tandem reliqui, etiam partes carnis vncinis catenis auferebant : & denique nimia verberum atrocitate toto corpore cruentatum exſanguemque in terram collapſum violenter rurſus erectum denuo alligarunt,cœptamque feritatem ita ſunt proſecuti vt à planta pedis vſque ad verticẽ capitis non ſit in eo relicta ſanitas. Ipſe interim quaſi manipulus tritici inter tritorũ verbera verſatus,& reuerſatus,iã tergore verberibus expoſito,iã vẽtre, lacrymas ex oculis,gemitus ex corde, & ſuſpiria eximo pectore emittit, tacitè ad patrem ingeminans [ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores] ſeu,vt in hebræo eſt, arauerunt, ſulcauerunt arantes, ſulcantes: non quidem vtcunque vibices (inquit noſter Fernandus) & verberum veſtigia in cute ipſa Chriſti viſebantur : ſed altiſſimi ſulci, introrſum patuli hiatus : veluti cum adacto altius vomere tellus ipſa in profundos, latoſque ſulcos proſcinditur: ſcilicet,vt tam pulchro vbereque nouali ſata naraque adoleſcere fidelium ſeges, cuius demeſſi fructus in horreum ſummi patrisfamilias reconderentur : alij verò vertunt vehementes, item ſurdi ab hebræa radice (charax), quorum interpretatio maxime valet ad flagellationis crudelitatem exprimendam, nimirum (inquit noſter) more tempeſtatis illa flagellatio in delicatiſſimos Domini artus irruit : cum inter crepitus plagarum manantibus cruore vulneribus, carnifices ipſi velut ſurdas aures, & animos duriores cautibus exhiberent. *Pſalm. 128.*

3. Quid putatis mente tunc illum potuiſſe

reuoluere, præsertim cum nuda eius ossa inter sacratissimæ carnis partes verberibus concisæ eminere viderentur? certe mea sententia, meritò illud Iobi vsurpare tunc poterat, tanquam instituens amicam ad patrem querelam: [quæ est, ô pater, fortitudo mea, vt sustineam?] tanta siquidem humanæ carnis imbecillitas, vt nihilo melius, aut solidius testa se habeat: adeo offensionibus patet, doloribus affligitur, ac morte tandem, aliisque innumeris incommodis facile dissoluitur [cur ergo pondus impiorum cruciatus patior] quorum vitam detestor, qui tanto fortius labores mundi perferunt; quanto auidius eius delectatione pascuntur,] idque, vt flagella flagellis ad me crudelius excarnificandum quotidie addunt. [Et quis finis meus vt patienter agam?] quisnam finis meis laboribus, cruciatibus & doloribus statuitur? & quis fructus inde nascetur tantis tormentorum vicissitudinibus ex æquo respondens, vt longanimiter patiar pro peccatoribus, qui dolorum meorum cumulum, peccata peccatis attexentes, in dies augent? [nec fortitudo lapidum fortitudo mea: nec caro mea ænea est.] Quid ære ac lapidibus, nisi insensibilium hominum corda signantur? qui sæpe & supernos ictus accipiunt, & tamen nulla disciplinæ percussione molliscunt] non sum ego, ô pater, saxeus, aut æneus, aut sine doloris sensu, vt instar durissimæ incudis acerrimos flagellorum ictus tam vehementer excipiens, neque sentiam, neque ingemiscam. [Reproborum pater, vt scis, similitudinem sub disciplinæ verbere fugio, quia nec more lapidum ita obdurui, vt sub per-

Iob.6.

Greg.l.7. Mor.c.8.

Greg.l.7. Mor.c.9.

Greg. ibid.

cussionis stimulo à ministerio paternæ confessionis obmutescam: nec rursum quasi æs vocem cõfessionis resono, & sensum vocis ignoro,] scio enim pater quia ego in te & tu in me: dum igitur fortem me per humanę naturę fragilitatem non esse assero, fortem me per naturæ diuinæ virtutẽ esse agnosco: nec ergo caro mea, ô pater ænea est vt tot resistat flagellorum verberibus nisi sustentaretur à diuina natura: imo pater, illa etiam quæ sensu carent, lapides ac metalla, ictum & malleum aliquando respuunt, & ad leuissimum contactum, quasi conqueruntur & tinniunt. Quid mirum ergo si ego, qui mollior sum, cuius caro ex fragiliori testa compacta testaceus ipse quodammodo & luteus, penè iam tot verberibus confractus, aliquam doloris, & sensus vocem emittam, non ex aliqua impatientia, sed ex natiua fragilis carnis conditione, instigatus paucitate eorum, qui meæ flagellationis ac sanguinis participes futuri sunt. Hæc inquam Christus vsurpare posset, vt vehementissimum ex flagellatione dolorem ortum naturali affectu declararet.

4. Quid de carnificum crudelitate attinet dicere, qui nihil aliud spirant, quam immanitatem, & inhumanitatem? Nam vbi posteriorem corporis partem inhumanissimè ita dilaniarunt, vt nullus in ea vacuus à vulnere locus esset, anteriorem vertunt, quam non minori crudelitate lacerant, dilaniant, discerpunt. ô inusitatum tormenti genus! ô sanguineis deplorandum lacrymis filij Dei supplicium! [Theatrum mundi totius (ait Rupertus) facta est Pilati domus, spectaculum grande in ea proponitur toti mundo. *Inusitata tortorum crudelitas.*

Rup. c. 19. in Ioan.

Angelis, & hominibus, vt à seruis peccati, princeps libertatis seruilibus modis cæderetur. Grande spectaculum, stupendum, inauditum est, Deus homo flagellis cæsus instar serui contemptibilis, quis non obstupescat, & extra se penitus rapiatur: si Deum hominem contempletur omni maiestate, omnique potentia præditum, columnæ astrictum funibus, verberibusque præbentem terga] & ventrem. [Obstupescite cæli super hoc, obstupescite Angeli, Cherubim & Seraphim super hoc, quia vos nouistis quid est hoc, quis sit hic niue candidior, quem effusus sanguis rosis reddidit rubicundiorem: adeste Angeli, infiniti propemodum estis, vnus vestrum facillimè è tortorum manibus potest illum eripere. Quid agitis? nunquid stupor vestras cohibuit vires? non stupor cohibuit, cohibet vestram ipse qui flagellatur potentiam: quemadmodum & cohibet suam: oblatus est, quia ipse voluit: flagellatur, quia ipse voluit: ad columnam funibus adstrictus tenetur, quia ipse voluit, infinitum enim Sampsonem non hominum funes, sed potentissimi amoris vincula, quo humanum prosecutus est genus, ligare potuerunt.] ô infinitam diuini amoris ostensionem! alij interim scapulas, alij caput, alij pectus, alij ventrem, alij brachia, tam inusitato modo diuerberant, & rursus quasi tritici manipulum flagellis subditum versant, & reuersant, exagitant, & contundunt. [Fluebant lacrymæ (inquit Bernardus) fluebat sanguis, & de paradiso illo cælesti cruoris flumina manabant. O Christe sancte, ô Iesu bone, & nostri amantissime, quanta pro me pateris, quanta à carnificibus susti-

nes? ego rapui, tu exoluis: ego acerbam vuam comedi, & dentes tui obſtupeſcunt: ego ſcelus commiſi, & tu pœnas luis, & flagellaris.] ô horribile in filium Dei editum crudelitatis exemplum [agnoſce ergo, ô homo (vt monet Auguſtinus) quantum valeas, & quantum debeas: & dum tantam redemptionis tuæ dignitatem perſpicis, ipſe tibi peccandi pudorem indicito; ecce pro impio pietas flagellatur: & ſi multa flagella peccatoris, multa etiam oportuit eſſe flagella redemptoris: pro menſura delicti erit, & plagarum modus: maxima fuit menſura peccatorum, maxima etiam ſit menſura plagarum.] vna quidem filio Dei inflicta licet omnem excedat peccatorum menſuram; amor tamen noſtræ redemptionis tantus eſt, vt nullum plagarum modum attendat; ſed infinitum copioſæ redemptionis lytrum patris iuſtitiæ perſoluendum multiplicatis flagellarum ictibus.

Aug ſer. 114 de temp.

5. O homines, vel potius, ô crudeles lupi, cum vna ſufficiat plaga ad conflandam Chriſto infinitam iniuriam, cur tot plagis innocentiſſimi agni non ſaturamini? cur tam lamentabili ſpectaculo non commouemini? ô canes in rabiem verſi, nunquamne mortiferis contenti morſibus à Domini corporis crudeli dilaceratione abſtinebitis? non vos mouet ſanguis decurrens ex ſingulis Chriſti membris verberibus elicitus? ſed quoniam ſenſu & commiſeratione caretis, liceat mihi cum Hieremia, & Iſaia prophetis in tam luctuoſo ac lugubri ſpectaculo exclamare: [Obſtupeſcite cæli ſuper hoc; & portæ eius deſolamini vehementer. Angeli pacis amarè flete, & omnes habitatores terræ vlu-

Perſtringitur tortorũ crudelitas.

late. Ecce Dominus ad plura rursus verbera aptatur ! ecce iam cæditur , rupit carnem sanctam flagellorum violentia , & repetitis ictibus crudelia verbera terga benedicta concidunt.] ô si aliquem hominis sensum habetis , desinite amplius in eum desævire ! rabida sitis vestra tot sanguinis riuis tandem exsatietur. Cesset aliquando inhumana in Christum crudelitas , ne inter flagella expiret ! considerate saltem popularem vestrum esse, quem tam atrociter flagellis contunditis. [Sedebas, ô homo, (exclamat Bernardus) in tenebrosis , & in vmbra mortis per ignorantiam veritatis , sedebas vinctus in catenis delictorum , descendit ad te in carcerem Deus homo , non vt torqueret sed vt erueret te de potestate tenebrarum.] Et hoc pro tam ingenti beneficio rependis supplicium , & corpus illud sanctissimum , & pectus Dei capax flagellis secas ! heu satis est , satis est ! ecce animam inter flagella agit ! ecce præ nimio doloris sensu , imo potius præ nimio amoris languore exclamat: [fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.] Vere amore langues : amor enim nostri hanc languoris causam tibi peperit , ad hæc te adegit flagella , & excarnificationem , quia vulneratus charitate es [Quam pulchrum est , quam decorum à charitate vulnus accipere : alius iaculum carnei amoris excipit ; alius terrena cupiditate vulneratur. Tu nudas membra tua, & præbes te electo charitatis iaculo , iaculo formoso . Vulneratus ergo es à dilectione nostri , amas ergo nos , & nondum tenes;

Hiere. 2. Isa. 33. Aug.

Ber. ser. 10. in Cant.

Hiers.

Cant. 2.

Orige. ho. 2. ex duabus sic fere.

Digitized by Google

dolesquia nondum habes, hinc vulneraris in corde: imo toto corpore amoris iaculis, vt tua hæc vulnera nos ad veram ſalutem rapiant [Qui ergo (vt ait Auguſtinus) hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram ſanitatem non poteſt peruenire. Vere, ô Domine, de te triumphat amor! ô triumphum admirabilem! quis triumphantis currus erit? quis triumphalis coloſſus? nonne crux in qua breui ſuſpenderis, triumphantis currus? & columna ad quam ligatus tot ſuſtines verbera, triumphalis coloſſus? in his de te charitas, & amor triumphat, qui tanquam dulcis tyrannus te columnæ aſtrinxit, & tot verberibus ſubdidit, vt inter tortorum manus quaſi iamjam expirare videaris! ô manus abſtinete; filius Dei tanquam vile mancipium ac miſerabile, plus mille accepit verberum! heu ſatis eſt, ſatis eſt, ô ferrea corda! etiamſi totius mundi peſſimus eſſet latro & crudeliſſimus ſicarius, ſat multa ſubijt verbera! Hem quid facitis? iam duo millia illi inflixiſtis vulnerum! heu ſatis eſt, imo tria, imo iam quinquies mille & quadraginta inflixiſtis illi verbera! heu ſatis eſt ſatis eſt. Hanc diſciplinam fuiſſe triplicem, aſſerit Vincentius; per continuam tamen ac vnam actionem [duram, ait, quia virgis & ſpinis; duriorem, quia flagellis nodoſis, tortoribus ſemper in orbem redeuntibus; duriſſimam quia catenis ferreis cæſus. Quare ex multorum relatione Chriſtum in hac flagellatione vulnera quinquies mille quadraginta ſeptuaginta quinque ſuſcepiſſe diſcimus. [qui ergo non habebat, inquit Auguſtinus, peccata propria, dignè deleuit aliena.

Aug. in pſ. 37.

Vin. ſer. de paſſ.

Aug. ſer. 41. *de diuerſ.* & *ſer.* 114. *de temp.*

Digitized by Google

Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, vt omnes leuaret. Et quia debitum solus non habuit, rectè fœnus misericordiæ pro debitoribus erogauit. Perpende inter hæc qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem à nobis sit exacturus vsuram. In hac itaque die fides propheticæ annunciationis impleta est, ita dicentis: corpus meum dedi percutientibus. Suscepit ergo mala nostra, vt tribueret bona sua. Hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus sit ante culpam, quem sic diligit post ruinam.

Isa. 50.

Quanta passus Christus pro singulorum peccatis.

6. Si Adæ delictum, pro quo Christus patitur, infinitum fuerit, & infinitam meruerit pœnam; quid censendum de omnibus Adæ posterorum simul delictis? certè maxima eorum mensura, sine mensura. Maxima ergo mensura plagarum sine mensura illis debita. Cum igitur in Christi dorsum omnia filiorum Adæ peccata sint translata, & in primis ipsius Adæ inobedientia, cæterorum origo, & seminarium, Euæ cibi vetiti comestio, Loth incestus; Moysis, & Aaronis incredulitas; Dauidis homicidium, & adulterium, Salomonis Idololatria; vniuersa synagogæ rebellio, & peruicacia, omnia denique posteritatis Adæ scelera: Cum inquam hæc in eius dorsum translata sint, quorum pœna sustinere debuit, proculdubio sine mensura fuit plagarum modus [quis ergo vnquam, inquit Bernardus, regnans in cœlo sursum, aut peregrinans in terra deorsum, audiens vel mente pertractans, quomodo factus est opprobrium hominum ipse Dominus Angelorum, poterit lacrymas continere etiam in cœlo, vbi est impossibile flere? Exitus ergo aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciem

Ber. de lament. Mariæ.

Ber. 16. in ant.

Digitized by Google

faciem meam, vultum meum pudor ſuffundat occupetque caligo, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Proh pudor! quem fructum habui, in quibus nunc erubeſco? ſi in carne ſeminaui, de carne non metam niſi corruptionem: ſi in mundo, & ipſe tranſit, & concupiſcentia eius. Quid? caduca, vana & propè nulla, & quorum finis mors eſt, infœlix & inſanus præferre non erubui æterni patris amori & honori, nihili ducens filij eius, mei cauſa, tolerata flagellorum ſupplicia. Confundor certè, confundor inquam audire: ſi ego pater, vbi eſt honor meus? ſi ego ſaluator, vbi gratitudo mihi debita? Sed & ſi pater non eſſet, obrueret me beneficiis, inſtaurat aduerſum me teſtes, huius corporis victum, & huius temporis vſum, & ſuper omnia, ſanguinem dilecti filij clamantem de terra. Pudet ingratitudinis, quanquam ad confuſionis cumulum arguat etiam [reddidiſſe mala pro bonis, & odium pro dilectione] Quare ſi qui ſint inter nos, quos Chriſti vera tangit commiſeratio, peccata peccatis cumulare in poſterum deſinamus, propoſito ſemper nobis horribili hoc ſpectaculo in domo Pilati, filio nimirum Dei ob iniquitates noſtras flagellis attrito, & ob ſcelera noſtra ſine ſpecie, ſine hominis figura, ſine commiſerantium tutela.

7. En Propheta virum dolorum, quem quærebas: [deſiderauimus eum (iam olim dicebas) deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem] vides iam, ô ſancte Propheta, tua expleta deſideria: vides filium Dei deſpectum latroni *Iſa. 53.*

Quomodo ſeſe Chriſtus abiecit.

postpositum, flagellis instar abominabilis mancipij contusum, verè ergo nouissimum virorum vides! [Intuere pannis sordidum, plagis liuidum, illitum sputis, pallidum morte. Ergo formosus est in se, niger propter te.] Ipse enim vsque adeo sese in hac infami flagellationis carnificina humiliauit, vt fere hominis capacitatem exhauserit, ita vt cum maiori humilitate vix humana natura stare posset, sed quasi desinere, ac cessare deberet. Vides igitur Propheta nouissimum virorum, à cuius consuetudine, & consortio vilia etiam Diaboli mancipia abhorreant, indignum sua eum societate existimantia. dic ergo propheta [sponsus diuinus me peccato nigram, amore suo formosam effecit, commutata cum fœditate mea, pulchritudine sua. Nam translatis in se peccatorum meorum sordibus, puritatem mecum suam communicauit, meque pulchritudinis eius, quæ in ipso est, participem effecit, adeoque posteaquam ex deformi primum me amabilem reddidit, ita deinde amore vehementer complexus est.] Dic etiam ad nos conuersus: agite nunc Æthiopes, accedite ad eum, licet vestra infectum fuligine, [& illuminamini, & facies vestræ non confundentur.] accedite ergo, nec pudeat confiteri flagitia, quibus in Christi dorso flagella condensastis, suo sanguine balneum omnibus offert, sceleribus expiandis. Si pudeat accedere, & confiteri, superbus iste pudor est, qui Christo displicet. [planè stultus pudor, cum pudet ea confiteri, quæ si aperiantur, si abluantur: non erit deinceps pudor, sed honor, sed gloria.]

Ber. ser. 25. in Cant.

Greg. Nyss. de apt. per pœni. ablutæ.

Psalm. 33.

Ber. epist.

Vides porro, ô Propheta, nouissimum virorum, tanquam populi peripsema, per summam contumeliam, denudatum & flagellis inhumanissime dilaceratum; dic itaque: [ô quam glorioſus est hodie Rex noster sic nudatus, sic verberatus, non glorioſus solum, sed fons factus aquæ viuæ ex sanguine è toto eius corpore promanante.] licet ergo virum dolorum & scientem infirmitatem, ô Propheta, videas, tot tamen gratiæ fontes nobis aperit, quot vulnera in hac flagellatione susceptit. Cum itaque nouissimum se virorum nostri causa voluerit fieri, qui omni honore & gloria erat dignissimus, quid par nos facere vt in eum minime ingrati inueniamur? nonne ad iniurias, contumelias, opprobria patienter ferenda illius gratia nos præparare oportebit? [Nonne perabsurdum & indignum est, si Christus propter te ea sustinuit, tu ne verba quidem sæpenumero perpeti possis? ille nudus est in columna vt te gratiæ vestibus ornet & virtutum annulis; ille irrisus est, & tu nisi apud homines laudetis miseram te vitam viuere arbitraris; ille flagellis subdítur, & tu nihil illius gratia pati vis; in ipsum Iudæi omnia facinorosi ludibriorum genera exercuerunt. [Cum igitur huiusmodi (inquit Chrysostomus) pro nobis passus sit Christus, qua nos ratione tutabimur, si contumeliis moueamur illatis?] *Chry. hom. 82 in c. Ioan. 18.* *Chry. in c. Matth. 27.*

8. Recogitate ergo, vt monet Apostolus, eum, qui talem sustinuit aduersus semetipsum contradictionẽ, vt non fatigemini animis vestris deficientes. Et Christo (vt ait Petrus) in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini. Quis *Heb. 12.* *1. Pet. 4.*

ergo laboribus, contumeliis, opprobriis, flagellis laceſſitus vnquam deficiet, ſi ſemper ob oculos habeat inuſitatam hanc flagellationis carnificinam? dicat ergo vnuſquiſque ex intimo animi affectu cum Bonauentura [Nolo Domine ſine vulnere viuere, quia te video vulneratum.] nihil enim nobis glorioſius, quam eius gratia opprobria, contumelias & verbera ſuſtinere. Semper itaque cum Chriſto patiente indiuidui ſimus comites. [Caput noſtrum (inquit Bernardus) per tribulationes & anguſtias cælum introire videmus, & nos eius membra alia itinera ſomniamus; pudeat, ſi per vnum foramen caput, per alterum membra tranſire videamus: monſtroſa res eſt, ſub capite ſpinoſo membrum eſſe delicatum. Chriſtus (inquit Chryſoſtomus) opprobriis, & maledictis afficitur ad deriſum, alapis cæditur, tu ab omnibus laudem capras, & non fers opprobria Chriſti. Nonne audis Paulum dicentem: imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti, ſi quis te maledictis proſequitur, recordare Domini tui] ad columnam alligati, & non modo maledictis, ſed ſanguineis etiam verberibus laceſſiti. Hinc ſapienter B. Leo: [Ab omnipotenti, ait, medico duplex nobis miſeris remedium præparatum eſt, cuius aliud eſt in ſacramento, aliud in exemplo, vt per vnum conferantur diuina, per aliud erigantur humana. Quia ſicut Deus iuſtificationis eſt author, ita homo deuotionis eſt debitor] Quoties igitur laborioſis perſecutionum certaminibus agitamur, recogitemus eum, qui talem, id eſt, tam acrem, tam hoſtilem, tam infamem, tam horrendam contradictionem à

Bona.

Bernar.

Chry. ho. 81. in c. 1 can. 18.

1. Cor. 11.

Leo. ſer. 16. de paſſ.

peccatoribus ſuſtinuit, vt glorioſos ſuis nos rederet miſeriis [Dubitaſne ergo (inquit Auguſtinus) vt tibi neget bona ſua, qui non dedignatus eſt pro te recipere mala tua?] Ne dubites [Quid enim (vt ait Fulgentius) in eo deeſſe poteſt, in quo & omnipotens miſericordia, & miſericors omnipotentia eſt.] Hæc verò contradictio adeo excreuit, vt non ſatis hoſtibus fuerit omnibus Chriſtum probris, irriſionibus, contumeliis vexare, niſi etiam verberibus fatigarent. Quis igitur langueſcet in prœlio? quis fatigabitur laboribus? quis ſuccumbet flagellis ſerio ſecum recogitans qualem ſuſtinuit à peccatoribus noſtri gratia Chriſtus contradictionem? [Quam igitur nos (inquit Chryſoſtomus) excuſationem vnquam habebimus, ſi vituperati ad iram concitamur, qui tot tantaque ſuſtinuiſſe Chriſtum non ignoramus? extrema certè ille contumelia ſuſtinuit. Quippe cum non membrum vnum, ſed vniuerſum corpus atroces has iniurias pateretur, caput corona, calamo pugnis, facies ſputis, maxillæ alapis, corpus reliquum flagellis, nuditate. Quid iſtis vnquam grauius? quid contumelioſius excogitari poteſt?] recogitemus ergo & ſine intermiſſione tenero mentis affectu hanc Chriſti ignominioſam flagellationis torturam meditemur, cuius ſanguis etiamnum apud patrem pro nobis interpellat. Hinc Iob in Chriſti perſona ait [terra ne operias ſanguinem meum, nec inueniat in te latendi locum clamor meus.] In quem locum Gregorius [ipſe inquit ſanguis redemptionis, qui ſumitur, clamor noſtri redemptoris eſt, melius loquitur ſanguis Ieſu,

Aug.

Fulgen.

Chry. ho. 88. in c. 27. Matth.

Iob. 16.

Greg. l. 13. Mor. c. 12.

quam Abel: quia sanguis Abel mortem fratricidæ petijt: sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetrauit, locum latendi clamor eius in nobis inuenit: si hoc quod mens credidit, lingua tacet. Sed ne in nobis clamor eius lateat, restat vt vnusquisque, iuxta modulum suum, viuificationis suæ mysterium proximis innotescat] Si igitur nos passionis mysterium pro viribus alijs prædicemus; illa clamore suo proximos in Christi amorem excitabit, & ad misericordiam quoque nobis impertiendam diuinum pectus inclinabit. Vt vero hoc à nobis diligenter præstetur, mente nobiscum semper reuoluamus quid hodie in hoc Pilati domus theatro Christus ad columnam alligatus nostri gratia patiatur.

Psalm. 44. Commiseratio in Christum. Heb. 1. Agge. 2.

9. O speciose forma præ filiis hominum! quis amabilem tuam figuram ita verberibus deturpauit, vt potius vilis terræ vermis quam homo habearis? ô splendor paternæ gloriæ! quis diuini vultus tui splendoribus verberum liuores ita induxit, vt opprobrium potius hominum, & plebis abiectio appareas, quam æterni patris splendor? ô vir super omnes viros desideratus omnibus gentibus, & iamdiu à mundi exordio expectatus! quis te virum dolorum, & scientem infirmitatem, iteratis flagellis, adeo affecit, vt omnium gentium abominatio iam existimeris? ô leprosorum salus! quis vario lepræ genere per flagellorum liuores, tuam sacratissimam contaminauit carnem? ô fili patris æterni! quomodo tanquam nefarius latro columnæ alligatus inhumaniter ita tractatis, vt velut à Deo percussus, & castigatus

habearis ? [hæc obſecro (vt monet Chryſoſtomus) ſemper lectitemus, mirificam enim afferunt vtilitatem. Nam perſpiciens ipſum verbis, & rebus, & habitu contemni, atque per illuſionem adorari, cædi denique, ac omnia pati extrema, etiam ſi lapis eſſes, ad mollitudinem ceræ flexus, omnẽ animi tumorem deponeres.] *Chry. ibid.*

Sed, ô bone Ieſu, nonne Propheta tuus dilectus Dauid, longè à te flagella abeſſe prædixerat? [& flagellum nõ appropinquabit tabernaculo tuo.] *Pſal. 90.* ecce modo tot flagella humanitati tuæ, diuinæ maieſtatis tuæ tabernaculo appropinquauit, vt nihil in eo ſit ſanum. Itane non appropinquauit flagellum culpæ ſcilicet propriæ, qui nullam vnquam commiſiſti culpam? flagella tamen peccatoribus propria tuam benedictam conciderunt carnem! Nonne grauius eſt ob alienam quam ob propriam culpam, cui obnoxius minime eſſe potuiſti, cædi, cum flagella culpæ, innocentiæ gratia debeatur, magiſque dignus commiſeratione innocens, qui ob aliena patitur ſcelera, quam nocens, digna ſuis demeritis ſupplicia ferens? nonne tua ipſius ſententia, ſolus ille dignus flagris, qui Domini ſui voluntati non obſequitur ? [ſeruus qui ſcit voluntatem domini ſui, & non facit eam, vapulabit multis.] *Luc. 12.* quomodo igitur ob alienã culpam, multis vapulas, qui patris tui voluntati ſemper obſequioſus fuiſti? nonne hoc tuum de te teſtimoniũ: [ea quæ placita ſunt ei, facio ſemper:] *Ioan. 8.* & tamen quaſi refractarius, & diuinæ legis contemptor multis vapulas ? ſatis tibi, vt illius de tua humanitate vaticinii veritas inuiolata habeatur (vt video) cum à peccati flagello, & pœna peccato propria

tabernaculum tuum, humanitus inquam tua immunis sit; satis ergo est tibi non accessisse peccati flagellum ad humanitatem tuam, quam ex purissimis Deiparæ sanguinibus tibi elegisti: [caro enim (vt ait seruus tuus Petrus Damianus) Mariæ ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit; sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est; sola illa mater, & filia creatoris, nec descendit, nec cecidit: sed de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est, totum opus gratiæ est, non naturæ.] ex huius vtero carnem diuinitati hypostaticè vniendam Dei filius assumens, nullo potuit vitio contaminari, nulla pudoris iniuria obscurari. ô quam paruis facis, bone Iesu, nostra interim in te conuersa flagella! Quanto amore illa subis, vt illis nostris sceleribus omnino deletis, animæ nostræ tabernacula sanctifices, vt in iis, tanquam in regali throno, augusta Trinitatis maiestas resideat. Hinc à flagellis tuum non vis tabernaculum eximi, donec nostra tui sanguinis purpura vestiantur, vt ornatus throni respondeat aduentantis Regis purpuratæ trabeæ. O amor finem nescis amoris! quonam filium Dei nostri gratia perduxisti? ad columnam excoriandum, vt nostræ animæ tabernacula purpurato eius corio tanquam aulæis sternantur.

Dam. serm. de Assumpt. virg.

Anima inuitatur vt Christo succurrat flagellato.

10. O anima mea, penetrent te sponsi tui flagella, illi occurre, festina, & munda conscientiæ syndone eius corpus, tui causa, sic excarnificatum cooperi, teque ante horum tortorum pedes velut prosternens, multis cum lacrymis

magnaque ſubmiſſione ingemina: ſatis eſt, ſatis eſt, ſit finis tandem tantæ crudelitati, heu ſatis eſt! parcite, parcite, parcite, inquam, illi vilis mancipij, & latronum anteſignani vices ſubeũt, & ſi pergant verbera verberibus adijcere, te potius velut ſcutum verberibus obtende, quam coram te patiaris dilectum tuum inhumaniter lacerari. [Nunquid (ait Chryſoſtomus) ſi per ſingulos dies mortem ſubiremus pro eo, qui nos ita dilexit, merito hoc vel minimam eius partem exſolueremus? & quandoquidem nequaquam debitum hoc exſoluere poſſumus, ſaltem adimpleamus, quod hic nobis præcipit.] Quid illud eſt [Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.] Quaſi dicat, in corde tuo imaginem ſponſi tui ſemper circumferas tam horribiliter lacerati, ne illius vnquam immemor ſis, geras quoque in brachiis ſculptam bonorum operum penicillo, vt ſic & mihi compatiaris, & omne bonum conſequaris. [Qui enim me habet, beatus eſt, licet reliqua omnia non habeat: qui reliqua omnia habet, & me non habet, beatus non eſt: qui reliqua omnia habet, & me habet, beatus eſt, non quia illa habet, ſed quia me.] Irrue igitur anima mea in tortorum medium, rape ab eorum manibus, ſaltem affectu, Redemptorem tuum. Nam vt video decretum per ſacerdotum Principes, Scribas, & Phariſæos ſancitum effectui dare ſicarij ita ſtatuerunt, vt Chriſti ſupplicium non vnius tantum mancipij, aut latronis excederet, ſed omnium etiam totius regionis malefactorum, vt infamis præ omnibus habeatur. Illi quidem ſtatuerunt, vt qui ſupra quadraginta flagellorum ictus

Chryſoſt.

Cant. 8.

Auguſt.

Digitized by Google

acciperet, infamis prorsus censeretur ac proinde ad obeunda reipub. officia inhabilis omnino iudicaretur. Vnde Theodoretus de Pauli flagellatione ait, [Iudæi vna minus inferebant, quia maior numerus vapulantem infamat:] iuxta illud [neque addas ictus plures, ne frater tuus dedecore contabescat.]. Verum illorum rabies ita in Saluatorem exarsit, vt legis obliti quilibet ex cohorte manus in eum inijciens egregiè flagellauerit. Vnde alij existimant quinquies mille super quadraginta accepisse verbera, alij quinque millia verberum super quingenta, alij sex millia & sexcenta sex: alij centum quinque millia super quadraginta & nonaginta: alij denique centum quinque millia cum trecentis & septuaginta. Mirum certe quomodo non inter manus eorum expirauerit: expirasset proculdubio nisi diuinitas ad reliqua passionis tormenta seruasset. O! quanta hæc crudelitas! ô quanta Christi patientia, & quantus in nos paterni amoris excessus! Hinc merito exclamat Bernardus [ô ineffabilis dilectio charitatis! vt seruum redimeres, filium tradidisti! Amemus ergo amorem illius, & dicamus, noui Domine, quod amas me; qui filio tuo vnigenito non pepercisti propter me.]

Theod. q. 31. Deut. 25. Gertrud. li. 4 diuin. in sinu c. 35. Gra. in medi. feri. 4. Ioann. Aquil. ser. de pass. Horozquus in decla. 24. Rodolph. de vita Chr. Salu. de flagel. tract. 19. Bernard.

Inuitatur Deipara vt contempletur filium ſuum verberibus conciſum.

CAPVT LII.

Mariæ inuitatur ad hoc flagellationis ſpectaculum.

1. O Virgo ſanctiſſima! vbi hoc flagellationis tẽpore agis? audiſne verberum crepitus, & verberantium clamores ſe inuicem ad fortiora & frequentiora prouocantium verbera? audiſne quomodo in ictus alternis vicibus indignabundi fortius inſurgunt? videſne quomodo ſacratiſſimam filij tui cutem diuerberent, dilanient, diſcerpant? videſne quomodo inter flagella ſuo perfuſus ſanguine veluti exanimatus ad mortem tendat? videſne quomodo largo cruoris profluuio terram ſibi ſubiectam vndique madefacit? audiſne aſtantium acclamationes, quibus in verbera filij tui torrores animent? audiſne ſacerdotum, Principum, Scribarum, & Phariſæorum exultantes voces, quibus ſibi inuicem de tam pingui præda congratulantur, torroreſque ad crudelitatem in filium tuum exercendam armãt? horum clamores, acclamationes, & gratulationis voces te tandem excitent, vt cum feſtinatione acceleres, vt filium tuum, ſi potes, à ſicariorum manibus; imo potius à patris ſui ira liberes; feſtina, & vide an filium tuum adeo deturpatũ, ab aliquo mãcipio, flagellis conciſo, poſſis diſtinguere: ecce vt tandem excitata in lacrymas tota conuertitur cum propheta ingeminans, [quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis

Bern. de lamen. Mar. Hier. 9.

fontem lacrymarum, vt possem flere per diem, & noctem, donec ancillæ suæ Dominus Iesus appareat visu, vel somno consolans animam meã? ô vos filiæ Hierusalem sponsæ dilectæ Dei, vnà mecum lacrymas fundite, donec filius meus vester sponsus, in sua speciositate benignus mihi appareat; recolite, recolite, & sedula mente pensate, quam sit amarum ab ipso separari, cui vos promisistis ac nupsistis: cui vos in omni sanctitate vouistis. currite filiæ, currite virgines sacræ, omnes ad me currite, quæ peperi Saluatorem vestrum, ipsa portaui regem gloriæ, illum omni petenti datura. Ipsa genui eum, lactaui, die octaua circumcidi, & quadragesima præsentaui in Templo, fugiens ab Herode ipsum portaui in Ægyptum, lactans eum & nutriens, curam illius habui, sequens eum ferè quocunque pergebat.] Audio vocem Virginis plorantis, & summo amore desiderantis videre filium suum: eam itaque iam præsentem miserè flagellato, alloqui lubet. Considera igitur, ô Dei mater, filij tui angustias, vide sacratissimam eius carnem penitus conciſam, & si ex vultu illum agnoscere non potes, considera an saltem ex vestibus valeas ipsum agnoscere, dispice diligenter an sit hæc tunica filij tui Iesu, quam eleganti artificio illi aliquando concinnasti? contemplare an tot sint diuersa fila varie in tui filij tunica intexta, quod notatur sanguineis acutissimæ acus velut puncturis! non est Phrygio tam ingeniosus, qui acu eleganter pingat, aut vestes auro intexat, vt hi Phrygiones tunicam filij tui aculeatis spinis, & vncis ferreis depinxerunt! Ecce, vt instar pretiosissimæ ex auro vel argento, aut altera excellenti materia

telæ in minutiſſima filij tui carnem fruſta incidant, vt inde pulcherrimum texatur opus, tot elaboratum aureis, ac purpureis telis, quo vniuerſa ditetur Eccleſia! vide an ſit hæc illa inconſutilis tunica, quam filio tuo olim elaboraſti! verè inconſutilis iſta modo eſt tunica, tot verberibus in partes conciſa, vt nulla eius pars alteri hæreat, aut aſſuatur: à ſuperiore quidem parte adhuc contexta, cum nondum ſpinis caput ſit diſſutum, quod vbi ſeptuaginta duabus ſciſſuris, diſcriminatum fuerit, omni ex parte erit inconſutilis. Hæc eſt ergo illa tui Ioſeph tunica. [heu fera peſſima deuorauit eum, & conculcauit in furore ſuo veſtimentum eius, omnem decorem eius reliquiis cruoris inquinauit. Ecce innumeras ſciſſuras lamentabiles in eo reliquit. Hoc eſt Domina veſtimentum quod in manu Ægyptiæ meretricis innocens puer tuus dereliquit, meliorem æſtimans iacturam pallij, quam pudicitiæ, magiſque eligens ſpoliatus carnis pallio in carcerem mortis deſcendere, quam pro mundi gloria adulterinæ voci acquieſcere, illi inquam voci qua dictum eſt, hæc enim omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.] hæc eſt illa tunica quam è tuis aſſumpſit viſceribus, quam multò ante Iſaias ſpiritu prophetico filij tui ipſius ſanguine in paſſione aſpergendam, & cruentandam prædixerat: Hinc ille [Spiritus propheticus veluti iam contemplabundus Dominum ad paſſionem venientem, carne ſcilicet veſtitum, vt in eo paſſum, cruentum habitum carnis in veſtimentorum robore deſignat, conculcatæ & expreſſæ vi paſſionis tanquam de foro torcularis: quia exinde quaſi cruentati homines de vini rubore deſcen-

Geneſ 39. Bern. de lament. Mar.

Iſai. 63. Tertull. l. 3. contra Marcio. cap. 40.

Geneſ. 49.

Digitized by Google

dant, iuxta illud : lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum : ſtolam & amictum carnem demonſtrans, & vinum ſanguinem.]

2. Agnoſciſne, ô virgo, hæc filij tui indumenta, ſuo ipſius cruore rubra ? ô quam vehemens dolor, agnita filij ſui tunica maternum pectus comprehendit, fodit, lacerauit! quomodo audire illam videor in hunc modum lamentari, [fletus ducite oculi mei, & liqueſce anima mea igne compaſſionis ſuper contritione amabilis pueri mei, quem in tanta amaritudine tot vides affectum doloribus.] quemadmodum enim Tribunus, accepto fuſte damnatum verberabat, vt hoc veluti ſigno dato, omnes qui in caſtris erant in damnatum irruentes fuſtibus eum cæderent: ſic Pilatum lugubribus oculis contemplata ſum, vt Iudæis placeret, apprehendiſſe filium meum, & flagellaſſe, quo indice accepto, omnes eum certatim verberibus conficientes vidi: non aliter atque faber ferrarius, qui forcipe candens ferrum è foco eripiens incudi applicat, leniquè malleoli ictu partem robuſtis operatiis maioribus malleis concutiendam demonſtrat, qui alternatis ictibus, ita illud contundunt, vt in aliam prorſus formam transeat. ita filij mei corpus columnæ tanquam incudi applicatum verberibus contuderunt, verſando, & reuerſando, vt in eo neque ſpecies, neque decor remanſerit, monſtrumque potius, quam hominem retulerit. eo propterea maior fuit Mariæ luctus, quo acerbius etiam tortores amaro ioco ſibi illudentes viderit, tunc enim per irriſionem à tortoribus illi dictum contemplari poſſumus : [ve-

Bern. ſerm. de paſſ. Calius Rodigin. l. Antiquit.

ni mulier, vide filium tuum, iacet enim iuxta columnam proſtratus ſuo purpuratus ſanguine, & ſpiritus vix eſt in eo. Ipſe in ſe noſtram prouocauit rabiem, ipſe ſuum ſanguinem fudit, qui tantæ excarnificationis cauſam nobis præbuit, volens vſurpare regnum Iudæorum in præiudicium Imperatoris Romani: ô quanto cum dolore mater ſanctiſſima ſanctiſſimi filij tortores filio & ſibi inſultantes audijt? cerneres proculdubio, niſi modeſtia, animique conſtantia prohiberet, matrem quaſi læænam raptis catulis irrugire, palleſcere, ac totis artubus intremiſcere ad locum facinoris feſtinantem: cerneres in eum oculos eleuantem, ſed vteri ſui filium adeo deformem contemplantem, ſtatim eos deprimere videres: eius enim aſpectum ferre non valebant. Amor quidem oculos leuare compellebat, ſed dolor cogebat eos deprimere. Quare quocunque modo ſe gerebat, cum filio columnæ alligabatur & maximis cruciabatur tormentis. Si enim eum non aſpiciebat, amor illam torquebat, & ardens videndi deſiderium. Cum aſpiciebat, doloris gladius illius viſcera penetrabat, cernentis eum virum verè dolorum. Quid enim ex dolore naſci poteſt, quam dolor? hæc enim ſunt verbera eius dolore, & commiſeratione plena, quibus filij ſui cruciaru ſe ſignificabat excarnificari. [Inſtante, inquit, tempore paſſionis filij mei, inimici eius rapuerunt eum percutientes in maxilla, & collo: ductus autem ad columnam perſonaliter, exuit veſtes ſuas, manuſque ſuas applicuit columnæ, quas inimici ad columnam alligauerunt. *Brigit. lib. 1. Reuel. c. 10.*

Ad primum ictum ego, quæ astabam propinqua, cecidi, quasi mortua, & resumpto spiritu, vidi corpus eius flagellatum vsque ad costas, ita, vt costæ eius viderentur, & quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cumq; filius meus totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, vt in eo non inueniretur sanitas, nec quod flagellaretur: tunc vnus concitato in se spiritu, quæsiuit; nunquid interficietis eum sic iudicatum? & statim secuit vincula eius.] ô magnorum spirituum athleta diuino incitatus spiritu, qui solus tandem inuentus es, vt Christo animam quasi agenti succurreres! Cerneres interim matrem repentè in terram cum filio corruentem, dulce pignus identidem exosculantem, quasi vnà cum filio morituram [atque, vt mater (inquit Ioannes Damascenus) filio esset quam simillima, dolores perpessa est grauissimos. Ipsa enim beata, & super naturam, donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiens, & quem Deum per natiuitatem agnouit, illum vt maleficum (flagellis iam concisum) videns tanquam gladio cogitationibus decerpitur.] cerneres proinde illam madidis oculis in torrores reflexis, luctuosa voce inclamantem: ô sicarij, quid egistis? cur filium Dei generosam vteri mei prolem sic tractastis? væ vobis, qui æterni patris filium flagellis concidistis, & væ peccatoribus, qui huius calamitatis ansam, nisi resipiscant, præbuere.

Damasc. 4. Orthod. 15.

Christus botrus Cypr.

3. O quam appositè in Mariæ persona, sponsa olim botro, & vineis Engaddi Christum comparauit:

rauit : [botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi:] non modo mihi fasciculus myrrhæ amariſſimæ inter vbera mea poſitus animæ meæ ſponſus : ſed botrus mihi etiam Cypri in vineis Engaddi: [Si (vt ait Bernardus) dilectus in myrrha, multo magis in botri ſuauitate.] Sicut enim botrus premitur : ſic filius Dei inſtar botri flagellis quatitur, & vbi ? in vineis Engaddi, quod ſonat fontem hædi & tentationis. Ex me igitur natus , ait Deipara, non alio loco eſt, quam in vineis Engaddi, in hoc nimirum mundo vere hædorum fonte, & tentationum. Tanta tamen filij mei benignitas vt [ex fonte hædi profluere chariſmata meliora faciat , cuius vtique vnctio hædos vertit in agnos, & de ſiniſtra transfert in dexteram peccatores , abundantius quidem ante perfuſos vnctione miſericordiæ , vt vbi abundauerunt delicta, ſuperabundet & gratia] quid, obſecro , frequentius in hoc mundo peccatorum hædis , tentationibus, miſeriis, ac laboribus ? botrus itaque Cypri diuini vinitoris Spiritus-ſancti in vteri mei agro ad maturitatem productus apparuit hodie in vineis Engaddi, in turbido mundi fonte omnium tentationum origine. Et ſicuti botrus ille licet ſingulari polleat pulchritudine , in torculari tamen poſitus, à vinitoribus calcatus, contritus, & expreſſus omnem effundit liquorem , ſuamque amittit pulchritudinem : ſic filius meus tanquam pulcherrimus Cypri botrus: [ſpecioſus enim forma præ filijs hominum] ex puriſſima meorum viſcerum terra, omni exempta peccati maledictione in lucem, plenus gratiæ & veritatis, editus, & iam maturus in flagellationis torculari

Cant. 1.

Bern. ſerm. 44 in Cant.

Bern. ibid.

Pſalm. 44.

hodie positus, ab immanibus diaboli vinitoribus conculcatur, & flagellis premitur, & ita conteritur, vt plurimum pretiosissimi sui sanguinis liquorem in terram effuderit, omnemque natiuum amiserit decorem: [nos, inquit propheta, putauimus eum quasi leprosum] Ita enim contraxit, (vti videtis) ex flagellorum ictibus deturpatam quandam vultus, & totius corporis speciem, vt leprosus omnino esse videretur, quamuis optimæ Cypri naturam minimè amiserit. Ex ipso siquidem suauissimi Balsami & gratiæ vnguentum copiosius fluxit, quod singulari odore, & incredibili suauitate hædorum fœtores è mundo expelleret, & contra quaslibet tentationum species nos redderet fortiores, modo expressum è corporis eius botro vinum suauissimum lætificans omnem tristitiæ confectam animam, auidè sumamus [vinum vnde? profecto (inquit Bernardus) ex botro Cypri. Etenim si amas Dominum Iesum toto corde, tota anima, tota virtute tua, nunquid si videris eius iniurias contemptumque, ferre vllatenus æquo animo poteris? minimè: sed mox arreptus spiritu iudicij & spiritu ardoris, & tanquam potens crapulatus à vino, repletus zelo Phinees dices cum Domino: zelus domus tuæ comedit me. Vinum est ergo feruidissimus zelus iste, expressum de botro Cypri, & calix inebrians Christi amor.] His itaque instructus armis securus accede cum Deipara ad sananda si potes vulnera illius qui incidit in latrones piissimi Samaritani] Virginei vteri fructus [Securè quoque dicito & tu cum Maria: botrus Cypri, dilectus meus mihi in vineis Engaddi,

Isa. 53.

Ber. ibid.

hoc est, zelus iustitiæ amor dilecti mei mihi in affectibus pietatis] Et si vulnera eius sanare non vales, dic cum Dauide: [Ego in flagella paratus sum, sciens me adhuc longè recipere impatia meritis] quæ mei gratia in sua cute suscipit Christus, suscipit & mater in suo pectore. [Vapulem sanè vapulem, (vt vtrique condolens) malè hactenus operans, si fortè verbera immerita reputentur: fortassis miserebitur flagellato (ipse, mei causa, flagellatus) qui bonum in me non inuenit, quod remuneret.] *Psal. 37.* *Ber. ibid.*

4. Si igitur locum quæritis istius botri sic flagellis pressi, vt pro nostris peccatis plenè patri satisfaciat, locus sic dicitur in quo Opobalsamum gignitur (inquit Ambrosius:) si interpretationem, tentatio Latine significatur. In illis enim vineis lignum est, quod si quis compungat vnguentum emittit. Hic fructus est ligni, si non incidatur lignum, non ita fragrat & redolet. Cum autem compunctum fuerit artificis manu, tum lactymam distillat.] Si botri cælestis nostri locum etiam quæritis, locus hic virgineus Mariæ vterus dicitur, in quo omnium virtutum Opobalsamum gignitur omnis expers tentationis, in quo fons omnium gratiarum Christus nimirum scaturijt. In huius Virginei vteri vinea lignum, quod vbi germinarit octauo die compunctum, pretiosissimum sanguinis vnguentum emisit, fructum ligni salutiferum, quo Iudæa tantummodo odoris suauitate replerat, postmodum non intra angustos Iudææ limites sese continuit, sed in vniuersũ *Ambr. in Psal. 118. octon. 3.*

terrarum orbem sese longe lateque diffudit, & hodie præsertim variè per flagella compuncto & sanguineas distillante lacrymas omnibus ægritudinum generibus medicinam exhibentes, & per totum mundum sanctificationis odorem effundentes. Quod si ergo incisum tam variè non fuisset, non ita nobis fragrasset nec odoris suauitatem sparsisset. Compunctus igitur iteratis flagellorũ ictibus Iesus vteri tui ô Maria fructus, odorem remissionis peccatorum & humani generis redemptionis effudit. Quare etsi putauerimus eum quasi leprosum, optimæ tamen Cypri liquorem flagellis pressus ad animarum medelam per totam diffudit Ecclesiam. Magnus sane hic flagellationis fructus, doloris nihilominus acerbissimi gladius tuum interim, ô Maria, lancinat pectus, & in lacrymas cor tesoluit, dum vides filium vteri tui iam flagellis concisum, ærumnis plenũ, vulneribus excarnificatum, & omni destitutum consolatione acclamantem, [O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.] Profecto lugubre hoc canticum intra Virginis penetrauit pectus, vt omnem flagellorum acerbitatem in suo pectore collectã sensérit [Vtinam dolor iste sic quotidie inhæ-

Thre. 1.

Ber. de lauent. Deipar.

erret visceribus meis, sicut inhæsit tunc tuis. Vtinam die qua assumpta fuisti in cælum vt in æternum gauderes cum filio tuo, mihi indicasses lacrymas tuas, vt per illas cognoscerem quantum tibi amaritudinis fuit cum Iesum dilectum tibi, heu, heu & parum dilectum mihi] crudeliter flagellatum, & sanguine suo humi prostratum vndique perfusum. Et subdit: [quare ego miser non ploro, cum abiectio plebis factus est filius

Dei patris? veruntamen tu Domina gaude gaudio magno valde, ab ipso iam glorificata in cælis, quæ in mente] tot flagellis, quot ipse subijt mirificè cruciabaris. [Mihi tamen obsecro, lacrymas illas infunde, quas ipsa habuisti in eius passione,] vt quoties illius mentionem fieri audiam, his affluam largius, & doleam de tanta iniuria filio tuo, magistro meo, ingrati hominis causa illata.

Inuitamur vt cum Maria Christo flagellato condoleamus.

CAPVT LIII.

Inuitamur ad condolendū Christo cum Maria.

1. EXitus aquarum deducant cum Maria oculi vestri, ô animæ Deo deuotæ, coram Christo flagellis excarnificato! lugeant, plorent, lacrymentur ingenti compuncta dolore amantia Christi pectora, vobis proposita incredibili flagellationis crudelitate. Plangant immites oculi, qui suam vitam verberibus mori inter flagella cernunt, eoque potius, quod Iesus ipse inter flagellantium manus, lugeat, ploret, lacrymetur; non oculis, sed vulneribus, non lacrymis, sed sanguinis pretiosissimi riuis, & tot oculis, quot accepit in corpore vulnera: tot sanguineis etiam riuis, quot scissuras in sacratissima eius cute, per flagella cernitis! plorate igitur, lugete, lacrymas vberrim cum afflicta Christi matre, animæ Deo sacræ effundite. Ecce mater plorat, luget, lacrymatur, quæ filij vulnera sentit in

anima, ſicuti filius in corpore: quæ acerbiſſimis inuſitati doloris gladiis tot configitur, quot filius ſuſcepit verbera. Plorate ergo, hoc ſpectaculo vobis propoſito: filio & matre per mutua confoſſis vulnera, per mutuos traiectis dolorum gladios, per mutuum languentibus amorem; aſpiciebam, inquit illa, ego infelix & miſera Deum meum & filium meum in columna ligatum & innumeris fatigatum flagris. Tantoque dolore & triſtitia vexabar in mente, quantum non poſſet explicari ſermone, nec mirum. Erat enim aſpectu dulcis, colloquio ſuauis, & omni conuerſatione benigniſſimus. De vultu illius pulchritudo effluxerat omnis, & qui erat præ filiis hominum ſpecioſus forma, videbatur omnium indecorus. Videbam, quod complebatur illud propheticum in eo: [vidimus eum & non erat ei ſpecies neque decor] audite etiam Dei filium ſanguineis obortis lacrymis de nobis omnibus conquerentem cum intimo doloris ſenſu: [ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur & non inueni] videtis iuxta columnam doloroſam eius matrem filio condolentem, mœſtitiam potius ſuo aſpectu illi ingerentem quam conſolationem: nam ad modum lugentis, complicatis manibus, demiſſo in ſinum capite irremediabilibus deplorat lacrymis filij ſui excarnificationem. [Aſpiciebat & ipſe benigniſſimo vultu, inquit ipſa, me matrē plorantem, & verbis paucis voluit me cōſolari, ſed ego nullo modo conſolari potui, flebam dicendo, & dicebam flendo: fili mi, fili mi, væ mihi, væ mihi. Quis dabit mihi vt ego moriar pro te fili mi? O miſera quid faciam? moritur penè inter flagella filius meus. Cur ſecum non moritur hæc mœſtiſſima

Ber. de lament. Deipa.

Pſal. 68.

Bar. ibid.

mater eius, mi fili, fili mi? amor vnice, fili dulciſſime, noli me derelinquere poſt te, trahe me ad te ipſum, vt & ego flagellis tuis moriar tecum.]

2. Videtis Chriſtum viribus deficientem, & crudeliori quodammodo flagellationis modo, matris nimirum ineffabili dolore exagitari. Videtis matrem duplici etiam flagellationis tortura vexari, dolore nimirum & amore [nunquã te deſeruit bone Ieſu mater tua, non in infantia, non in adoleſcentia, non in iuuentute, non in paſſione tua nũquam tibi defuit eius ſolatium, ſed neque obſequium: lactat infantem, audit & ſequitur prædicantem, videt & comitatur patientem, & omnia contemplatur opprobria] hæc amoris ſimul & doloris in eius pectore auxerunt magnitudinem & tui, bone Ieſu, erga illam amoris teneritudinẽ mirificè auxit. Videmus proinde vtrũque filium & matrem mutuis confoſſos vulneribus & de nobis amabili ſimul & luctuoſa voce conquerentes: [ô vos omnes qui tranſitis per viã, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor noſter.] conſiſtamus itaq; pauliſper, & vtriuſque perpendamus dolores ex immẽſo amoris affectu natos. Vtriuſq; igitur amori & conſequẽter dolori nullus vnquã fuit ſimilis: nam vt ait Ethicus: [pulſus doloris eſt amor.] Quemadmodũ enim expertus medicus quanta ſit febris eiuſque calor ex pulſu venæ facile aſſequitur; ſic quantus fuerit in hac flagellatione filij & matris dolor, ex amoris reciproci pulſu cognoſcitur. Nã menſura & vlna doloris eſt amor. Quantus ergo amor, tantus dolor; & quãtus dolor, tãtus amor. Ratio à priori eſt, inquit noſter Cornelius, quia quantũ quis amat bonum aliquod, tantum odit malum illi oppoſi-

Aug.

Thren. 1.

Corne. corne. in 1. c. Thre.

tum, tantumque dolet, si illud ei infligatur. Quantum vero Virgo amauit Christi salutem & vitam, tantum doluit de eius cruciatu & tormentis.

3. Tantus sane vtriusque dolor, vt sufficiens fuerit ad vtrumque penitus extinguendum, nisi diuina virtute vterque ad maiora seruaretur passionis tormenta. Nam verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos liuore eius sanati sumus. Quis est (interrogat Ambrosius) igitur cuius vulnere plagarum sanati sumus, nisi Christus Dominus? de quo idem propheta Isaias: quia plaga eius nostra medicina est. Doles ergo Domine non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed nostram infirmitatem, & nos æstimauimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres] Et alibi: [Pro nobis non pro se dolebat, & infirmatus est non propter sua, sed propter nostra peccata, vt nos suo liuore sanaret. Quid vtique est homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem, nisi quia plagæ nostræ habebat compassionem?] Non ergo liuore tantum verberibus affecto, sed ex nimio etiam amore contracto sanati sumus. Tam enim intensus fuit in nos Christi amor inter ipsa etiam flagellorum verbera, vt per amorē potius vitales omnes fere spiritus, quam per flagellationis laborē consumpserit, qui & liuidum pallidumque eum reddens, nobis simul amabilem & salutarem fecit. Quanto igitur amore nos prosecutus est, tanto etiam dolore nostri causa affectus est. [In finem vero (vt ait quidam Doctor) amoris peruenit Christi amor] & in finem etiam peruenit eius dolor. Finis autem amoris mors est pro amato'

Isa. 53.
Amb. l. de spirit. sanct. cap. 8.
Amb. in Luc. c. 22.
Ambr. in Psal. 61.

finis vero doloris cum ipsa morte desiit. Venit in altitudinem maris amoris ignis : sed in maris profunditate (inquit idem) magis exarsit; tempestas flagellorum demersit vitam, sed non charitatem] & propter amoris magnitudinem vitalibus pœne consumptis in flagellatione spiritibus, tandem in cruce ipsam breui animam nostri gratia exhalaturus est.

4. Quid attinet modo dicere de Virginis dolore, in qua expletum est illud Simeonis vaticinium : [Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.] Non certe vnus, sed plurimi doloris gladij Mariæ hodie pectus penetrarunt; quot enim verbera filius excepit in corpore, tot illa doloris gladios suscepit in anima. Hinc tanto affecta est dolore vt suffecerit Bernardino authore ad omnes penitus creaturas interficiendas: [Tantus, inquit, fuit dolor Virginis, vt si in omnes creaturas, quæ pati possunt, diuideretur, omnes subito interirent.] Quare tanto animi robore præditam fuisse certum est, vt licet omnia, & singula Christi verbera ad viuum sentiret in anima (quem plusquam animam, & vitam suam diligebat) non tamen defecerit; sed diuina cælitus induta magnanimitate, quamuis grauissimè pateretur in anima, constantissima tamen corpore, & anima semper extiterit. Quis igitur vtriusque dolores ex mutuo amore profectos vel aliqua assequi poterit coniectura. [Ad locum inquit Ecclesiastes, vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant] dolores itaque omnes, quibus filius afflictabatur, in afflictissimæ matris animam, velut in mare flumina, retorquebantur, & inde rursus ad filium reuerte ban-

Luc. 2.

Ingens Mariæ dolor, Ber. Ho. 1. ser. 61. ar. 3. c. 2.

Eccle. 1.

tur, vt vtrinque mutuis doloribus conficerentur, & alterna verberum, & vulnerum viciſſitudine lancinarentur, quorum animæ velut in vno corpore, & corpora, quaſi vna anima informata parem quodammodo doloris menſuram ſortiebantur, quæ adeò ingens erat vt omnem dolorum menſuram, quos martyres ſenſerunt, exceſſerint. Quare vtérque pluſquàm martyr, in hac crudeliſſima flagellationis carnificina extitit. Quia martyres in carne, quam oderunt (vt ait Hieronymus) patiuntur, & ita eum torqueri ſpiritu deſiderant: at Chriſtus eiúſque mater, non in carne, quam oderant, ſed in carne & anima, infinito dignis amore, patiebantur: illa in carne filij ſui pretioſiſſima, Chriſtus in matris anima ſui cauſa afflictiſſima, vt ab vtróque verè vſurpari poſſit: [non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.] Ac ſi apertè dicat: [culpã non feci, inquit Gregorius, & flagella ſuſcepi,] & paulò pòſt ſubdit [Redemptor enim noſter ad ereptionem noſtram veniens, & non peccauit, & amaritudinem pertulit: quia pœnam culpæ noſtræ, ſine culpa ſua ſuſcepit.]

Iob.17.

Gregor.li.13. Moral.c.10.

3. Reg. 3. 5. Si matris illius commota ſint viſcera ſapienti audita Salomonis ſententia, veritatis tantummodo eliciendæ cauſa, prolata, qua iudicauit cõtrouerſum inter illam, & aliam mulierem puerum ex æquo diuidendum, & partem vnicuique dandam: quanto magis Deiparæ viſcera commoueri debuerant cum in filium vteri ſui iniquam ferri flagellationis ſententiam intellexerat, illúmque coram in partes lacerari, vulneribus concidi, & excarnificari conſpicata fuerat, neque ſibi dari ſic vulneratum, ſed potius ad cru-

Digitized by Google

deliora ſeruandum tormenta cerneret. Tot certè animo afflicta mater, tunc ſuſcepit mente ſanguinis hauſtus, quot ipſe è toto corpore cruoris riuos emiſerat, quibus veluti ebria, animam ſuam veluti hoſtiam in ſacro puriſſimi corporis ſui altari, cum filij corpore æterno patri obtulit. Vnde illam fuiſſe Aram (de qua in Leuitico) vituli ſanguine ſepties irrigatam, dicere poſſumus. *Leuit. 4.*

Quoties enim filius ſanguine cruentatus apparuit, toties eius anima mœrore velut cruentata contabeſcebat, & vox præ triſtitia in verba efformare vix poterat [vox, inquit, mea ferè perierat omnis, ſed dabam gemitus ſuſpiriáque doloris. *Bern. ſer. de lament. Vir.* Volebam loqui, ſed dolor verba rumpebat: quia verbum iam mente conceptum, dum ad formationem procederet oris, ad ſe imperfectum reuocabat dolor intimus cordis. Vox triſte ſonabat foris, vulnus denuncians mentis. Verba donabat amor, ſed raucè ſonabant, quia lingua magiſtra vocis vſum perdiderat loquendi] Videbam humi proſtratum puerum meum præ verberum dolore quaſi animam agentem, quem vnicè diligebam, [& tota liquefiebam præ doloris anguſtia] eóque potiùs quod ipſe ſublato nonnihil vultu anguſtias pectoris ſui tacitè indicauit, maximè ob immenſum matris ſuæ mœrorem ex filij ſui carnificina natum. Quis ergo filij & matris dolores, vel coniectura aſſequi poterit, cui non priùs flagellationis acerbitas, & reciprocus filij & matris amor pernotus ſit?

6. Quis igitur incredibili conſiderato vtriúſque dolore, animo non commoueretur? quis verberibus filium coram matre concisum, & ad mortem turpiſſimam breui iudicandum cernens *Ad compatiendũ Chriſto incitamur.*

non ingemiſceret matris præſertim tanti filij gemitus & ſuſpiria trahentis. Cum Propheta Elias Dei Prophetas interfectos, & altaria templi deſtructa cerneret, ex ardentiſſimo quodam diuini cultus & iuſtitiæ zelo mortem expetiit. 3. Reg. 19. [Altaria inquit tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt: ſufficit mihi Domine tolle animam meam] quis Prophetarum Regem verberibus agitatum, & ad mortem crucis damnandum altariaque Dei deſtructa, membra nimirum illa Chriſti cæleſtia, quibus tot æterno patri offerebat ſacrificia flagellis excarnificata videns non cohorreſceret, & mori potius expeteret, quam lamentabile huiuſmodi ſpectaculum cernere cogeretur? quo igitur animo iuxta columnam ſtans beatiſſima eius mater hoc intuebatur prodigium? omnia certe ſuo corpore verbera excipere, quibus vteri ſui filius contundebatur, maluiſſet, & eius gratia millies mori, quam tam crudele inturri facinus. Hinc illam in hunc modum Bernardus exclamantem inducit [moriatur tecum iſta tua genitrix, ô mors miſera, noli mihi parcere, tu mihi ſola præ cunctis places, exaggera vires, trucida matrem, matrem cum filio perime ſimul, fili dulcor vnice, ſingulare gaudium, vita animæ meæ, & omne ſolatium, fac vt & ego ipſa nunc tecum flageller, & moriar, quæ te ad flagella & mortem genui, ſine matri noli mori] ô quomodo hæc mæſtiſſimæ matris lugubris querela filij auxit dolorem. [ſtabam, inquit ipſa, & ego videns eum: & ipſe videns me, plus dolebat de me, quam de ſe:] ô quam feſtine ſi tunc permitteretur ſeſe mater filij ictibus expoſuiſſet vt eum indemnem ſer-

Bern. ſerm. de lament. Mariæ.

Bern. ibid.

uaret? quomodo omnia charitatis obſequia illi exhibuiſſet! quomodo columnæ alligato & poſtea proſtrato & ſuo ſanguinis balneo circumfuſo, ſuccurriſſet! quomodo vulneribus conciſum & ſuo purpuratum ſanguine, nudumque penitus aliquo texiſſet linteo!

7 Sed cum hoc matri non ſit conceſſum, animi ſaltem greſſibus ad eum accedamus, & ſingulari mentis affectu, quantum in nobis eſt, omnia charitatis officia illi præſtemus, ſparſaſq; neglectim eius veſtes, incredibili animi teneritudine colligentes è columna diſſoluamus; diſſoluendo (vt nos monet Iſaias) colligationes impietatis; ſoluendo (vt ait Cyprianus) omnem nodum iniuſtitiæ, reſoluendo ſuffocationes impotentium commerciorum; ſoluendo faſciculos deprimentes, dimittendo eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus diſrumpendo [ſolue igitur (ô Chriſtiane, vt te monet Hilarius) omne vinculum, & omnem nodum iniquitatis. Nam ſi à præceptis Dei declinaueris, & his obligationibus peccatorum te colligaueris (graui peccati onere oppreſſus;) abduceris in pœnas æternas cum operantibus iniquitatem, Chriſto ad columnam ligato. Sequitur in Propheta: Frange eſurienti panem tuum antequam vel ipſo affectu Chriſtum è columna ſoluere aggrediaris; [quod tibi ſubtrahis (vt monet Greg.) ergo alteri largire vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Sibi enim quiſque ieiunat, ſi ea quæ ſibi ad tempus ſubtrahit, non pauperibus tribuit, ſed ventri poſtmodum offerenda cuſtodit; porro egenos vagoſque induc in domum tuã: cum videris nudum operi eum] & ſic omne

Iſa. 58.
Cypr. ad Quirin. c. 1.
Hilar. in pſ. 114
Greg. ho. 16 in Euang.

charitatis erga Christum obsequium expleueris. Hinc Augustinus, [Imple, ait, miserationis officia, & sanctificasti ieiunia. Sagena pauperum viscera, & anima tua muneribus sanctitatis pinguescet. Vesti nudum & tua peccata contecta sunt. Peregrinum hospitio tuo contende suscipere, vt & te Deus in cælorum regna suscipiat.] Vbi verò hæc charitatis obsequia præstiteris, & peccata ob quæ Christus alligatur colũnæ penitus dimiseris, eum à columna liberũ dimittere censeberis: tũc demũ veræ contritionis lacrymis corpus eius rigare, & capillis superfluarũ terũ in pauperes collatarũ tergere diceris, illãq; suis induere vestibus, non vt à passione cesset, sed potius vt sese in vastissimum dolorum, laborum, & pœnarũ pelagus nostræ sanctificationis gratia prorsus immergat, donec omnem amittat speciem, & hominis figurã. Quam eius mutationem multo ante Isaias prædixerat: [Et nos putauimus eum quasi leprosum.] Hanc verò Christi in flagellatione metamorphosen in illa Moysis manu adumbratam dixeris. Nã quemadmodũ Moysis manus quamdiu intra sinum seruabatur, valida erat, & sana, quam inde eductam, illico debilem, & lepra infectã sentiebat; sic Dei filius, qui & manus in scriptura appellatur, iuxta illud Psalmistæ: [emitte manũ tuã & eripe me,] quamdiu in sinu patris, quasi delituit, incolumis fortísq; mãsit, adeò vt neque tractari, tangi, aut flecti posset. Verùm è patris sinu eductus per incarnationem, [Exiuit enim à patre & venit in mundum,] subito infirmus efficitur, qui ante semper inuictus erat, miseriísque minimè obnoxius, ita illis subditus est, vt percussus à Deo, humiliatus & leprosus censeatur.

Aug. ser. 50. de temp. & serm. 172.

Isa. 53.

Exod. 4.

Psal. 43.

Digitized by Google

8. Verè leprosus,ô Christe!appares in hoc flagellationis cruciatu, in quo corpus tuum secundùm varias partes intumescit, prout magis, minúsve plagis exulceraris. Varius quoq; color tuus, te leprosum ostendit,nunc pallidus, nunc ater, nunc rubeus,nũc liuidus ex flagellorũ vibicibus, cuius præterea capilli, oculi, faciésq; tota sanguine, & sputo fœdata atque adeò deformis,vt Pilatus ipse tuum tantummodo aspectu, ad tui commiserationem compositũ putet sufficere, ad pertinacia Iudæorum corda omnino mitiganda. Hinc [vulnera Christi flagellati erãt vulnera matris dolentis. Dolores sæui fuerunt tortores in anima matris,mater erat laniata excarnificatione chari pignoris.]Speciosum nati vultũ in leprosi figuram cõtemplans commutatum! Verè igitur leprosus in hac flagellatione, Iesu bone, efficeris, adeò, vt omnibus penè despicatui habearis. [Quid,obsecro,in humana carne sublimius (inquit Gregor.) carne Christi,quæ est super Angelos exaltata ? & quid in humana carne abiectius, carne leprosi, quæ tumescẽtibus vulneribus scinditur,& exhalãtibus fœtoribus impletur?Sed ecce in specie leprosi apparuit:& is qui est reuerendus super omnia, videri despectus infra omnia dedignatus nõ est.Cur hoc ?nisi vt sensu nos tardiores admoneret, quatenus quisquis ei qui in cælo est festinet assistere,humiliari in terra,& cõpati etiã abiectis, & despicabilibus fratribus non recuset.] Si ergo nos compati etiam vilibus hominum,quasi quisquilijs,Christi exẽplo,oporteat; nonne par est,vt supra modum Christo, nostri gratia, tot flagellis, exçarnificato compatiamur , licet externa specie omnibus leprosus appareat ? [Tanto enim plus

Varius Christi color indicat ipsũ leprosum.

Bern. ser. in lamentat. Mariæ.

Greg. ho. 39. in Euang. in fine.

Greg. ibid.

(inquit Gregorius) quisque maiorem mercedem recipit, quãto nec eum despicit qui amplius despiciendus videtur.]

Leprosus sui horrorẽ videntibus incutit.

9. Deinde sicut leprosus toto corpore lepra contaminatus sui horrorem & nauseam intuentibus excitat: ita Christus toto corpore flagellis vulneribusque cruentatus, & quodammodo cõtaminatus sui, simul horrorem & commiserationem cuilibet se spectanti, nisi bestiæ induisset naturam, facilè ingeneraret. Hinc meritò Iudæis sic totius iam corporis carne dilaniata proposito tanquam inusitato miseriæ ac calamitatis spectaculo, Pilatus breui dicturus: [ecce homo.] Nonne afflictissima mater huic leproso assistens mirum in modum cruciabatur, imo [dolor eius cunctos intuentes præter rabidos Iudæorum canes dolere compellebat; tam piè enim plorabat, inquit Bernardus, tam amarè dolebat, quod sui ploratus pietate multos etiam inuitos ad lacrymas prouocabat,] nonne ergo par est vt desolatæ matri nos planctus etiam nostros iungamus [omnes plorabant, ait Bernardus, qui obuiabant ei:] quidni ergo & nos ploremus cum illa, quorum causa post filij commiserationem amare plorat. Quidni & cum filio luctuosas in voces erumpamus, ô vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus, certè si in nobis vel pietatis scintilla resideat, à planctu abstinere minimè poterimus viso mundi Saluatore, tam crudeliter tractato, vt leprosi etiam figuram amittat in monstrum quodammodo versus, [Videbat mater, ait Bernardus, Dominum & Deum suum, vnicum suum filium, sic viriliter & crudeliter pertractatum vnde dicebat:]

Bern. ser. de lamentat. Virg.

Bern. ibid.

bat:] dic fili dilectissime, dic amor vnice, vitę meę singulare gaudium, vnicum solatium, quare sic me dolore perimi permittis? cur tam longè factus à me? sub attrita carnis lacerna tuo purpurata sanguine, vt præter vocem nihil in te agnoscam; leprosus quidem nõ solum voce, sed cute etiam, quamuis fœdissima quis sit agnoscitur, sed te fili mi, nisi me fides iuuaret ex cute non agnoscerem. [Dicat igitur qui potest, cogitet quantum potest, meditetur si potest, quæ doloris immensitas tunc maternam animam cruciabat. Non credo plenè enarrari, vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum vnquam dolere potuit, de tali filio, talis mater.] *Bern. ibid.*

10. Prætereà leprosus dissutis incedebat vestibus: & Christus tam carnem, quàm vestes suas à militibus inhumaniter dilaceratas vidit, [ô quam malè tunc matri erat!] videre vestem illam carneam ex purissimis vteri sui sanguinibus eleganti Spiritus sancti artificio confectam, sic dissutam, vt ab omnibus crederetur filius Dei verè leprosus. [Grauius illi erat vita viuere tali, quam diro gladio sæpè necari ab impijs: tanquam mortis pallor eius vultum perfuderat, genis & ore tantum cruore Christi rubentibus,] ex frequentibus oculis illi datis: [cadentes verò guttas sanguinis ore sacro tangebat, terram deosculans, quam sæpissimè cruoris vnda rigabat. O graue martyrium! ô frequens suspirium! ô languens pectus virgineum! anima eius tota liquefacta est, facies pallet rosea, sed pretioso filij sanguine rubet respersa.] O quantum interea doloris Christi pectus inuasit! tantum reor, vt nulla ratione conferendum fuerit cum dolore totius flagella- *Bern. ibid.*

tionis: matris enim oculi in se coniecti, tanquam acutissimæ dolorum sagittæ imum cordis transuerberabant, & vix tamen nos mouemur filio & matre mutuis doloribus crudeliter transfixis. Porro leprosus nudo capite solebat incedere: & Christus non modo nudo capite, sed totus nudo corpore columnæ applicatus flagellis dilaniatur. Quare adeò virgineus pudor, & filij & matris penetrauit pectus, vt instar vtrique, nouæ flagellationis esset. Insuper leprosus os veste contegebat: Et Christus quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum, cuius vultus etiam quasi absconditus sputo, & sanguine apparuit. O bone Iesu! quam miseram nostri gratia subijsti mutationem ex Deo factus quasi leprosus, tacuisti tamen instar mancipij palpitanti pectore coram impijs, adeò vt in hac flagellatione nihil tortoribus obiecceris, quia nimirum peccatoris vices obijsti, cui omnis debebatur pœna; illum itaque suis peccatis famulantem tua misera seruitute ad libertatem filiorũ Dei transferre conatus es, cuius typus verè leprosus est, cui veste os tegitur [ne loquendo (vt ait Procopius) odor horrendus diffundatur, nec docere alios præsumat; ne dicatur ei: qui prædicas non furandum, furaris: &, quare tu enarras iustitias meas?] Et tu peccatoris etiam, sicut aliàs sæpè, typus esse vis, & præsertim in hac flagellationis excoriatione. Hinc taces, ne quasi loquendo odorem horrendum diffundas, cuius tamen fragrantiâ omnes cælites mirificè recreantur, nec docere alios præsumis, sciens tua doctrina sicuti aliàs tortores potius in te exacerbandos quam mitigandos, qui loco prædicationis tuæ blas-

Procop. in illud Leuit. 13. Os vete, &c.

Rom. 2.

Psal. 49.

phemias regerere in te parati sunt.

11. Leprosus insuper se leprosum ac sordidum clamare cogebatur; Et Christus totus sanguine cruentatus, vulneribus laceratus, sputis oblitus, toties ingeminat: [O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.] dolor hic non magis è flagellatione oritur, quàm à peccatoris peruicaciâ, qui licet, per leprosum, sordidum se clamãtem adumbretur, nihilominus tamen se contaminatum, ac sordidum minimè clamat, cum nulla præsentior sceleribus expiandis medicina, quam apertum habere os ad peccata confitenda', clausum ad excusanda. Hoc noxium esse in peccatis confitendis silentium Dauid ostendit: [Quoniam, ait, tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.] O quam multos reperies peccatores, qui iactandis, aut etiam excusandis suis flagitijs tota die clamant, confitendis verò tota die obmutescunt. Vnde tacendo recrudescunt vulnera, quæ confitendo facilè sanarentur. Hinc Augustinus: [Tacuit vnde proficeret, non tacuit vnde deficeret. Tacuit confessionem, clamauit præsumptionem. Tacuit peccata sua, clamauit merita sua. Si clamaret peccata sua, & taceret merita sua, innouarentur ossa eius. Modo autem remansit in vetustate, qui noluit confitendo amare nouitatem.] Nonne Christus nos hîc docet peccata nostra esse clamanda, & merita tacenda? [O vos omnes, ingeminans, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.] Nam cum hic dolor Christo inflictus, sit peccatorum nostrorum fructus, censendus est, cum peccata ipse non ha-

Chron. 1.

Psal. 31.

Augustin. in Psal. 31.

beat, peccata nostra clamare, & tacere merita sua, qui tacet nostram ingratitudinem: nostro itaque nomine, qui verè sordidi, ac contaminati sumus, sordidum se, ac contaminatum clamat, vt doceat perfectam peccatorum confessionem, singularem quandam esse animorum renouationem, & à scelerum vinculis absolutionem. Condoleamus ergo Christo, doloribus, nostri gratiâ, afflictato, & confiteamur palam peccata nostra ad leprosi figuram eum transtulisse, qui æterni patris figura ab æterno extitit.

Christus leprosus, & abortiuus.

2. Denique leprosus vrbe pellebatur: nemo eum aditu, ingressu, sermone dignabatur: omnes illũ contemnebant, & quasi prodigium quoddam horribile, & abortiuum fugiebant: & Christum omnes penè refugiunt [tanquam Deo inuisum & abortiuum quod proijcitur, inquit Scriptura, de vulua matris suæ,] nimirum quia tanquam leprosus è cætu hominum eijciendus æstimatur. Nam sicuti abortiuus plerúmque membris, & pulchritudine mutilus, & deformatus esse solet: sic Christus flagellorum quasi voracitate vix humanam speciem retinet, vt ęstimetur vulgo quasi abortiuus, absconditus, & non subsistens, nemini notus, quippe qui nullam sui memoriam (vt Iudæi perperam putabant) relicturus erat. Sicuti ergo (vt ait Gregorius) abortiuum, quia ante plenum tempus oritur, extinctum protinus occultatur.] Sic Christi nomen extinguere impij homines decreuerunt, eiúsque memoriam prorsus è terra radere, vt nec videre solem, nec eius luce frui permissus vnquam videretur. Hinc nefarij prædones, licet cane peius illum odissent, illi tamen adfuere, non vt fauerent, sed vt verbe-

Num. 12.

Iob. 3.

Gregor. l. 4. Moral. c. 29.

Digitized by Goog

rarent,& tanquam hominem ſceleratiſſimum,& à Deo percuſſum, è rerum natura proſcriberent, vt nemo inpoſterum illum auditu, nemo congreſſione, nemo ſermone dignum iudicaret: quem omnes aſpernarentur, deteſtarentur, & vt aliquam immanem, & pernicioſam belluam, peſtémque exitialem fugerent: ac proinde veluti totius plebis peripſema, & viliſſimum hominis monſtrum,turpiſſima infectum lepra, extra portam, ſummo cum contemptu eiectum,tanquam canem in rabiem actum, cum canibus, hoc eſt, latronibus,humano ſanguine aliquando exſatiatis, patibulo ignominioſiſſimè breui affigerent. Siccine eius memoriam delere penitus putatis? Verè,vt ait Pſalmiſta,cogitauerunt conſilia, quæ non potuerũt ſtabilire. [Conuerſi ſunt in arcum prauum, qui dum ſagittas, inquit Hieronymus, putatur iacere, ſauciat tenentem,]& Iudæi Chriſti nomen, & famam obſcurare cupientes, ipſi maximè inter omnes nationes obſcuriſſimi ſunt Chriſto gloriosè in cælo triumphante. [Væ itaque impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei]quaſi dicat: aliundè quam à ſuis manibus,vel conſilijs in eos interitus paratur. Hinc optimè Baſilius: [conſilia, ait, aduerſus iuſtos inita, in caput maligne conſultantium retorquentur: quemadmodum & tela, quæ ſemel inciderint in corpus ſolidum nec cedens, ſed repercuſſiuum,in ſuos iaculatores reſiliũt,] quamuis ergo per vos impij Iudæi inſtar leproſi redditus ſit Chriſtus breui,tamen glorioſa immortalitatis trabea indutus,in quem confixiſtis tela intelligetis: cuius cauſa Chriſtiani cum eius afflicta membra ſanguineis deflere eius excarnificationem

Pſal. 20.

Pſal. 77.

Hier. in illud Pſ. 77.

Iſa. 3.

Baſil. in illud Iſa. 3.

debemus, vobis impiè in illum flagella ingeminantibus & amaris insultantibus illi scommatibus & irrisionibus.

3. Reg. 20. Rex Achab alioqui durus alterius miseria mouetur.

13. Benadad Rex Syriæ, ab Achab Rege Israël fusus fugatusque, vt regis animum ad misericordiam flecteret, iratosque eius spiritus extingueret, pacemque cum illo iniret, è suis purpuratis legatos ad ipsum misit, cineribus inspersos, saccis indutos, & collo laqueos gestantes, qui veniam, pacemque precarentur, eiusque animum inusitata hac submissione, ad sibi commiserandum permouerent. Quo luctuoso spectaculo ita statim Achab, alioqui flecti nescius, commotus, & emollitus fuit, vt omnium præteritarum iniuriarum, vltionisque recenter animo conceptæ prorsus immemor, eum in gratiam receperit. O si lamentabilis legatorum habitus, & luctuosum illud Syriæ Regis schema, Regis alioqui satis inhumani efferum pectus, ingenti ira incensum, emollire potuit: cuius, obsecro, cor adeo durum, & inhumanum, sibi proposito lugubri hoc Christi spectaculo, flagellis contusi, horrendis dilacerati verberibus, carne penitus, per vngulas, ac ferreos vncos, detracta, oculis lacrymarum imbres effundentibus, & in terram depressis, cruenta facie, & velut sanie illuvieque sordidata, duris cælestes illius manus vinculis arctissimè stringentibus, collo vinculorum liuoribus exarato, ita, vt à planta pedis, vsque ad verticem capitis, in eo sanitas non fuerit: matre lacrymosa hæc omnia spectante: cuius, inquam, cor, etiamsi ferreum, non huiusmodi tristissimo schemate coram se, ad viuum, depicto, cõmoueretur, emolliretur, & præ nimia compassione medio frangere-

tur, & ad commiserandum Christo traheretur? adamantina tamen Iudæorum pectora, & proh dolor! multorum è Christianis, tantum abest, vt hoc lamentabili spectaculo, hoc lacrymoso schemate, hoc Dei lacerati corporis prodigio, commoueantur, emolliantur, frangantur, aut ad aliquam commiserationem excitentur, vt potiùs, obdurato animo, verbera verberibus, vulnera vulneribus addant. Vnde ipse in aliena persona ait: [super dolorem vulnerum meorum addiderunt:] Et alibi: [concidit me vulnere super vulnus.] Quibus verbis Christus conqueritur non modo per hostium in se irruptionem, & verbera; sed per peccata etiam, quæ nos quotidie committimus, nihil in se mansisse integrum, & supra modum se immanitatẽ eorum, & nostram expertum: decretum enim erat à patre, & à Christo acceptatum, vt secundum mensuram vniuersi humani generis delictorum, plagarum modus foret, quod certè ipse innumeris affectum plagis apertè indicat. Dicamus ergo omnes cum Bernardo [flere peropto, quia & nihil aliud mihi libet, sed ego miser cor lapideum habens flere non possum. Regina cæli mater] flagellati da vberem mihi tecum lacrymarum copiam; præbe quod cupio, vt semper tecum Christi carnificinam deplorem.

Psal. 68.

Ioh. 16.

De exulceratione Dominicæ carnis per veſtium detractionem ſemel atque iterum, & quid in ijs myſterij lateat.

CAPVT LIV.

De Chriſti exulceratione in detractione veſtium.

1. FLagellato horribiliter Chriſto, ſceleris miniſtri nouum inueniunt crudelitatis genus: vbi enim totus ſanguine cruentatus, ſuiſque indutus veſtibus nonnihil reſpirare videretur; ecce ſtatim tota militum multitudine in anteriorem prætorij aulam conuocata, alij ſacris eum veſtibus exuunt; alij chlamydem purpuream & coccineam, ſummi contemptus cauſa, deferunt. detractis itaque violenter, ſine vllo commiſerationis ſenſu, veſtibus & tunica quoque inconſutili, nudus penitus ad maiorem ignominiam omnibus exponitur, ô quæ tunc, & quanta extitit totius tui corporis, bone Ieſu, rurſus exulceratio! Cum enim veſtes tuæ, congelato iam ſanguine, rigeſcerent, cruentato adhærentes corpori, quiſquis ſecum ſedulo expendat, quanto cum dolore, & omnium vulnerum exulceratione illi crudeliter detractæ fuerint, vt ſic ſaltem aliqua eius compaſſione, tam inhumana nobis ob oculos poſita totius Dominici corporis carnificina, tangamur. Exclamemus itaque cum Bernardo intrinſeco tacti dolore [Ieſu redemptor perditorum, Saluator redemptorum, ſpes exulum, fortitudo laborantium, anxiati ſpiritus latitudo, animæ lacrymoſæ, & poſt te

Ber. ſer. de paſſ.

currentis in ſudore ſolatium, & ſuaue refrigerium, corona triumphantium, vnica merces, & lætitia omnium ſupernorum ciuium, vberrimus fons omnium gratiarum, inclyta proles ſummi Dei, & Deus ſummus, benedicant te omnia quæ in cælo ſunt ſurſum, & quæ in terra deorſum,] ob tantam erga nos dignationem, & infinitæ charitatis oſtenſionem, qui nudus, exulceratus, & velut apoſtema, noſtri gratia, efficeris, tui penitus quaſi oblitus tuæque maieſtatis; [magnus certe tu interim & magnum nomen tuum] licet deſpicabili vultu, ac totius corporis compoſitione, impiorum oculis appareas. Nam ſub vili humanæ naturæ habitu, & exulcerato corpore Deus abſconditus latet, & tamen modo in ſcurrarum conſpectu nudus omni decore priuatus videris [ô immarceſſibilis (exclamat Bernardus) *Ber. ibid.* decor Dei excelſi, & puriſſima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam viuificans, lumen illuminans, lux omne lumen illuminans, & conſeruans in æterno ſplendore!] quomodo hodie ſine decore, ſine claritate, ſine vita, ſine lumine, ſine ſplendore appares? [mille millena lumina fulgurantia ante thronum diuinitatis tuæ à primo diluculo,] quæ modo extincta prorſus videntur. [O æternum, ſubſtantiale & inacceſſibile, clarum & dulce profluuium fontis abſconditi ab oculis omnium mortalium, cuius vnda ſine ortu, cuius profundum ſine fundo, cuius altum ſine termino, cuius amplitudo incircumſcrutabilis, cuius puritas imperturbabilis! & tamen cruentatis riuis, detracta tibi veſte, dulce illud fontis profluuium perturbari & inquinari videtur vulneribus renouatis, per violentam veſtium

detractionem, vnde toto corpore exulceratus sanguineis perfunderis riuis.

Crudelitas Iudæorum.

2. Neque hic substitit humana crudelitas: nam impia diaboli mancipia, per summum dedecus, purpura eum, & coccinea chlamyde cruda super vulnera crudeliter induunt, partim, vt per insignem contemptum, quia seipsum Regem fecit, regijs ornatus indumentis ludibrio omnibus exponeretur, partim, vt acrius in eum hostes incenderentur, & tanquam stultum reputarent, qui regium affectans thronum, regijs, per irrisionem, vestibus indueretur. hinc Bernardus,

Ber. ser. de pass.

[regali purpura induitur, sed potius in ea despicitur, quam honoretur,] partim denique, vt ad maius tormentum nouæ vestes cruentatis vulneribus tenacius adhæresceren t, quæ aliquando summo cum cruciatu iterum illi reuellendæ essent. Bone Deus! quantæ molis humana redemptio! [cur igitur homo (inquit Bernardus) adhuc extento collo ambulas? ô terra & cinis! adhuc te superbia eleuat? adhuc te impatientia exagitat? intuere humilitatis, & mansuetudinis Dominum Iesum, vniuersæ creaturæ factorem, tremendum iudicem viuorum & mortuorum] ante diaboli satellites excarnificatum, & lacera, per ludibrium, vestitum purpura [Disce quia mitis est, & humilis corde, & confundere in superbia tua, & erubesce in patientia eius.] Ecce quam malitiosa impiorum intentio, Christum sic ornando, fuerit!

Ber. ibid.

Ibid.

Quid mysterij in Christi vestibus lateat.

3. Sed alia fuit diuina de his ornamentis cogitatio: sicut enim, vt ait Hieronymus, Caiphas dixit: oportet vnum hominem mori pro omnibus, nescien s quid diceret: sic & isti Pilati

milites, quæcunque faciunt, licet alia mente faciant, tamen nobis Sacramenta tribuunt] Expoliatur itaque suis Saluator noster vestibus, vt nostræ in primis nuditatis confusionem illis tegeret. Agnus enim est qui coram tondente se, imo tundente, obmutuit: Agnus qui suis nos meritis tanquam optimo Agni vellere ornet. Nam vt ait idem sanctissimus pater, non solum sanguine suo nos redemit, sed etiam lanis operuit, vt infidelitate algentes sua veste calefaceret, iuxta illud Apostoli, [quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis] & alibi, [induimini Dominum Iesum Christum.] vellus autem quo Agnus hic Dei nos decreuit induere, merita eius sunt, aureum penitus vellus, quod purpurea illa vestis indicat. Quamobrem vt illud obtineamus, multo plura nobis subeunda pericula, multo plura nobis patienda, quam Iason celeberrimique illi Argonautæ ad fabulosum illud vellus aureum sedulo inuestigandum sese difficillimæ nauigationi obijcientes, subierint. Hi sopito Dracone per Medæam Oëtæ Regis filiam vellus rapuerunt: & nos aureum hoc immaculati agni vellus, sopito illo immani tartari Dracone, diuinitatis virtute rapiemus. Hoc vero vellus fouet, operit, ornat, calefacit, & defendit animam, in virtute fouet, operit eius nuditatem, sublata peccati fœditate ornat, charitatis feruore calefacit & continuo virtutum præsidio defendit.

Hiero. in Mat. 28.

Hiero. in c. 53. Isa.

Galat. 3. Rom. 13.

4. Præterea voluit Christus chlamyde coccinea à militibus indui, vt ait Matthæus: & secundum Ioannem veste purpurea circundari. In al-

Mat. 27. Ioan. 19.

Amb. l. 10. in Luc. cap. 23.

tera (inquit Ambrosius) designans martyrum palmas, in altera regiæ potestatis insignia: quod caro eius, fusum toto orbe terrarum sanguinem esset susceptura pro nobis, & passio regnum paritura pro nobis: chlamyde itaque coccinea induitur (inquit Augustinus) quia sanguine martyrum suorum Ecclesiæ corpus ornatur. [& purpura, tanquam summus Imperator. Hoc enim indumento velut militari exornatus, tartareas strenue legiones Christus summus vniuersi Imperator expugnando deuicturus est, imperiumque suum hactenus, per diabolum iniuria detentum, sui sanguinis purpura consecuturus est. Hinc quoniam cruentato dimicaturus est prælio cum dæmone, peccato, & morte, suumque præliando sanguinem largiter effusurus, non ex alio panno, quam ex purpurea chlamys eius esse debuit. [Purpureus enim color (ait Nazianzenus) veros Imperatores admonet, vt promptis animis sanguinem suum pro subditorū salute fundant, illosque sui sanguinis purpura non modo condecorent, sed & principes & Reges efficiant] Quare Christus non tantum mori pro suis voluit, sed purpura etiam sese indui, vt & sanctorum animas roseo sui corporis sanguine, per purpuram significato, nobilitaret, & principes, & Reges constitueret: [sanguis (ait Ambrosius) Christi purpura est, qui afficit Sanctorum animas, non solum colore resplendens, sed etiam potestate, quia Reges facit, & meliores Reges, quibus regnum donet æternum,] quare meritò viginti illi quatuor Seniores, coronas suas ante hunc Agnū deponunt, qui vniuersum mundum suo purpuratus sanguine redemit, séque Reges constituit,

Aug. appen. è diuer. ser. 41.

Naz. in Iudia. orat. 3.

Amb. in Ps. 18. ser. 17.

& lætabundi perpetuo acclamant: [redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & regnauimus super terram:] & iam in cælo tuis meritis collocati in perpetuas æternitates triumphabimus; [considerantes (inquit Rupertus) quod non suis meritis, sed gratia præuenientis, & subsequentis misericordiæ, coronas assecuti sunt,] illas Deo acceptas ferunt, & offerunt. Et subdit Rupertus, [nonne ipsi suam dignitatem parui faciunt, & totum, quod meruerunt, cum humili reuerentia illi attribuunt? mittunt ergo ante thronum coronas suas, id est, quidquid virtutis, quidquid habent dignitatis, Deo cum gratiarum actione offerũt:] ecce quam diuersa intentione nefarij hi prædones Saluatorem nostrum regijs ornent vestibus, ab illa æterni patris, qui huiusmodi ludibrij genere filium suum excipi permittit. Omnes itaque perpetua gratiarum actione hanc ineffabilem Christi in nos charitatem extollamus, qui suarum vestium crudeli detractione, cum totius corporis exulceratione nostras animas exornare voluit.

Apocal. 5.

Rupert. l. 4. in fine.

5. Porro Iudæi per ludibrium Christo regali induto veste, cantus loco scommatibus, iniurijs & inconditis clamoribus, tanquam stolido Regi insultabant, mysterium ignorantes, huiusmodi iniurijs significatum. Indicant enim Christianos aliquando in terram pronos, cum viginti quatuor senioribus, cæterisque cælitibus suaui modulatione Dei laudes cantaturos per corporis sui citharas gratias Agno agentes, à quo per copiosam sanguinis eius effusionem sese redemptos, & purpurato illius vellere indutos agnoscent reipsa illud Ambrosij dulcissimè modulan-

Scommatibus velut insulso cantu Christi aures opplent.

tes [Plus Dñe Iesu iniuriis tuis debeo quod redẽptus sum, quam operibus quod creatus sum. non enim prodesset mihi nasci, nisi redimi profuisset] Interim per passionũ mortificationem vt sic saltem Christo compatiamur, tanquam per citharã modulemur [Benedic anima mea Dominũ, & omnia interiora mea nomẽ sanctum eius.] Quomodo enim cithara (inquit Hieronymus) non emittit vocalem sonum, atque compositum, si saltem vna chorda rupta fuerit: sic spiritalis interiorum nostrorum cithara, si vna in ea virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce resonare. Cui enim vna, inquit Apostolus Iacobus, defuerit, huic omnes desunt virtutes, quia sibi inuicem hærent. Ex mortificatione igitur passionum suauissimus virtutum resultat concentus; illis enim perfecte mortificatis dici non potest quam suauem cum virtutibus musicam faciant, quæ ita Christo dulcis est, vt hodie etiam auribus tantum eius, per imaginationem insonans, nihili æstimet insulsam satellitum musicam. Corporis itaque membra, animique potentiæ mortificationis plectro singularique consensione attemperatæ, concentum reddent suauissimum [Pensandum (inquit Gregorius) est, quod chorda, in cithara, si minus tenditur non sonat, si amplius, raucum sonat; quia virtus mortificationis aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet: aut valde inordinata est, si corpus atterit plus quam valet] Omnibus itaque mortificationis actibus modus adhibendus est. Vtinam huiusmodi instituamus virtutum concentum, vt inconditis nefariorum clamoribus Christi aures oppletas re-

Amb. li. 1. in Luc. c. 2.

Psal. 102.

Hieron. in illud Isa. c. 16. venter meus, &c.

Greg. li. 20. Mor. c. 31.

creem", audiremus vtiq; [vox tua dulcis, & facies tua decora] vox dulcis, quia Christum sic nostri gratia exulceratum palam prædicaremus, facies verò decora, quia illius ignominiis non erubesceremus suauiter cãtilando eius ignominias. Hinc Ambrosius: [Suauis, ait, est vox: quia ore cõfessio fit ad salutem; & decora facies, quæ non erubescit authorem; non confunditur Redemptore. Ostendit ergo faciem, signaculum crucis præferens, & insinuat vocem suam, authoritatem prædicationis assumens.] Sed prius, vt vox nostra Christo suauis sit, sicut in cithara chordæ, sic membra nostra per mortificationem tendenda. Deinde sicut in cithara aliæ chordæ fortius, aliæ lenius tenduntur: sed tamen dissimiliter tensæ concentum efficiunt suauissimum ad inuicem cõcordes: sic diuersa in corpore nostro membra licet Christi passiones alia plenius, alia minus imitentur, dissimiliter tamen patientia vnam cõcordem Dei laudem resonant. Hinc quemaddum in cithara chordæ, si minus, vt diximus, tendantur, non sonant, si plus æquo, raucum edunt sonum, vel adeò tenuem, vt grato concentui minimè sint idoneæ: sic si membra nostra vt Christi in se passiones experiantur, flaccida sint, vel plus æquo sese mortificent, ingratam Christo musicam efficiunt. Quare Paulus fidelium animas velut in cithara chordas tensas, alias amplius tendendo extenuat, alias à tensione sua laxando conseruat. Quibusdam enim dicit: [Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs,] & alibi. [Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram:] ecce quomodo velut in cithara chordas

Cant. 2.

Amb. ser. 6. in Psal. 118.

Rom. 13. Coloss. 3.

Digitized by Google

minus tensas, amplius tendendas moneat. Sed videte quomodo etiam nimis tensas à tensione tanta laxandas præcipiat: [noli inquit adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.] Quam dulcem igitur cithara nostra per prudentiam temperata musicam efficit, quæ adeò Christi auribus arridet, vt insulsos Iudæorum clamores nihili faciat.

1. Tim. 5.

Mortificationis musica Christus delectatur.

6. O animarum sponse! qui mortificationis nostræ musica adeo delectaris, vt tuis per imaginationem, tantum auribus insonans mirificè te recreet! & quàm pulcher iam nobis purpura indutus veste breui rursus excarnificandus appares, quàm suauiter quoque auribus nostris, tacita pectoris tui vox insonat! quare tantùm abest, vt deuotæ tibi sponsæ, te huiusmodi regio per irrisionem ornatum indumento, sannis, & scommatibus ac inconditis clamoribus, veluti stultum, aut terreni alicuius regni affectatorem excipiendum iudicent: vt potius sub his omnes scientiæ, sapientiæ, & diuinæ dulcedinis thesauros censeant absconditos. Quamobrem non per ignominiam, sed per singularem animi affectū, in tuos optantes irruere amplexus, ingeminant: [osculetur me osculo oris sui,] ô dilecte animarum sponse, præ nimio tui amore omnem exuo timorem, & instar amantissimæ sponsæ ad te festino, & quo toto exulceratior corpore appares, eo maiori desiderio in te feror, & iam quasi accepto osculo, plura, ac plura opto sponsi mei oscula. [accepi quidem fateor, meritis potiora, sed prorsus inferiora votis. Desiderio feror, non ratione. Ne, quæso, causemini præsumptionem,

Cant. 1.

Bern. ser. 9. in Cant.

vbi

vbi affectio vrget. Pudor ſanè reclamat, ſed ſuperat amor. Nec ignoro quod honor regis iudicium diligit. Sed præceps amor, nec iudicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frenatur, nec ratione ſubijcitur. Rogo, ſupplico, flagito, oſculetur me oſculo oris ſui] en quomodo omnis timor exulet, vbi verus amor regnet, & quidni cum adeò propenſum te noſtri cauſa, ô bone Ieſu! ad hos purpuræ, & coccini colores cernamus, non quidem alicuius honoris intuitu, ſed vt ijs opprobria, contumelias, & curis laceratione nobis debitam in tuam conuerras carnem. In aula Herodis, paulò ante veſte alba ad contumeliam indutus ab omnibus ſpernebaris; iam apud Pilatum purpurea veſte, ſordida quidem & lacera, iuxta illud prophetæ vaticinium, per contumeliam, & ad augendum mirificè dolorem veſtiris: [vidi Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem, indutum veſtibus ſordidis:] quanta hæc, bone Ieſu, tua in nos dignatio, vt probroſo, ac contumelioſo indumenti genere nobis innocentiæ candorem, & charitatis purpuram promereris! Nec ſatis tibi per hanc purpuream veſtem omnibus ludibrio exponi, niſi etiam illa cruentæ carni detracta, omnia corporis tui vulnera renouentur, vt quam libenter noſtri gratia patiaris, haud obſcuris ſignifices argumentis.

Pſal. 98.

Zachar. 3.

De corona ſpinea, & quid per eam myſticè deſignetur.

CAPVT LV.

1. INſignis alia Chriſto illata fuit iniuria, alij enim plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius. Hoc quid aliud (inquit Ambroſius) quàm diuini operis munus oſtendit, quod de peccatoribus mundi tanquam ſæculi pœnis triumphalis Deo gloria quæreretur?] Quorſum hoc? vt paulatim omnia impleantur, quæ de Chriſto prædicta ſunt. [Sic (inquit Auguſtinus) implebantur quæ de ſe prædixerat Chriſtus: ſic martyres informabantur, ad omnia quæ perſecutori libuiſſet facere, perferenda: ſic pauliſper occultata tremenda potentia commendabatur priùs imitanda patientia: ſic regnum, quod de hoc mundo non erat, ſuperbum mundum non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate vincebat: ſic illud granum multiplicandum ſeminabatur horribili contumelia, vt mirabili pullularet in gloria.] O quanta hæc Chriſto irrogata (ad totius tamen Eccleſiæ inſtructionem) iniuria! poſuerunt ſuper caput eius, non ex auro, aut argento, non ex roſis, aut floribus contextam, ſed ex acutiſſimis compoſitam ſpinis coronam, quæ totum eius caput mirum in modum afflixit, ídque duabus de

Ambr. li. 10. in c. 23. Luc.

Aug. tract. 116. in Ioan.

cauſis, ob inſignem nimirum, per hanc coronam, ignominiam illi illatam: deinde ob incredibilem ex eius puncturis dolorem, quo caput illud Angelis venerandum inhumaniter pungebatur, acutiſſimis ſpinarum aculeis ad cerebrum vſque pertingentibus, quibus caput meum pungi, vulnerari, & penetrari debuit. O generatio praua & exaſperans! hæc Domino retribuis, qui de terra tibi delicias produxit: tu illi ſpinarum imponis coronam. Hinc Iſaias exclamat: [ſuſtinui, vt faceret vuam, fecit autem ſpinam.] O caput Deo amabile, quo ſpinarum ferro cingeris, reflexis in tuum cerebrum pungentibus aculeis, in meum potius caput intorquendis! O ſpinæ capiti Saluatoris noſtri infixæ, pretioſo innocentis agni ſanguine purpuratæ! cur non cor meum ſimul, & doloris, & amoris aculeis configitis, vt capiti meo Chriſto, vndequaque veſtris puncturis cruentato condoleam? ô caput ſacrum horribiliter ſpinis confoſſum! vt capitis mei ſegnem quietem, tua compenſes inquietudine, quod tamen reipſa ad me clamat: [non decet ſub ſpinoſo capite membra eſſe delicata.] O caput ſpinis coronatum, capite meo in molle reclinato ceruical! tuum, ô Chriſte, caput ſpinis pungitur, meo capillis eleganter diſcriminato, tuum terebratur ſpinis, meo ſuauibus perfuſo odoramentis. [Expergiſcere ergo nunc anima, excutere de puluere, & contemplare virum hunc memorabilem, quem in ſpeculo Euangelici ſermonis, quaſi præſentem intueris,

Iſai. 5.

Bern. ſer.

Bern. ſer. de paſſ.

Attende anima mea, quis est iste, qui ingreditur habens imaginem quasi Regis, & nihilominus serui despectissimi confusione repletus, & coronatus incedit: sed ipsa etiam eius corona cruciatus est illi, & mille puncturis speciosum caput eius diuulnerat.]

2. Reges de suis hostibus vbi triumphum egerint in victoriæ signum suum caput diademate ornare solent: & capitibus eorum, quos vt Deos olim Ethnici venerabantur, coronas imponere consueuerunt; necnon strenui in bello duces regio huiusmodi ornamento honorabantur, hos vero Rege dignos colores in contumeliam & summum contemptum Saluatoris nostri perfidi Iudæi conuertunt, prius eum purpura induerũt, & purpuratam capiti eius coronam imposuerunt, quibus irrisionis amarulentissimæ generibus neque Christum fuisse Regem, neque quicquam diuinitatis in se continere, neque triumpho dignum, aut vllo honoris insigni censuerunt: quippe qui sese per summam arrogantiam peruerso eorum iudicio, regem Deum, & Messiam confinxit, ac proinde omni opprobrio, irrisione & contemptu dignissimum, eaque corona qua egregie pungeretur cingendum iudicarunt, quem veluti fatuum coronæ ac regni affectatorem iniquissimè conclamarunt [Christus Dominus (inquit Bern.) noster qui à patre coronatur, semper corona gloriæ, à Maria Virgine coronatus est corona infirmitatis & humanitatis nostrę: ab Angelis & familia sua coronandus, corona iustitiæ, in die iudicij, dum tollent de regno eius omnia scandala: hodie à nouerca sua impia Synagoga coronatum corona spinea, corona dolo-

ris & miſeriæ.] Nec ſatis illis fuit coronam è ſpinis illius capiti imponere, niſi etiam ad ſummam illi conflandam ignominiam eum ſalutent, dicentes: aue Rex Iudæorum, & ponentes genua adorent eum [Quod deteſtabili licet mentis operentur affectu, honoratum tamen exitum produnt (inquit Ambroſius) cum pungentes coronant, & illudentes adorant. Et ſi corde non credunt, quem perimunt, confitentur. Illis defuerit boni operis affectus, Deo tamen ſuus non defuit honor, qui ſalutatur vt Rex, coronatur vt victor, quaſi Deus & Dominus adoratur] Ecce quomodo velint nolint Chriſtum Regem, victorem, ac Deum eſſe fateri compellantur.

Ber. ſer. de Epipha. Marc. 15.

Amb. l 10. in cap. 23. Luc.

3. Fuit & hæc Chriſto corona crudelitatis & cruciatuum cauſa: quippe ex truculentiſſimis fabricata ſpinis capiti inhumaniſſimè fuſtibus impacta, iuxta illud Anſelmi: Hanc coronam cum lancea percutientes, capiti eius imprimere conabantur, & ita alte de facto impreſſerunt, vt vndique diuinus eius ſanguis per ſeptuaginta duos canales in terram defflueret non ſine indicibili dolore. Quis igitur ſatis cogitare poteſt, quantis doloribus venerandum illud caput ſpinoſa affecerit corona tot eius aculeis confixum, cum nos vel ad vnius ſpinæ punctura intolerabili vexemur cruciatu? videres tunc ſanguinem, quem flagellationis verbera in nobiliſſima totius corporis parte reliquerant, ita copioſè diffundi, vt riuis vndequaque ſanguinis à capite defluentibus vultus, aures, oculi, frons, os, barba cruentarentur, & deturparentur. [Hic pauliſper anima mea (cum B. Iuſtiniano) conſiderationis tuæ greſſus infige, & Redemptoris tui intolerabilem dolo-

Corona doloris ac crudelitatis cauſa Anſel. dial. de paſſ.

Iuſtin. l. de triumph. Agon. c. 14.

rem attende, capitis delicati sensibilitatem considera, spinarum punctiones cerebrum perforantes mirare; sicque sanguinem decurrentem lacrymarum inundatione absterge.] Perpende quomodo hæc corona sacratissimum Christi caput septuaginta duobus sauciet vulneribus! Vide quomodo spinarum maledictio olim ab ipso in terram ob Adæ peccatum fulminata, in caput eius hodie retorquetur. [Maledicta, inquit, terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.] Hanc maledictionem modo à terra sublatam indicat Cyrillus Hierosolymitanus, & in tuum, ô Christe, caput retortam; [accepit, ait, sententiam Adam: maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos offeret tibi: propterea Dominus Iesus accepit spinas, vt soluat hanc maledictionem. & ideo sepultus est in terra, vt maledicta terra pro maledictione recipiat benedictionem.] Heu! anima mea cernis, vt hæc maledictio in sacrum Christi caput cælestibus venerandum conuertatur, pretioso eius sanguine terra irrigata, vt nobis in posterum fructus suos opportuno tempore proferat. Vides interim, anima mea, quomodo eum illa maledictio tanto deprimit pondere, & dolore afficit, vt planè mori deberet, nisi se reseruasset ad vitam, vt his etiam grauiora perferat: quamuis verò spinæ acutissimæ quasi veneno imbutæ, per terram maledictioni subditam germinatæ, ita crudeliter eius capiti impingantur, vt sufficiens mortis causa à Iustiniano censeantur; crudeliora tamen Christo subeunda sunt tormenta.

Vincent. ser. de pass.

Genes. 3.

Cyril. Catech. 13.

Digitized by Google

4. Verùm non ſine grandi etiam myſterio ſpinea hæc corona aculeatis ſentibus tremendum Angelis caput horribiliter pupugit, vt nimirum pro ſpinea corona peccatis noſtris debita, aurea nos gratiæ corona Chriſtus donaret, quoties, eius cauſa, ſpineam hîc, præ aurea eligeremus, quam etiam adeò facilem, & noſtro capiti ſuauem hodie reddidit, vt omnes ab ea aculeos auferens, in ſuum ipſius caput illos reflectens, ſine ſpina nobis, aut aculeorum puncturis eam effecerit. hinc Propheta [non erit vltra, inquit, deinceps ſpina dolorem inferens.] Nam ſpinæ eius capiti infixæ adeò retuſa acie redditæ ſunt, vt nos pungere multum nequeant. Quemadmodum enim mucro cuſpide peracutus, ſumma vi in petram impactus, cuſpide retuſa, hebes efficitur: ſic ſpinæ iſtæ, licet acutiſſimæ, in Chriſti caput, velut in petram fuſtibus impactæ, [petra enim erat Chriſtus] penitus retunduntur, ita vt ſuaues, & deſiderabiles ſanctis modo effectæ ſint. Hinc Catharina Senenſis ſpineam, præ aurea, coronam eligens, capiti ſuo auidiſſimè impoſuit, illámque circum caput tenaciſſimè ſtrinxit. Sic tenerrimæ virgines puerique nobiles atrociſſimis excarnificati tormentis, tantum abeſt vt contriſtentur, vt potius inter tormenta diuinas laudes in gratiarum actionem, cum incredibili mentis iubilo perſoluant, quorum vna vox, inquit Tertullianus: [cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio eſt innocentiæ noſtræ, iniquitas veſtra.] in horto enim Chriſti, in Eccleſiæ inquam topiario, poſt Chriſti paſſionem ſpinæ albæ ſine acu-

Spinarũ aculeos Chriſtus retudit.

Ezech. 18.

1. Cor. 10.

Tertul. in Apolo. c. vlt.

leis exoriuntur, ſuper quas etiam tenerrimæ virgines, puelli & puellæ veluti leuiſſimæ aues ſedent, iuxta illud prophetæ: [in horto ſpina alba, ſupra quam auis ſedet.] Alba, quia aculeo caret, quo inſidentis ſanguinem eliciat, vel eum ſaltem pungant. Tales ſunt tormentorum ſpinæ per Chriſti paſſionem retuſæ, per quas tanquam per flores ſuauiſſimos, Chriſti martyres, inoffenſo animi pede, hilari vultu ambulant, quaſi aues leues, nullum ſentientes ſæpe tormentorum aculeum, aut ſpineæ paſſionis punctură. Hinc Chryſoſtomus ad Chriſti irriſiones, contumelias & cruciatus ſerio conſiderandos in hunc modum excitat, vt in poſterũ nihil vereamur multa eius gratia pati [nos autem, inquit, non modo hæc legamus, ſed animo recondamus: hoc eſt, coronam ſpineam, veſtimentum, arundinem, alapas, ſputa, irriſiones, quæ frequenter mente repetita, ſatis omnem iram ſedare poterunt; & ſi ludibrio erimus, ſi quid iniuſtè patiemur, frequenter dicamus, non eſt ſeruus maior domino ſuo: & allatrantium Iudæorum verba nobis ſubeant, cum dixerunt, dæmonium habes, & Samaritanus es, & in Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia. & ideo hæc omnia pertulit, vt eius veſtigia imitemur, & maledicta perferamus, quæ ipſe grauiſſima non ſolum pertulit, ſed omnia fecit, vt ipſos illatores ſaluos faceret, & ad eorum ſalutem Apoſtolos miſit.] Ecce quomodo inuitamur ad omnia licet grauiſſima Chriſti gratia toleranda, & maximè cum ipſe omnium tormentorum ſpinas in ſe intortas aculeis ſpoliauit, vt illas nos retuſa cuſpide facilius eius gratia pertranſeamus.

Baruch. 6.

Chry. hom. 83. in 18. Ioan.

Digitized by Google

5. Memoriæ proditum eſt ſupremam Salomonis Templi partem quibuſdam quaſi aureis ſpinis in cælum cuſpides habentibus erectas circundatam fuiſſe, ne illic ſedentes aues, loci illius munditiem contaminarent. Sed contrario prorſus modo in hoc cæleſti corporis Dominici templo fieri videmus, cuius ſuprema pars, caput nimirum, non aureis veluti ſpinis, ſed veris & aculeatis circunſeptum ſentibus, quarum cuſpides, & aculei non in cælum erecti, ſed in eius ſacratiſſimum caput crudeliter impacti, quibus nobiliſſimæ illius partis nitorem ſanguine conſperſum Deo alioqui, Angelis ac hominibus admirandum, quodammodo contaminatum heu ſiccis intuemur oculis. Sed ô Rhamne qui huius coronæ materia es, quãta tibi dignitas ex Chriſti capite acceſſit? haud dubito quin propterea inter ligna principatum obtinuiſti, conſecrandus nimirum aliquando pretioſiſſimo Chriſti cruore, regnum proinde haud ambigo, iam olim tibi delatum, non ſine futuri myſterij tacita inſinuatione: dixerunt enim omnia ligna ad te: veni & impera ſuper nos: quibus reſpondiſti: ſi verè me Regem vobis conſtituiſtis, venite & ſub vmbra mea requieſcite: quaſi diceres, adeſte, & ſub capite veſtro, quod Rhamno aculeato coronatum cernitis, requiem animabus veſtris quærite, non ſub roſis, vt illi, quorum hæc mutua cohortatio; [coronemus nos roſis, antequam marceſcant] par enim eſt, vt ſubditi ſint ſub rege ſuo, qualiſcumque is ſit, ſeu lenis, ſeu aſper, non ſupra Regem. Si autem non vultis quieſcere ſub vmbra mea, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Libani; non vobis ita dulcia ſint, pan-

Suprema pars templi Salomonis ſpinis in cælum erectis circundatur.

Rhamnus lignorum Rex.

Iudic. c. 9.

Sap. 2.

Aug. de diuer. ſer. 45.

Digitized by Google

perum ſpolia poſtmodum nimis amaricatura. Nihilominus, ſicut dictum eſt, refugite carnis alienæ abominanda contagia, vitate obſcœna inimicæ voluptatis incendia. Hæc qui agit, de ſtipula ac lignis iniquitatum perpetuos ſibi ſuccendit ignes, & nunquam extinguendos concinnat vapores.] Hinc magnus eorum numerus, qui cum ſub corona Domini ex Rhamno confecta requieſcere detrectabunt, ſuis indulgentes cupiditatibus, conſumetur, & in fumum abibit, & inter cæteros ſuperbæ hominum mentes, quibus, vt crux, ita & corona ex Rhamno ſcandalum, & ſtultitia erit, magna quoque eorum multitudo qui à ſpinoſis aculeis, aſpera inquam pœnitentiæ via, minimè abſterriti, ad Rhamnum Chriſti capiti impoſitum confugient, ſtationémque iucundiſſimam etiam inter medias ſpinas reperient.

Gretſer. l. 1. de cruce, c. 11.

Rhamnus fidelibus munimen, infidelibus inimicum.

6. Hoc diadema ex Rhamno, inquit Clemens Alexandrinus, inimicum ijs, qui inſidiantur, eóſque prohibet: ijs autem qui in Eccleſia ſimul verſantur, amicum, eóſque circumſepit & munit. Hæc corona eſt flos eorum, qui crediderunt in eum qui fuit glorificatus: cruentat autem, & caſtigat eos, qui non crediderunt. Nam iuxta votum Rhamni, ignis à Rhamno, hoc eſt à Chriſto coronato egreditur, qui omnes Cedros Libani, ſuperbos nimirum, animóſque elatos conſumit, & tunc maximè conſumet, cum audient illud: ite in ignem æternum. Hæc ergo corona ſtuporem omnibus incutiet impijs, & gaudio erit electis; corona verè præter Iudæorum intentionem triumphalis, quæ victoriam filio Dei pollicetur. Imperatores victoria de hoſtibus parta, ad ſuos

redeuntes, triumphali corona redimiti honorabantur: at filius Dei ante pugnæ finem triumphali ornatur corona certus de victoria. [Data eſt ei, inquit ſacra Scriptura, corona, & exiuit vincens, vt vinceret:] quæ verba certitudinem victoriæ indicant. Hæc verò corona ſpinea eſt. ſed breui ab ipſis etiam cælitibus honoranda. Scite admodum proinde Clemẽs Alexandrinus, quid per hanc coronam ſignificetur indicat [Domini, inquit, corona nos propheticè ſignificabat, qui fuimus aliquando infrugiferi, qui circa illum poſiti fuimus per Eccleſiam, cuius ipſe caput eſt. Sed hoc quoque ſignum eſt rei à Domino benè geſtæ cum ipſe ſuo capite, & principali parte corporis omnia mala noſtra portauerit, propter quæ pungebamur,] ecce immenſum Chriſti in nos amorem! Noſtras ille ſpinas ſuo adaptauit capiti, vt nos à peccatorum ſpinis, pœniſque illis debitis eximeret. Exijt ergo ſpineam portans coronam triumphantis more vincens, vt vinceret.

Apoc. 6.

Clem. lib. 2. pædag. c. 8.

7. Neque tantum triumphalis victoriæ corona per ſpineam adumbratur, ſed obſidionalis quoque, qua indicatur nos à graui dæmonis obſidione, per Chriſtum eripiendos [cum enim (inquit Clemens) ab offenſionibus, & peccatis, & eiuſmodi ſpinis, nos propria paſſione liberaſſet, diabolúmque infirmaſſet, & aboleuiſſet, orans merito dixit: vbi tuus, ô mors, ſtimulus?] Ciuicam quoque ſpinea ſubindicat, per quam quippe nos in horrendo ſæpè prælio ab hoſte laceſſiti incolumes ſupernæ illi ciuitati, tanquam ciues reddimur: [quos dediſti mihi (inquit Chriſtus) cuſtodiui, & nemo ex illis perijt, niſi filius perditio-

Spinea corona obſidionalis etiam eſt. Ibid.

1. Cor. 15.

Ioan. 17.

nis.] Hoc veluti tonitrui ictu perfregit muros Babylonicæ ciuitatis, in qua confusione pleni detinebamur peccatis implicati, nostrósque indidem hostes prostrauit. Vnde fit vt, per gratiam eius, qui nos confortat, eos etiam superemus, & profligamus. cuius rei figuram Gregorius pulchrè, vt assolet, nobis proponit [Dominus, inquit, benè super Philisthæos intonare, & exterrere eos dicitur: filij autem Israël, illos cædere perhibentur: quia bona desideria nobis per diuinam gratiam ministrantur: sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrij ad virtutum victorias promouemus. Ordo igitur cælestis militiæ est, vt ante tonans fragore magno audiatur Deus: & post miles ad cædenda hostium agmina progrediatur: vt videlicet in se prius dona gratiæ videat; deinde ad certaminis campum validius erumpat, & securus victoriæ prouentum speret; qui eis, quibus coronetur viribus, ante congressionis tempora fultus est,] vult ergo Deus, vt illi cooperemur expugnanti ciuitatem diaboli, vt eum postmodum diuina adiuti gratia, vincamus. Sicut ergo Philisthæi prius exterriti à Deo fuere, postmodum verò ab Israëlitis percussi; sic Deus prius per gratiæ auxilium operatur, vt nos illi cooperemur.

8. Præterea per spineam muralis designatur corona: nec immerito, primus enim Christus hostium castra penetrans tartarea perrupit mœnia, & glorioſis Patrum trophæis expilauit: [Expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.] Visibiliter (inquit Origenes) filius Dei in carne crucifixus est: inuisibiliter verò in ea cruce dia-

Coloss. 2.

Orig. hom. 8. in Iosue.

bolus cum principatibus, & poteſtatibus affixus eſt:] vt ſicut Chriſtus ex cruce intrabat in gloriam ſuam; ſic diabolus in gehennam præcipitabatur. Inſuper caſtrenſis per illam denotatur: quandoquidem in deſerti caſtrum cum ſe Chriſtus recepiſſet, oratione, ac ieiunio tanquam munimentis cinctus, leni pugnæ velitatione humani generis hoſtem tanquam triplici, è ſcriptura deſumpto, fuſte, abegit. Hinc Hieronymus: [Saluator, ait, generis humani aſſumitur ab ſpiritu, vt pugnet contra diabolum, & oppreſſum atque contritum tradat diſcipulis conculcandum, vnde Apoſtolus: Deus autem pacis conteret Satanam ſub pedibus veſtris velociter.] Porro per eam naualis declaratur, qua filius Dei ornatus hunc mundi Oceanum bellis, ac tribulationibus infeſtiſſimum aggrediens, celeri nauigationis curſu circuiuit, & hoſtis inſolentia penitus repreſſa, tranquillum nobis nauigationis curſum reliquit. [Dominus enim quaſi vir pugnator, omnipotés nomen eius, currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.] Quare, vt animos nobis adderet exclamauit: [Confidite: quia ego vici mundum. Confregit enim, (vt ait Origenes,) malleum in deſerto contriuit in paſſione: Similiterque confringitur à nobis cum venimus ad Eccleſiam per fidem; conteritur autem cum per opera proficimus.] Hinc inpoſterum datus eſt nobis ad probationem, impijs ad damnationem; vnde Bernardus: [diabolus tanquam malleus cæleſtis opificis factus eſt, malleus vniuerſæ terræ: terit electos ad eorum vtilitatem; reprobos conterit in eorum damnationem.] Deinde oualem quoque ſpinea corona figurat: ea enim or-

Hiero. Epiſt. 8. ad Demetri.

Rom. 16.

Exod. 15.

Ioan. 16.

Orig. ho. 3. in Hiere.

natus Christus, parta de diabolo victoria famosissima, idque crucis baculo ouans in die resurrectionis, [nunc Princeps huius mundi foras eiectus est,] conclamabit. De hoc victore iam olim Regius propheta: [Conculcabis leonem, & draconem,] cuius rugitus minimè nobis extimendus [Rugire (inquit Bernardus) ille potest; ferire non potest. Rugiat quantum vult, tantum non fugiat ouis Christi:] & subdit: [non simus bestiæ, vt nos prosternat vaèuus ille rugitus. Sic enim perhibent, qui talia curiosius vestigauerunt; ad rugitum leonis nullam bestiam stare posse, ne eam quidem, quæ aduersus Christum eius tota animositate repugnat, & plerumque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem. Verè bestia, verè rationis expers, qui tam pusillanimis est, vt solo timore cedat: qui sola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum, non telo, sed tuba prosternitur.] Vbi, inquit noster Mendoza, qui diabolo cedunt, non solum infirmitatis, sed etiam stoliditatis conuincuntur. Infirmitatis, quia à victo vinci patiuntur; stoliditatis, quia à vano quodam fremitu, inanique rugitu consternuntur, præsertim cum Christus, per hanc spineam coronam capiti suo applicatam, oualem nostro quoque capiti impositam significet de hoste triumphantis tesseram.

Ioan. 12. *Psal. 90.* *Ber. in Ps. 90. ser. 13.*

9. Denique lauream illa Christi spinea insinuat symbolum victoriæ. Hinc cuilibet animæ in cælum ex hoc deserto redeunti inclamatur: [Veni de Libano sponsa mea, veni coronaberis.] Quare post tot victorias lauro coronatus illud Psal-

Cant. 4. *Psal. 45.*

miſtæ Chriſtus vſurpare poterat : [venite & videte opera Domini , quæ poſuit prodigia ſuper terram : auferens bella vſque ad finem terræ.] Quid ergo nobis timendum tot victoriis per Chriſtum partis de humani generis hoſtibus? [Non eſt (inquit Bernardus) quod vobis , vel pro vobis timeam à viribus Satanæ, & miniſtrorum eius , cum nouerim illius fortitudinem per Redemptoris vulnera traductam , & deductam ad nihilum. A verſutiis & aſtutiis illius formido mihi eſt pro vobis.] cuius fraudem ſubiecto probat exemplo : [Ille, ait , inſatiabilis homicida primis parentibus noſtris non vrſos , non leones , non fortia terræ animalia delegauit ; ſed tortuoſum & callidum ſerpentem , qui per ſinuoſa volumina , nunc caput cauda , nunc caudam capite tegere conſueuit] Coronam igitur magni huius pugilis , licet pungat , capiti noſtro tenacius , pœnitentiæ ſpinis altè impreſſis infigamus , vt cum Chriſto vincamus , & coronis victoriarum inſignibus coram ipſo appareamus glorioſi , Proh feliciſſimos qui ad Chriſti imitationem has ſibi coronas fabricant, Chriſtumque Regem gloriæ redimitum diademamate ſectentur , illiuſque aſpectu fruantur. Si enim Regem ſæculi (inquit Paulinus) videre propius , & eius vel faſtidioſo ſermone reſpergi , magna pars mundi tam beatum putet, vt ſi aliter non obtineat , etiam damnis emat, idque adeptus non modo hominum , ſed & ſui immemor fiat : quantorum hic dignitate felicior , quem Rex Regum honorauit,] conſimili ſuæ lauro in victoriæ ſignum condecorandum.

Ber. ſer. de quadruplici debito.

Dæmon fraud. agit.

Paul. Epiſt. 14.

10. Quisquis igitur Christo condoles, tibi spinarum sume coronam, capiti auidè impone, & ne ab aculeis eius horreas [puncturis enim carent) memineris supra illas sedere aues, homines nimirum diuinæ contemplationis alis libratos, securè illis insidere, atque in illis tanquam in suo nidulo conquiescere. Christus enim, vt diximus, in suo capite spinas excipiens, omnem illarum acerbitatem sustulit. [væ interim coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim & flori decidenti gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes à vino] væ præsertim scribis & Pharisæis, qui coronam spineam, ait Procopius, capiti Christi imposuerunt. Væ ebrijs Iudæis non tam vino, quam auaritia & furore. Væ Ephraim mercenarijs qui mercede conduxerunt Iudam ad prodendum & perdendum Christum. Væ Iudæ oriundo ex vico Ephraim, qui olim flos erat gloriæ Apostolicæ, sed cecidit furore ebrius in Gethsemani, id est, in valle pingui in terram cum Iudæis per lene Christi verbum, ego sum, in terram præcipitatus. hinc Leo Castrius in vos omnes, ô perfidi Iudæi, qui Christi sanguine manus vestras contaminastis inclamat [heu corona ignominiosa Domino imposita! heu mercede conducentes Iudam! heu flos moriens, & magnificentia, & decus patris! heu plebis Israël gloria manibus Iudæorum moriens! heu vallis Gethsemani! heu malleatos pedes sacros! heu malleatas sacras manus] ô infinitam Christi in nos charitatem! hanc iniuriam non sine summo dolore nostri gratia sustinuit vt nos ab æterna iniuria & acutissimis inferni tormentis perpetuo liberaret, ô incredibilem in nos amorem! quo omnia pro nobis

Corona spinea nobis eligenda.

Isa. 28.

Leo in illud. Isa. 28.

Digitized by Google

nobis ſubiit irriſionis, contumeliæ, & cruciatuum genera [multigenis, inquit Chryſoſtomus, contumeliis ipſum afficiebant. Nam in diuinum caput illum modo quidem colaphos impingebãt, modo autem ſpinea corona dehoneſtabant, modo verò arundine percutiebant viri execrabiles atque ſceleſti, & non caput duntaxat, ſed & vniuerſum corpus illud ſanctiſſimum contumeliis eſt affectum. Nam facies quidem ſputis oppletur, maxillæ palmis tunduntur, reliquum corpus flagellis atteritur, chlamydis amictu dehoneſtatur, effecta adoratione ridetur, manus illæ arundine, quam ſceptri tenendam loco dederant, dedecorantur, os etiam ipſum aceti potione exaſperatur. Et tanquam verentes ne quid contumeliæ opprobrijue omittere viderentur, omnia in ipſum facinoroſi illi ludibriorum genera exercere conantur. Cum igitur huiuſmodi pro nobis paſſus ſit Chriſtus, qua nos ratione turabimur, ſi contumeliis moueamur illatis?] *Chry. in c. 27. Matth.*

Dolor dolori additur.

11. Audire videor Chriſtum interea, præ nimio dolore ſecum tacitè illud prophetæ vſurpantem, quandoquidem è nobis plurimi eius doloribus minimè compatiantur: [ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt:] verè ſuper flagellorum dolorem, opprobria, irriſiones, ſputa, colaphos, genarum vellicationem, barbæ, & crinium euulſiones, ſpineamque coronam addiderunt, teque ludicrum, & veluti inſanum regem, per ſummam ignominiam crearunt, quia te Regem eſſe dixiſti, & huiuſmodi contumeliis nos minimè mouemur! ô Rex æterne, qui gloria & honore hominem coronare decreuiſti, & omnia ſub pedibus eius ſubijcere, ſiccine ignominiis, *Pſal. 86.*

flagellis,& irriſionibus onuſtus, tanquam è vilibus mancipijs vnus haberis! ô inauditam hominum ingratitudinem! ô incredibilem Iudæorum in ſuum Meſſiam feritatem! ô ineffabilem Chriſti in homines manſuetudinem,& benignitatem! ô immenſam in humanum genus Saluatoris charitatem! ipſe nos gloria & honore, per ſuam paſſionem coronare deſiderat,& illum nos ignominia, & dedecore inhonorare feſtinamus! ille omnia ſub pedibus noſtris; imo ipſos etiam tartari incolas ſubijcere conatur, & nos, è contrario, omnia nequitiæ tela, pungentes peccatorum ſpinas, in eius caput conuertimus. Ille beneficiorum multitudine, cum noſtra crudelitatum feritate certat: nos magnitudine crudelitatis, cum immenſa illius miſericordia contendimus, cum tamen, omni depoſita feritate, ſub eius potenti manu nos ſubdere potius oporteret, illiúſq; condolere angoribus, noſque illi tot infiniti amoris nominibus obſtrictos offerre [iuſtum namque & æquum eſt, inquit Anſelmus, vt me totum tibi tradam, qui te totum mihi tribuendum ſeruas, & me tanta familiaritate diligis, vt ſi quem diligeres præter me aliud non haberes. Si ergo præter te aliud non habeo, cur te non amantiſſime diligam? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.] Contemplemur igitur feruentiſſimum noſtri amatorem in diademate, quo coronauit illum nouerca crudelis Synagoga in diem deſponſationis illius, quam in inquieto crucis thalamo breui celebraturus eſt, vt huius inuſitatæ deſponſationis participes eſſe mereamur, in ſpineam eius coronam, inſtar Cathariné Senenſis, irruamus, illámque capiti noſtro

Anſelm.

Cant.3.

aptemus. Nihil nobis gratius sit quam sacratissimarum spinarum eius cuspidibus pungi, vt vulnerum, quæ in Christi capite effecerunt, participes, nostris vulneribus medicinam adhibeamus salutarem.

De arundine, & quid mystice significet.

CAPVT LVI.

1. TAnta in Christum crudelitate impijssimi dæmonis satellites exarserunt, vt noua, ac noua ignominiæ genera excogitarent. Imposita enim capiti eius spinea corona, traditur illi sceptri loco arundo, quo significare voluerunt, eius regnum inane, fragile, ac instabile esse: cuius tamen Regni (teste Angelo) nunquam erit finis. Illum itaque tanquam fatuum Regem irrident, & vexant: ipse verò arundinem sibi porrectam accipere non recusauit, neque illam abiecit, sed sacratissima manu fortiter compressit, tanquam sui contemptus insigne. Nihil enim illi antiquius fuit, quam, nostri gratia, contemni, despici, & vilipendi, vt suo nos contemptu ad cælestes honores promoueret, modo ipsi nos illius etiam gratia contemni, despici, & vilipendi desideremus. Per arundinem verò in sua detentam manu nihil aliud Christus voluit significare, quam [vt humana fragilitas (inquit Ambrosius) iam non sicut arundo moueatur à vento, sed ope-

Traditur Christo in derisionem arundo sceptri loco.

Luc. 1.

Amb. l. 10. in cap. 23. Luc.

ribus Christi corroborata firmetur: vel secúdùm
Marc. 15. Marcum caput eius percutit, vt solidata diuinitatis attactu nostra conditio nutare non possit.] Quod ergo in summum contemptum æterni Regis caput identidem arundine percusserint, vt coronæ spinas tenacius eius cerebro infigerent, præter eorum intentionem insinuarunt, non modo humanam fragilitatem, per Christi passionem, corroborandam; sed stabile etiam fore Christi regnum, ipsúmque adeò sui principatus tenacem fore, vt nunquam ab eo separari possit.

Sublimandū est Christi imperiū. 2. Nescitis, ô perfidi tortores, de eius regno
1. Reg. 2. scriptum: [dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.] Neque solum ratione diuinitatis, cuius gratia naturalis rerum omnium Rex est, vt pulchrè ostendit Chrysostomus ex illo Psalmistæ [tecum principium,] siue, vt Græcus legit textus, μετὰ σοῦ ἡ ἀρχή, id est, tecum principatus. Quid est (inquit Chrysostomus) tecum? hoc est, in ipso, in substantia eius, in natura eius. Quemadmodum fieri non potest, vt non sit in eius substantia, ita vt non sit eius regnum. Principatus regum est in multitudine exercitus: principatus Apostolorum in operatione importata extrinsecus: ipse autem habuit principatum in natura, in substãtia, perpetuum, immortalem.] sed etiam ratione humanitatis,
Luc. 1. iuxta illud Angeli Gabrielis: [Dabit illi Dominus sedem Dauid patris sui. Dari autem nihil potest Deo omnia habenti, dandum ergo Christo, non vt Deo (quæ enim necessitas accipiendi, vbi est habendi potestas?) sed vt homini, qui vt sic sedem accipere à Deo potest: nisi forte, ô hæretice, addit Chrysologus [putas quod honorem à
Chrysol. ser. 144.

Deo dedignatur accipere, qui ab hominibus tantas accepit iniurias; aut existimas quod conferri sibi regnum à patre fastidit, qui ab inimicis pœnas mortémque suscepit.] Hanc verò potestatem per Angelos à Christo homini collatam, & imperium manifestè in eius Ascensione vidimus. Illi enim redeunti ad cælos acclamarunt: [Attollite portas, principes vestras, & eleuamini portæ æternales.] quem Psalmistæ locum ex- *Psalm.* 23. pendens Ambrosius, primo illud attollite & eleuamini, non autem simpliciter aperite & reseramini, triumphi colligit apparatum, deinde quasi maiorem in reditu Deum esse significare Angelos asserit. [Quamuis, ait, scirent Angeli nihil Deo accedere ex carne potuisse: quia infra Deum omnia sunt: tamen trophæa crucis, cuius principium super humeros eius, & triumphantis æterni manubias intuentes, quasi eum quem emiserant cæli portæ capere non possent, maiorem viam quærebant aliquam reuertenti: adeò nihil exinanitus amiserat. Debuit tamen nouo victori nouum iter parari: quia non vnus homo, sed totus in omnium redemptore mundus intrabat.] Ecce, ô perfidi Iudæi, quomodo sublimandum, & perpetuo permanendum æterni Regis sceptrum & regnum præter vestram intentionem ostendistis. *Ambros. l. 4. de fid. c. 1.*

5. Neque hic substitit barbara Iudæorum feritas, sed filium Dei veluti stolidum Regem imperium affectantem arundine è manu eius erepta inhumanissime verberabant. [Sceptrum in manu (inquit Bernardus) gestat, sed eo ipso caput eius reuerendum feritur.] & inconcinna voce per insignem contumeliam consalutantes, altero *Bern. serm. de pass.*

genu flexo [Aue Rex Iudæorum] ingeminant.
Bern. ibid. [Adorant (inquit Bernardus) coram ipso positis in terra genibus, & Regem clamant; & continuo sputis amabiles eius genas sublinunt, maxillam palmis, & honorabile collum exhonorant.] Quo summo dedecore, & opprobrio in primis indicare voluerunt, æterni patris sapientiam arundinis induisse conditiones, ac proinde arundine verberari dignam; quod quid ignominiosius? Quare sicut arundo omni caret medulla intus vacua, sic æterni patris sapientiam sensu, & ratione prorsus vacuam esse stolidi, & impudentes Iudęi iudicarunt, & sicuti illa leuis, ac mobilis est, sic te Domine tãta animi ac propositi mobilitate præditum censuerunt, vt neque tibi constares, neq; grauitatem seruares, sed quolibet fauoris vento flante, in hanc, vel illam partem facilè flectereris:
Greg. ho. 6. in Euang. [Arundinem quippe [inquit Greg.) mox vt aura contigerit, in partem alteram flectit. Et quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur? qui mox vt fauore, vel detractione tangitur, statim in partẽ quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura fauoris flauerit, hilarescit & extollitur, totumque se quasi ad gratiam inflectit. Sed si inde vẽtus detractionis eruperit, vnde laudis aura veniebat, mox eum quasi in partem alteram ad vim furoris inclinat. Sed arundo vento agitata Christus non erat: quia hunc nec blandum gratia, nec cuiuslibet detractionis ira asperum faciebat. Nec prospera hunc erigere, nec aduersa nouerant inclinare. Arundo ergo vento agitata Christus non erat, quem à status sui rectitudine nulla rerum varietas inflectere poterat] porro quemadmodũ arundo fragilis: sic tuũ, ô Christe

regnum, quod eorum iudicio affectabas fragile, & caducum fore, & instar arundinis facili negotio breui exarescere perperam existimarunt. Imo & per hanc in manu tua positam, tuis illudere miraculis tanquam falsis & illusorijs voluisse putem, non secus atque illa olim Magorum coram Pharaone facta, quæ per virgam Moysis illusoria, & falsa fuisse manifestabantur. Sed alia fuit Christi arundinem recipientis intentio. Tenuem enim fragilémq; manu gerere voluit arundinem, veluti hastam, quo tantam suam esse potentiam & fortitudinem ostenderet, vt hac fragili & imbelli hasta omnes suos facilè expugnaret aduersarios, atque adeo ipsum malitia insignem antiquum serpentem diabolum, qui, vt Athanasius ait, ignorans dedit Christo gladium contra se, quia arundo serpentibus lethalis esse dicitur. Deinde alia etiam fuit Christi accipientis intentio, vt benè Hieronymus indicat: [quod quia calamus arundineus instrumentum erat multis ad scribendum; propterea Christus calamum manu tenere voluit, quo sacrilegium Iudæorum literis mandaret,] cuius vsque in hodiernam diem seueram sentiunt vindictam.

Athan. ser. de pass. & cruce.

Hieron. in c. 27. Matth.

4. O quis nostrum est qui hanc arundinem, quæ ex cæleſti illa manu singularem accepit virtutem, & ex percusso illius venerando capite diuinam induit efficaciam ad vitam omnibus tribuendam, quos semel tangeret; quis inquam non optaret illam sibi in manum tradi? quis diuinum Saluatoris sceptrum veræ pacis tesseram sibi porrigi non desideraret, cum ex eo sicuti aliàs ex fimbria vestimenti eius vis sanandi omnes exibat, salus accipienti eueniat, & vita multo cer-

tius quam ex virga illa aurea, quam Rex Assuerus extendebat in signum clementiæ illis qui ad se accederent, vt viuere possent. Extende igitur, ô magne Assuere, Regiam hanc virgam, sceptrum omnipotentiæ tuæ indicem, extende inquam, & tange in signum fauoris, & clementiæ corda nostra adamantina, vt virgæ salutari ictu emollescant, tuumque in posterum contemptum singulari æstimatione iudicemus, & huiusmodi efficax arundinis tuæ contactus indubium nobis clementiæ argumentum erit, & æternæ beatitudinis certissimum pignus, vt sic arundines vento agitatæ non simus, neque vnquam à rectitudinis statu deflectamus, sed vt ait magnus Gregorius [solidemus animum inter auras linguarum positum, stet inflexibilis status mentis. Nulla nos detractio ad iram prouocet, atque ad remissionem inutilis gratiæ nullus fauor inclinet. Non nos prospera eleuent, non aduersa perturbent, vt qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moueamur.]

Hester. 4.

Greg. ibid.

5. Præterea in summam ignominiam (vt diximus) genu flexo illudebant ei dicentes: [Aue Rex Iudæorũ.] Quod salutationis genus quamuis, in speciem, honorificum: quia tamen per contemptum fiebat, nulli penè iniuriæ huiusmodi irrisio comparanda erat, [Aue, inquiunt, Rex Iudæorum] quasi insano Regi, imo insanæ mentis scurræ insultantes. [Verè (vt ait Bernardus) tanquam abortiuum, quod proijcitur à vulua, sic proiectus est ab vtero matris suæ, infœlicis Synagogæ.] Consimili expositum ludibrio insanum quendam Carabam ab Alexandrinis legi-

Math. 27.

Genu flexo Christo illudunt.

Bern. serm. de pass.

mus, in odium & execrationem Agrippæ Regis. Miſerum hunc in ſuperiori quodam loco ſtatuunt, vt ſpectari poſſit ab omnibus, moxque capiti diadema imponunt papyraceum; pro paludamento, corpori ſtoream induunt; pro ſceptro fruſtum arundinis humi ſublatum, quidam ei dedit in manum; ſic ornatum regiis inſignijs, & in Regem transformatum, more hiſtrionico adoleſcentes perticas in humeris geſtantes ſtipabant pro ſatellitio, tum alij ſalutatum accedebant, alij ſibi reddi iura petebant, alij conſulebant eum de Republica. Nonne ſimili ludibrio Chriſtus excipitur hodie, purpura indutus, à militibus? veniebant enim, & dicebant: [Aue Rex Iudæorum,] veniebant quaſi ſalutantes, & iura reſponſaque petentes. exiſtimabant ſiquidem ſe cum ſtolido, & mentis inope agere. Hinc tantum abeſt, vt honoris hac exhibitione illi deferrent, vt potius altero genu flexo illum inhonorare omnino vellent. [Aue, inquiunt, Rex Iudæorum.] *Plinius lib. in Flaccum.*

6. O Rex maieſtatis! ô ſupreme cælorum dominator, quam aliter hodie ab Angelis in cælo honoraris, & in terra à Iudæis! Angeli enim trepidi vultus ſuos alis præ verecundia ſimul ac reuerentia abſcondunt, ob exiguam tanto Deo dignam charitatem ſuam, indignos ſe iudicantes qui obtutus in tantam maieſtatem figant, ac proinde velut proni te tanquam Deum ſuum verumque cælorum Regem honorant adorantque, & nos quoque fideles tui ex intimo animi affectu [Aue Rex Iudæorum] ſimul & gentium, quorum cauſa huiuſmodi pateris irriſiones, ingeminamus, non ficto, ſed vero tui amore inci-

tati. Aue ergo Rex Iudæorum. Aue Rex gentium. Aue Rex Angelorum. Aue Rex cæli & terræ, salua nos, viuifica nos. Tu es ille, qui in sanguine vuæ (vt loquitur Ambrosius) lauisti pallium tuum, id est, gentes sanguine tuo.] Tu es ille qui nos lauisti à peccatis nostris in sanguine tuo. [Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt] in quæ prophetæ verba sic disserit Tertullianus] Dimissorem delictorum Christum recognosce: si fuerint, inquit, delicta vestra tanquam roseum, velut niuem exalbabo, & si tanquam coccinum, velut lanam exalbabo; in roseo sanguinem ostendens prophetarum; in coccino Domini vt clariorem, quasi dicat: si peccata vestra sanguine Christi rubuerint instar coccini, hoc est, si in Christi sanguine coccineo peccata vestra ablueritis, sicut nix vel sicut lana dealbabuntur. Tu es ergo ille cuius purpureo sanguine è capitis, atque adeo è totius corporis vulneribus defluente nostra diluuntur peccata. Tu es ille qui sanguine tuo nostras inauras animas] Quemadmodum enim (inquit Chrysostomus) si quis liquefacto auro manum vel linguam injciat, quam primum deauratur: ita anima immersa sanguine Christi aurea redditur: resurgit enim vehementius igne fluuius, neque incendit, sed abluit quicquid comprehenderit.] Te ergo non vno tantum, sed duobus genibus flexis humiliter adoramus, tuo nos obsequio tradimus, Aue ergo Rex Iudæorum, Rex fidelium, Rex cæli & terræ, non genuflexo, sed genibus, quo significamus nullam nostri partem mundo, sed totos tibi nos tradere. Non enim

Ambr. lib. de benedic. Patriar. c. 4.

Isai. 1.

Tertul. li. 4. contr. Marc. cap. 10.

Sic noster Viegas Apocal. c. 1. comment. 1. sect. 13.

Chr. ho. 45. in Ioan.

ignoramus te illos tantummodo amplecti qui non dimidiato corde, sed integro tuæ maiestati seruire penitus volunt. Iudæi irrisoria repetita salutatione verbera & colaphos etiam repetebant, & sputa in vultum illum patri æterno amabilem, tanquam in fœdissimum domus angulum conijciebant.

Varies subit Christus cruciatus.

7. O hominum ardentissime amator! quoties tuæ iniuriæ repetuntur! quoties horrendos tui corporis & animi cruciatus redintegrantur! Quã verè Chrysostomus: [Aduersis, ait, probatur amor, affectio pẽsatur periculis; pœnis examinatur dilectio, morte perfecta charitas minuitur.] Nonne in horto, in domo Annæ, Caiphæ, & Herodis variis exceptus es ludibriis? nonne etiam alapis cæsus? nonne fœdè consputus, & diris, ac duris verberibus contusus, idque nostri gratia? nonne hæc suffeciſſent? sed charitas tua in nos ita sese extendit, vt non nisi morte tua illi satisfacere queas. [Fortis enim, vt mors dilectio.] Nam quomodo mors (inquit Augustinus) violentissima est ad auferendum; sic charitas violentissima est ad saluandum; imo & fortior morte, quia & veram mortem, scilicet graue peccatum, in nobis occidit, & ipsi peccati morti verba vitæ authoris vsurpans, minitatur, dum dicit: ô mors, ero mors tua. Bona mors (inquit Bernardus) charitas non vitæ, sed mortis. Bona mors, & nequaquam abhorrenda, quæ vitam etsi adimit, non perimit. Adimit quidem, sed ad tempus restituẽdam in tempore, duraturam sine tempore.] Dilectio itaque mori te facit. O vtinam amor etiam noster in te tantas flammarum lampades euomat, vt neque mors, neque vita nos à te separare pos-

Chry. ser. de pass. to. 5.

Cant. 8.

August. in Psal. 47.

Oze. 13.

Ber. Epist. 42.

sit. [Nihil est tam durum atque ferreum, inquit Augustinus, quod nō amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera, & admiranda volitabit, pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur.] vtinam talis sit noster in te, ô bone Iesu, amor, vt lampades nostræ, lampades flammarum sint, quibus quotidie diuinum tuum pectus ad nobis succurrendum, & pro te patiendum incendamus. vtinam tantus lampadarum nostrarum sit ignis ac flamma vt nunquam opprobriis tui causa susceptis saturemur, nunquam mentis nostræ oculus à tuis auertatur contumeliis, nunquam extinguatur animæ nostræ sitis, donec contumeliis, ignominiis, opprobriis, sputis, flagellis, spinis saturata in tuis conquiescat vulneribus, qui tanta nostri gratia, & tam indigna sustinuisti opprobria & vulnera. [Bona charitas, exclamat Ambrosius, habens alas ignis ardentes, quæ volitat per pectora, & corda sanctorum, sibi propositis tot iniuriis quas bone Iesu toleraſti, & exurit quidquid materiale atque terrenum est, quidquid vero sincerum est, probat, & quod contigerit suo igne meliorat. Hunc ignem misit in terras Iesus, & refulsit fides, accensa deuotio, illuminata est charitas, iustitia resplenduit.] hunc vtinam ignem in nostra conijcias pectora, vt eo penitus inflammati omnia deuoremus opprobria in nos Iesu causa illata.

Aug. l. 1. de morib. Eccli. c. 22.

Amb. l. de Isaac c. 8.

Digitized by Google

Consideremus Christum hisce irrisionum indutum veluti veste generibus procedentem, de suis breui hostibus triumphaturum.

CAPVT LVII.

1. ECce terræ, cælique Imperator chlamyde indutus militari, procedit contra tartareos inferni duces fortiter dimicaturus, tenuem, fragilemque manu hastam gerens, scilicet arundinem : tanta siquidem illius fortitudo, vt hac imbelli armatura omnes suos aduersarios facile sit deuicturus: pro galea sacratissimum eius caput spinæ tegunt : quia nos membra sua à peccatorum vulneribus, & spineis auaritiæ aculeis vendicaturus est. Hæc sunt patientiæ, ac potentiæ arma, quibus occultata tremenda Christi maiestas mundum, peccatum, mortem, diabolum, & tartara debellatura venit. Ecce his instructus armis, & corona redimitus spinea, eius capitis attactu adeo nobilitata, vt omnium Regum, & Imperatorum aurea gemmataq; excedat diademata, soli Christo ac redemptori propria: [gaudens, inquit, gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo : quia induit me vestimentis salutis : & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.] Quam præclaris incedat armis Imperator noster, Ecclesiam ad gaudium inuitans, eo quod ab illo, per *Isa. 61.*

passione, maxima salute, iustitia, & gratia ornata sit, & circundata vndiq; quasi veste, eaque quasi cyclade Regia mirè splendida, & decorata sit, in morem sponsæ, quæ sponso Regi maritatur. huius gaudij omnes Christi fideles participes esse possunt, si spreta mundi vanitate, quid Christus eorum gratia patiatur, sedulò considerent.

Ber. ser. de Magda. Hinc Bernardus [est gaudium, ait, continua sibi iucunditate firmissimum, quo animus ab huius mundi aspergine purè, presséque detersus, & in diuinæ contemplationis acumen, totum desiderij sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino:] quippe probè intelligens Christum iam de peccatis, morte, diabolo, & tartaro triumphum agere, quem solus Deus & homo agere valet: [spinæ siquidem (vt ait Rupertus) peccata significant, quæ animam pungunt, & lacerant: horum victoria, & triumphus soli Christo, qui Deus est & homo, debetur.] Hinc hodie egreditur coronam è spinis contextam ferens, quibus se de peccatis, cæterisque humani generis hostibus triumphaturum, denotat. Vnde Hilarius: [peccatorum, inquit, est aculeus in spinis, ex quibus victoriæ corona contexitur:] vt per spineam coronam æternæ beatitudinis nobis comparet diadema, modo & nos è laboribus, & dolorum aculeis, illius gratia nobis fabricemus coronam, instar sanctissimi illius martyris Agapeti, qui puer quindecim annorum furori crudelis tyranni Aureliani se velut adamantem obiecit, anno Christi ducentesimo septuagesimo quinto, atque virgis, neruis, igne, fumo, aqua bulliente, aliisque grauissimis cruciatibus mirificè excarnificatus, cum in caput eius arden-

Digitized by Google

tes conijcerentur carbones, grates agens Deo hilariter ingeminabat: [parua res est, si caput coronandum in cælo, comburatur in terra: quam decorabit corona gloriæ, plagas & vulnera, pro Christo excepta.] cum ergo & nos christiani nominis appellatione tanquam corona redimiti simus, hanc fulgentibus margaritis, & ardentibus veluti pyropis oportet splendescere, fulgentissimis nimirum virtutum splendoribus, & maximè patientiæ gemmis, vt simili Christi corona hic ornati glorioſa in cælo mereamur, noſtroque exemplo omnes ad ferenda pro Christo opprobria inflammemus. Vnde B. Chryſoſtomus, [Nemo profecto, inquit, gentilis eſſet, ſi ipſi, vt oportet Chriſtiani eſſe curaremus: nemo ita eſſet fera bellua, vt non ſtatim ad cultum veræ religionis accurreret, ſi quod nomine chriſtiano præferimus, reipſa & vita præſtaremus.] Hinc ſpinis coronatus nobis hodie mundi Saluator proponitur, vt ſi velimus illius gloriæ participes eſſe, ſimus & dolorum, hoc enim eſt chriſtiano nomine veluti corona gloriari reipſa, & vita præſtare, quod Chriſtus noſtri cauſa præſtitit. Vide hoc chriſtiane, & ſi ſecùs faxis, pudeat te nominis tui, imo potius vitæ tuæ, qui ſpineo cum Chriſto diademate coronari reſpuis.

In eius vita. 18. Aug.

2. Ecce ſpectaculũ cælo ac terræ efficitur Chriſtus aculeatis redimitus ſpinis. Quid enim inuſitatius cælo terræque, quam Deum ſpinis coronatum videre? [Vadam (inquit Moyſes) & videbo viſionem hanc magnam.] Quam obſecro Moyſes viſionem cernes? Deumnè ſpinis coronatum? imo Deum video, inquis, in igne inter ſpinas, video igne accenſum inter ſpinas omni-

Exod. 3.

nino illæſas. [Magnum eſt hoc miraculum (inquit Gregorius) ſi ſolam in eo hiſtoriam requiras, eſt vnde legentis nutriatur animus, vt videas, quod in ligno ignis ardeat, & non conſumat.] Et ſubdit paulò pòſt: [Inter homines pariter perfectus homo factus eſt vnicus Dei filius, qui ſua peccata non habuit, ſed ſpinas noſtræ nequitiæ ſuſcepit, atque vſque ad paſſionem pro nobis humiliari dignatus eſt, & in ſemetipſo ignem tribulationis noſtræ ſuſcipere. Sed arſit, & non arſit: quia ex humanitate eſt mortuus, tamen immortalis ex diuinitate permanſit. Suſcepit à nobis vnde ſacrificium fieret pro nobis, & tamen impaſſibilis atque incommutabilis permanſit in proprijs, vt nos commutaret à noſtris.] Viſio igitur hæc magna profecto, Deum ſpinis coronatum cernere, Deum charitatis igne accenſum, & ſpinas in roſas vertere. [Per ſuccenſum rubum Deus Moyſen alloquens quid aliud (inquit Gregorius) oſtenditur, niſi quod ex illo populo exiret, qui in igne Deitatis carnis noſtræ dolores, quaſi rubi ſpinas ſuſciperet, & inconſumptam humanitatis noſtræ ſubſtantiam, etiam in ipſa diuinitatis flamma ſeruaret?] ſpinas ſibi in torturam, nobis in roſas conuertendo. Solent quidem ſpinæ roſas proferre, ſed ſpinas in roſas verti magnæ admirationis eſt. Hanc virtutem ſpinæ Chriſti coronæ ex capite illo cælis altiore quod pupugerunt, traxere, qua in pulcherrimas roſas cælo terræq; amabiles ſeſe potuerint commutare. Eamus igitur cum Moyſe, & videamus viſionẽ hanc magnam, Deum ſpinis coronatum, igne charitatis flagrantem, & illæſas à flamma ſpinas in roſas permutantem delicatiſſimas,

Greg. li. 1. in Ezech. c. 7.

Greg. li. 28. Moral. c 2.

3. Egredimini

3. Egredimini igitur filiæ Sion, filiæ militantis Eccleſiæ, & videte vobis præſentem ſponſum animæ veſtrę ſpinis coronatum, charitate inflammatum, & victoriam vobis de hoſtibus veſtris pollicentem Nam quamuis per inſignem contumeliam [ſubſannationemque (vt loquitur Athanaſius) triumphalia addiderint Iudæi Chriſto ornamenta, coccineam chlamydem, coronã ſpineam & calamum: afficiebatur tamen inde, vt ab eo latenter ſpoliarentur dæmones. Cum enim ſanguine terra per diabolum funeſtata, & multis vndis cruoris eſſet imbuta, & vbique ſpinæ ob execrationem miſcerentur, & hoc chirographum nactus inimicus noſter omnes inuaderet, & tyrannidem in omnes, vt in ſubiecto ſibi exerceret: ea de cauſa cum eum omnibus ſpoliaſſet Dominus, hoc genere veſtimenti indutus ad mortem proceſſit, vt oſtenderet victoriam de morte non temerè, ſed pro noſtra ſalute partam eſſe, geſtabatque in coccinea chlamyde ſpeciem ſanguinis, ſpinaſque in corona, & chirographum in calamo, quo inſtrumento iam olim nos diabolus æri ſuo, rationibuſque inſcriptos habet, vt vnà cum morte etiam iſta ſimul demoliretur; & rerum naturam ab iſtis malis purificaret, & pro ſpinis lignum vitæ largiretur vtendum, & pro ſanguine peccatorum, ſuo ſanguine & terram, & omnes emundaret. Ideo enim noſtrum ſanguinem geſtãs in veſte coccinea, ſuum omnino ſanguinem in terram profudit: vnde factum eſt, vt in ea pro ſpinis bona & vita repullulaſceret] quanta hæc myſteria Spiritus-ſanctus ex his Chriſti ornamentis elicere nos docuit. Quid ergo mirum ſi Eccleſia Chriſti ſponſa, & commu-

Athan. ſer. de cruc. & paſſ.

Multa myſteria ex his Chriſti ornamentis eliciuntur.

nis noſtra mater ad huiuſmodi viſionem in qua tot continentur myſteria cominus contemplandam nos inuitet?

Aries inter ſpinas grata viſio Abrahæ.

4. Vidiſti, ô Abraham! iam olim viſionem etiam magnam, nimirum arietem inter ſpinas cornibus implexum: magna quidem & grata tibi fuit hæc viſio, quæ tibi indicauit filio tuo Iſaaco libero abeunte, arietem eius loco in ſacrificium offerendum. Magna certè viſio, ſed multo maior eſt, & mirabilior videre arietem dimitti liberum, & filium ſpinis implicari, vt cruento reſeruetur ſacrificio, peccatorem dico libertate donatum, qui inſtar Arietis mactandus eſſet, filio Dei ſpinis implicato, & ad cruentum reſeruato ſacrificium, qui liber dimittendus eſſet. [ſed altius, inquit B. Maximus, introſpicere debemus, quidnam ſit quod Iſaac à patre altaribus admouetur, ac ſubito aries pro eo non mutata, ſed duplicata oblatione ſupponitur. Gemina hic adoranda ſubſtantia Redemptoris oſtenditur. Dei enim vnigenitus offertur, & virginis primogenitus immolatur.] ô viſionem inuſitatam! vidit Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus, quem pro filio ſuo in ſacrificium Deo obtulit: & videt æternus pater filium ſuum vnigenitum pungentibus implexum ſpinis, quem ad cruentum crucis ſacrificium expoſcit, dimiſſo vili ariete, peccatore nimirum. Hinc merito exclamat Origenes: [vide Deum magnifica cum hominibus liberalitate certantem; Abraham mortalem filium non moriturum obtulit Deo, Deus immortalem filium pro omnibus tradidit morti] dicamus ergo cum Moyſe, [vadam & videbo viſionem hanc magnam]

Genes. 22.

Max. ho. 1. in feſt. Paſch.

Orig. in illud Gen. 22.

Digitized by Google

Deum ſpinis redimitum, & omnium ludibrio expoſitum. Videamus & cum Abrahamo mundi Saluatorem inſtar arietis implicatum inter vepres cornibus, vt loco peccatoris ſacrificetur corona ornatus ſpinea, nec abſque ratione; victimas enim coronatas antiqui offerre ſolebant, vt auctor eſt Plinius. Hinc præcellentiſſima orbis victima incedit coronata, non aureo, aut argenteo Diademate, non roſis, ſed ſpinis, quæ in cælum amoris flamma incenſæ veniam peccatoribus efflagitant. Vnde Rupertus: [ſpinæ, inquit, veſtis irriſoria, cæteræque iniuriæ ſine dubio proclamant in cæleſte propitiatorium, & credentibus in Chriſtum potenter impetrant remiſſionem peccatorum.] Et interim ipſe nos huiuſmodi ſpinis amore ardentibus coronatus ſub ſuæ coronæ vmbram inuitat donec ſui holocauſto patris in nos iram mitiget. Quis ergo non properabit ad hanc viſionē magnam, Deum ſpinis coronatum, & in victimam pro peccatis noſtris deſtinatum, amoris ſimul, & doloris flammis noſtri gratia breui conſumendum?

Plin. lib 16. cap. 4.

Victimæ coronantur.

Rup. Ioan. 19.

5. Accedamus itaque quotquot veri ſumus Eccleſiæ filij ad hanc viſionem magnam: antequam verò accedamus calceamenta nobis deponenda, malæ nimirum animi affectiones, & tunc demum viſionem hanc magnam clarius intueri poterimus: videbimus tum infinitū amoris ignem, in quo Chriſtus, noſtri cauſa, inter ſpinas ardet, & videbimus ariete nimirum peccatore è ſcelerum vepribus dimiſſo vnigenitum Dei in victimam offerri, & noſtri amore quaſi ebrium in crucem agi. O quis ſupereminentem hanc ſcientiæ charitatem comprehendet tàm in ſua Incar-

natione, quam in passione nobis exhibitam? Hinc Ambrosius: [Post Dei patris, ait, infinitam & incomprehensibilem cognitionem, & inenarrabilem clementiam, Christi quoque agnoscere nos vult charitatem, quia supereminēs est scientiæ, & subintelligitur humanæ, vt super scientiam hominum habeatur dilectio Christi. Quis enim potest colligere mysterij huius charitatis rationem, vt & Deus hominis causa homo nasceretur, & deinde moreretur pro hominibus? nunquid non charitas hæc super scientiam hominum est? Hoc ergo vult nos scire, quod sensus noster assequi non potest, nec perspicere profunditatem beneficiorum Christi erga nos.] Vt igitur hanc supereminentem omni scientiæ visionem charitate redundantem perfectius cognoscamus, prius inolitas praui animi affectiones deponamus, vt purgato mentis oculo ex ardenti amoris affectu conclamemus: ô quam immensus charitatis ignis spinis circundatus lambit Christi pectus! quantas vndequaque euomit amoris flammas, vt nemo se ab eius calore possit abscondere! tam ingens sanè est illius ardor, vt Christus ipse præ eius dulcedine, vix tot spinarum puncturas percipiat, vix tot in venerandum caput intorta arundinis verbera sentiat, imo licet totictibus asperrimos spinarum aculeos altius in caput eius imprimere contendant tortores, licet totius corporis vulnera vestium spoliatione, & nouarum, quibus indutus est, affrictu renouent, tam ingenti tamen Christus charitatis flamma inardescit, vt quamuis incredibilem sentiat in carne dolorem, sine vllo tamen doloris sensu ita videatur, cum spinarum suarum vulne-

Amb. in ep. ad Ephes. 3.

Ingens Christi in nos charitas.

ribus, omnibúſque corporis, animíque cruciamentis noſtra ſanare vulnera intendat. [Itane (exclamat Bernardus) ſummus omnium vnus, factus eſt omnium infimus?] Itane diuini amoris violentia in hominum peccatis delendis tanta, vt ad ſuperanda prorſus omnia obſtacula, quæ ex hominum flagitijs naſcuntur, ſeſe opponat? quæ res algentia peccati gelu mortalium pectora ita inflammare deberet, vt nunquam ab eius veſtigijs deflecterent. Conſideremus itaque illum alacriter iam nobis præeuntem, miſericordiæ corona redimitum, quem aliquando impij iuſtitiæ corona fulgurantem trepidi cernent, Sancti verò gloria & honore in cælo coronatum viſuri ſunt. Hinc nos B. Bernardus monet, vt mentis oculos in Chriſtum triplici exornatum corona conijciamus, qua diuerſus hominum ſtatus indicatur: [Videant, inquit, eum filiæ Sion, animæ affectuoſæ in corona miſericordiæ, & imitentur; videbunt eum impij in corona iuſtitiæ, & peribunt; videbunt Sancti in corona gloriæ, & gaudebunt] Quis ergo auream portabit coronam Chriſto ſpinis coronato? Gothofredum Regem obſecro hac in re imitemur, qui corona aurea Hieroſolymis noluit decorari, vbi Chriſtus corona illuſus fuerat ſpinea. Prætulit ille Chriſti ſpineam coronæ aureæ, & proinde formidabilis tam corporis quam animæ hoſtibus ſemper extitit. Imitemur & Catharinam, de qua aliàs, cum illa eligamus hîc cum Chriſto ſpinea coronari, vt poſteà in cælis, deuictis hîc hoſtibus aurea cum eadem coronemur.

Ber. ſer. 64. in Cant.

Ber. in illud Cant. 3. Videte Salom. in diadem.

6. Vegetius memoriæ prodidit, milites olim coccineis indui conſueuiſſe veſtibus, vt aſpectu

Veget. de re milit.

Rubeus color animal ad prælium.

rubei coloris ad prœlium ipſi magis animarentur; ſic ob eandem cauſam ſanguinem vuæ & mori elephantis oſtendi ſolitum ad eos in prœlium exacuendos ſacra commemorat Scriptura.

1. Mach. 6.

Et Chriſti martyres non vuæ aut mori ſanguine aſperguntur, ſed ſuo exterius cruore, & interius Chriſti per flagella, ſpinas & lanceam extracto intincti ſe, & nos ad prœlium cum tyrannis, tartareiſque hoſtibus fortiter ineundum inflammāt. [Per patientiam igitur illorum exemplo incitati curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione cōtempta] hinc totius mundi Imperator ſpinis coronatus in vili ſcabello, tāquam abiectiſſimus homuncio, ſedet omnium expoſitus irriſioni, cuius ſedes cęlum, & terra ſcabellum pedum eius: heu quanta hæc mutatio, vt qui ſedet ſuper Cherubim, qui ad dexteram patris ab æterno collocatus, qui in magnifico ac maieſtate pleno throno terrarum orbem aliquando iudicaturus, ſublimis reſidebit, hodie tanquam inſanus, tanquam ſtultus & nugax, & inanis regni affectator in abiectiſſimo ſedeat ſcabello, idque per ſummum dedecus. Verè tanquam ſaccus cilicinus æſtimatur à Iudæis, ſed nobis eſt ſaccus miſericordiæ, & pulchrè Bernardus diſſerit. [Ecce quaſi ſaccum plenū miſericordia ſua Deus pater miſit in terram, ſaccum inquam in paſſione concidēdum, vt effundatur quod in eo latet pretium noſtrum: ſaccum vtiq; etſi paruum, ſed plenum, paruulus ſiquidem datus eſt nobis, ſed in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. Poſtquam enim venit plenitudo temporis, venit & diuini-

Hebr. 12.

Apoc. 6.

Bern. ſer. 1. de Epiph.

tatis.] & hunc gratiarum saccum, ô Pilate, non modo exponis irrisionibus, sed satellitum pedibus conculcandum: existimasne furentium Iudæorum rabiem, per huiusmodi ignominias mitigare? scio te implacabilis populi victum furore, vt hisce Iesum ludibrijs exponeres. Scio te illius insania percitum, tot eum flagellis subdidisse, irrisoriæ vestis amictu induisse, spinis coronasse, vt nimirum impiorum animos huiusmodi ignominijs, & cruciatibus Christo irrogatis exsatiares: inuidiæ nimirum odio ac rancori hisce tormentorum generibus, ita satisfacere putaras, vt vltra illum ad maiores non peterent cruciatus, quem tot modis intuerentur afflictum. Ideo, ait Leo, diuersis contumelijs Iesum affici aut permisit, aut suasit, vt satiata iniquitas de innocentis iniurijs vlterius non sæuiret. Sed pertinax malitia proprijs crescebat augmentis, & in quem obtinuerat ius illusionis, exigebat & mortis.] Perge igitur Pilate; perge, produc Iesum in medium, pluribus eum irrisionibus & tormentis expone. *Leo. ser. 10. de pass.*

7. Quicunque ergo sub Christi vexillo militamus & cum tyrannis tartareisque inferni legionibus dimicare cupimus [caput illud sanctissimum modo colaphis, modo calamo cæsum, modo corona ex vepribus contexta dedecoratum à viris impuris & scelestis intueamur non vuæ aut mori stillans guttis, sed proprio sanguine etiam toto corpore perfusum in salutis nostræ pretium patris iustitiæ persoluendo.] Inuentum est enim, vt ait Basilius vnum pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus, & omni pretio superior sanguis Christi. Etenim pre- *Chrys. hom 88. in cap. 27. Math.* *Basil. in Ps. 44.*

tiosa fuit mors Sanctorum : sed nulla illorum mors tantum habuit pretium, neque habere potuit, vt multos posset redimere. Sola mors Christi id habuit pretium, quod omnibus hominibus redimendis satis superque fuit. [huius ergo sanguinem nobis semper ob oculos ponamus, cuius vel aspectus infractum animi robur nobis conferet, vehementérque in prœlium pro Christo gerendum exacuet; præsertim cum multi ante nos fortitudinis per Christi sanguinis sedulam commentationem acceptæ præclara reliquerint nobis exempla, vti B. Leo pulchrè asserit [sancti fortiter pro Deo mortem perferentes, exemplum quidem præbuere, sed non redimendis hominibus pretium: acceperunt à Christo gloriæ coronas; at alijs dare non potuerunt: acceperunt iusti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ: singulares quippe in singulis mortes fuerunt, neque alterius quisquam debitum suo funere soluit.] Cur ergo eorum nō imitemur exempla qui infracto robore Dominici sanguinis virtute corroborati, quidlibet Christi gratia sustinuerunt, vt conformes illi reperirentur, quisque patiendo qui pro omnibus passus est omnèsque redemit: [si, inquit Apollinaris, quantamlibet nobis anxietatem vitæ præsentis propinet afflictio, parua toleramus, si recordemur, quid passus sit Christus ad columnam ligatus, quid spinis coronatus, quid biberit ad patibulum, qui inuitat ad cælum.] Si igitur velimus in prælio cum Christo ac martyribus, proposito nobis gaudio fortes esse, non tantum memoria Christi sanguinem per spinas elicitum recolamus, sed cum elephantis

Leo. ep. 97. ad Leonem Augustum. & ser. 12. de pass.

Apol. lib. 4. epist.

etiam illum pleno hauſtu, tormentis Chriſti cauſa, ſubditi bibamus. [Rex iuſſit abundantibus pugnis thuris , & vino multo puro omnes elephantes potare, & efferatos poculi nimij ſubminiſtratione adducere ad occurſum mortis ludæorum.] Quare ſicut oſtenſum vinum elephanti bibebant, vt in prælium tum vini conſpectu, tum potu inflammarentur: ſic non ſatis nobis eſſe debet Chriſti ſanguinem quotidie ſub vini accidentibus occultatum à ſacerdotibus oſtendi, illiuſque memoriam firmiter tenere, ſed illum quoque oportet ſub ſpeciebus panis contentum ſæpius epotare: vt acriores ſimus ad prælia Domini prælianda.

1. Machab. licet Apocry.

8. De hoc Chriſti ſanguine ait prophèta Zacharias: [erit fons patens domui Dauid , & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatorum:] fons nõ alicuius priuatæ domus, aut vnius ciuitatis, aut prouinciæ Chriſtus eſt, ſed fons patens cuilibet pœnitenti. hinc noluit intra ciuitatem, ſed extra ſuum prorſus effundere ſanguinem [percurre (inquit Hilarius) totius orbis fontes, & flumina, nullum reperies, qui peccatorum ſordes poſſit abluere. Solus hic fons patens hanc habet vim potentiſſimam , cumque peccatorum ſordes totum contaminauerint orbem , oportuit fontem toti orbi eſſe patentem.] hic eſt ille fons , qui ſcaturijt è petra , per Moyſen , percuſſa, ad hunc fontem multiplicem è diuerſis Chriſti membris profluentem prælij tempore ſitibundi omnes qui ſub Chriſti vexillo militant recurrere debent , vt pleno hauſtu ſanguineum ebibant poculum, vt ad prælium audaciores reddantur. Et ſi quando vehementiore perſecutio-

Zacha. 13.

Hilar. in Mat.

nis procella ſubrui videantur, ad illam Dominici corporis petram, ex qua aqua in vitam æternam ſaliens erumpit, tanquam ad aſylum ſeſe recipere debent. In eo enim ſecuri erunt, & firmiores ad pugnam redibunt. [Quid enim (vt ait Bernardus) non boni in Petra? in petra exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto, & reuera vbi firma, tutaque infirmis ſecuritas, & requies, niſi in vulneribus Saluatoris? in his foraminibus petræ columba tutatur ſe, & circumuolitantem intrepida intuetur accipitrem.] Quot nobis refugia in Chriſti corpore, tot certè, quot foramina in hac petra, per flagella, & ſpinas facta, ad quæ nobis fugiendum, ingruente perſecutionis tempeſtate, vt & ibi ab hoſte tuti ſimus, & inde egreſſi Dominico imbuti ſanguine, & velut ebrij in confertam aciem animos è nos inferamus, & acceptis in corpore cum Chriſto vulneribus, anima glorioſo diademate à prælio reuerſa pulcherrimè redimita, cum ſuo duce triumphet. [Magna igitur gloria eſt ſequi Dominum:] illius ornari inſignibus, hic cum illo in prælio ſtare, & tandem cum illo triumphare [Quanta gloria, (inquit Bernard.) ſponſam aſſimilari ſponſo? nihil glorioſius reportat, quam Chriſti portare opprobrium.] Et alio loco: [grata, inquit, ignominia crucis, ſed ei qui crucifixo ingratus non eſt: glorioſum eſt militi arma portare ducis, ſic glorioſum eſt chriſtiano deferre ſtigmata Chriſti,] ſequamur igitur ducem noſtrum vulneribus conciſum, Iudæis expoſitum, penitus excarnificatum, vt illius excarnificatione commoti præferant eum Barabbæ latroni, ſed ita induruit eorum cor, vt latrone dimiſſo, auctorem vitæ

Ber. ſer. 61. in Cant.

Eccli. 18.

Bernardus.

neci tradant, nobis saltem illius compatientibus calamitati.

Filius Dei lacera indutus purpura, arundinem manu tenens, & spinea redimitus corona, vulneribus toto corpore deformatus, populo tanquam horribile monstrum proponitur, vt eius aspectu ad commiserationem commoueatur: [*Ecce homo.*]

CAPVT LVIII.

1. INgressus locum Pilatus, vbi Christus omnium ludibrio expositus erat, adeo illum inhumaniter tractatum vidit, vt omnino putauerit, vel solo eius aspectu fore, vt plebis rabies, cæterorumque furor mitigaretur. Quare in eminenti quodam Prætorij loco positum, vbi ab omnibus facile cerni posset, quasi digito ostendit: [ecce, inquit, adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo mortis causam:] quasi diceret, ergo ipse innocens est, quem iudex ipse nullius culpæ arguit, [ecce inquit homo.] exiuit ergo Iesus (inquit Augustin.) non clarus imperio, sed plenus opprobrio, portans coronam spineam & purpureum vestimentum: & dixit eis Pilatus: ecce homo! si Regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis: Flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conuitiis illusus est, alapis cæsus est: feruet ignominia, frigescat inuidia.] ecce homo! bene, ô Pilate, mones hominem illum esse, quem populo spectandum proponis,

Ioan. 18.

Aug. tract. 116. in Ioan. cap. 19.

nam ita desijt ab hominis imagine, vt prodigium potius sit, & horribile quoddam monstrum, quam aliquis homo. Rectè igitur, ô Pilate, hominem esse plebi indicas, alioqui certè opus foret in eius fronte tabellam appendere, in qua hominem illum esse significares, eius inscripto nomine, sicut facturus es in cruce, ex qua in tabella huius hominis maiestas, nomen, & dignitas toti vniuerso manifestabitur. Tunc hominem esse hunc, quem modo monstrum aliquod Iudęi reputant, significabis, quamuis nullum hominis vestigium in eo nunc appareat. [Ecce ergo homo!] sed hoc spectaculo malitia Iudæorum, & inuidia [non frigescit (inquit Augustinus) inardescit potius, & increscit.] O bone Iesu! quantum interest inter hoc spectaculum, & illud quod in monte Thabor splendore & maiestate plenus exhibuisti, illud tribus tantum Discipulis, & Eliæ, & Moysi, in edito quidem monte ostendisti: hoc verò in eminentiori etiam loco, sed toto populo inspectante, & omnes tuas cernere ignominias desiderante, & mirum in modum vrgente Pilatum, vt te probrosa crucis morte afficeret, quamuis ipse hoc lamentabili spectaculo te ab eius manibus eripere conaretur: [Ecce homo,] ingeminans.

Augustin. ib.

2. [Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige; dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite, ego enim non inuenio in eo causam, respondérunt ei Iudæi, Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit,] Ecce altera, inquit Augustinus, maior inuidia: parua quippe illa videbatur velut affectatæ illicito ausu

Aug. tract. 116 in c. 18. Ioan.

regiæ poteſtatis, & tamen neutrum ſibi Ieſus mendaciter vſurpauit, ſed vtrumque verum eſt. Et vnigenitus Dei filius eſt, & Rex ab eo conſtitutus, ſuper Sion montem ſanctum eius: & vtrumque nunc demonſtraret, niſi quanto erat potentior, tanto mallet eſſe patientior.] non meminiſti Pilate, Chriſtum dixiſſe regnum ſuum non eſſe de hoc mundo! [Candidatus enim erat, vt loquitur Ambroſius, Regni non terreni, ſed cæleſtis: regnum affectabat, non caducum, ſed ſempiternum: affectabat inquam nobis: affectauit, emit ſanguine & conſecutus eſt. O admirabilem (idem exclamat) candidatum! candidatus eſt, non conſulatus, aut præturæ, ſed crucis: crucem ambit, crucem deſiderat, ad crucem candidatus innocentia properat.] hoc deſideratis perfidi Iudæi clamoribus veſtris, Crucifige, crucifige eum: audite, ô crudeles, quid dixerit vobis Pilatus: [nullam cauſam inuenio in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis, ſed neque Herodes; nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei.] quare licet nullam neque ille, neque ego mortis in eo cauſam inuenerimus; vt tamen veſtro facerem ſatis deſiderio, flagellis cæſum, toto cruentatum corpore, chlamyde per ludibrium purpurea indutum, regalis ſceptri loco fragilem manu tenentem arundinem, ſpinis coronatum coram vobis ſiſto. Et vt præterea eorum ferrea permoueret corda, præcepiſſe dicitur, vt ipſo conclamante: [Ecce homo!] miniſtri veſtem Chriſti eleuarent, quo lacerum, ſanguinolentum, & penitus dilaniatum corpus omnibus pateſceret. Sed tantum abeſt, vt adamantina eorum pe-

Amb. in c. 23. Luc.

Luc. 23.

&tora, hoc ſpectaculo commouerentur, vt potius magis in eum exardeſcerent, illumque ad mortem expeterent, quo quid crudelius? quid inhumanius? quid magis belluinum? quis enim vel bellua crudeliter viſa dilaniata, non aliquo ſaltem commiſerationis ſenſu tangeretur? & tamen non belluam, ſed hominem innocentiſſimum in conſpectu ſuo laceratum, defædatum, cruciatibus exagitatum belluini cernunt Iudei, & minimè commouentur, ſed crucifige, crucifige ingeminant! hinc Auguſtinus quaſi in extaſin raptus, & ad Deum conuerſus: quid es Domine Deus meus, exclamat? quid rogo, niſi Dominus Deus meus? quis es enim Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum? quis ſimilis tui? quis magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis in omni virtute, niſi tu Domine Deus noſter?] & tamen te viliſſimo, & abiectiſſimo corporis cultu, & lacrymabili totius vultu figura deſpectum omnibus propoſitum Iudæis video, qui nulla in te commiſeratione mouentur, Pilato perpetuis conſcientiæ exagitato ſtimulis, cognita præſertim tua innocentia dicente: [Ecce homo!]

Auguſt. in ſpecula.

3. Conſueuerunt Romani Oratores quoties alicuius Rei cauſam ſuſciperent defendendam, Reum ipſum, macilenta facie, oblonga barba, ſubmiſſo vultu iudicibus ſiſtere, vt ad pietatem erga Reum habendam illos commouerent. Quin & inſignes etiam Duces prœlijs celebres falsò accuſati veſtes diſrumpere in publico Senatorum conſeſſu ſoliti, vt vulnera, pro Reipub. defenſione, accepta, tanquam teſtes ſuæ fidelitatis locupletiſſimos oſtentarẽt. Quibus exemplis permoti

Lugubris Rei habitus iudicem mouet.

Digitized by Google

Iudices, & Senatores Reis aliquando parcebant, & nouo honore Duces cumulabant. Ingens plerumque vis est in huiusmodi spectaculis, adeò vt populum Romanum in furorem quodammodo egerit prætexta Cæsaris prolata in foro cruenta, vti asserit Quintilianus, qui etiam, ait, vidisse se tabulas ad Senatum deferri, in quibus ad viuum expressa erāt illa, quæ in Rei defensionem verbis satis exprimere Oratores non poterant: quo efficacius iudicibus suam defensionem veritate niti probarēt: sic mihi videtur hodie Pilatum fecisse, qui cum oratione Iudæorum rabiem, ac furorem mitigare non posset, cruenta Christi vulnera eorum oculis subiecit, in quibus omnia innocentiæ eius, & suam malitiam, expressa, si voluissent, legere argumenta possent, & in illum amplius desæuire desinerent: [ecce, inquit, homo,] & non bestia, non lapis, non ferrum, sed frater vester Iudęus! ecce spectaculum omnibus factus, nihilo tamen secius crudelissimi commouentur Iudæi: sed inclamant [crucifige, crucifige eū.] Ne sequaris turbam, ô Pilate, ad faciendum malum, [nec in iudicio plurimorū (vt monet Scriptura) acquiescas sententiæ, vt à vero deuies; aues cæli portabūt vocem tuam, & qui habent pennas annunciabūt sententiam tuam.] satis tibi est, Pilate, iniquam tulisse in Christum flagellationis sentētiam: noli sequi iam furorem Iudæorum Christum ad probrosam crucis mortem expetentium: morte turpissima, ingeminātium condemnemus eum [nihil eò tēpore (inquit Aug.) ignominiosius fuit, quam mors crucis, nō enim frustra cōmendans Christi obedientiam Apostolus ait: factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.] Noli itaque

Quintil. l. 6. instit. c. 1.

Exod. 23.

Eccles. 10.

Sap. 2.

Aug ser. 18. de verbis Dom. c. 9.

Pilate, vlterius pergere (modo non impediatur humana salus) ne illud Ecclesiastes in te quadret [vidi sub sole in loco iudicij impietatē, & in loco iustitiæ iniquitatem.] Nihil enim iniquius quam innocentem damnare, illumque impiorum voluntati tradere. Scio te lugubri hac Christi ostensione apud populum, illius innocentiam asserere & ad commiserationem velle Iudæos excitare, sed incassum omnia. Penes te est illum, vt asseris, dimittere, vel crucifigere, qui silenti Christo dixeras: [Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?] qua potestate abusus dimisisti Barabbam, & Iesum flagellis subdidisti. Iam verò licet eum videaris è manibus eorum eripere, proposito illis luctuoso Dominici corporis spectaculo, dicens: [Ecce homo!] haud dubiè ambitione tandem victus succumbes.

Eccl. 3.

4. Hoc Christus hac responsione innuit: [Non haberes aduersum me potestatem vllam nisi tibi data esset desuper:] permittitur tibi quidē in me tuam exercere potestatem, sed scias quia plus peccat, qui potestati innocentem occidendum liuore tradit, quam potestas ipsa si eum timore alterius maioris potestatis occidit. Talem quippe Pilato Deus dederat potestatem, vt etiam esset sub Cæsaris potestate. Quapropter non haberes, inquit, aduersum me potestatem vllam, id est, quantulamcunque habes, nisi hoc ipsum quicquid est, tibi esset datum desuper. Sed quoniam scio quantum sit, non enim tantum est, vt tibi omnino liberū sit: propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Ille quippe me tuæ potestati tradidit inuidendo, tu verò eandem potestatem,

Aug. ibid.

poteſtatem in me exerciturus es metuendo.] Quamuis igitur Chriſtum ſubtrahere Iudæorum furori videaris conari, hoc ſpectaculo lugubri illis propoſito, ipſe tamen tandem manus dabis. Ecce, inquis, homo! dixiſſes, ô Pilate, Ecce homo ſingularis, qui licet homo vobis tantummodo videatur, ſimul tamen Deus eſt & homo, Meſſias in lege promiſſus, oraculis celeberrimus, figuris præſignatus, homo hominum & Angelorum caput, mundi Redemptor, egregius veſter benefactor. Ecce igitur homo ſingularis in mundum à cæleſti patre miſſus, vt mundi eſſet magiſter, & totius perfectionis ac ſanctimoniæ exemplar. Ecce homo, magnus Dominus & laudabilis nimis. Quis Dominus (inquit Auguſtinus) niſi Ieſus Chriſtus, magnus & laudabilis nimis. Ecce homo! noſtis certè quia homo apparuit : noſtis quia in vtero fœminæ conceptus eſt, noſtis quia natus, quia circumciſus, quia creuit, quia pro illo hoſtia oblata eſt. poſtremo noſtis quia expalmatus eſt, quia conſputus, quia ſpinis coronatus. Noſtis quia hæc omnia paſſus eſt: magnus tamen & laudabilis nimis. Ecce ergo homo ſingularis : nolite cõtemnere paruum, intelligite magnum : paruus factus eſt, quia parui eratis : intelligatur magnus, & in illo magni eritis : paruus magnus eſt, & magnus nimis: finiuit verba: volebat dicere quantũ magnus: etſi tota die diceret magnus, magnus quid magnũ diceret? tota die dicens magnus miraret aliquando, quoniã finitur dies: magnitudo Dei ante dies, vltra dies, ſine die: ergo quid diceret ? quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis.] Et ſequitur : [Dicendo nimis amiſit vocem & dedit cogitationi quod ſapiat, tanquam

Pſal. 95. Auguſt. in Pſal. 95.

dicens, quod ego ſonate non poſſum tu cogita, & cum cogitaueris parum erit.] Ecce igitur homo ſingularis, ecce homo Deus qui diuina poteſtate energumenos veſtros à dæmonum tyrannide vendicauit! ecce homo vitæ author, qui mortuos veſtros ad vitam reuocauit! ecce homo pluſquam homo, ecce paruulus factus magnus nimis, honor generis humani, peccati deſtructor, diaboli flagellum, qui tamen, veſtri cauſa, hac figura adeo lamentabili deturpatus apparet, vt potius vermis, quam homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, quam aliquo dignus honore cenſeatur. Et ſi hæc ipſa Pilate ingrato huic populo propoſuiſſes, quid tandem? certè conclamaſſet: Crucifige, crucifige.

Chriſtus cũ Magdalena confertur.

5. Memini cum Lucas Euangeliſta de Magdalena famoſa quidem peccatrice ageret, dixiſſe: [ecce mulier!] quam bene ad propoſitum; congruit enim vt pro tali [ecce mulier] habeamus quoque correſpondẽs: [ecce homo:] ſicuti enim hæc calamitoſa mulier ſceleribus ita plena fuit, vt nulla ea famoſior, aut infamior inueniri poſſet; vnde præ admiratione Euangeliſta ait. [ecce mulier:] ſic quoniam hic homo Deus adeo calamitoſus vulneribus coopertus extitit, & ludibrio omnibus habitus, vt nullus eo miſerior, nullus calamitoſior, ethnicus iudex, præ admiratione etiam exclamauit: [ecce homo!] mulier hæc peccatorum debitis onerata triſtis præ confuſione, ingemuit. Hinc Euangeliſta admirans in vna muliere tantum peccatorum cumulum, vt illorum molẽ oppreſſa gemere coacta ſit: [ecce, inquit, mulier!] & quia hic homo Deus, velut peccatorum pondere, quorum pœnas ſoluendas ſuſcepit, preſſus hominis figuram exuiſſe vide-

Digitized by Google

tur, ptæ compassione simul & stupore Pilatus inclamat: [ecce homo!] quia hæc mœsta peccatorum demeritis velut infinito grauis pondere, pœnitudine ducta, ad animarum medicum currit, & in medios irruit conuiuas, vt salutem & vitam à Domino hauriat, ait Euangelista, [ecce mulier!] & quia hic homo Deus adeo meritis refertus fuit, vt nihil in eo appareret à planta pedum, vsque ad capitis verticem, quam solidarum virtutum amoris, humilitatis, patientiæ, mansuetudinis ornamenta, quibus nostram nuditatis confusionem operiret, ait Pilatus: [ecce homo!] & quia ista mulier, à planta pedum vsque ad capitis verticem, infami luxuriæ laborans infirmitate, festina ad medicinam conuolat, dicit Euangelista: [ecce mulier!] & quoniam iste homo Deus, cuilibet ægro salutarem applicare medicinam optat, & ad se venientes omni detersa peccati labe patri per gratiam conciliat, intonat Pilatus [ecce homo!] Denique quia in hac muliere abundauit delictum, properante ad eum, qui omnia pœnitenti delicta condonat: ait Euangelista: [ecce mulier! Et quia hic homo Deus, in quo abundat gratia, ad se accedenti fide pleno, ac confidentia gratiam, & gloriam tribuit, licet hæc ethnico iudici ignota, diuino tamen instinctu, dicere cogitur: [ecce homo.]

6. Ecce igitur homo, ô peccator, tui causa sic excarnificatus, vt in eo hominis aspectus non appareat: huius hominis figuram contemplare, considera filij Dei maiestatem, sub illa vilis verniculi specie absconditam: Vide quò se demiserit, vt te exaltaret; tecum altius reputa, quomodo ad tantam sui demissionem descenderit, vt te ni-

mirum ex humili terræ vermiculo ad adoptionem filiorum Dei ſubleuaret! ecce quò proceſſit in te eius amor, vt è ſinu patris deſcenderet, vt te è ſinu diaboli ereptum ad patris ſinum tanto cum labore, cruciatu, & ſui ipſius humiliatione eueheret, vt quemadmodum ad tantam in Chriſto dignitatem natura noſtra fuit prouecta, vt quo altius attolleretur non haberet, ſic tanta fuerit filij Dei deiectio, tui gratia, vt quo magis ſe deijceret, non inueniret. Et [addidit (inquit Bernardus) honorare limum noſtrum, & ei vim rationalem immiſit, voluit quoque infirmiora noſtra abundantiori gloria ſublimare, & contraxit ſe maieſtas, vt quod melius habebat, videlicet ſemetipſum, limo noſtro coniungeret, & in perſona vna, ſibi inuicem vnirentur Deus & limus: nihil Deo ſublimius, nihil vilius limo, tantaque dignitate limus aſcendit ad Deum, vt quicquid in eo limus fecit, Deus feciſſe credatur, quicquid limus protulit, Deus in illo protuliſſe dicatur. [ecce ergo homo,] ô peccator, homo Deus hodie, vt tui gratia contemnitur, præfertur illi flagitioſiſſimus latro ipſeque ad crucem expoſtulatur. Exclama igitur, pro tanta in te dignatione cum Auguſtino: [te cuncta magnificent, te omnis ſpiritus laudet, te adorent, & benedicant omnia illa beatorum ſpirituum, & ſupernorum ciuium agmina,] qui modo mei cauſa adeo te deieciſti, vt hominis figuram amiſeris. [tu es verè Dominus ſolus, Deus inuiſibilis, inęſtimabilis, incomprehenſibilis, vbique totus, vbique præſens, ineffabiliter omnia penetrans, omnia continens, omnia ſciens, cuncta proſpiciens, omnia potens, vniuerſa gubernans,

Bern. ſer. 3. in Vigil. Natiu.

Auguſt. in ſpeculo.

totus in terra, totus in cælo, totus vbique. Qui cum non essemus potenter fecisti nos, & cum perditi fuissemus culpa nostra, pietate & bonitate tua mirabiliter recuperasti nos. Immutabilis mutans omnia, inuisibilis videns omnia, nunquam nouus, nunquam vetus, innouans omnia, & in vetustatem perducens superbos & nesciunt: semper agens, semper quietus, colligens, & non egens, portans, & implens, & protegens, creans, & nutriens, & perficiens. Quæris cum nihil tibi desit, amas, nec æstuas, zelas, & securus es, pœnitet te, & non doles; irascaris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium, recipis quod inuenis, & nunquam amittis.] Denique subditur, magnus es, sine quãtitate, bonus sine qualitate,] & tamen licet hæc omnia Deo tantum propria in te complecteris, nostri gratia, tanquam abortiuus exponeris perfidorum Iudæorum aspectibus, sine decore, sine specie, sine hominis figura ab illis contemnendus, & ad ignominiosam crucis mortem expetendus, conclamantibus, crucifige, crucifige eum!

7. O cælestis pater; nonne homo iste ipsissimus est, qui in monte Thabor tanto splendore, & maiestate plenus apparuit, vt Petrus velut extra se positus, præ admiranda eius gloria, exclamauerit, quasi nulla alia esset beatitudo: [Domine bonum est nos hîc esse.] nonne homo iste tunc audiuit de se dici, sicut aliàs, dum baptizaretur: [hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.] Si ipsissimus est, qui tunc, vbi columbæ figura, quæ eius manifestet innocentiam? vbi nubes splendida, quæ declaret eius diuinitatem? [in hoc conflictu (ô pater) pro nobis

Matth. 3.

Leo. serm. 1. de Natiu.

inito, magno quidem, & mirabili æquitatis iure certatum eſt, dum omnipotens Deus cum ſæuiſſimo hoſte non in ſua maieſtate, ſed in noſtra congreditur humilitate, obijciens ei eandem formam, eandémque naturam, mortalitatis quidem noſtræ participem, ſed peccati totius expertem. Et tamen, ô pater, talem eſſe non videris agnoſcere! vbi ſaltem Petrus, qui ſplendores è vultu eius emicantes velut gloria abſorptus proclamet? vbi Moyſes, & Elias, qui ſua præſentia auctoritatem illi, & opinionem concilient? nam his omnibus eum cerno deſtitutum, & ſpecioſum aliàs forma præ filijs hominum, nunc omnium turpiſſimum, & ludibrio omnibus expoſitum, & non illius miſereris? an quia hunc diem diem deſponſationis vocet, & diem lætitiæ cordis ſui? an quia nunc nuptiarum communio facta eſt, quia ſalutarem pro nobis mortem oppetens nos ab hoſtis ſeruitute liberat, atque ita tuæ obtemperans voluntati lætatur ſpiritu, licet carnis cruciatibus vexetur.] Ecce interea qualem filius tuus gerat coronam, non auream, aut gemmatam, ſed acutiſſimis è ſpinis contextam, quibus vndequaque venerandum eius caput horribiliter configitur! Ecce quomodo ligatis manibus, tanquam viliſſimo latroni etiam infimi de abiecta plebe inſultent, eúmque affectati Imperij apud Pilatum accuſent, qui omnibus regna dat cæleſtia! ecce filius tuus, cui fragilis arundo in dextera pro ſceptro, ignominiæ cauſa, tradita eſt, cui vibicibus, & fœdi pectoris excrementis contaminata facies, cui os pugnis contuſum, & defluentis à capite ſanguinis riuo perfuſum, cui oculi præ triſtitia ſimul ac verecundia deducunt

Theod. c. 3.

veluti torrentes ſanguineos lacrymarum imbres, cui barba & capilli inhumaniſſimè auulſi, cui totum denique corpus verberibus, vulneribus, ac plagis excarnificatum. Ecce igitur homo, ô pater! nonne ſatis magna fuit, ô pater, filij tui humiliatio, quod ſe ad formam ſerui ſuſcipiendam abiecerit, & cur modo illum permittis in ea etiam forma adeo abijci, vt nouiſſimus virorum, imo viliſſimus terræ vermis potius, quam homo habeatur? [Penſandum eſt, ô pater, quomodo iuſtus ſis, & omnia iuſtè diſponas, ſi eum qui non debet puniri condemnes? mediator ſiquidem noſter puniri pro ſemetipſo non debet, quia nullum culpæ contagium perpetrauit.] Sed audio patris reſponſum: [Si ipſe indebitam mortem non ſuſcipiat, nunquàm vos à debita morte liberabit. Pater ergo cum iuſtus ſim, iuſtum puniens, omnia iuſtè diſpono, quia per hoc cuncta iuſtifico, quod eum qui ſine peccato eſt, pro peccatoribus damno, vt eo electa omnia ad culmen iuſtitiæ ſurgerent, quo is qui eſt ſuper omnia damna iniuſtitiæ veſtræ ſuſtineret.] Hinc omnibus Iudæis permitto, vt filio meo, in hoc miſerabili ſtatu, proclamante Pilato: [Ecce homo!] acclament ipſi: [Crucifige, crucifige eum.]

Greg. lib. 3. Moral. c. 2.

8. Quare pater æternus filio ſuo ſic excarnificato, & ludibrio omnibus facto, ad nos conuerſus, vices ſubit Pilati, vt in nobis aliquam ſaltem eius commiſerationem excitet. [Ecce homo] igitur ingeminat, ecce homo qui vult omnes homines ſaluos fieri, ecce homo qui [ab imo pedis vſque ad ſummum verticis ſe totum in aquas paſſionum demerſit, vt te totum extraheret de illis, & intrauerunt vſque ad animam eius! Ecce

Bern. ſer. de paſſ.

homo qui animam ſuam in mortem perdere, vt tuam perditam tibi redderet, feſtinat! Ecce homo qui te duplici debito obligat. Nam pro eo, quod ſuam dare velit, debitor illi es, & pro tua quidem anima bis ab illo tibi data, ſemel in creatione, & ſemel in redemptione, quid magis iuſte illi reddes, quam ipſam, non habes. Pro eius autem pretioſa anima ita contribulata, quid ab homine digne rependi poſſit, non inuenio. Nam etſi cælum & terram, & omnem ornatum eorum pro ea poſſes rependere, certè non ſic vſque ad menſuram debiti vllatenus attingere poſſis] Dic ergo,

Ber. ibid. ô homo, homini ſic pro te exinanito, dic, inquam [vt ipſum quod & debeo & poſſibile mihi eſt retribuam: tui Domine muneris eſt, diligendus es mi Domine toto corde, tota anima, tota virtute, & tua mihi ſequenda veſtigia, qui pro me mori dignaris. Hinc ingeminat pater: Ecce homo, qui vt hominem priſtina Dei imagine, quam per peccatum amiſerat, virtutum coloribus pulcherrimè inſigniret, ipſe etiam hominis in flagellatione, & coronatione imaginem adeo perdidit, vt neceſſe fuerit per Pilatum indicari hominem eſſe. In gratiarum igitur actionem quoties audis: Ecce homo, dic ex intimo animi affectu. [Adhæreat anima mea poſt te: quia tota virtus eius

Ber. ibid. pendet ex te. Et nunc Domine Redemptor meus, te, vt verum Deum, adoro, in te confido, in te ſpero, & quibus poſſum deſideriis ad te ſuſpiro, adiuua imperfectum meum. Ad tuæ paſſionis glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operaris totum inclino:] vt gratus pro tanto exiſtas beneficio filio & patri. Ecce homo veſtri amantiſſimus, homo in vos beneficus, homo, vt vos

nobiſcum vnum efficeret, per triginta tres annos laborauit, mercedem à vobis expetens gratitudinem. Ecce itaque homo ſingularis omnium virtutum humilitatis, patientiæ, magnanimitatis, conſtantiæ, & charitatis eximiæ, homo, inquam, & ſimul Deus vobis in exemplar propoſitus. hunc amate, hunc deſiderate, ab eius amplexu nihil vos ſeparet [amor enim amorem exigit (vt ait ſeruus meus Cyprianus) & dilectio non niſi dilectione compenſatur:] ecce itaque homo veſtræ ſalutis cupidiſſimus, veſtri amoris auidiſſimus, in quo latet infinita diuinitatis potentia, ab omnibus deſpicitur! Et ſicut radix nullam foris præ ſe ferens pulchritudinem, aut venuſtatem, licet magnam in ſe occultatam virtutem contineat, prætereuntibus vileſcit; ita, & filius meus, quem Iſaias radicem de terra ſitienti appellat, in paſſione nullam pulchritudinis ſpeciem aut decorem exterius præfert, quamuis infinita interius pulchritudine coruſcet, & ideo contemnitur. Sed audiant quid de huius radicis in flores, & fructus ſeſe induentis pulchritudine dilectus meus diſcipulus Auguſtinus ſcribat: [aſcendet, ait, ſicut virgultum, & ſicut radix de terra ſitienti. Quare vt radix? id-eo quia non eſt illi ſpecies neque decor: paſſus eſt, humiliatus eſt, conſputus, non habebat ſpeciem, homo quidem apparebat, cum Deus eſſet, ſed quomodo radix non eſt pulchra, ſed intus habet vim pulchritudinis ſuæ, attendis arborem pulchram, amœnam, folijs virentem, fructibus opulentam, delectat aliquid de fructu carpere, ſub vmbra eius ſedere, & requieſcere ab æſtu: laudas totam illam pulchritudinem, ſi radix

Aug. l. 50. hom. 36. Magna vis latet in Chriſto excarnificato.

oſtendatur tibi, nulla pulchritudo in ea eſt, noli contemnere, quod abiectum eſt, inde proceſſit quod miraris: attendite modo claritatem arboris, creuit Eccleſia crediderunt gentes, victi ſunt terræ principes, poſitum eſt collum eorum ſub iugo Chriſti, veniunt volatilia cæli, requieſcunt ſub ramis eius. Quæramus radicem, cõſputus eſt, crucifixus eſt. Ecce hic ſpecies non eſt, ſed intus erat ſpecies, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe æqualem Deo,] hanc radicis pulchritudinem fidei oculis videtis. Nolite ergo contemnere cum Iudęis radicem, niſi velitis cum illis à ſuauiſſimo eius fructu excludi, ecce igitur homo, qui ſeſe omnino invſus veſttos expendit, non ſitis illi ingrati, [omnino enim ſola vos à profectu conuerſionis impedit ingratitudo veſtra, dum quodammodo amiſſum reputans dator, quod ingratus accepit, cauet ſibi de cætero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato.]

Ber. ſer. de ingra.

9. Ecce denique homo, ô ſanctiſſima virgo, quem æternus pater nobis contemplandum propoſuit! ecce virgo an quem cõcepiſti, genuiſti, fouiſti inter vbera, & in ſinu baiulaſti, agnoſcis? vide an ſit ille filius tuus ſpecioſus forma præ filijs hominum, in quo nec ſpecies, neque decor eſt. Non eſt ille, ô mœſtiſſima mater: quære ergo illum alibi: dilectus enim tuus, ô pulcherrima mulierum, ſpecioſiſſimus eſſe debet: te enim inter omnes filias Hieruſalem ſpecioſiſſimam cernimus, ac proinde filium te quærere tibi perſimilem oportere haud ambigimus. Nam iſte, quem vides, tantum abeſt, vt te referat, vt potius ab hominis deſierit figura: dilectus tuus vero ex dilectis candidus, &

rubicundus electus ex millibus, per tuam ipsius pulchritudinem esse indicatur: sed hic quem tibi proponimus turpis, fœdus, & sanguine contaminatus est, ac proinde neque cãdidus, neque rubicundus, neque electus ex millibus, sed vilis, & abiectus ex millibus. si nolis nobis credere accede ipse propius, & vide an in eo aliquod pulchritudinis signum deprehendas. Aliquod quidem superioris virtutis in eo vestigium vidimus: quippe [qui in omnibus pressuris suis, nec semel aperuit os suum, vt aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum aduersus maledictos canes illos proferret.] Ille est filius meus. [Ad hunc igitur attẽtius intuere quã grandi admiratione, & tenerrima compassione dignus appareat!] Vide in eminẽtiori loco laceris indutum vestibus, per quas sanguinolenta emergunt vulnera! vide è toto eius corpore copiosos sanguinis riuos in terrã defluẽtes! ecce igitur homo dolorũ, & sciens infirmitatẽ, ecce quasi in tabella dolorum imago, & cruciatuum ita viuis expressa coloribus, & varijs torturæ vmbris delineata, vt ferrea etiam corda præ cõmiseratione findere possit. Quare cum tãta sit horum latronum durities, vt prius firmissima Caluariæ montis rupes findẽda sit, præ tãtæ filij tui excarnificationis stupore, quam Caucaso duriores Iudæorum animi emolliantur, tua saltẽ, ô virgo, benignissima, misericordiæ viscera super hunc hominẽ breui crucifigẽdum commoueantur: horum enim importunitate, & effera in innocentissimum hunc hominem rabie tandem victus impius, & inconstans Iudex manus dabit, illúmque probrosæ crucis morti adiudicabit. Certè mater vnige-

Bern. serm. de pass.

Ibid.

Digitized by Google

niti, cum probè intelligeret filium vteri sui hunc hominem fuisse, præ amore, simul, & dolore, voce penitus interrupta, & lacrymis minimè defluentibus, doloris vis, quasi densa nubes ita eius cor circundedit, vt statim, nisi Deus illam iuuisset, opprimeretur. Verum paulo post dissipata mœroris nube amoris densior successit, quę adeo rursus eius cor occupauit, vt illa quasi mortua intermortuis quasi verbis spirituali quodam modo filium allocuta sic est: [quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram: defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.] Quasi dicat: [neque in terra, neque in cælo alium præter te quæro: cælum enim mihi sine te nihil est, & tu solus mihi ex terra cælum efficies. Tu es enim thesaurus noster, vita nostra, sapientia nostra, iustitia nostra, pastor noster, pater noster; vides quanta bona in vno bono.] hinc socium tecum nolui in terra: defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, cui firmiter adhæreo, in quo cor meum secutè quiescit. Vbi enim benè erit sine te, aut vbi malè esse poterit tecum, agnosco vultum tuum, vultum filij mei, vultum Dei abscónditi, quem amplector, cuius amore langueo, cuius consuetudine ita delector vt mors mihi sit sine te viuere: respice, ô pater æterne, in hoc filij tui speculum peccatorum sordibus infectum, tuis tamen oculis mundissimum, in quo diuinam tuam faciem perpetuò contemplaris, cum sit imago substantiæ tuæ, vt per eum nos etiam intuens misericordiæ recorderis.

Psal. 72.

Amb. Epist. 10

Ber. in illud Psal. 72. non timebo &c. ser. 1. de aduent.

De ambitione Pilati.

CAPVT LIX.

1. CVm Daniel à ſatrapis ob inuidiam coram Dario Rege accuſaretur, Rex cognita eorum malitia Danielem ab eorum manibus liberare conatus eſt. Sed cum illi furore perciti vehementius inſtitiſſent, vt neci Daniel daretur, regi denunciantes legum Perſarum neglectarum incurſurum notam, niſi Danielem condemnaret: [tunc Rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in lacum Leonum.] Sic crudeles hodie Iudæi, cum animaduertiſſent Pilatum in Chriſti liberationem propenſum, vna ſtatim voce acclamant: [nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.] Et cum nihiloſecius adhuc Pilatus omnem quæreret rationem dimittendi Chriſtum, tandem illi Cæſaris auctoritatem opponunt, illúmq; eius fauorem & amicitiam omnino amiſſurum, niſi in Chriſtum mortis ſententiam ferat, vnanimiter aſſerunt: [ſi hunc dimittis non es amicus Cæſaris: omnis enim qui ſe Regem facit contradicit Cæſari. [cum Pilatus, inquit Leo, Ieſum, quem fruſtra videbat argui, vellet abſolui, calumniosè & minaciter conclamarunt: ſi hunc dimittis non es amicus Cæſaris: omnis enim qui ſe Regem facit contradicit Cæſari. ſtultam inſimulationem imprudenter Pilate timuiſti, ſi formidabile fuit nomen Regium, vt pro Imperio Cæſaris opprimi debuerit nouæ molitio

Figura.

Dan. 6.

Leo. ſer. 10. de paſſ.

Digitized by Google

poteſtatis : ſi dominandi conſilium Tyrannicus tibi prodidit apparatus, ſi prouiſio armorum, ſi congregatio diuitiarum, ſi præſidia detecta ſunt militum, quid eum grauari times de affectata potentia cuius regnum non eſt de hoc mundo?] Noli vanis iniquorum vocibus territus innocentem condemnare, conſidera calumniantium malitiam, & nunc ſaltem perſiſte in innocentis defenſione. [Quamuis quidem Pilatus, vt ait Leo, oneroſum ſibi inuidioſumque ſentiret, quod eum Iudæi de neglectu amicitiæ Cæſaris impetebant, aliquamdiu tamen furorem ipſorum mitigatus eſt.] ſed cum illi perſiſterent Cæſaris auctoritatem ſemper obijciendo, miſer, & inconſtans iudex tandem attonitus ſuccubuit, Chriſtumque voluntati eorum flagellatum ſpiniſque coronatum ad crucifigendum tradidit. O crudelis, exclamat Bernardus, ambitio! quoties alios iudices, in ſpeciem, ſapientes in iudicio rectos, & æquos peruertiſti! quoties ſanctarũ legum dogmata profanaſti! [ô ſubtile malum! ô ſecretum virus! ô peſtis occulta! ô doli artifex! ô mater hypocriſis! ô liuoris parens! ô vitiorum origo, & criminum fomes! ô virtutum ærugo! ô tinea ſanctitatis! ô excæcatrix cordium ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem!] Quid in poſterum non audebis, quæ eò progreſſa es malitiæ, vt filium etiam Dei cruci affigere valeas.

Leo. ſer. 10. de paſſ.

Bernard. in Pſal. 90.

2. Ecce, vt [arundinea Pilati virga (exclamat Leo) clamoribus Iudæorum, & calumniæ timore percuſſa, ad iniquitatem inflexa eſt, victus eſt Pilatus, manus dedit mollis iudex, & timidus, lotis manibus, & ore polluto, ijſdem labiis Ieſum

Leo. ſer. 3. de paſſ.

miſit ad crucem, quibus eum pronunciauerat innocentem.] quid Pilate, te iam inquinas Chriſti ſanguine, qui antea dixiſti: [mundus ego ſum à ſanguine huius.] cognito Daniel Suſannæ negotio, cum iam falſis accuſationibus vellet plebs imperita damnare, ait idem; quo dicto (inquit Auguſtinus) peccantis populi reuocauit errorem: hac ergo voce circa Suſannam Daniel vtitur, qua circa Dominum vſus es Pilate. Eadem igitur ſententia abſoluitur pudicitia, qua eſt, à te, & abſoluta iuſtitia. Sed Daniel melius, quam hi. Ille enim pudicum ſanguinem nec condemnat, & liberat: tu autem iuſti ſanguinem confiteris, & tradis. Quid enim profuit teſtimonium perhibuiſſe innocentiæ, & velut reum addixiſſe nequitiæ, niſi quod grauius peccatum eſt vnum eundemque & pronunciare iuſtum, & tradere criminoſis? ipſe enim iniquitatis ſuæ teſtis eſt, qui ore abſoluit, & corde condemnat. Laueris licet manus, Pilate, tamen tua facta non diluis. Quamuis abſtergere te putaueris iuſti ſanguinem de tuis membris, eodem tamen ſanguine mens tua tenetur infecta. Ipſe enim occidit Chriſtum, qui eum tradidit occidendum. Iudex enim bonus, & conſtans, ne ſanguinem innocentis addiceret, nec inuidiæ cedere debuit;] nec ambitione vinci, nec timore conſternari. Et concludit, [Daniel ergo melius, quam Pilatus: ille peccantis populi reuocauit errorem; hic autem furentis Synagogæ ſacrilegium confirmauit,] ô quantas ex hoc turpi, ambitionis, & flagitioſo ſcelere vires ſumpſiſti, quandoquidē enim filiū Dei morti tradere audeas, quidlibet poſthac ſub prætextu iuſtitiæ audebis, cum omnē prorſus

Aug. de diuer. ſer. 43. tom. 10.

Digitized by Google

iustitiam peruertas; imo tanta corroboraris ex hoc facto audacia, vt nihil aggredi timeas iustitiæ ac conscientiæ dissentaneum, quo fauorem aucuperis Principum, & hoc ipso pernicioſior es, quod blanda quædam conciliatricula fauorum Principum & dignitatum, vnde fit, vt quos sæpè nulla delectant vitia, quos nulla poteſt mouere luxuria, nulla subruere auaritia facias criminoſos. Habes enim forensem gratiam, domesticum periculum, & vt domineris alijs prius seruis, curaris obsequio, vt honore doneris.]

Ambroſ. in Luc. l. 4. c. 4.

3. Hæc in tuo Pilate sinu veluti serpens dormiuit, sub vmbra iustiæ recubuit, in secreto thalami tui se fraudulenter occultauit, donec arrepta occasione caput erigeret, & te, qui hactenus tanquam iustus Iudex innocentis defensionem suscepisti, suis inuolueret spiris, vnde tibi persuasit, vt adiudicares petitionem eorum fieri, & traderes, conscientia reclamante, iniusta sententiæ censura innocentem flagellis, vt cæsus crucifigeretur. O Pilate, nescis esse scriptum [Iustum iudicium iudicate.] Et contra iudicij ordinem, contra conscientiæ dictamen, contra diuinam, & humanam legem, ne ex Cæsaris gratia excidas, innocentem, nocentem impiè iudicas! Hæc tua fuit peruersa Pilate ambitio, vt iudicium peruerteres, & veritati, sciens & prudens, repugnares. Vbi est Pilate illud recti Iudicis insigne, quod olim Iudæorum Iudices, quorum locum obtines, in pectore gestabant: [Iudicium & Veritas?] imo vt excusationis locum tua ambitio minimè habeat, tuæ sortis etiam Iudices à Dei cognitione alieni, natura duce instructi veritatem in pectore gestabant: quid? nonne apud Ægyptios

Quomodo auaritia Pilatum ad iniustã traxit sententiam.

Ioan. 7.

sententiæ

ſententiæ Principem adeo iuſtum & ſyncerum eſſe oportebat, vt circa collum imaginem ex ſaphyro confectam geſtaret, quæ vocabatur veritas? ſed hinc exiſtimo hanc veritatis imaginem te non geſtaſſe, quod non expectaueris veritatis definitionem à veritatis authore, cum illum interrogares: [Quid eſt veritas?] Diſcipulus eius eſſe, & diſcere voluiſſe veritatem videbaris, ac proinde, vt diſcipulus optimè interrogaſti, [quid eſt veritas?] à definitionis poſtulatione benè incepiſti, ſed tanquã negligens ac ignauus diſcipulus eius definitionem à magiſtro veritatis non expectaſti. ô infelix Pilate, ſi ſciuiſſes donum Dei, & quis eſt, qui dixit tibi: [Ego in hoc natus ſum, vt teſtimonium perhibeam veritati,] ſi ſciuiſſes, inquam, quam ſapientem nactus fuiſti magiſtrum, non ſatis tibi fuiſſet interrogare: [quid eſt veritas?] ſed attentas arrexiſſes aures reſponſioni. Hinc neglecta hac lectione facile raperis ambitione, vt contra veritatis dictamen iniquiſſimè iudicium ferre feſtines auram popularem, & Cæſaris fauorem veritati præferens.

Iudicum ethnicorum ſinceritas.

4. Neſcio Pilate, apud ethnicos iudicum ſimulachra manibus carentia palam omnibus propoſita, quorum oculis in terram deiectis internæ mentis oculi veritati, ac iuſto intenti iudicio erant, quo ſignificabatur iuſtitiam donis minimè obnoxiam eſſe debere, neque muneribus capi, nec hominum flecti vultu, aut principum fauore, ſed præ oculis æternam Dei iuſtitiam perpetuo habere oportere, & iuxta illius regulam omnia in iudicio peragere. Et tu Pilate, cum hæc natura duce probè intelligas, cur ſola allectus ambitione in contraria ire proponis? Si ergo ſapis

antequam in mundi Saluatorem mortis ſententiam pronuncies reuoca iniquam ſententiæ ferendæ intentionem, præſertim cum non ignores, illum affectati regni ex inuidia accuſatum, cæteraque omnia, quæ in ipſum malitiosè confinxerunt meras eſſe calumnias: reuoca inquam de ferenda in Chriſtum mortis ſententia animum, & Cæſaris indignationem innocentis damnationi poſtpone. Sed inſtant, ais & me non modo cum Cæſare, ſed cum omni etiam populo in inuidiam vocant: & niſi contra conſcientiam egero innocentem condemnando, Cæſaris ſimul amicus non ero, & Iudæis inuiſus. O inique iudex, Cæſaris amicitiam, & Iudæorum fauorem diuinæ præfers amicitiæ, & fauori, heu quid agis miſer! ſiccine conſtantiam, quam oſtendiſti toties in innocentis fauore, populi furore, labefactari pateris, & ne ille apud Cæſarem te læſæ maieſtatis accuſet, contra practicum conſcientiæ dictamen, vt vtriuſque fauorem conſequaris iniuſtam contra innocentem vis ferre ſententiam? calumniosè quidem & minaciter conclamant Iudæi: [ſi hunc dimittis, non eris amicus Cæſaris: omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.] Quid Pilate? nonne ſtulta hæc comminatio, quam imprudenter times, reclamante præſertim, & minaciter tibi indignante conſcientia: ſi hunc non dimittis non eris amicus Dei: omnis enim qui innocentem interficit, legi diuinæ contradicit. Sed fruſtra tecum ago. Nam ſicut cum inardeſceret ira clamantium vt Barabbam indulgentia relaxares, & Ieſum crucis pœna afficeres. vt eorum ſcilicet mitigares furorem flagellandum ſaltem illis Ieſum tradidiſti:

Leo. ſer. 8. de paſſ.

sic iam consono fremitu expetentium ad crucem innocentem ne ex Cæsaris fauore excideres voluntati satisfacere decœuisti. Obtinuerunt ergo iniqui in damnationem tam tuam, quam suam quod pertinaciter exigebant, quorum dentes, sicut propheta attestatus est, arma erant & sagittæ, & lingua eorũ gladius acutus. Prætextum, inquit Euthymius, sumpserunt occidendi Christum, ne à Romanis internecioni traderentur: quia verò occiderunt, internecioni traditi sunt: & quæ fecerunt, vt effugerent, ea, quia fecerunt, non effugerunt.] cui illud Basilij concinit [necem Christi aggressi, quasi gentem & locum suum seruaturi, suo ipsorum consilio vtrumque perdiderunt extorres facti, & ab institutis suis, & cultu abalienati:] & ipse Pilatus in perfidiæ præmium viscera eiecisse cum anima per posticum dicitur, quæ indigna fuit, vt more solito per os egrederetur illud per quod iniquam mortis sententiam in innocentem tulit.

Psalm. 59. Euthym. in Ioan. 11. Basil hom. 22. de humilit.

5. Sed audiamus iniquissimam Pilati in Christum sententiam. conscendit ergo locum eminentiorem mortis sententiam in Christum pronunciaturus, in hunc vel similem modum, vt conijcit Sempronius [Nos Pilatus, & Deorum immortalium voluntate, & Romanorum principum ac Senatus auctoritate Præses Iudæorum prouinciæ constituti, cupientes prouinciam fidei nostræ creditam, malis vacare hominibus, quemadmodum & grauis præsidis interest, omni vi, omnique industria Romano Imperio propagando, & paci perpetuæ seruandæ considere gestimus. Verum quia in præsentiarum Iesum Nazarenum hominem seditiosum, atque seducto-

rem populi inuenimus, qui vsque adeo in sua temeritate confisus est, vt non sit veritus contra fas, legésque Imperiales, regnum sibi asciscere Iudæorum, eundem tanquam hominem factiosum, & bonorum vitæ, ac pacis moribus insidiantem, vltimis supplicijs deputamus, ne vel ipse audeat tale aliquid post hac, & cæteri sint ad inuadenda Imperia tardiores. Sed quia turpissimè degentes turpissimo sunt afficiendi supplicio, nefarium hunc hominem quasi latronum, & factiosorum principem, crucis patibulo addicimus. Romanorum verò atque Diui Cæsaris Imperium precamur maneat semper, & Deorum immortalium pietate, & bonorum principum æquitate seruatum.] O sententia, post hominum memoriam impia, impudens, rigida! ô insensate Iudex, quis perstrinxit tibi oculos, vt à vera Iustitiæ regula, ad iniquitatem flectereris! benè aliquando cucurristi, sed ambitio mentis oculos obcæcauit, vt Christi Innocentiæ, quam toties ante deprædicasti, obliuiscaris. Quid feciſti dulcissime Iesu, vt sic iudicareris? quid commisisti innocentissime Dei agne, vt tam viliter tractareris? quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio damnationis? ego sum tui causa doloris, tuæ culpa occisionis: ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor, tuæ vitæ meritum, tuæ vindictæ flagitium, hanc mea scelera merentur sententiam in te, innocentissime Dei fili, ab iniquo Iudice fulminatam.

Ambitio euitanda.

6. O Iudices, Iudices, iustè iudicate, nolite ambitione abduci à recto iudicij tramite, ne cum hoc nefario iudice, qui toties à sua conscientia accusatus innocentem impiorum voluntati con-

Digitized by Google

tra omne fas tradidit, ne Cæſaris, ſi iuſtè iudicaret, indignationem incurreret: nolite ambitione abrepti iudicia peruertere, Rei cauſam non examinare, temerè ſententiam ferre potentioris vultum ſuſpicere honoris, vel turpis lucri cauſa, ſed omnem adhibete diligentiam, vt ex æquo & iuſto inter partes iudicetis, quod his verbis magnus Baſilius vobis faciendum ſuadet: [ſi ij, inquit, qui rerum in hoc mundo potiuntur, quãdo facinoroſum aliquem morti ſunt adiudicaturi cortinas obducunt, & ſpectatiſſimos quoſque ad cauſæ tractationem aduocant, multúmque temporis inſumunt: nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem ſuſpicientes, multúmque ingemiſcentes, iudicandi neceſſitatem deplorantes, quanto magis habenda ratio innocentis?] Quid? nonne poteſtatis virga vobis tradita, vt ſemper in iudicio erecti ſuum cuilibet ius tribueretis? [virga directionis (ait Propheta) virga regni tui.] Iuſtitiæ igitur virga recta eſſe debet, non obliqua, non inflexa, qualis Pilati fuit, qui tandem ambitione abductus mollis, & flexilis, lotis manibus, ſed ore polluto Ieſum cruci adiudicauit, quo anteà ſæpiùs innocentem pronunciauit. Cauendum ergo vobis, ne in iudicijs molles ſitis, & fauoris aura incitati iudicium peruertatis. [Vt enim ſæui quidam venti, in tranquillum mare delati, totum abimo ſubruunt (inquit Chryſoſtomus,) vt & arena cum vndis miſceatur: ſic ambitio & turpis qnæſtus animam ſubeuntes omnia ſubuertunt: excæcat mentis intuitum præſertim gloriæ furor: nam pecunias quidem contemnere volenti, ſatis eſt facilè, honorem autem à multis colla-

Baſil.

Pſalm. 44.

Chryſ. hom. 43. ad pop.

tum deſpicere multo labore indiget, magnæ ſapientiæ Angelicæ cuiuſdam animæ ipſum cæleſtis teſtudinis verticem tangentis: non eſt enim, non eſt, inquam, vitium ita tyrannicum, & vbique dominans,] vt eſt ambitio. Hæc Apoſtolorum temporibus Simonem impulit donis Spiritum ſanctum emere voluiſſe. Hæc omnia penetrat loca, & ſubſellia ſæpè iudicum occupat; hæc emere tentat poteſtatem: hæc iura peruertit: hæc amicos vendit: hæc denique ſacrilegij forma (vt loquitur Cyprianus) per omnia officia graduſque diſcurrit, & nihil intentatum prætermittit. Ne dubitet igitur quiſpiam diaboli hæc eſſe negotia per ambitionem ad honores pergere, & nundinatores eius eſſe quicunque hæc exercent commercia-]

Ambitio peruadit omnia.

Cypr. ſer. de ieiun. & tenta.

7. Piſcatoris quidem virga, ſi grandiorem reperit piſcem, ſtatim incuruatur, & velut onere deprimitur: ſin autem piſciculum, recta permanet, & conſtans: ſic ſæpè, per legum ſeueritatem iuriſque rigorem, inopes, & pauperes impij iudices premunt, virgamque directionis inflectunt diuitum muneribus, & fauore prægrauatam, quam alioqui rectam tenent, ſi nullum interueniat munus, aut ambitionis aura, quæ eam incuruet. Quare cum iniuſtitia graue ſemper bellum iudicibus gerendum, ad hoc pectus conſtantiæ thorace circumquaque muniendum, & directionis virga tanquam fortitudinis haſta, dextera illis armanda, vt iniquitatum caſtra valeant irrumpere: alioqui qui hiſce deſtitutus eſt armis iudicij ſubſellia conſcendere non debet, cùm facilè ab iniquitate vinci poſſit: [noli (vt ſacra Scriptura monet) quærere fieri iudex, niſi

Eccli. 7.

valeas virtute irrumpere iniquitates : ne fortè extimeſcas faciem potentis.] extimuit Pilatus Cæſaris potentiam, obſtupuit ad illud : [ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.] ecquid mirum, ab armis iudici requiſitis minimè inſtructus, iudicis ſubſellia conſcendit, virgam æquitatis Cæſaris timor inflexit, & qui Leo eſſe debuerat in innocentis cauſa contra Iudæorum rabiem, ambitione abreptus, factus eſt muſca.

Quibus inſtructus armis Iudex eſſe debet.

8. Inter ſigna cæleſtia Virgo, quæ iuſtitiæ ſymbolum eſt, inter Leonem & Libram collocatur; Leo primum occupat locum, Libra vltimum; Virgo inter vtrumque ſedem habet. Hic locus iuſtitiæ debetur, hi comites, his cinctam veluti armis eſſe oportet, ſumma nimirum fortitudine, quæ per Leonem ſignificatur, & ſumma iuſtitia quæ per Libram. Huiuſmodi armis fuit ille inſignis Iudex Iob circundatus, qui ait: [¡Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.] Ecce iuſtitia inter Leonem, & Libram, quæ fortitudine ſua Potentium improbitatem conterebat, & æquitatis Libra ius ſuum cuique tribuebat. Nam velut ex ore lupo-

Iob. 29.

Greg. lib. 19. Moral. c. 15.

rum, fractis per iuris cenſuram, dentibus, prædam iniuſtam eripiebat. [Sanctus vir (inquit Gregorius) ante ſe aſſerit molas conterere, vt poſt de dentibus illius prædam potuiſſet auferre : qui tunc veraciter prædam de potentis dentibus tollimus, cum prius molas illius conterere ſcimus. Prius enim neceſſe eſt occulta conſiliorum eius machinamenta prodere,] vt pauperis ius valeatis poſtmodum illi eripere, & ſic ius ſuum cuiq; tribuere inſtar iuſtiſſimi huius Iudicis Iobi, cuius morem vtinam omnes Iudices ſequantur, &

non inconstantis, & iniqui Iudicis Pilati, qui prædam potius luporum dentibus deuorandam commisit, insanientium vocibus attonitus. [Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris.] ô stupendam Iudicis perfidiam ! quam verè illud Sapientis Pilatus expertus est: [Qui timet hominem, citò corruet,] timuit ipse Cæsarem, ac proinde citò clamoribus Iudæorum consternatus corruit, & Christum eorum voluntati tradidit, & posteà in tanti sceleris vltionem effusis visceribus in sterquilinium corruit, quod certè, præ oculis semper habere Iudices debent, vt ex illius horribili exitio sibi perpetuo proposito, ab omni penitus iniustitiæ specie abstinere discant, hacq; diuinæ vindictæ seueritate, veluti tapetio sua sternere subsellia, vt quasi recentis exempli memoria, ab innocentum sanguine manus incontaminatas seruent.

Fren. 29.

Dioder. l. 15.

Pœna iniustè iudicantium.

9. Scribit Diodorus quosdam Iudices inter Persas ob iniustam, quam tulerant sententiam, comprehensos, & cutè viuis detracta, grauissimam mortis subijsse pœnam, quorũ posteà cutibus Iudicum subsellia sternebantur, vt ijs insidentes sententias dicerent, quo recens semper ante oculos supplicij eorum exemplum haberent, qui iniustè iudicassent, & veluti inusitato documenti genere didicissent tali se pœna etiam plectendos, si à iustitiæ regula, ob munera, aut fauoris auram deflecterent. Notum est etiam illud Regis Cambysis, qui interfici curauit Sisamnem è Regijs Iudicibus vnum, quod iniustè ob pecuniam iudicasset; cui interfecto detractum corium in lora concidi, & in Tribunali poni, ibique filium eius Otanem sedere Iudicem præce-

pit, & in memoria ſemper habere in quo tribunali iudicaret. Dignum certè ſupplicium iniquis inflictum Iudicibus. [Abſurdum enim fuerit (inquit Philo) eos in culpa hærere, qui iura præſcribunt alijs, quandoquidem ab his potiſſimum exemplum vitæ petendum eſt. Sicut enim ignis quæcunque admouentur calefaciens ipſe primum innata ſibi vi calet: nix contra ſuapte natura frigida, infrigidat & alia. Sic Iudex ipſe debet eſſe plenus iuſtitia, ſi alijs ius adminiſtraturus eſt.] Conijcite igitur mentis oculos tam in impium Iudicem Pilatum, eiúſque horribile ſupplicium, quam in Iudices illos Artaxerxis & Regis Cambyſis, eorúmque ſimul horrendos cruciatus; conijcite, inquam, in illos oculos, eóſque ab ijs in vos ſtatim reflectite, vt quorum ſupplicia perhorreſcitis, ab eorum etiam crimininibus abſtineatis, ne ſimilia in vobis ſcelera conſimilibus etiam pœnis hic & in futuro caſtigentur, turpiſſimúmque ducite in alijs improbare, quæ ipſi perpetrare non erubeſcitis.

Philo Iude. l. de Iudice.

10. Quam verò iuſtitiam in iudicio ſeruare Deo placeat, & illius violatio diſpliceat, ſubiecta docent exempla, miram quandam antipathiam inter ſe inuicem demonſtrantia, quorum vnum Antoninus, alterum Cæſarius memoriæ prodidit. Quidam itaque Iudex, licet Ethnicus, quia viuus ſemper iuſtitiam amauerat, neque vnquam à veritatis tramite deflexerat, neque linguam vllis muneribus, aut fauore vendiderat; mortuus in ſola lingua multis annis animam conſeruauit, donec conſulto Epiſcopo baptizatus omnino diſceſſit, quaſi non poſſet ante baptiſmum in cineres corrumpi, qui viuus nullis muneribus cor-

Antoninus.

Digitized by Google

Cæsarius. rumpi poterat. Alter (vt scribit Cæsarius) quia muneribus corruptus suas sæpè sententias corrumpebat, cum hianti ore expiraret, sine lingua inuentus est. Et merito (inquit Cæsarius) linguam petdidit moriens, qui illam sæpè vendiderat viuens. Nil igitur vile, nil cupidum Iudices decet (ait Cassiodorus.) Sit in nobis frons libera, vt aliorum possimus emẽdare peccata. Æquat crimen omnes quos inquinat: & ideo dissimilis ab accusato debet esse, qui iudicat.] Bonorum itaque iudicum partes ita inuigilare causis sibi propositis, vt nihil perperam in iudicio faciant, virgæ eorum directionis sint, non peruersionis.

Cass. lib. 12. variar. Epist. epist. 2.

Cum quanta malitia Iudæi festinãt, vt Christum crucifigant.

11. Conijciamus proinde & nos mentis oculos non modo in illa iniquorum iudicum supplicia, sed in perfidos etiam Iudæos, qui statim sententia à Pilato impiè data festinant, vt Iesum ad supplicij locum raptent, ne iudex suam mutet sententiam. Hinc crudelis desiderij sui compotes facti sibi inuicem congratulando conclamant: [mittamus lignum in panem eius:] hoc est, crucem in carnem Christi, vt ait Abbas Ioachim, blasphemiam in doctrinam, detractionem in vitam, scandalum in religionem, vt nemo credat ei, & doctrinæ eius, quem videat esse crucifixum. [& eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.] Alij, maledictus, qui pendet in ligno: alij, tolle, tolle, crucifige. O Iudæi peruersissimi, quam inconstans hæc de Christo censura! quam stupenda hæc mutatio! amor mutatur in inuidiam, quã horribile odium, iam nuperrimè in vestro pectore contra mundi Saluatorem videmus conceptum. Vbi est ille honor, quem illi nuper exhibuistis triumphantis

Hierem. 11. Ioach. in illud Hiere.

Digitized by Google

more Hieruſalem ingredienti? quomodo tam cito euanuit? quomodo oliuarum rami, quos in via honoris cauſa illi ſternebatis, in ſpineam hodie coronam commutati ſunt? quomodo palmæ in crucem, hoſanna in opprobrium vultis conuertere? O Hieruſalem, Hieruſalem, quam diſſimilis tibi ſubitò facta es! quam inconſtans! Quã mobiles ciues tui, vt rectè illud Ioannis vigeſimi tertij Pontificis maximi interroganti aliquando, quid foret à veritate remotius reſpondentis, in illos quadret [vulgi, inquit ſententia: Quidquid enim laudat, plerúmque vituperio dignum eſt, quicquid cogitat vanum, quicquid loquitur falſum, quod improbat bonum eſt, quod approbat malum: & quicquid extollit infame.] quod maximè in tuis, ô Hieruſalem, ciuibus per Sacerdotum Principes, Scribas, & Phariſæos ſeductis, & in Chriſti odium incitatis hodie apparet. Quemadmodum enim mare natura ſua placabile aſſurgentibus ventorum flatibus tale ſtatim redditur, quales ſunt venti, quibus agitatur: ita ignobile vulgus, inquit Polybius, per ſe placabile, ſed agitatum tale efficitur, quales habet duces & conſiliarios. Quam placabiles, & lætitiam paulò ante fuerũt ciues tui Hieruſalem cum Chriſto triumphum agenti lætabundi occurrerent, fauſtis acclamationibus illũ excipientes: & quã modo implacabiles ſunt, acclamationibus in maledictiones, & execrationes cõmutatis. [O quã diſſimile, exclamat Bernardus eſt: tolle, tolle, crucifige eum, &, benedictus qui venit in nomine Domini, hoſanna in excelſis. Sed Chriſtus voluit ſuæ ſanctitatis teſtimonium etiam ab illis, quos nouerat clamaturos, tolle, tolle, habere, ne quis de

Iudæorum inconſtantia.

Polyb. 11. hiſtor.

Bern. ſerm. 2. de paſſ.

illius ſanctimonia addubitaret, qui etiam ab hoſtibus benedictus appellaretur. Quare Ambroſius [verè, inquit, memorabile diuinæ operationis inſigne, vt aduerſum ſe teſtimonium extorqueatur inuitis: cumq; Deum negant affectibus, quem vocibus confitentur.] Quam diſſimile etiam, ô Rex Iſraël! & non habemus regem niſi Cæſarem, Regem alienigenam natiuo præferentes, vti expreſſit Cyrillus Alexandrinus: [Iſraël, ait, calce regnum Dei percuſſit: & ad principatum Cæſaris transfugit. Quare non iniuria manibus Cæſaris traditus, in intolerabiles belli calamitates incidit.] quam diſſimiles rami virentes, & crux ignominioſa, quam diſſimiles flores, & ſpinæ! quid inconſtantius, ô Hieruſalem, quam Chriſtum, cui prius ſternebas veſtes, ſuis poſtea cum ſummo contemptu ſpoliare! quid mobilius, quam cui nuper acclamabas: benedictus qui venit in nomine Domini, eidem modo acclamare: crucifige, crucifige! Sed quid tecum, & cum tuis ciuibus diſputo, cum certò mihi conſtet, nihil illis inconſtantius. Nam ſicut nebulæ (magno Baſilio auctore) iuxta mutationes flatuum, nunc huc, nunc illuc feruntur: ſic vulgus quouis vento nunc in hanc, nunc in illam partem ſeſe flectit.] O inſana vulgi mobilitas, heri filio Dei gratulabaris, hodie in crucem agis. Subſannant quoque Romani, execrantur mundi Saluatorem nefarij milites, qui illum in ſuam iam redactum poteſtatem vehementius ſolito irrident, contumelijs afficiunt, vexant, magno trahunt impetu, vt quam citiſſimè iniquam perverſi iudicis ſententiam exequantur. Vrgent Scribæ & Phariſæi, inſtant Sacerdotum Princi-

Ambr. in c. 19. Luc.

Cyril lib. 12. in Ioan. c. 16.

Baſil. apud Anton. in Meliſſap. 1. ſer. 18.

pes odio, inuidia, rancore, ac rabie insani, Christo mortis sententiam in se latam vltro amplectente omníque renunciante apud patrem appellationi. Paratus enim est in cruce pro hominibus mori, iuxta decretum ab æterno, per patrem, de redemptione sancitum, & ab ipso sponte acceptatum.

12. Adferturitaque magnæ molis crux illius humeris ad malorum cumulum coram omnibus imponenda: constituuntur quoque, ad maiorem illi ignominiæ notam inurendam, latrones duo, qui eum præcedant suas baiulantes cruces. Magna igitur cum insolentia improbi milites Christum exuunt chlamyde purpurea, & proprijs induunt vestimentis, & sic tanquã vilissimus ex vili plebe, vel potius tanquam latro, & maleficus suæ necis instrumenta portet. Ecce quanta cum vociferatione, & gaudio diaboli mancipia, tartareíq; lupi promptissimè asperam, & malè laboratam crucem deferant. Eia innocentissime Isaac, tuos *Genes. 22.* para humeros, vt ad locum sacrificij tuæ necis instrumenta baiules. Ecce parata sunt sacrificio ligna, indigesta nimirum crucis arbor, nec deerit ignis, qui in tuo pectore, velut in ardentissimo foco, iam ab æternitate confouetur, vt modo passionis tempore, in peccatorum nostrorum quasi ligna, æternæ combustioni alioquin reseruãda, irrumpens illa flammis suis penitus consumat, te in crucis altari, pro nobis, immolato. Hic est ille ignis, quem mittere venisti in terram, & nunc præsertim vis, vt ardeat. Vetè in te saltem ardet, bone Iesu, & ita ardet, vt in flammas te prorsus redigat, omníque tibi obiecta, quantumuis dura, & indigna, in flammas ipse con-

uertas. Vides enim quietis tuæ lectum, inquietam crucis requiem, in quo ab omnibus laboribus tuis irrequietè tibi requieſcendum. Hoc eſt tuorum laborum præmium, quod tibi mundus rependit. Sic tua in ſe collata beneficia compenſat: ſed flamma pectoris tui adeo hæc deuorat, vt labores tibi ſuaues, & crux inſtar ſtupæ ſint, quæ magis augent peccatoris tui flammam, quam minuunt. Hinc ſicuti ad paſſionis labores ſuauiſſimè canendo acceſſiſti: ſic modo cum iubilo crucem amplecteris, illamque identidem exoſculans ingenti animi lætitia inſtar morientis Cygni, vires & animos, ex tua ipſius debilitate ſumens ante grauiſſimum crucis pondus dulciſſimè intonas: [Saluecrux pretioſa, diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me.] In te, & per te implebuntur iam prophetarum de me vaticinia: in te, & per te, humani generis ſalus conſummabitur: in te, & per te obedientia, quam patri debeo, perficietur. [Videtis (ait Bernardus) quia non ſe capit præ magnitudine gaudij: ita & tu exultans ſuſcipias me. Ergone tanta eſt exultatio, vt exultet & ipſa crux? quid prius mirandum, quid magis ſupra rationem, ſupraque naturam exaltare crucem, an crucifixum? illi quidem ſenſum natura negauit, huic verò (ſi quid ipſa præualet) gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem, & tamen ſupra naturam crux ad lætitiam vocatur, crucifigendus non modo non trepidat, ſed exultat.]

Ber. in feſt. B. Andre.

De figuris quæ crucis baiulationem adumbrarunt.

CAPVT LX.

1. EGredimini filiæ Sion, & videte imprimis animæ veſtræ ſponſum veluti alterum Iſaac ligna ad ſacrificium humeris portantem [Ligna ferenda (inquit Philo) dedit filio, æquum cenſens, vt ipſa victima deportaret res, quas poſtulabat ſacrificium, leuiſſimam ſarcinam. Nihil eſt enim pietate grauius, nihil magis induſtrium. Abraham verò ignem manibus & gladium ferebat. Per quam rem Chriſtus baiulans ſibi crucem ſignificatur, vti docet Tertullianus [Atque in primis, ait, Iſaac cum à patre hoſtia duceretur, & lignum ipſe ſibi portaret, Chriſti exitum iam tunc denotabat in victimam conceſſi à patre lignum paſſionis ſuæ baiulantis.] Pater enim æternus iuſtitiæ gladium altera manu, ignem altera geſtat: [In dextera enim eius ignea lex] charitatis enim ignis, & lex inſtar acutiſſimi gladij ab æterno ſancita, viſo Adæ peccato eſt, qua decretum fuit, vt filius Dei ſua nece genus humanum redimeret. Verè ignea hæc lex quæ amotis magnitudine Chriſti pectus depaſta eſt inſtar ancipitis gladij, illi mortem intulit. O ſtupenda noſtræ ſalutis procurandæ adinuentio! Quid enim magis ſtupendum, quam videre in patris æterni manu iuſtitiæ gladium, quo interficiendi eſſent peccatores, in filij ſui ceruicem breui eui-

Prima figura Iſaac, portans ligna ſacrificij.
Phil. Heb. l. de Abra.
Tertul. l. 3. contra Marci. c. 18.
Deuter. 33.

brandum, videre infinitum patris amorem, quo parcit peccatori, & filium plectit, videre igneam legem adeo depascentem Saluatoris nostri viscera, vt nostri gratia mori velit. Si Chrysostomus in stuporem raptus miram Abrahæ fortitudinem & pietatem extollit, puerique obedientiam, potiori iure nos patris cælestis, eiusque filij in nos dignationem extollemus. [O animæ fortitudinem! (exclamat ille,) ô spiritus soliditatem! qualibus oculis spectabat puerũ ligna ferentem, super quę, non multo post illum mactaturus erat? quomodo manus ferre potuit ignem & gladium? & manus quidem ferebat ignem, qui erat sensibilis, intus autem accendebat ipsius mentem, & rationem absumebat, & persuadebat, vt vinceret amator in Deum. Vide obsecro ante sensibilem ignem incendium internũ, quod paulatim exardescebat, & iusti mentem concremabat.] Et manus quidem patris & filij singularem spirabant pietatem, qua infinitam æterni patris, eiusque filij in nos charitatem ad viuum expresserant [Cõsecratur (inquit Ambrosius) sacris hostia mysteriis, & commendatur futura. Quæ pietatis hostia pij ante mysterij vectura est. Ligna Isaac sibi vexit Christus sibi patibulum crucis portauit; Abraham comitabatur filium, pater Christum. Nec Isaac solus, nec Iesus solus.] Videte igitur filiæ Sion, & diligenter considerate quomodo pater filium ad victimam ducat, quomodo filius victimæ ligna humeris portet, patre ignem manibus & gladium ferente.

Chry. in illud Gen. 22.

Ambr.

Deinde quemadmodum Isaac ad terram visionis deductus est, vt Deo immolaretur, occisus non est, sed aries, cuius caput vepribus inhæsit,

eius

eius loco mactatus; sic licet Christus ad montem Caluariæ crucis ligno onustus pergat immolandus, diuinitate tamen omnium tormentorum experte, & neci minimè obnoxia penitus intacta permanente, humanitas tantum instar arietis vepribus implexi corona spinarum redimita immolabitur. Vnde Origenes: [Patitur Christus, sed in carne, & pertulit mortem, sed caro, cuius aries forma est, verbū vero in incorruptione permansit. Sicut enim (vt ait Damasc.) si sole arbori illucescente securis arborem inciderit, Sol tamen insectus, atque ab omni iniuria incolumis manet: Eodem modo, ac multo etiam magis impassibilis verbi diuinitas carni personaliter vnita, patiente carne, incolumis mansit. Et quemadmodum annulus aureus (vti experientia docet) cui inserta sit pretiosissima margarita, in acetum iniectus, margarita aceti occulta vi prorsus dissoluta, & quasi in nihilum redacta, mirifice clarificatur: sic Christus aureus verè annulus, in quo humanitas, tanquam pulcherrima margarita, auro diuinitatis innectitur, iniectus velut in acerbissimum tormentorum acetum, præclara humanitatis margarita morte prorsus dissoluta, diuinitatis aurum nihil omnino detrimenti patitur, sed potius respectu nostri clarius emicat: per suam siquidem passionem Christus effecit, vt qui nobis hactenus Deus absconditus fuit, sese clarè omnibus manifestaret. [Ecce ergo aries (inquit Ambrosius) vnus suspensus cornibus in virgulto Sabec] & addit: [Quis significatur, nisi ille, de quo scriptum est: Exaltauit cornu populi sui, cornu nostrum Christus est eleuandus & exaltandus à terris: hunc vidit Abraham in isto

Humana natura patiente, diuinitas intacta manet. *Orig. hom. 8. in Gen.* *Damasce. l. 3. fidei. cap. 26.*

Similia.

Amb. l. de Abra. c. 8.

sacrificio; huius passionem aspexit, & ideo ipse Dominus ait de eo: Abraham vidit diem meum, vidit, & gauisus est: vnde ait Scriptura: Vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit, vt dicant hodie in monte Dominus apparuit, hoc est quod apparuerit Abrahæ reuelans futuram sui passionem corporis, quæ mundum redemit; demonstrans etiam genus passionis, cum suspensum ostendit cornibus arietem: virgultum illud patibulum crucis est.] Cui illud Chrysostomi concinit: [Diem meum, hoc in loco, inquit, crucem mihi significare videtur, quam in arietis oblatione, & in Isaac præfigurauit.

Chrys. hom. 54. in Ioan.

Secunda figura scala Iacob.

Hier. Ps. 98. Genes. 28.

3. Contemplemini insuper erectam Patriarchæ scalam, per quam ascensus in cælum hominibus significatur; & Christum scalæ incumbentem considerate, vt nos ad se attrahat. [Ego (inquit Hieronymus) puto crucem Saluatoris illam fuisse scalam, quam vidit Iacob.] quod verò illa fuerit his verbis docet Augustinus: [Iacob dormiebat, & Dominum in cacumine scalæ videbat incumbere. Quid est in scala incumbere, nisi sub crucis ligno quodammodo succumbere? sed quare hoc in itinere factum est, antequam Iacob vxorem acciperet! quia vt verus Iacob Dominus noster prius in scala, id est, cruce accubuit, & postea Ecclesiam sibi sociauit.] Quamuis enim ipso Incarnationis momẽto cum Ecclesia sponsalia de futuro contraxerit, in lecto tamen crucis, dicens, Consummatum est, matrimonium quasi consummauit. Quare sicuti Iacob, vt idem sanctissimus pater, ait, ad accipiendam vxorem exhibuit baculum, sic & Christus ad redimendam Ecclesiam detulit crucis lignum.

Sic fere August. ser. 75. de temp.

Digitized by Google

4 Contemplemini præterea Eliachim de quo nobis ſcriptum reliquit Iſaias [Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius: & aperiet & non erit qui claudat:& claudet,& non erit qui aperiat:] contemplemini inquam noſtrum Eliachim Chriſtum, clauem ſuper humerum ferentem,crucem nimirum,qua tanquam claui cęlum à principio nobis clauſum poſt reſurrectionem ſuam aperiat;clauis,inquit Procopius,hæc Chriſti eſt crux , quam ipſe humero geſtauit. Vnde de eo dictum eſt : & factus eſt principatus ſuper humerum eius.crux itaque eius quaſi clauis Regia omnipotentiæ inſtrumentum,qua omnes res ab eo claudi , & aperiri poſſunt. Hæc verò clauis non pendet ex cingulo , ſed portatur in humero, tum quia maxima vis illius eſſe debet quæ reſeret peccatoribus cælum clauſtris veluti ferreis huc vſque obductum , tum quia grauiſſima eſt animarum cura , quæ per clauem hanc ſignificatur,quas Prælati in humeris ſuis,ſicuti Chriſtus crucem baiulare debent, illiſque cælum abſolutionis claui aperire. Hinc illud Actorum re ipſa paſtoribus , ac Eccleſiæ gubernatoribus Chriſtus dicit: [Attendite vobis,& vniuerſo gregi,in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei , quam acquiſiuit ſanguine ſuo:] attendite inquam , & quod me facere videtis, ipſi etiam facite , portate in humeris veſtris ad meam caulam aberrantes per deuia oues,pretio magno emptas, refractarias è caula pellite: [non enim , inquit Chryſoſtomus, homini licet tanta cum auctoritate homines curare,cum quãta oues paſtor curat : huic enim liberum eſt, & vincire , & à pabulo arcere, & vrere, & ſecare;

Tertia figura clauis Dauid. Iſa. 22.

Act. 20.

cum illic medicinæ ac curationis ſuſcipiendæ facultas poſita minimè ſit in illo, qui medicinam adhibet : ſed in eo tantum qui aberrat,] aberrantes ergo à Chriſti caula humeris reducere debent paſtores.

Chry. l. 2. de ſacerd.

Quarta figura virga Moyſis. Exod. 4.

5. Contemplemini quoque Moyſen virgam geſtantem, qua tartareos inferni Ægyptios huius virgæ ictibus, ac portentis diſſipaturus, homines verò conſeruaturus. [Virga hæc (inquit noſter Conelius ex Cyrillo, Origene, & Auguſtino) eſt crux Chriſti lignea, quæ in ſerpentem eſt verſa Iudæis & impijs : hi enim crucem, quaſi ſupplicium malefactorum exhorreſcunt : ſed per caudam, id eſt, in fine mundi eam apprehendent, ſcientque non colubrum eſſe, ſed virgam, id eſt Dei virtutem, & ſapientiam.] Contemplemini

Quinta figura ramus in humeris Abimelech. Iudic. 9.

etiam Abimelech humeris impoſitum arboris ramum ſtrenuè baiulantem, ſociiſque annuentem, ac dicentem : [quod me videtis facere, cito facite.] Contemplemini, inquam Chriſtum nobis annuentem, & dicentem : [Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.] ecce inuitat nos glorioſiſſimus diaboli victor, & infernalium virtutum ſtrenuiſſimus debellator pulchra aliquãdo ſpecie, ſed nunc ſanguine, & vulneribus defædatus, triumphi ſui portans trophæum inuictæ magnanimitatis humeris ſignum ſalutis adorandum regnis omnibus ſignificat, & ipſa operis ſui imagine, nos tanquam ſui imitatores confirmat ingeminans : [qui non baiulat crucem ſuam, & me ſequitur, non eſt me dignus,] contemplemini ergo ponderoſum in Chriſti humeris ramum, eumque toties ſub graui pondere labantem inti-

Matth. 16.

Luc. 14.

mo animi affectu considerate, & sacrilegis cæsum fustibus, vt crucem celerius ad supplicij locum rapiat, cum lacrymis cernite, onerique vestros supponite humeros, vt totum in Christum rami pondus non incumbat: [traditus est Dominus (inquit Leo) sæuientium voluntati ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicij sui iussus est esse gestator, vt impleretur quod Isaias Propheta præuiderat, dicés: [Ecce natus est puer, & datus est nobis filius, cuius imperium super humeros eius.] Cum ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi conuerteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabitur fidelibus grande mysterium.]

Leo. ser. 8. de pass.

Isai. 9.

Figura 6. arca Noe.

6. Contemplemini etiam sanctissimum Noë, qui per aquam & lignum suos à diluuij inundatione incolumes seruauit: contemplemini, inquam Christum per crucis lignum & lateris sui postmodum aquam, suam à peccatorum fluctibus familiam liberare sese parantem, iuxta illud Sapientiæ: [Cum aqua deleret terram sanauit iterum Sapientia per contemptibile lignum iustum gubernans,] per quod lignum crucem merito intelligere possumus, quam ipse iamiam in suis baiulabit humeris, per quam totum genus humanum in profundum tartari pelagus absorptum reuocabit, & sanabit. Nam sicuti Noë paucas per arcam seruauit animas: sic Christus per salutiferam crucis arcam non paucas, sed omnes prorsus, quoad lytri æstimationem, animas saluabit. Contemplemini itaque hanc crucis arcam in Christi humeris breui collocandam, qua salutem & consolationem toti terrarum orbi pari-

Sap. 10.

Genes. 6.

turus est In eam ergo contendite intrare. Sicut enim omnes, qui extra Noë arcam manserunt, fluctibus obruti perierunt; sic qui salutiferæ nostri Redemptoris crucis minimè participes erũt, ad inferni imum præcipites ruent. Per hanc enim arcam adumbratur etiam Ecclesia, per Noë Christus mundi Saluator, & humani generis consolator: per munda animalia, & immunda, quæ arca continebat, iusti & impij designantur. Qui verò extra hanc Christi arcam sunt, puta hæretici & infideles, dominante diluuio (inquit Hieronymus & Augustinus) peribunt. Hanc arcam statim ad Caluariæ montem Christus baiulabit vt in ea, sicuti in Armeniæ montibus, quiescat, in qua quies etiam animæ Dominicam passionem contemplantis reperietur. Volucres verò, hoc est, diuinæ cogitationes illam meditando eliciuntur. Animalia munda misericordiæ corporalia sunt opera, quæ solent exercere passionis contemplatores. Coruus autem emissus, nec reuersus, sed cadaueribus inhæsit, falsos designat Christianos, qui foris carnis illecebris, & rerum temporanearum fluctuatione lætantur, nunquam ad mentis quietem reuersuri. Columba verò reuersa significat bonos Christianos qui ad opera charitatis emissi statim ad mentis quietem, sed cum oliuæ ramo redeunt, tanquam victores virtute crucis de humani generis hoste triumphantes.

Aug. l. 15. de Ciu. cap. 26.

Figura 7. scutum Iosue. Iosue 8.

7. Contemplemini porro potentissimum illud Iosue scutum in sublime erectum, non contra rebellem vrbem Hai, sed contra omnes tartari legiones, quo mox obtento, omnes eorum vires perfringet, liberatis ab illorum tyrannide patri-

bus. Hoc ſcutum hodie manibus, & humeris Ieſu applicandum, ſub cuius tutela omnes electi ſecuri erunt. Contemplemini inſuper filium Ieſſe Dauidem, crucis fundam veluti arripientem, vt carneam illam turrem Goliath, dæmonem, inquam, humani generis hoſtem, eiúſque ſanguinem ſitientem ſternere progrediatur, diuinitatis virtute fultus, qui tanquam limpidiſſimo ex humanitatis pera educto lapide in fronte tarrareum gigantem feriet. Sicut enim pugnaturus Dauid ſingulari certamine cum Goliath arma regia reiecit, & inermis aduerſus armatum bellatorem egreditur: [Quia expeditiſſimus (vt ait Auguſtinus) ad prælium procedere cupiebat, fortis non in ſe, ſed in Domino; armatus non tam ferro, quam fide;] ſic ſecundus Dauid prælium initurus cum dæmone, regia diuinitatis arma quaſi depoſuit, nudus congreditur hoſtem, nec alia armatura, quam crucis ligno eum deuincit. Quare tanquam victor futurus illud humeris geſtare cupit, vt nos etiam doceat crucem animosè geſtando, omnes hoſtes debellaturos. Contemplemini & Moyſen virga extenſa, vt viam ſternat ſecuriſſimam populo Hebræo à Pharaone nimirum diabolo fugienti, ipſúmque diabolum in profundum barathri præcipitãtem. Contemplemini quoque emiſſarium hircum omnibus mortalium peccatis onuſtum extra ciuitatem, vt noſtri cauſa immoletur cum ſummo contemptu mox pellendum: denique conſiderate aureum illud cãdelabrum cuius lucerna Chriſtus; ſicuti enim in candelabro lucerna omnibus arſura, & vniuerſam domum illuminatura collocatur, ſic & Chriſtus crucem quam humeris

Figura 8. funda Dauidis.

Aug. lib. 50. homil. homil. 31.

Figura 9. virga Moyſis.

Figura 10. emiſſarius hircus.

Vndecima figura candelabrum.

Digitized by Google

iamiam portabit instar candelabri est, in quo moriturus quidem, sed viuificaturus est mundum;

Aug. tract. 117. in Ioan.

[ipsam, ait Augustinus, crucem suam suo gestans humero commendabat: & lucernæ arsuræ, quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat] egredimini ergo filiæ Sion animæ Christo deuotæ, subsequamini præeuntem vobis sponsum, eúmque tanto onere si potestis subleuate.

Filius Dei crucem sibi baiulat.

CAPVT LXI.

Plutar. l. de sera Numinis vindicta.

1. IN morte positum erat, vt crucem humeris gestarent, qui in crucem erant agendi: [facinorosus quisque, ait Plutarchus, vltimo afficiendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem.] Non secus atque fures nunc in collo funem gerunt suspendendi: Cum igitur iuxta Pilati portam Christus staret graui crucis onere in humero sublato, ingens hominum multitudo ad spectaculum concurrit, tanta animi lætitia vt inusitato quodam clamore ingeminans, Crucifige crucifige cælum implerit: proximè eum circundant iustitiæ ministri, & tortores cum reliquis necis eius instrumentis, funibus clauis, malleis, scalis & sudibus: qui vbi Christum inter duos latrones collocassent tanquam eorum principem & antesignanum, instituitur illa Deo Angelis, & hominibus stupenda processio ad montem Caluariæ supplicij locum, summo sacerdote præter morem tanquam omnium abiectiori persona in supplicatione præeunte crucem humeris

baiulante, & funibus loco ſtolæ, & manipuli per totum corpus ligato, & tanquam facinoroſus ad locum ſupplicij progreditur graui crucis pondere per ſummam ignominiam onuſtus: ad irriſionem enim regiæ dignitatis iuſſus eſt ſui eſſe geſtator ſupplicij quod lubenter acceptauit. [Oblatam quidem gloriam culminis, inquit Gregorius, fugit: pœnam probroſæ mortis appetijt: vt membra eius diſcerent fauores mundi fugere, terrores minimè timere, pro veritate aduerſa diligere, proſpera formidando declinare: quia & iſta per tumorem ſæpe coinquinant: & illa per dolorem purgant: in iſtis ſe animus erigit: in illis autem, etiam quando ſe erexerat, ſternit: in iſtis homo ſe obliuiſcitur: in illis verò ad ſui memoriam, nolens etiam coactuſque reuocatur: in iſtis ſæpe & ante acta bona depereunt: in illis autem longi quoque temporis admiſſa terguntur.] Interea feſtinat vniuerſa proceſſio ad ſacrificij locum & crucem cæteris præferentem vt properet per plateas tortores adigunt fuſtibus, & quoties graui crucis mole ceſpitat, verberibus propellitur & præconis voce per quemcumque locum pergit identidem facinoroſus declaratur, & huiuſmodi dignus ſupplicio: hæc eſt proclamantis iuſtitia, quam fieri iubet Præſes Pilatus, in hunc hominem flagitioſiſſimum populíque ſeductorem, vt in hac ipſa cruce quam humeris geſtat, clauis configatur: [Grãde ſpectaculum, exclamat Auguſtinus, Ieſus portans crucem ſuam. Sed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium: ſi pietas, grande myſterium. Si ſpectet impietas, grande ignominiæ documentum: ſi pietas, grande fidei munimentum. Si ſpectet impie-

Greg. paſt. p. 1. c. 3.

Aug. tract. 117. in Ioan.

tas, ridet Regem pro virga regni lignum sui portante supplicij: si pietas, videt regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum. In eo spernendus oculis impiorum in quo erant gloriatura corda Sanctorum: dicturo enim Paulo: mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.] Egredimini ergo filiæ Sion, & contemplemini grande hoc mysterium, [quia glorioſissimus diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator (vt ait magnus Leo) pulchra specie, triumphi sui portat tropheum, & inuictæ patientiæ humeris signum salutis, adorandum regnis infert.] O grande mysterium, & hominibus salutare. Ecce quid Deus ex Pilati ambitione, & Iudæorum malitia elicit mysterij: crucem illi baiulandam imponunt, qua ipse eos superaturus erat: [ferebat enim (vt ait Euthymius) crucem in humeris, tanquam strenuus miles lanceam, qua deiecturus erat aduersarium.]

Leo. ser. 8. de pass.

Euthy. in Ioan.

Crucem ferre magna Christo iniuria. Plutar. in vit. Coriolani.

2. Maxima hæc peccanti seruo, vt auctor est Plutarchus, inferebatur pœna, vt plaustri lignum cui nemo affigebatur, spectante vicinia ferens circumageretur: quod vbi factum erat, infidus à domesticis, & vicinis existimatus, furcifer appellabatur. Quanta igitur, & quam ignominiosa Christo illata est pœna, qui non plaustri lignū, sed crucem, in qua ipse figendus erat, multis hominum millibus palam spectantibus baiulare ad summum simul ignominiam & cruciatum debuit, quo effectum est, vt filius Dei & Virginis, non modo infidus haberetur, & furcifer, sed maledictus etiam hominumque opprobrium, &

Digitized by Google

abiectio plebis. [Vide, exclamat Bernardus, anima mea qualiter vir iſte per omnia conturbatur, & ſpernitur, ſub crucis onere dorſum incuruare videtur, & tuam ipſe portare ignominiam] verum quamuis per ſummum dedecus, Iudæi, ſententia in Chriſtum lata, tormenti inſtrumentum eius humeris impoſuerint: tamen per huiuſmodi eorũ facinus, per lignum inquam eius humeris impoſitum, præter intentionem ſignificarunt illum à ligno breui regnaturum. Hinc Tertullianus: [quis omnino regum inſigne poteſtatis ſuæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu ſceptrum, aut aliquam propriæ veſtis notam? ſed ſolus nouus Rex ſæculorum Chriſtus Ieſus, nouæ gloriæ, & poteſtatem & ſublimitatem ſuam in humero extulit, crucem ſcilicet, vti ſecundum prophetiam: Dominus exinde regnaret à ligno.]

Ber. ſer. de paſſ.

Tertul. l. con. Iud. cap. 10.

3. Sed iam huius ignominiæ indignitate, ſui nimirum ſupplicij inſtrumenta humeris ferre prętermiſſa: quam graue hoc Chriſto fuerit onus ex ipſa crucis magnitudine aliqua ſaltem coniectura oſtendendum. Crux igitur hæc quindecim pedes altitudinis habuiſſe dicitur: lignum verò tranſuerſum octo longitudinis: craſſitudine tanta, quanta maximo cuique, & fortiſſimo ſuſtinendo ſatis eſſe potuit: ex quo colligere licet, graue quidem crucis pondus Saluatoris corpori, ſed leue admodum eius charitati & immenſo amori, quo in nos ferebatur, fuiſſe. Vnde Auguſtinus [portauit, inquit, Chriſtus crucem pondere grauem, itinere longo: graue quidem pondus corpori, ſed leue charitati.] Quid ergo mirum, ſi ſub tanto pondere corpus fatiſcens in ter-

ram aliquoties corruerit & ipse ingeminauerit: [ô vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus] maximè cum ob nimiam ligni longitudinem opus fuerit (Blosio & Taulero auctoribus) vt reptantem crucem portaret, & in obuia per iter saxa illideret. Vnde in sinistro humero vulnus adeo graue contraxit, vt inter omnia corporis vulnera molestissimum extiterit.

Blo. & Tau. de pass.

Peccati vulnus ac pondus grauissimum.

4. Sed nihil hæc corporis vulnera ponderis habuere, si cum animæ vulneribus peccati pŏdere infflictis conferantur, quorum afflictio in Christi animam mirum in modum redundarunt. Nam cum nihil peccato grauius, nihil etiam eius vulnere infestius, quod quo grauius, eo magis Christi animam affligebat eiusque corpus adeo debilitabat, vt existimem Christi sub cruce lapsus à peccati onere potius, cuius pœnam soluebat grauissimam, quam ab aliquo corporis vulnere accidisse. Quod verò peccatum inter omnia sit grauissimum illa B. Iob verba indicant dicentis: [in puncto ad inferna descendunt;] Quod non nisi ex infinito quodá pondere fieri potest; quo enim maior grauitas, iuxta Philosophos, eo velocior descensus. vbi igitur descensus in puncto fit, ad hoc infinita requiritur grauitas. Quare cum peccatoris in tartara descensus sit quodammodo instantaneus, & subita in peccati vindictam morte pereunt, sequitur vt peccati etiam grauitas quasi infinita sit, & illius pœna intolerabilis: hinc Gregorius [sæpe ait, hi, qui diu in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiuntur, vt nec flere ante mortem liceat quæ peccauerunt.] Angeli in supremo positi cælo, vbi se grauissimo

Iob. 21.

Greg. l. 15. Mor. c. 24.

Digitized by Google

peccati reatu obstrinxissent, cælis quamuis instar æris solidissimis velut ponderi cedentibus in imum inferi barathrum quasi in instanti complures præcipitati sunt; quorum principi Isaias in hunc modum insultat: [quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris: corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo: verumtamen ad infernum detracta est superbia tua in profundum laci.] si tanta fuit Angelorum peccati grauitas vt illius ponderis cælis veluti imparibus ipsi inferni rudentibus detracti in puncto ad tartarum deuoluti sint, quid mirum si omnium hominum iniquitates quo ad pœnam persoluendam, cum crucis pondere Christi dorso incumbant, illum infinitis penè confici tum in corpore tum in anima vulneribus, quibus veluti deficiens & peccatorum grauitate oppressus toties in terram sub cruce cadat. *Isa.* 14.

5. Ipsa etiam loci distantia à Pilati nimirum palatio vsque ad locum, vbi crux rupi infigenda erat, quæ gressus mille trecentos viginti & vnum (vt auctor est Adrichomius) continet, crucis grauitatem, & molestiam auxit, præsertim totius humani generis sceleribus Christi dorsum prementibus, & memoriæ semper recurrentibus, quorum acerbissimas in suo corpore pœnas partim persoluit, partim persoluturus. Sed consideremus paulisper pressius itineris huius longitudinem ex eodem auctore. [Incipiens Dominus ait à palatio Pilati per viginti sex gressus, qui fa- *Adri. in Theat. terræ sanctæ in descript. Hieros. Numer.* 118.

Digitized by Google

ciunt ſexaginta quinque pedes ad locum proceſſit, vbi crux ei impoſita eſt. Vnde baiulans crucem per octoginta greſſus, hoc eſt, ducentos pedes, ad locum progreſſus eſt, vbi primum cum cruce cecidiſſe traditur. Inde ſtatim per ſexaginta greſſus, & tres pedes, ſiue centum quinquaginta tres pedes ad locum venit, vbi B. Maria, cum Ioanne filio ſuo occurrit. O quas lacrymas tunc excuſſit dilectiſſimæ matris cruciatus filij! quomodo ſeſe mutuis aſpectibus, mutuo dolore, mutua triſtitia, mutuis vulneribus lancinarunt. [Hæc omnia (inquit Simon Meraphraſtes) illam tranſuerberabant profundius, quam vlli claui, & pro vna filij plaga innumeris ipſa plagis ſauciabatur.] Vnde Bonauẽtura auſus eſt dicere: [Hæc maiorem dolorem habuit, quam Saluator, qui tot ſuſtinuit. Non plures quidem dolores ſuſtinuit, ſed magis affecta eſt doloribus quam Chriſtus Imo, & [Chriſtus (vt ait Arnoldus) tunc in matre amplius quam in ſe pati videbatur.] Sicuti ergo multo grauior filio reciprocus matris dolor & anguſtia, quam ponderoſum crucis onus; ſic viciſſim grauius fuit matri videre dilectum ſuum tanto crucis oneri ſuccumbere, quam ſi ipſamet maiori ſuccubuiſſet ponderi. [Omnino tunc erat vna Chriſti & Mariæ voluntas, vnumq; holocauſtũ ambó pariter offerebãt Deo; hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis. Quare cum mater filij caſum lugeret, plorare iuſſa eſt ceſſare, & ad ſupplicij locũ iter nõ impedire. Nam, vt vides, ait Chriſtus pro hac morula, quam tecum cõtraho, chariſſimè ſoluo, vides, inquit, vt iuſtitiæ miniſtri, ſudibus, fuſtibus, ac calcibus vrgeant, neque tuis, neque meis ſaturentur pœnis, neque la-

Itineris longitudo oneris moleſtiã auxit.

Sime. ho. de dorm. Deipara.

Bonau. de cõpaſſ. Maria, lect. 1.

Arnold. tr. de virgin. laud. to. 1. Biblioth.

Arnold. ib.

crymis moueantur. Interim ecce vnus è satellitibus furioso impetu matrem à filio abigit blasphemans; apage misera, tam nefandi filij mater, non minori impetu in filium insilit in genua labentem, verberibus agitat, in pedes erigit, vt reliquam peragat viam. O quibus doloris vulneribus afflicta ad carnificem mater clamat: [Quid separas à me, quem genui ex me? vterus genuit, non mansit ille, cum vixit: vbera mea frustra lacte contorquens cautè portaui, quem à te video manu crudeli iactari. Modo eum effuderunt viscera mea, & tu elidis ad terram! vt quid me dimittis inanem? Si culpa est, mea est, si non est crimen, iunge mortem, & libera matrem.] Et sic à filio inhumaniter abacta, inter turbas ad supplicij locum mœsta sequitur filium. *Aug. ser. 8. de SS. Innoc.*

6. Hinc autem per septuaginta vnum gressus, & sesquipedem, siue cētum septuaginta nouem pedes ad quoddam triuium vbi Simon Cyrenæus crucem post Iesum (inquit Adrichomius) portare coactus est,] quod nimirum adeo vigilijs, flagellis, & varijs cruciatuum generibus fatigatus esset Christus, vt crucem portare vltra ægrè valeret: nam quamuis, vt Deus, portet omnia verbo virtutis suæ; naturam tamen humanam perinde, ac si Deus non esset, pati, ac defatigari permisit. Non ergo ex commiseratione aliqua in Christū id officij Simoni commiserunt impij tortores; sed ex importuno desiderio quo tenebantur, vt cū citius cruci affigerēt. Hinc existimo illos hunc virum viribus pręualentem sibi occurrentem apprehendisse, qui crucem celerius ad montis Calvariæ pedem portaret. Moralem verò huius rei rationem hanc affert magnus Leo [vt talifacto *Leo. serm. 8. de pass.*

præsignaretur gentium fides, quibus Christi non confusio futura erat, sed gloria:] & inferius, [per hanc translationem à circumcisione ad præputium, à filijs carnalibus ad spirituales immaculati agni propitiatio, & omnium Sacramentorum plenitudo trahsibat. Conuenit enim, vt ait Ambrosius, vt trophæum suum prius ipse victor attollat: bonus siquidem ordo nostri profectus est, vt prius ipse crucis suæ trophæum erigeret, deinde martyribus traderet erigendum. Vnde noster Barradas crucis à Christo translationem in Simonis humeros factam esse, ait, vt nimirum intelligamus non esse satis ad salutem consequendam Christum portasse crucem, sed oportere nos etiam post illum eam ferre, iuxta illud Scripturæ: [seruient ei humero vno.] cur non humero vtroque? quia Deus omnino simul nobiscum onus subit, & nobis vnum subijcientibus humerum, ille subijcit & alterum, vt laborem nobiscum partiatur.

Ambr. l 10. in Luc. c. 23.

Sophon. c. 3.

Christi imitatores simus.

Iob. 23.

7. Quam pulchrè huic nostro negotio illud Iobi applicari potest: [vestigia eius secutus est pes meus: viam eius custodiui, & non declinaui ex ea.] Ecce quomodo Iob Dei vestigia semper secutus est, diuinas nimirum actiones imitans. Hinc Gregorius [cum virtutem longanimitatis atque pietatis eius intuentes imitari contendimus: quid aliud, quam gressuum eius vestigia sequimur? quia extrema quædam eius operationis imitamur] addit deinde: fortasse Iobum superno illustratum radio intendisse in Christum Iesum, & quasi in terram conspiciens, ad imitationem eius vestigia teneret, de quibus per Petrum dictum est: [Christus passus est pro nobis, vobis relinquens

Greg. 14. lib. Moral. c. 16.

Figura.

linquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.] In libris quoque Regum scriptum legimus Samuelem Sauli apposuisse de eo quod remanserat: remansit quidem, ait Gregorius, quia non omnia nostra Christus expleuit: per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, vt qui redimi, & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profecto residuum viderat, qui dicebat: si compatimur & regnabimus: quasi dicat: quod expleuit Christus, nihil prodest illi, qui quod remansit non adimplet. Hoc est igitur vestigia eius sequi, non tantum vitam eius, sed passionem etiam non in puluere modo, sed & in sanguine impressam nostris animis inscribere, plagasque eius non tantum pedum, verum etiam lateris & manuum, per patientiam etiam membris imprimere. Ecce quomodo implenda nobis ea quæ desunt passioni Christi! Non deficiamus igitur difficultatibus fatigati: sed crucem animosè post Christum feramus, cum hoc desit passioni eius. Quod vt facilius præstemus, contemplemur illum nobis præeuntem graue crucis lignum sibi baiulantem, & sicuti hoc suæ præcipuum passionis instrumentum à suis humeris in Simonis humeros transferri voluit, sic certò nobis persuadeamus neminem sua carere cruce Christum velle, qui & nobis sufficientes suggeret vires, ad omnia licet durissima animosè ferenda.

Greg. l. 4. nu. 1. Reg. cap. 9.

8. Isthinc, ait Adrichomius, porrò per gressus centum nonagenta vnum, & semipedem vel quadringentos septuaginta octo pedes, ad locum accessit, vbi ipsi Veronica occurrit:] Veronica fœmina admodum pia, quæ cum neque Christo in ferenda cruce auxilium dare posset,

Veronicæ linteo Christi effigiem impressam accepit.

neque arcere militum crudelitatẽ, illi occurrit penitus cruentato, linteumque manu defert, vt faciem saltem eius tergat, cuius obsequij gratia, Christus statim (ô stupendum miraculum!) albo linteo faciei suæ admoto, suam perfectè imaginem impressit: quæ in perpetuam miraculi memoriam etiam hodie Romæ diligenter asseruatur, & venerabundo populo subinde ostenditur. O quoties cordi nostro hanc suam imaginem insculpere desiderat, vt cum Veronica illius semper memoriam habeamus. [Pone me, inquit, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.] Ecce quomodo & exterius in corpore, & interius in mente suam nos vult effigiem gerere, vt ab infidelibus distinguamur, solent enim pecuarij greges suos, & armenta peculiari aliqua nota & charactere ab alijs distinguere: sic Christus fideles suos duplici charactere ab alijs secernit: imo non alio signaculo sponsæ suæ cor, frontem, & brachium, quam seipso obsignata cupit. [Signaculum itaque (vt ait Ambrosius) Christus in fronte est, signaculũ in corde, signaculum in brachio. In fronte, vt semper confiteamur; in corde, vt semper diligamus: signaculum in brachio vt semper operemur.] Quam felix frons, quam felix brachium, quam felix cor huiusmodi insignitum imagine. Hinc idem sanctissimus pater: [Luceat ergo imago eius in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus & factis: vt si fieri potest tota eius species exprimatur in nobis.] Illi itaque (vt ipse efflagitat) cor nostrum præbeamus, vt ille suam inducat imaginẽ, quamuis enim instar æris, aut ferri obduratum videa-

Cant. 8.

Christus sui imaginem in nobis imprimere cupit.

Amb. lib. de Isac. & ani. cap. 8.

Ibid.

Prou. 23.

tur, si Christus iam cruce onustus, & amore nostri incensus, illi tanquam cãdens adhibeatur sigillum, molléscet illico, Christique impressam susscipiens formam illius esse dignoscetur. O quam ergo fortunati, qui cum Veronica sic Christo crucem baiulanti occurrunt, vt digni efficiantur, non modo Christi imaginem in corpore, sed altius etiam in mente insculptam gerere, & seruare, donec sponso occurrentes integram illam in extrema mortis hora cum corde præbeant!

9. Pergit Adrichomius [atque illinc, ait, per trecentos triginta sex gressus, & duos pedes, aliàs octingentos quadraginta duos pedes ad portam Iudiciariam, vbi rursus cum cruce lapsus est: deinde verò ardua, saxosa, atque paulatim ascendente via versus Septentrionem processit per trecentos quadraginta octo gressus, & duos pedes, seu octingentos septuaginta duos pedes ad biuium quoddam, vbi mulieres plorantes alloquutus est. [Sequebatur autem illum (inquit Lucas) multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Solet enim (inquit Leo) sexus infirmior etiam pro ijs qui morte sunt digni in lacrymas commoueri, & damnationem exitus, pro naturæ communis consideratione misereri, sed istum sibi planctum Dominus Iesus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam] Hinc ad eas conuersus ait: [Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vosmetipsas flete: quo loco mandat Christus (inquit Theophilactus) deplorantibus in futura mala prospectum intendere, & super illis flere: quasi

Mulieribus lugentibus obuiatur.

Luc. 23.

Leo. ser. 10. de pass.

Theophil.

diceret: Non tam ſuper me flete, quam ſuper vos, quia ſuper malis vobis imminentibus habetis longè ampliorem flendi materiam & occaſionem, quam ſuper meis tormentis, quæ deuicta morte cito finientur; nolite ergo flere propter me, qui ſponte mea crucifigendum me offero pro mundi reparatione. [Ego crucem volens pa-
Leo. ibid. tior, & mortem in me, quam ſum perempturus, admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem in maieſtate patris videbitis iudicantem,] ſed flete propter vos. [Vbi eſt triſtitia crucifigendi? (exclamat Leo) vbi formido morituri ? non terret paſſuri animum hora ſupplicij, & docens nullam pro ſe flendi eſſe rationem, indicit pœnitentiam denunciando vindictam. Non eſt, inquit, quod dolere in me Hieruſalem filiæ debeatis, pro vobis plangite, & pro veſtris filiis eiulate: quia ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt,] me igitur fruſtra lacrymis nolite proſequi, quaſi hominem vulgarem non ſponte morientem, mortémque effugere non valentem, ſed pro vobis
Leo. ibid. potius plangite, & pro veſtris filiis eiulate. Super illos enim fundantur iſti ploratus, quos viſcera veſtra peperérunt, reſeruandos in hanc extremam calamitatem. Lugendum ergo planè vobis eſt, non de ſalute credentium, ſed de impietate & temeritate pereuntium.] O filiæ Hieruſalem! huiuſmodi erit breui lugubris veſtra cantilena,
Deuter. 28. vbi videritis illud Deuteronomij in vobis, & filiis veſtris impleri: [Obſideberis intra portas tuas, & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit

tibi Dominus Deus tuus in anguſtia & vaſtitate, qua opprimet te hoſtis tuus.] Cum, inquam, hoc in vobis impleri videbitis, recordabimini iniuriæ Chriſto illatæ, & vbi matres fame vehementer extimulatæ, in huius ciuitatis obſidione, ſicut olim in Samaria filios ſuos prodigioſiſſimè vorabant acclamantes militibus domum intrantibus carnis nidore allectis : [Coximus filium meum, & comedimus :] Beatæ tunc ſteriles, quæ non pepererunt, & ventres qui non genuerunt, conclamabunt, recordabunturque Dominicæ prædictionis, ſeque increpitantes, dicere incipient montibus : cadite ſuper nos, & collibus, operite nos! Et quid mirum cum pietas, vt ait Auguſtinus, in cibum vertenda, in pabulum ſuſcepta ſoboles commutanda : ante parricidium gerendum, quam ad funeſtas epulas veniatur. Nolite ergo flere ſuper me, ſed flete ſuper voſmetipſas, & ſuper filios veſtros.

4. *Reg.* 6.

Aug. ſer. 11. *de temp.*

10. Quam aptè illud Socratis Chriſtus mulieribus dicere potuit! Cum enim vxorem muliebriter complorantem vidiſſet, dicentémque: mi vir innocens morieris: illi dixit: quid vxor? num me nocentem mori malles? hoc inquam Chriſtus deplorantibus vicem ſuam mulieribus reſpondere potuit: quid filiæ Hieruſalem innocentem veſtris lacrymis proſequimini? quid eiulatibus quaſi importunis vocibus conquerimini? mi Domine innocens morieris! Quid piæ mulieres, num me nocentem mori malletis? Agis vltimus Lacedæmoniorum Rex, per inſidias, vti Chriſtus, captus, & ſimiliter indicta cauſa ab Ephoris damnatus, cum ad laqueum, quo erat ei gutur elidendum, duceretur, cuidam miniſtrorum,

Magis lugendi innocentis interfectores quã ipſe innocẽs. Eraſm Apoph. l. 3. de Socrate. Plutar. l. 3. to. 1. Opuſc. in Apoph. Lacon.

quem plorantem intuebatur: desine, ait, me deflere, qui tam sceleratæ atque iniustæ morti addictus, meliore sum, quam qui me necant, conditione. Hoc profecto Christus meritissimè etiã his mulieribus, suum piè deplorantibus supplicium, respondere poterat: desinite me deflere, quarum pium in me affectum non condemno, qui tam sceleratæ atquæ iniustæ morti addictus, meliori sum, quam qui me necant, conditione. Nolite ergo flere super me, filiæ Hierusalem, sed super vos ipsas flete & filios vestros. Nam tantæ iniquitatis in me ostensæ ciuitatis Hierosolymitanæ incolæ tandem aliquando sentient pœnas, quorum parentes me innocentem modo turpissimæ morti adiudicant. Flete ergo potius super vos: quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Greg. l. 12. Mor. c. 4. 11. Se hoc loco, inquit Gregorius, lignum viride, & nos lignum aridum dixit, quia ipse in se vim diuinitatis habuit, nos verò qui puri homines sumus, lignum aridum appellamur] ac si dicat, quia si ego qui sum veluti viridis arbor, totiusque innocentiæ, & sanctitatis humore plenus, ardenti passionis igni subdor, quid vos arida quasi ligna gratiæ humore vacui sustinebitis? nonne æterno consecrabimini incendio? quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Iob. 14. Greg. ibid. sicut [habet lignum spem si præcisum fuerit, quia rursum viresçet; quoniam etsi occidi per passionem potest, per resurrectionis gloriam

Greg. ibid. rursus ad vitæ viriditatem veniet] si arida sitis ligna hanc spem amittitis. Si ergo veluti lignum virens ego cælestes proferens fructus, æternam gustanti vitam tribuentes sic crucior, cuius rami

pullulabunt, quia resurrectione mea multiplicati longè latéque fideles crescent: quid vos qui nihil aliud præter mortis fructum producitis, sentietis, quam amarorem quo dentes vestri obstupescent? quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? si ego expers omnis putredinis lignum passionis flammæ subditum, tanquam semiustus torris à passionis incendio extrahar cuius radix in terra quasi senuit, quia mea prædicatio Iudæorum perfidiæ despecta fuit, & in puluere truncus emorietur, quia in corde persequentium, quod perfidiæ suæ vento leuabatur contemptibilis & despectus sum habitus, quia carne potui occidi, sed ad odorem aquæ germinabo, quia per Dei extincta caro mea ad vitam redibit, iuxta quod scriptum est, quem Deus suscitauit à mortuis.] Quid vos torres concupiscentiæ ignibus exusti, & velut ex inferni incendio toties per gratiam meam tanquam torres semiusti extrahemini, fomenta æternæ combustioni aptissima: quid vos inquam experiemini? nonne sempiterna, nisi quam citissimè resipiscatis, incendia? quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Si ego arbor illa vitæ amabilis omnibus gratiarum floribus exuberans, tanta à nefarijs prædonibus patior, licet arida illis esse videar arbor, faciam tamen comam, quasi cum primum plantatus essem: quia illa Apostolorum debilitas quæ in hac mea passione expauit, & negauit, negando eruit, per resurrectionis meę gloriam rursus ad fidem virescet: quid de vobis qui ligna putrida, & arida, & inutilia sine gratiæ succo, sine virtutis coma, sine charitatis fructu, sine bonorum operum meritis estis: quid inquam

Greg. ibid.

Act. 2.

Greg. ibid.

fiet de vobis? excidemini, & in ignem mittemini: quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

12. Si Christus ob nostra peccata tam indigna ab indignis tolerat, quanta nos manent supplicia qui illum peccatis nostris tot subiecimus calamitatibus, computrescemus vtique: quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? si pater æternus suum vnigenitum, eiusdem cum illo substantiæ, eiusdem potentiæ ac maiestatis, eiusque semper mandatis obtemperantem, ita grauiter ob aliena castigat peccata: quid eum putatis facturũ de spurijs, de seruis improbis, & refractarijs ob propria illorũ peccata? in æternũ scilicet eos malè mulctabit: quia si in viridi ligno hæc facit, in arido quid fiet? si dæmones adeo crudeles sunt in Dei filium, idque in aliena regione, tot cõtumelijs, irrisionibus, alapis, sputis, flagris, spinis suorum ministrorum imperio eum subiecerint, quãta putatis eos crudelitate in sua regione, in tartaro nimirũ, in mãcipia sibi subiecta dæsæuituros? quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? si ille innocentissimus Dei agnus cruce onustus, & tot vndequaque lacessitus ignominiis, & verberibus, ad locum supplicij, vt huic cruci affigatur, felle & aceto poterur: quid fiet nocentibus & reis? quæ verbera? quæ spinæ? quæ alapæ? quæ opprobria? quod fel? quales cruciatus, & tormenta illos post hanc vitam manebunt? quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? si pater cælestis vt impij ob aliena peccata in filium suum in hoc mundo debaccharentur, quomodo plenam dæmonibus debacchandi daturus potestatem, vt in

eos perpetuo crudeliſſimè deſæuiant? quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? ſi pater æternus hoſtibus veniã fiet, vt ſupra dorſum filij ſui flagellis ararent, & pungẽtibus ſpinis caput eius variis ſauciarent vulneribus: quid fiet de illis quorum cauſa hæc gratis ſuſtinet? quippe qui nihilo ſecius pœnitentiæ fructus faciunt, ſed potius quotidie peccatorum flagellis eum excruciantes, ſuas prolongant iniquitates, nonne multa eos dæmonum flagella manent, qui incredibilem in eos inhumanitatem ſemper exercentes, pungentibus conſcientiæ ſtimulis, & tormentorum acerbitate perpetuò exagitabunt: quia ſi in viridi ligno hæc faciũt, in arido quid fiet? ô quid faciemus? cur non totis contremiſcimus artubus præ ſtupore æternorum cruciatuum, quos in tartaro ſubituri ſumus, ſi arbores ſiccæ ſine gratiæ humore, & charitatis radice inueniamur? cur nó contendimus ex ijs quæ Chriſtus ſubijt nos ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos excitare? cur non amabilibus miſericordiæ vocibus quas edidit Chriſti ſanguis, tanto amore auribus noſtris inſonans, [O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut Chriſti dolor, mouemur, & licet nos tanquam ligna arida putrida, & inutilia promereamur æternos ſubire cruciatus, filij tamen Dei meritis efficietur; vt nos frugiferæ vitæ arbori, qui eſt Chriſtus denuo inſeramur, vt illius virtute animæ noſtræ radices hactenus peccatis emortuæ, rediuiuæ fructus æterna beatitudine dignos faciunt.

13. Iſthinc (vt Adrichomius proſequitur) continuò per centum ſexaginta & vnum greſſus, & ſeſquipedem, ſiue quadringentos quatuor pedes

Quid mysterij latet in hoc Christi lapsu.

ad radicem montis Caluariæ, vbi vltimo cecidit, progressus est Christus: cecidit, inquam, non sine grandi (mea sententia) mysterio: viso enim supplicij loco, præ gaudio (vti reor) simul ac debilitate in terram corruit, quasi illi valedicens, gratiasque agens, quod omnia passionis instrumenta tam promptè ministrauerit, cuius gratia illam quasi iterum deosculans, sicut antea in horto sui sanguinis attactu, & sacratissimorum labiorum osculo, ab illa olim inflicta maledictione: [maledicta terra in opere tuo] vendicat, seque colligit, vt animosè ad Caluariæ montis verticem, cruce onustus, conscendat, vt qui per crucem non perdidit (vt loquitur Tertullianus) confirmaret imperium. Crux enim (vt ait magnus Leo) sicut in Iudæorum erat mente crudelis, ita est in crucifixi virtute mirabilis: furit in vnum populus, & miseretur omnium Christus: quod sæuitia infertur, potestate suscipitur, vt licentia facinoris æternæ opus impleat voluntatis.] Quare statim Christus assurgit, & viam pergit, ac tandem superato montis vertice, sui supplicij instrumentum humi deponit, gloriosum sibi reputans esse, potestatis suæ instrumentum coram omnibus amplecti, quod aduersarij detestabantur. hinc Leo [cum lignum crucis portaret Dominus, quod in sceptrum sibi conuerterat potestatis: erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium, quia gloriosissimus diaboli victor specie triumphi sui portabat trophæum, & inuictis patientiæ humeris signum salutis adorando regnis omnibus inferebat.

Gen. 3.

Leo. ser. 11. de pass.

Leo. ser. 8. de pass.

Digitized by Google

4. Deinde vlterius, inquit Adrichomius, per octodecim gressus, aut quadraginta quinque pedes, ad locum vbi carnifices Christo vestes extraxerunt, vbi & vino myrrhato felle mixto potatus est. Quid de expoliatione vestium dicam, quæ in præcipuis crucifixionis circunstantijs censeri debet, cuius expressa extitit iam olim figura Noë nuditas. Noë quidem arca mundum seruauit, Christus cruce mundum redemit; Noë vineam plantauit; Christus Ecclesiam; Noë vino ebrius dormijt, Christus amore saucius somnum ducit; Ille in tabernaculo, hic in cruce; ille nudus, hic vestibus expoliatus: nuditatem Noë ridet Cham, nuditatem Christi rident Iudæi, Iaphet & Sem verenda patris tegunt; Christiani crucem Christi, & opprobria adorantes honorant. dum ea agerentur dormiebat Noë, sed postea è somno expergefactus benedixit Sem & Iaphet, & maledixit Cham; ita Christus in fine mundi velut potens crapulatus à vino excitabitur, benedicetque filiis suis: [Venite benedicti patris mei.] Illos verò qui eius nuditatem irriserunt, æterna feriet maledictione: [Ite maledicti in ignem æternum.] Hac vestium detractione agnus innocentissimus rursum excoriatur, & summo afficitur pudore, omnes eius plagæ quæ crudis inhæserunt vulneribus, detractis vestibus renouantur: vnde riui iterum sanguinis vndique in terram defluunt, & ipse veluti infamis latro, corpore penitus cruento nudus coram innumera plebis multitudine irridendus & illudendus exponitur. [Ascensurus (inquit Ambrosius) crucem regalia ponit vestimenta, vt scias quasi hominem passum esse, non vt Deum. Vt enim Deus

Noë Christi typus.

Gregor. lib. 1. Moral. c. 2.

Orig. ho. 12. in Genes.

Ruper. c. 7. in Genes.

Math.

Ambr. l. 10. in Luc. c.

erat, Regiæ maiestatis splẽdorem deponere non poterat. Interim crucifigentes eum diuiserunt
Chryſ. in c. Math. 27. vestimenta eius, id in eum agentes (inquit Chrysostomus) quo de maximè vilibus & nullius pretij sontibus, neminémque habentibus fieri consueuit. Atqui nec in latrones tale quid, sed in Christum solummodo gesserunt.] Nudus ergo penitus stat Filius Virginis ad crucis ascensum præparatus. Hinc Ambrosius, qualis crucem as-
Amb. lib. 10. in c. 23. Luc. cendat. Nudus ascendit; Nudum ecce video. Talis ergo ascendat, qui sæculum vincere parat, vt sæculi adiumenta non quærat. Victus est Adam qui vestimenta quæsiuit; vicit ille, qui tegumenta deposuit, & talis ascendit, quales authore Deo nos natura formauit,] vt totus in cruce nudus ad maiorem ignominiam penderet.

Mich. 1. 15. Ecce quam olim Micheas denudationem
Christus nudus exhibetur. prædixerat, modo expletam videt: [Vadam, inquit, spoliatus, & nudus faciam planctum.] Ecce Christus omnibus spoliatus vestibus omnino nudus præ dolore maximo, & verecundia in silentio miserabiles edit gemitus, quandoquidem nemo penè in tanta multitudine inueniatur, qui misereatur nuditatis eius. Verum præterquam quod hæc eius nuditas quoddam sit præsagium Iudæos omnibus in tanti criminis vindictam spoliandos, quippe quos vagos ac profugos sine Rege, sine Lege, sine Sacerdote, sine Sacrificio super Vniuersi faciem, sine certa sede errantes cernimus. Quam rem in illo Zachariæ loquendi vsu perdito adumbrari dixerim, vti Ambrosius docet, non vnius mysterium, nec vnius silentium est. Tacet Sacerdos, tacet Pro-

pheta. Nisi fallor, in vno vox totius plebis obmutuit: quia in vno totus ad Dominum per Moysen populus loquebatur. Cessatio Sacrorum, & silentium Prophetarum, taciturnitas Prophetæ, & taciturnitas Sacerdotis est: illo iraque Zachariæ silentio diuinitus indicto haud obscurè ostenditur, totum sacrificandi, & prophetandi mysterium prorsus interiturum: indicauit etiam Christianos aliquando multos sese omnibus terrenis exuturos, vt nudi Christum nudum sequantur. Hinc Hieronymus [nudus Iesus, nudos quærit amicos & sponsos.] Vnde Christus permisit se omnino nudari, vt nudus nudos quæreret: sicuti nudi aliquando fideles Christum in cruce nudum quæsituri, & secuturi erant. *Amb. in illud, ecce eris tacēs Luc. 1.*

16. Nudauerunt olim Ioseph fratres eius tunica talari, eúmque miserunt in cisternam veterem, quæ non habebat aquam: & Christum fratres eius Iudæi denudant, vt in illa eum aridissima crucis cisterna collocent, in qua suspensus postea, ne guttam quidem aquæ inueniet, licet magnis clamoribus, sitio, dicturus sit. Modo [ad locum deductus supplicij myrrha potatur & felle.] ô Christiane, quomodo Christus in omnibus tui causa punitur! quomodo in omnibus suis membris, tui gratia patitur nudus omnibus expositus, vt nos ad nuditatem & paupertatem Euangelicã, quam tum reipsa prædicauerat, imo à prima natiuitatis suæ die, vsque in hanc horam ipso opere docuit, excitaret; adeò vt ad literam illud Iobi explere videatur, [nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Ac si dicat: *Bern. ser. de Pass.* *Iob. 1.*

Digitized by Google

Greg lib. 2. Moral. c. 11. inquit Gregorius: nudum me huc intrantem tellus protulit, nudum me hinc exeuntem terra recipiet. Qui ergo accepta habui, sed relinquenda perdidi, quid proprium amisi?] hinc statim natus tantum abest vt regali aliqua indueretur veste, vt potius vilibus inuolueretur panniculis: & hodie mundum deserens, & ad patrem proficiscens, vestes exuit, quas in terris acceperat, gloria & honore breui ornandus. qua re nos docet nihili facere, si omnibus nudemur terrenis quæ nobiscum minimè nata sunt: [magna enim, ait Gregorius, consolatio est in rerum amissione, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit res, quas perdidimus, non habuisse.] myrrhato etiam vino felle mixto potatus est, vt nos eius gratia omnem amaritudinem ferre discamus.

Greg. ibid.

17. De hinc (addit Adrichomius) per duodecim gressus, siue triginta pedes, ad locum, vbi clauis cruci affixus est: inde postremo per quatuordecim gressus, siue triginta quinque pedes, ad locum, vbi de cruce pendens in foramine rupis Caluariæ fixus est.] vt nihil infamiæ illi deesset, hunc infamem supplicij locum, impij prædones elegerunt, vt inter infames infamis haberetur. Locus enim iste ab ossibus & hominum caluariis, Caluariæ vulgò nomen sortitus est. Quare, vt per infamiam suam, nostram aboleret, & patris iustitiæ, quæ omnem exigebat satisfactionem, abundè satisfaceret, in hoc infami loco permisit suam erigi crucem. In mundum enim ingressus vile stabulum eligit, vt nos huius mundi stabularios cæli Principes constitueret, suscitans de terra inopes, & de stercore erigens pauperes.

Digitized by Google

vt verò ex hoc mũdo egredereris infamem etiam Caluariæ locum mortuorum ossibus fœtidum amplexus est, vt finis responderet principio. Ipso autem nato ingens populi multitudo in Bethleem confluxit, vt illi hospitium præriperet, & eum ad mortem hodie properante plurimus circumfluit populus, quo maior esset illius infamia. Natus fuit media nocte, & in paruula ciuitate, vt glorioſa illius natiuitas mundo celaretur. Verum media die, & è ciuitate celeberrima ad patibulum ducitur, vt ignominioſa eius morte omnibus manifestata infamis maximè haberetur. Sanctissimis Deipara manibus æterno patri eum veluti hostiam Deo gratissimam stitit, & hodie graui succumbens crucis oneri per longissimum iter in holocaustum pro peccatis nostris Deo offerendus ad montis Caluariæ culmen trahitur non inuitus. Egredimini ergo filiæ Sion, sanctæ inquam animæ, quæ in cubilibus vestris compungimini, Christi cruciatibus condolentes, illiúsque vestigiis per hæc itinera animosè progredientes, pia mentis commentatione cum Adrichomio insistite, & æquis passibus cum illo præeuntem vobis Christum graui crucis mole, & peccatorum pondere onustum subsequamini, & alta animi cogitatione peracta in illo itinere mysteria sedulo attendite, & quid in singulis huius itineris stationibus Christo contigit diligentius vobiscum perpendite. *Psal.* 111.

18. In monte Caluariæ Iesu posito, & vestimentis denudato dederunt vinum bibere cum felle mixtum, & cum gustasset noluit bibere. [Hoc etiam, inquit Chrysostomus, ex contumelia,] quanta hæc impiorum in Christum crudelitas, *Vinum felle mixtum offertur Christo.* *Math.* 27.

quæ adeò insæuit, vt quod cuilibet etiam malefactori solitum dari, denegaretur illi. Apud Iudæos siquidem in more positum. vt ad mortem damnatis optimum propinarent vinum, vt eorum pauori ac trepidationi consuleretur, quod non obscurè ex ipsa sacra pagina colligi potest:
Prou.31. [date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo] quam consuetudinem ab Ægyptijs acceperunt. Nam vti scribit Eusebius Cæsariensis ex Homero, Helena potionem Telemacho apud Menelaum hospitem propinauit, vt suarum ipse obliuiscereturcalamitatum. Imo solemne fuit apud omnes nationes, vt supplicio afficiendis haustus præstantis vini ad eorum animos à mortis trepidatione liberandos porrigeretur: quod charitatis. obsequium Christo nefarij dæmonis satellites denegarunt: sed ad maius tormentum siti vehementer afflicto, partim ob multam sanguinis effusionem; partim etiam ob grauem itineris molestiam porrexerunt vinum cum felle mixtum, vt os, linguam, & ipsa corporis interiora, ad quæ verbera, & spinæ non penetrauerant, inhumaniter excruciarent. Gustauit quidem vinum, vt illius amaritudine arida siti lingua, & os siccitate afflictum, adhuc magis paterentur, vt nimirum ipse ebrietatis, & gulæ hominum libidinem in suis membris solueret, & vt singulare nobis patientiæ exemplum exhiberet, qui cũ ab impijs amarus porrigeretur potus minimè indignatus saltem gustauit. O vtinam gulæ nostræ, & ebrietatis intemperantia, hac Christi in membris suis afflictione castigetur, qui adeo huiusmodi sumus infecti vitijs, vt ad voluptates potius, quam ad virtutes amplectendas

das nati esse videamur, quorum adeo excreuit in primis gulæ cupiditas, vt bruta potius animantia, quam homines rationis participes censendi simus. Non absimiles, proh dolor! infamissimo helluoni Philoxeno, qui optabat sibi (vt Aristoteles est auctor) collum longius collo gruis, vt qui tam contactu cibi, quam gustatu magis delectaretur. O quam frequentes sunt in hac nostra ætate huiusmodi Philoxeni, qui ita ventri sese consecrant, vt in voluptatibus vltimum suum finem collocare videantur, quos Apostolus inimicos crucis Christi appellat, quorum Deus venter est. Hinc merito Clemens huiusmodi hominum genus mentem in ventre infossam habere asserit, & obrutum ventris sordibus. Non absimile pisci illi qui Græcè ὄνος Latinè asinus appellatur, quem dicit Aristoteles solum inter omnia animalia habere cor in ventre. Quid detestabilius quam vt homo ad æternæ fœlicitatis gloriam natus in suo ventre suam collocet beatitudinem?

Arist. 3. Ethi. c. 10.

Phillip. 3.

Clem. Alex. 2. pædag. cap. 1.

De instrumentis quibus Christus crucifigendus, ad cuius dolores serio considerandos inuitamur.

CAPVT LXII.

Christi obedientia.

1. INterim expediuntur acutissimi, vel vt alij volunt, obtusi claui, mallei, funes, fustes, & cætera instrumenta ad Christum crucifigendum idonea, cruce ipsa humi iacente. Ipse verò satel-

litum imperio sese supinum in cruce strauit, brachia extendit, & manus clauis figendas porrexit, ita vt illud Isaiæ in eo hodie sit expletũ. [Extendit manus suas sicut natans ad natandum.] Hinc illi placuit vestibus omnino exui, vt sese in oceanum passionis proijciens, nos à passionum nostrarum tempestatibus, quibus in tartari abyssum deuoluebamur, eriperet & quasi supposita omnipotentiæ manu ex ipso inferni gurgite educeret. Mergebatur homo in vasto peccati pelago, & inde præcipitabatur in Orci voraginem; Christus autẽ repositis apud carnifices vestibus, sese in sãguinis & lacrymarũ pelagus proiecit, vt nos simul, & à peccati & Erebi profundo ad gratiæ littus attraheret, posito quasi crucis baculo in pelagi imo, & qui illum viua fide apprehenderent, statim à peccati abysso, & à tartaro illis debito Christi gratia adiuti extraherentur. [Baculus, inquit Augustinus, sine Elisæo nihil valebat; quia crux sine Christo nihil poterat. Venit ergo B. Elisæus, & ascendit in cœnaculum, quia venturus erat Christus, & ascensurus crucis patibulum: inclinauit se Elisæus vt puerum resuscitaret; & humiliauit se Christus, vt mundum in peccatis viuentem erigeret,] cecidimus in peccati pelagus: [Quomodo securis illa è manu Prophetæ in profundum corruit, ita & genus humanum de manu Domini omnipotentis per superbiam se excussit. Veniens verò Elisæus misit lignum, & natauit ferrum. Quid est lignum mittere & ferrum in lucem producere, nisi patibulum crucis ascendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per crucis mysterium liberare?] Cru-

Quanta nos Christus cura à peccato & inferno extrahit.

Augustſer. 206. detẽp.

Augustſer. 210.

4. Reg. 6.

cem igitur qualibet exorta tempestate apprehendamus, illíque cum Christo diuini timoris & amoris simul clauis tenaciter figamur, vt nulla nos tempestas abripiat, nisi crucem simul rapiat.

Mũdus, caro & damon vt crucem deseramus suadent.

2. Mundus quidem, caro, & diabolus, nobis continuè inclamabunt, & quotidie suadebunt, vt de cruce descendamus, huiusque vitæ diuitias, delicias, & gloriam consectemur. Sed illis respondeamus cum Paulo [mihi mundus crucifixus est, & ego mundo,] & cum B. Ignatio martyre: [Amor meus crucifixus est, non mihi placet cibus corruptionis, neque voluptas vitæ huius, panem Dei volo, panem cælestem, qui est caro Christi, Christo crucifixus sum.] Sicut ergo crucifixus iam pro animi sui motu & desiderio membra sua quoquam mouendi, vel conuertendi potestatem minimè habet; ita & nos voluntates nostras, & desideria non secundùm id quod nobis ad præsens suaue est ac delectat, sed secundùm legem Domini, quò nos illa constrinxerit applicare debemus. Et sicut is qui patibulo crucis affigitur, non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino solicitudine curáque distenditur, nulla possidendi concupiscentia permouetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet iniurijs, non præteritarum iam recordatur, séque cum adhuc spirat in corpore cunctis elementis credit esse defunctum, illuc præmittens sui cordis intuitum, quò se non dubitat illico transiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est, non solum carnalibus vi-

Ignat. epist. ad Rom.

Cass. l. 4. de instit. renunc. c. 34.

tiis, verumetiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quò nos sperare debemus momentis singulis migraturos.] Vt quilibet sibi dicere possit. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Omnia quæ mundus amat crux mihi sunt (vt ait Bernardus) puta delectatio carnis, honores, diuitiæ, vanæ hominum laudes; quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu.

Bern. ser. 7. in Quadr.

Obedientia. 3. Quare si ex hac cruce descensum animi hostes nobis suadeant, facilè tam pernicioso obuiabimus consilio, si quemadmodum Christus ad nefariorum satellitum imperium sese in cruce extendit, & brachia, ac pedes, vt clauis affigerentur porrexit: nos etiam Prælatis nostris, non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis, imo omni humanæ creaturæ propter Deum subiecti simus in omnibus quæ diuinæ legi minimè repugnant. Sic secundus Adam de cælo cælestis, Christus primi Adami de terra terreni, hoc modo inobedientiæ pœnam (vt videmus) persoluit. Adam in primis manus suas contra obedientiæ legem ad prohibitæ arbòris fructus temerè porrexit: Christus hodie manus clauis affigendas extendit, vt illud inobedientiæ in se persoluat, & gratiæ fructus delinquenti porrigat. Deinde Adam vxoris voci obtemperans vetitum comedit fructum: Christus æterni patris rigorosæ obsecundans iustitiæ, & ingratæ matris Synagogæ voci illum ad crucem ignominiosam postulanti satisfaciens, seipsum in crucis lecto sponte totus nudus vestibus inter milites diuisis extendit, [intuere, exclamat Ambrosius, nunc Christi

1. Petr. 2.

Ambr. li. 10. in Luc. c. 23.

vestimenta diuisa. Vbi illa quærã? quære in Matthæo, inuenies penes ipsum solam chlamydem coccineam, penes Ioannem, vestem purpuream, penes Marcum, purpuram tãtum, penes Lucam, vestem albam. Hac enim sola pro sua fuit portione contentus,] & hac ipsa spoliatus est, vt nostra sua nuditate tegeret turpitudinem. Quantos verò, inquit, idem Christus, sua veste vestiuit? puto autem quod non quatuor tantum, sed omnes vestiuit milites, & omnibus abundauit:] imo virtutum vestes per illas adumbratas, inter suos electos per illam diuisionem distributas esse voluit, quæ nobis, vel per gesta eius, vel per miracula, vel gratiam inter nos diuiduntur, imo tunica inconsutili quæ diuidi non potuit singulos donauit, [quia, vt ait Ambrosius, fides non proportione singulorũ, sed pro iure est omnium. Quod enim non diuiditur, singulis manet integrum. Et benè desuper texta in Ioanne legitur. Sic enim texitur fides Christi, vt de diuinis ad humana descendat: eo quod ante sæcula ex Deo genitus, posteriore tempore susceptionem carnis assumpserit. Per hoc ergo significatur nobis, quod non debeat fides scindi, sed solida permanere.] Videte iam inhumanis cruci affigendum vestibus, & cute nudatum clauis! Perpendite cum lacrymis, quomodo brachia & pedes crudeliter funibus ligentur, quod clauorum locum ob nimiam distantiam non attingant.

Amb. ibid.

Amb. ibid.

4. Perpendite igitur diligenter, quomodo summa vi à suis iuncturis distrahantur omnibus penè membris, è suis locis horribiliter amotis, vt manus & pedes ad clauorum loca porrigantur. Tam atrox sanè hæc fuit violenta membrorum

extensio, vt ossa singula à se inuicem diuulsa numerari potuerint: quod crudelitatis genus Regius Propheta olim præuidens in Christi persona, ait: [foderunt manus meas, & pedes meos; & dinumerauerunt omnia ossa mea.] Imo tam acerbus in hac extensione corporis dolor extitit, vt omnium atrociſſimus totius passionis anteactæ dolor fuisse cẽseatur; quemadmodũ etiam ostensum fuit B. Brigittæ, & Catharinæ Senensi. Multa quidem Brigittæ reuelata sunt de huius doloris acerbitate, & inter alia, quod ea corporis distensione venæ ac nerui dirupti fuerint. Catharina quoque Senensis, ita concipiebat pectoris, seu thoracis neruum, quo brachia costis, & hæ connectuntur cartilagini, vt Christus dolorem tunc sentiret, illi persimilem, quem qui fune quæstionario suspenduntur, manibus post terga reuinctis, sentiunt. Et Lansbergius refert cuidam viro interroganti de hac doloris magnitudine, Christum respondisse grauissimum omnium extitisse. Imo adeo extenuatum & distentum corpus eius in cruce fuit, vt beatissima Virgo retulisse Brigittæ dicatur, sic manus Christi depositi de cruce diriguisse, vt non possent extendi nisi circa vmbilicum, nec brachia flecti, aut componi potuisse supra pectus, sed ventrem, nec genua extendi, sed eminuisse, vt in ipsa cruce obriguerint. Hunc verò dolorem, omnium dolorum maximum, sicuti cætera passionis suæ tormenta æterno patri obtulit in satisfactionem peccatorum, quæ nos per membra nostra perpetramus. O singularem infiniti in nos amoris demonstrationem! & immensum diuini amoris pondus! quam verè Augustinus ait [amor meus, pondus meum, eò fe-

Psal 21. Christi dolor maximus in corporis extensione.

Brigit. l. 1. c. 10. l. 4. c. 70. l. 7. c. 15.

Lorinus in Ps. 21. n. 18.

August.

ror, quocunque feror.] infinitus certè Christi in nos amor infinitum habet pondus, cuius amor nullis obrui peccatis, nullis extingui possit tormentis.

5. Iam nobiscum nonnihil perpendamus, quid Christus in hoc duro crucis lecto iacens fecerit, vt idem nobis etiam faciendum iudicemus. Haud dubiè benignissimos in cælum oculos eleuans, ingentes æterno patri gratias egit, quod tot perfunctus calamitatibus, tandem aliquando viderit instare horam, in qua redemptioni humanæ finem imponere decreuit. Quare veluti nouis resumptis viribus, incredibili voluntatis promptitudine, sese super hoc crucis altare in cruentum patri sacrificium, pro omnium peccatis liberalissimè offert. O bone Iesu! quis infinitum amoris tui excessum penetrare potest, quo eò vsque, nostri causa, te exinaniuisti, vt veluti pessimum latronem, velles te in conspectu omnium probrosæ cruci totus nudus affigi: vt nimirum hoc inusitato spectaculo patris iram in nos exacerbatam mitigares, & per te veluti hostiam pacificam patris in nos furorem ita placares, vt nos in adoptionem filiorum Dei eum quodammodo compelleres recipere. Hinc velut alter obediens Isaac, qui à proptio suo parente se ligari permisit, & in altari super struem lignorum poni, expectans gladij ictum de parentis manu: sic tu, ô mundi Saluator, æterni patris filius, risus & lætitia totius mundi, iaces in crucis altari, amoris funibus arctè ligatus, expectans clauorum, & mallei ictus! ô ineffabilis Christi in nos amor! ô inaudita patientia! ô incredibilis satellitum crudelitas, quæ tamen nun-

Quid Christus in cruce fecit.

Genes. 22.

quam vincere poterit infinitum Christi amoris excessum ! ô æterni patris iustitiæ rigor, qui filium Dei in re adeò difficili, & humanæ naturæ contremiscenda obedire voluetis, séque in durissimo crucis lecto extendere, vt crudelibus illi clauis inhumanissimè affigeretur. Fecit libenter, [& vt non sibi soli, inquit Ambrosius, sed omnibus vinceret, manus in cruce extendit, quo omnia ad se traheret, vt nodo mortis exura, iugo fidei suspensa, cælestibus ea quæ prius erant terrena sociaret.] O singularem filij Dei obedientiam ! qui statim diuinæ iustitiæ dicto audiens, tanta animi promptitudine in suo corpore paulatim soluit, quod nos soluere non poteramus, quo iustitiæ rigore fieret satis.

Ambr. l. 10. in Luc. c. 23.

Inuitamur vt Christi dolores contemplemur.

6. Egredimini, itaque filiæ Sion, egredimini, & serio vobiscum cum magno doloris sensu hanc atrocissimam totius Dominici corporis conuulsionem, & mortiferos inde consecutos doloris aculeos perpendite. Considerate etiam incredibilem doloris acerbitatem manuum, ac pedum eius, clauis inhumanissimè fixorum, qui tantus ac tam vehemens est, ob neruos eo loco concurrentes, vt multis spasmum alijs membrorum stuporem, & mentis alienationem illius tantum cogitatio creare possit. Et vt acerbior esset dolor obtusis (vt author est Eckius) clauis vsi sunt tortores. [Manus altera, inquit, obtuso clauo, vt grauior esset dolor, cruci affixa est; altera verò, quando iam foramen attingere non poterat, funibus sic extensa est, vt venæ disrumperentur.] O quantum Christi manibus dolorem obtusus clauus, & venæ, sic ex membrorum conuulsione disrupta crearunt ! Vnde me-

Eck. tract. de pass. c. 5. consid. 3.

ritò Augustinus, præ tanti doloris admiratione: [Claui, inquit, clamant.] Quid Augustine clamant? clamant dolorem, clamant amorem, clamant tantæ molis esse humani generis redemptionem, vt filius Dei cum totius corporis conuulsione clauis crucifigendus, eiúsque cruciatus augendus. Et quid Bernarde? [Clamat, inquit clauus, clamat vulnus quod in Christo sit Deus, reconcilians sibi mundũ.] Et tu Iustiniane, quid de his sentis cruciatibus Christo inflictis? [Clamãt, ait, sputa, claui, irrisiones, & verbera, vt ipse toto corde totísq; viscetibus diligatur, qui pro dilectione nostra talia, ac tanta pati dignatus est,] clamat obtusus ille ad nos clauus Christi nomine: O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor] Saluatoris nostri. *Aug. c. 23.* *Bern. lib. 7.* *Christi in nos amor.*

7. Clamat & ipse Christus ad nos cruci affixus: [Populc meus quid feci tibi, aut in quo contristaui te?] In quem locum sic Chrysologus: [Nonne dicit: si diuinitas ignota est, vel caro sit nota Videte, videte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, ossa vestra, vestrum sanguinẽ; & si quod est Dei, timetis; quare vel quod vestrum est, non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad parentem? si fortè vos passionis meæ, quam feciſtis, magnitudo confundit: nolite, crux hæc non meus, sed mortis est aculeus. Claui isti non mihi infigunt dolorem, sed mihi infigunt altius charitatem. Vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis viscerib⁹ introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnãm. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium. Ve- *Mich. 6.* *Chrys. serm. 108.*

nite ergo, redite, & vel sic probate patrem, quem videbitis pro malis bona, pro iniuriis amorem, pro vulneribus tantis tantam reddere charitatem. Cuius pectus, quantumuis ferreum, huiusmodi flexanima non moueretur oratione! B. Paulus pectus paucis Christi verbis emollitum sensit suum, ac proinde ad nos conuersus ne tantæ charitati resistamus obsecrat dicens: [Obsecro vos per misericordiã Dei:] [rogat Paulus, inquit Chrysostomus, imo per Paulum rogat Deus: quia plus amari vult, quam timeri. Rogat Deus, quia non tam Dominus esse vult, quam pater. Rogat Deus per misericordiam, ne vindicet per rigorem. Audi rogantem Dominum: tota die expandi manus meas. Nonne qui expandit manus, ipso habitu rogat? expandi manus meas: ad quem? ad populum contradicentem. Expandi manus meas, distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, vt patrem se tantæ obsecrationis demonstret affectu] ô animarum amator! nunc tibi dicam, quod aliquando Dauid [omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?] ô vtinam omnia ossa mea in disertas vertantur linguas vt te laudibus, prout humana mens potest, efferam ob infinitum in nos amorem, & intentissimum ossium tuorum, totiusque corporis dolorem! vtinam omnia ossa mea sic in linguas versa exclament: [Domine quis similis tibi?] quis similis tibi in amore, quis in ignominiis & opprobriis, quis in dolore, quis in cruciatibus nostri causa toleratis, quis inquam tibi similis? omnia igitur ossa mea, cor, caro & anima veluti in linguas conuersa tibi acclamant: Domine quis similis tibi in maie-

Rom. 12.
Chrys. in illud Rom. 12.
Isa. 65.
Psal. 34.

ſtate? quis ſimilis tibi in abiectione? quis ſimilis tibi in potentia? quis in infirmitate? quis ſimilis tibi in diuitiis? quis in paupertate? quis in gloria? quis in contemptu? certè ſicut maieſtatis tuæ, & magnitudinis, potentiæ, diuitiarum ac gloriæ non eſt finis: ſic tuæ abiectionis, infirmitatis, paupertatis & contemptus non eſt finis. Omnia ergo oſſa mea dicant tibi: Domine quis ſimilis tibi?

Quanto affecta dolore Deipara, filio ſuo ſic crudeliter ad crucem pertracto & diuulſis membris viſo.

CAPVT LXIII.

1. O Mater nimis afflicta! vbi modo es? hæreſne in itinere laſſa? ſcio te pro viribus filium ad crucem per milites raptatum inſequi: feſtina ergo cum Ioanne. Ecce videor videre Ioannem mente velut perturbata, & profuſis lacrymis Mariam alloqui. videſne, ô Deipara, virgineum filij tui corpus ignominiæ cauſa iterum prorſus nudum? cur non acceleras, vt aliquo ſaltem linteo verecundiora eius membra tegas? nam nudus omnino cruci applicatur. Cum Ioanne igitur feſtinat Maria, vt vteri ſui pignus vel ſaltem à longe videre poſſit. Quamobrem ab obuiis ſciſcitatur: [num quem diligit anima mea vidiſtis? adiuro vos, ſi videritis dilectum meum, vt renuncietis mihi, quia eius amore langueo.] quo loco exclamat Bernardus [ô amor præceps,

Cant. 3. Ingens Mariæ dolor & amor. Ber. ſer. 79. in Cant.

vehemẽs, flagrãs, impetuosè, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia, præter te, te contentus: captiuam ducis rationem, & intellectum, mirabiliter triumphum agens rerum omnium. En omne quod cogitat ista, quod loquitur, te sonat, te redolet, & aliud nihil, ita tibi ipsius & cor vindicasti, & linguam. Num quem diligit anima mea vidistis? quasi verò hi sciant, quid cogitet ipsa! non explicat verbis sponsi nomen, vt perpendas amorem hunc sanctum, non lingua æstimandum esse, & verbo, sed opere, & veritate. Et præterea, quoniam sicut idioma Græcum, qui Græce peritus non est, intelligere non valet: sic & proprios amoris terminos, ac nomina solus amans intelligit, aliis autem illi loquens apparebit barbarus:] & quia obuij hi amoris idioma minimè callebant, Deipara moras amplius trahere noluit, sed qua potuit festinatione viam cum Ioanne pergit, & ambo sequuntur sanguinis vestigia viæ per quam transijt bonus Iesus impressa, quæ eos paulatim ad luctuosum illud spectaculum recta duxit; quò vbi peruenerunt non audis, inquit Ioannes, ô Dei mater, quomodo inusitata omnium membrorum conuulsione dilecti tui in cruce iam prostrati ossa strideant: dum è suis locis ac iuncturis tanta crudelitate euulsa dimouentur? non audis vt gemant filij tui membra; dum vi distorta discerpuntur? non audis duas illas meretrices, gentilitatem nimirum, & Synagogam, coram cælesti patre de tuæ prolis dulcissimæ nece acriter disceptantes? non vides diuinæ vltionis gladium in eius caput euibratum, vt in duas partes, animam à corpore separans, filium tuum diuidat? cur ergo

non ſuccurris,ô mater,filio? cur non præuenis in filium tuum acclamantium meretricum murmura? cur non illum earum ſubducis manibus? cum omnis innocentiæ ſit auctor, cur non ad patrem ſaltem clamas,filijque tui innocentiam obtendis inuidioſos meretricum murmuri noſtramque incuſas malitiam, vt illis & nobis debitam vltionem à filio tuo dimoueat, & in noſtram deriuet ceruicem? feſtina itaque,feſtina,ô Maria, ſupplices offer patri lacrymas: nam ecce non deſinit Synagoga,& gentilitas conclamare, Crucifige crucifige. Ecce [manat ſanguis eius ex quatuor partibus rigantibus vndis ligno manibus pedibuſque confixis] en cælum eſt clauſum ne filio ſuccurrant Angeli,cæleſtis pater illum quodammodo dereliquit, & licet diuinitas humanitati ſit vnita, illi tamen in hoc extremo cruciatu auxilium minimè feret. *Ber. ſer. de lamēt. virg.*

2. Tu itaque vnica filij ſpes, quæ ſola inter mortales intrepida manſiſti, accurre, & filio vteri tui ſuccurre! Sed quid te ad tam luctuosū inuito ſpectaculum,cum non aditus tibi pateat ob circumfuſam improbor ū multitudinem ad obſequium filio præſtandum? Hinc ijſdem cum filio cruciatibus afflictaris. Quid ergo facies,cum ipſa æque conuellaris ac filius,æque cruci clauis affigaris ac vteri tui pignus? Quid ergo facies? ſi enim Agar Abrahæ ancilla cum Iſmaelem vteri ſui filium in deſerto coram morientem cerneret,eúmque animam agentem videre non ferret, retrorſum abiens ait, [non videbo morientem puerum,] quibus obſecro Dei ancilla, Chriſti mater, animi anguſtiis afflictata fuiſſe credenda, cum intueretur filium ſuum cruci applicatum, & ob- *Maria iiſdem cum filio afflictatur doloribus.* *Gen. 21.*

tuſis affixum clauis, certè nemo mortalium
Bernar. de lam. Virg. eius pectoris anguſtias, tunc penetrare poterat acclamantis, [Fili mi, fili mi. Væ mihi, væ mihi. Quis dabit mihi, vt ego moriar pro te fili mi, ô mors miſera, noli mihi parcere exaggera vires, trucida matrem, matrem cum filio perime ſimul] fili mi, fili mi in me ſæuire mortem permitte [& in tuo me ſuſcipe patibulo, vt qui vna carne viuunt, & vno amore ſe diligunt, vna morte pereant.] quis dubitat igitur ijſdem cum filio matrem affici tormentis? nam cum cerneret amantiſſimum filium, quem toto quondam gaudio concepit, tam crudeliter tractari, incredibili affligebatur dolore. Sacratiſſima illa filij brachia, quæ in infantili ætate tam amanter illam ſæpius ſtrinxerũt, clauis cruci fixa videns, quomodo non ſua etiam brachia ijſdem cruci clauis affigi ſentiret? Hinc exclamat, ô impij
Bern. ibid. tortores, [ô Iudæi miſeri, nolite mihi parcere. Ex quo natum meum crucifixiſtis, & me crucifigite, aut alia quacumque morte ſæua me perimite, dummodo cum meo filio ſimul moriar.] vt video duæ hodierna die cruces omnibus inſtructæ inſtrumentis ſunt paratæ: vna filio, & altera matri: duo ſacrificia, filius ſcilicet, & mater, æterno patri noſtri cauſa hodie offerenda, aliud ſãguinis in ligneo altari, aliud amoris in virgineo corde. Nam quot læſiones in filij corpore, tot haud dubiè ex amore vulnera ſunt in matris pectore. Quare quicquid filius in corpore patitur, idipſum mater in corde; hinc rurſus exclamat,
Bern. ibid. [vita mea moritur, & ſalus perimitur, atque de terra tollitur tota ſpes mea. Cur ergo viuit mater, poſt filium in dolore? tollite, ſuſpendite ma-

trem cum pignore:] ecce quomodo mater in ſe ſentiat omnia filij tormenta. Video quidem clauos quibus cruci Chriſti, manus & pedes affiguntur: ſed video etiam ijſdem cor matris confixum teneri, audio illam filio acclamantem, [ſuſcipe matrem tuam in cruce, vt viuam tecum poſt mortem ſemper. Nihil mihi dulcius eſt, quam te amplexato in cruce tecum mori: & nil certè amarius quam ſine te viuere.] *Ibid.*

3. Video nullum vnquam filium recepiſſe ictum, cuius non triſtis Echo in doloroſo matris corde reſponderet. Quamobrem mihi audire videor matrem extremis affectam doloribus in paſſionis inſtrumenta inuehi. O claui crudeles! ô immanes funes! ô impij mallei! qui filium & matrem eodem ictu transfigitis! heu mihi miſeræ ex malleo obtuſo, factus es mihi gladius acutus! vt figas clauos malleus es, vt triſte matris cor penitus vulneres, ſubito mutaris in gladium! ô claui crudeles, qui ſimul filium, & matrem confoditis! ô immanes funes, qui ſimul matris & filij membra inhumaniter diſtrahitis! ô quam tibi fili mi optime competit, ſicut & mihi, nomen illud, quo te Iſaias [virum dolorum] appellauit, cum neque vnquam tantus in hac vita extitit dolor, qui huic tuo comparandus eſſet, præſertim qui me ſimul ita cruciat, vt nullus ſit dolor, ſicut dolor meus, quippe cum tuo, fili mi, & meo ſimul dolore lancinor! ô manus filij mei potentiſſimæ, in quibus abſcondita eſt fortitudo Dei! quis vos probroſæ crucis brachiis auſus eſt affigere, & clauorum capitibus velut encauſtica pingere arte? ô pedes æterni patris, filij ſanctiſſimi, ante quos diabolus egreditur, & pauore *Iſai. 35.*

Digitized by Google

consternatus fugit, quis vos duro crucis ligno confixit? ô dulcis Iesu! fili mi amantissime, quæ
Zacha. 13. sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum] & pedum? quis tantum audaciæ malleo, clauisque crudelibus indidit, vt manus tuas sacratissimas, & pedes ad benefaciendum velocissimos percuterent, & penetrarent? quomodo creatoris sui virtutem non senserunt? sed quid ago? his pater vsus est instrumentis, vt humani generis peccata, in filij mei manibus, ac pedibus vindicaret:
Ambr. ser. feri. 6. Parasce ser. 51. [passio enim illius (vt ait eius discipulus Ambrosius) nostra redemptio est, mors eius, vita nostra est. Ideo autem mala hæc cuncta sustinuit, vt nos bona omnia sentiremus. Ideo crudelitatem in se exerceri maluit, vt nobis misericordiam largiretur. Bonus ideo in nos ita esse voluit, vt ante in se esset immitis.] hinc malleus & claui tantam induerunt crudelitatem, vt aliena peccata in innocentissimi Virginis filij corpore punirent, & quanta humani generis charitate flagraret. [Patet enim (vt ait Bernardus) arcanum cordis per foramen corporis, patet illud magnū pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri] qui se verum hominem, & Mariæ filium patiendo significauit. hinc exclamat
Aug. ser. 2. de Assumpt. Virg. Ser. 25. de Sanctis. B Augustinus: [ô fœlix Maria, & omni laude dignissima! ô Virgo Dei genitrix glorioſa! ô sublimis puerpera, cuius visceribus auctor cęli, terræque committitur Dominus, qui post multas assumptæ carnis iniurias, & ad vltimum verberatus flagris, potatus felle, affixus patibulo, vt te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstrauit.] Hinc mallei ictus, clauos verberantis in filij tui manibus, & pedibus sentiens

tiens quadruplici vulnere saucia inclamas: vulnerasti me, fili mi, vulnerasti me in corpore, & animo, vulnerasti me amore, & dolore, tua contemplando vulnera.

4. Malleus & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo Salomonis. O stupor! tantane est adhibita ædificationi domus Salomonis industria, vt nullus mallei strepitus, aut securis, aut alterius ferramenti stridor audiretur, cum tamen in hoc singulari Spiritus-sancti Templo, & mallei sonitus, & clauorum, ossiumque stridor audiatur! Quid hîc, obsecro, mysterij latet? in templo hominum manibus extructo nec malleus sonuit, nec securis perstrepuit, & tamen in hoc Dominici corporis templo, & mallei cum strepitu, & claui cum stridore audiuntur! Quia nimirum cæleste hoc templum peccatorum impensis cælari debuit, torque contundi ictibus, quot sufficerent ad cælanda in fidelium animis omnium virtutum emblemata, quod sine flagellorum, malleorum, & clauorum strepitu fieri minimè potuit. Quis enim patientiam, humilitatem, contemptum amplecteretur, si hæc virtutum ornamenta in Christi corpore expressa, charitatis subtegmine vnito, non videret? [claui enim Christi (vt ait Bonauentura) qui mortem nostram moriendo destruxit, non tam tibi, (ô Maria) inflixêre dolorem, quam infixêre profundius charitatem, & verba non tam gemitum adduxerunt, quam nos in eius vulnera induxerunt.] Hinc admirabundus Cyprianus ait: [consideraui opera tua, & expaui: clauis sacros pedes terebrantibus, fossisque manibus de vulnerum anxietate non loqueris: de spinis sacrum

3. *Reg.* 6.

Christi corpus virtutibus insculpitur.

Bon. de bono mortis.

Cyp. ser. de pass.

caput pungentibus non quereris : sed satagis, vt innotescat posteris , quare derelictus à Deo videaris expositus contumeliis,& Iudæorum ludibrijs] vt nimirum illas in se virtutes insculptas charitatis veluti filo connexas nobis proponeret imitandas , vti in Dominici corporis templum perpetuo intuentes,perfecta patientię,humilitatis , nostrique contemptus , charitate inter nos copulati,documenta,& filio Deiparæ, (quæ in se etiam hæc virtutum emblemata perfectissimè inscripsit] compati, & in nobis sentire eius dolores,cuius virtutes imitari cupimus,discamus.

Christi splẽdor nullis ignominiis extingui potest.

5. Cum Maria igitur, filiæ Sion, eodem flagellorum, malleorum & clauorum excitatæ strepitu, surgite, & videte , quomodo sponsus vester filius æterni patris , in duro crucis lecto clauis confixus supinus iaceat ! Contemplemini quomodo dolores eius nouis tortores cumulent doloribus, Crucem eius è terra in aërem eleuantes, ac in terra figentes cum tanta totius corporis concussione , cum tanto clamore se se inuicem ad crudelissimum incitantes opus , vt probrosa illum morte inter latrones afficere festinent , quo miraculorum eius gloriam,& doctrinæ splendorem,hoc ignominiæ genere,obscurent , imo penitus si possint extinguant. [illi (inquit Chrysostomus) volebant Christum interimere , vt prædicationem tollerent ; sed contra euenit : siquidem prædicatio Christi gratia floruit : illorum verò doctrina extincta perijt.] O crudelissimi Iudæi ! ô inhumanissimi tortores! putatisne Dominicæ doctrinæ fulgorem hac obscurare infamia ? putatisne mortis licet probrosissimæ tenebris Christi miraculorum extinguendos splen-

Chry.ho.50. in Ioan.

dores? quid? coram ipsius immensa coruscatione, ignominiosa crucis mors, quantumuis plena opprobriis, instar tamen tenuis vmbræ statim radiis iustitia solis euanescet. Quos voluit Pharao ex malitia interficere, & quem in flumen præcipitare, diuino consilio, & illos crescere fecit, & hunc apud se liberaliter (præter intentionem) educari, vti optimè ostendit Lipomanus [voluit, inquit, Dominus, Hebræos multiplicari: Pharao autem voluit Hebræos deleri. *Exod.* 1. Vter ergo inter nos præualuit? certè Domini voluntas ita promouit, vt Pharao longè aliud agens, adiuuerit potius voluntatem Dei tyrannide sua, quam impedierit] & de Moyse sic idem subdit: [tantum abfuit, vt Moyses perire potuerit per regis crudelitatem, vt ipsum quoque intra regiam aulam suam educari oportuerit. Sic parabatur à Rege contra regem, volente Deo.] Vbi vides (inquit noster Mendoza) Pharaonem Moysis nutritorem factum esse, cum se Moysis præstare voluit occisorem: & cum regni sui oppugnatores opprimere voluit aluisse euersores. Non potuere fratres, inuidia incitati fratris sui Ioseph gloriam obscurare, & poteritis vos inuidi prædones caliginem offundere æterni patris filij maiestati? [Quando struis (ait Chrysostomus) alicui insidias, tibi ipsi contexis retia.] æquum enim est, vt quem quis dolum molitur, ipse patiatur: imò prius sibi, quam alteri noceat. Quam rem pulchra similitudine declarat Augustinus: [sic esse, ait, putate malitiam quomodo ignem. Incendere vis aliquid aliud: illud quod admoues, prius ardet: nisi ardeat, non incendit. Malitia procedit ex te: & quem prius vastat nisi

te? quo profundit ramum, lædit: vbi radicem habet, non lædit?] quasi dicat, minimè, [malitia enim tua, vt alteri non noceat, fieri potest. vt autem tibi non noceat, fieri non potest.] vos existimatis Christo nocere crucem excitando in monte Caluariæ loco mortuorum ossibus infamissimo, sed collocatis cælestis victimæ aram in sublimi montis vertice, vt toti terrarum orbi puritatem & peccatorum remissionem afferat; vobis vero perpetuam ignominiam, & à patria sede expulsionem. Et vbi vos, opprobrij causa, in monte Caluariæ ipsam constituistis crucem, vt omnibus esset conspicabilis, & latronem esse in ea suspensum omnes iudicarent, præter vestram intentionem, summi Imperatoris vexillum extuliſtis, sub quo imbelles modo milites, Apostoli nimirum aliquando gratia instructi, tartareas superaturi acies, humanúmque genus à graui dæmonis tyrannide vendicaturi. Crux enim filij Dei nobis totius causa beatitudinis est (inquit Augustinus.) Hæc omnes à cæcitate liberabit erroris: hæc à tenebris reddet luci: hæc debellatos reddet quieti: hæc alienos Deo coniunget: hæc peregrinantes ciues ostendet: hæc discordiæ amputatio erit: hæc pacis firmamentum: hæc donorum omnium abunda largitio.] quare non immerito exclamat magnus Leo: [O admirabilis potentia crucis! ô ineffabilis gloria passionis! in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & pōtestas est crucifixi.] huius virtute diaboli fraudes dissipantur, & suis ipse capitur dolis. hinc Basilius: [diabolus, ait, laqueo, quem Domino struxit, ipse captus est: & in eo crucifixus est, quem se crucifixurum, & mortuus in eo

Aug. ser. in Parasce.

Leo serm. 8. de pass.

Basil. ho. 22. de humil.

quem morte ſe extincturum ſperauerat. Si verò princeps iſte mundi primus, maximus, & inuiſibilis mundanæ ſapientiæ Sophiſta, ſuis ipſius commentis capitur, & in extremam reuoluitur inſipientiam : multo magis illius diſcipuli & æmulatores, Iudæi, etiamſi innumera commententur, vbi ſe ſapientes eſſe dicant, ſtulti facti ſunt, & conuerſi ſunt in arcum prauum, qui dum ſagittas (vt ait Hieronymus) putatur iacere, ſauciat tenentem,] ſic diabolus, eiúſque adminiſtri Chriſtum infamare, & vulnerare deſiderantes ille ſuum amiſit in homines imperium, & hi grauiter vulnerati perierunt. *Pſal. 77.*

In cruce iam erecta Chriſtus pendet vulneribus innitens.

CAPVT LXIV.

1. ECce iam crux erecta eſt ! ecce Chriſtus è ſolis pendet vulneribus, è ſublimi crucis arbore, ſuæ gratiæ radiis fideles in terra diſperſos colluſtrans! [Intuere igitur, ô homo, (exclamat Bernardinus) in ſpeculum exemplorum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in cruce pendentem : & conſidera hæc tria, quæ lapides, nedum corda hominum mouere atque confringere debent; affectũ cordis, verbum oris, & actum operis. O inæſtimabilis dignatio Redemptoris! ô incomprehenſibilis latitudo ſui amoris! ô inquam inæſtimabilis dulcedo ſui cordis, & oris!] eleuatus eſt enim ſol Chriſto in crucem eleuato, *Chriſtus in cruce pendet.* *Bernard.*

amoris & benignitatis pleno, qui adeo cælitibus, & electis in hoc crucis throno collocatus pendet, ídque clara die, vt non iam lucernas, vt anteà Ioannem Baptistam, omnésque, qui illum præcesserunt, Prophetas, sed solem ipsum in meridie eximiis obscuret splendoribus. [Exaltato igitur (inquit Leo) dilectissimi per crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moysen dictum est: & erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die, ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifixo Domino, præter facinus suum, cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera iustificatur, sed quo cõscientia iniqua torquetur. Noster verò intellectus, quem spiritus veritatis illuminat, gloriam crucis cælo terráque radiantem, puro ac libero corde suscipiat, & interiore acie videat, quale sit, quod Dominus cum de passionis suæ loqueretur instantia dixit: venit hora vt clarificetur filius hominis.] Clarificatur verò hodie suspensus in cruce, cuius claritudine omnes electi illustrabuntur. Hinc materialis sol, vt tenebris sese absoluat, præsente iustitiæ sole, parat, qui sicuti iam olim ad vocem iusti Iosue, quasi fixus in firmamento contra Gabaonitas stetit. Sic iste ad patris æterni vocem in crucis firmamento stabit, neque loco mouebitur, donec sede suis vendicet hostibus, neque ad instantiam illorum per ludibrium ingeminantium: [Si Filius Dei es, descende de cruce, & credemus tibi,] quousque omnia consummauerit aëreasque vicerit potestates.

Leo serm. 8. de pass.

Deuter. 28.

2. Imo quemadmodum stante sole in firma-

mento, tempore prælij à Ioſue commiſſi, quinque Reges capti ſunt & ſuſpenſi, quorum adhuc viuentium colla principes exercitus, Ioſue imperante, pedibus calcarunt: ſic Chriſto in crucis firmamento velut lucidiſſimo ſole fixo, hoc atrocis prælij tempore de quinque mundi regibus diabolo, peccato, morte, Synagoga, & gentilitate reportata eſt victoria, cæperuntque principes Dei exercitus, illuſtriſſimi nimirum quique ſancti, ac maximè Apoſtoli, reſumptis, per Chriſti gratiam, vitibus, omnium illorum regum colla, & virtutem calcare, prius crucis potentia adeo debilitatorum, vt contra Dei electos præualere non poſſent [exaltatus enim (vt ait Leo) Ieſus in ligno retorſit mortem in mortis auctorẽ, & omnes principatus aduerſaſque poteſtates, per obiectionem paſſibilis carnis eliſit, admittẽs in ſe antiqui hoſtis audaciam, qui in obnoxiam ſibi ſæuiendo naturam, etiam ibi exactor auſus eſt eſſe debiti, vbi inuenire potuit veſtigium peccati] Cuius rationem ſubdit dicens: [euacuatum eſt igitur illud generale venditionis noſtræ, & lethale chirographum, & pactum captiuitatis in ius tranſijt redemptoris. claui illi qui manus Domini pedeſque transfoderant, perpetuis diabolum fixêre vulneribus, & ſanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio poteſtatum: ſic ſuam Chriſto conſummante victoriam, vt in ipſo, & cum ipſo omnes qui in eum crederent triumpharent.] verum magno hoc Saluatori noſtro ſtetit pretio, qui in cruce tanquam in tortura & noſtra ſoluit debita, & hoſtium vires ſingulari certamine perfregit, vt quem vincere, per crucem, &

Ioſue.10.

Leo.ſerm.

ſumma afficere ignominia putauerint, ab eo victi, ac proſtrati abirent. Hinc tantæ victoriæ pæana Auguſtinus merito canit: [hodie, inquiẽs, crux fixa eſt, & ſeculum ſanctificatum eſt! hodie crux fixa eſt, & dæmones diſperſi ſunt! hodie crux fixa eſt, & mors ſubuerſa eſt! hodie crux vicit, & mors victa eſt! hodie diabolus vinctus eſt, homo ſolutus eſt, & Deus glorificatus eſt!]

Aug. ſer. in Paraſce.

Quatuor ſanguinis flumina è Chriſti corpore ſanctas irrigant animas.

3. Stabilita vero cruce, ſacri corporis diductæ ſunt plagæ, cœperuntque illa quatuor flumina è quatuor manuum ac pedum vulneribus in terram largiter ſanguinolenta defluere. Hæc ſunt illa quatuor paradiſi flumina, quæ ex horto deliciarum egreſſa, è Chriſti nimirum cæleſti corpore, vniuerſas irrigant Sanctorum animas, quo auctiorem inde ſalutem hauriant. Nam vt ait Ambroſius [non tabes mortis de vulnere eius, ſed fons vitæ ſcaturiuit, vt ſcriptura nos edocet: & ſalijt aqua cum delectatione de fontibus ſaluatoris. Exiliuit enim de vulnere aqua, vt nos biberemus ſalutem.] inſultant interim filio Dei perfidi latrones conuitia in eum blaſphemo ore exonerantes: alij impotentiam illi exprobrant: alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Non veſtræ (exclamat Leo) cæcitatis arbitrio ſtulti ſcribæ, & impij ſacerdotes oſtendenda erat potentia Saluatoris, nec ſecundum preces blaſphemantium linguarum humani generis redemptio debebat omitti: cum ſi deitatem filij voluiſſetis agnoſcere, innumera opera eius videretis, quæ vos ad eam, quam fallaciter promittitis fidem confirmare debuerint. Si autem, vt ipſi profitemini, verum eſt, quod alios ſaluos fecit: cur illa tot & tanta miracula, quæ ſub publi-

Amboſ. in Pſal. 37.

Leo. ſer. 17. de paſſ.

co facta ſunt conſpectu, in nullo cordis veſtri duritiam mollierunt: niſi quia ita ſemper ſancto Spiritui reſtitiſtis, vt omnia vobis beneficia Dei in perniciem verteretis? nam etiamſi deſcenderet Chriſtus de cruce, vos tamen hæreretis in crimine.] alij [vah qui deſtruis templum Dei, & poſt triduum reædificas illud, ſalua te modo, ſi filius Dei es, & deſcende de cruce.] O inſani prædones, vultis hominem hunc, ſi filius Dei eſt, de cruce deſcendere; quis igitur humanum genus ſua morte ſaluabit, cum ſolus Dei filius id ſua morte præſtare poſſit? O inſenſata diaboli mancipia! [ſi filius Dei eſt, acclamatis, deſcendat de cruce: imo quia filius Dei eſt, inquit Bernardus, ſolium gloriæ ſuæ non dimittet.] Neſcitis, ô impij, actum de nobis omnibus, ſi hoc inſanum ex liuore ac inuidia conſilium profectum ſecutus de cruce deſcendat] ſpreta ſunt ergo vanæ inſultationis opprobria, & miſericordiam Domini perdita & collapſa, inquit Leo, reparantem, nullæ contumeliæ, nulla conuitia à ſui via propoſiti remouebunt] perſeuerabit ergo, electorum gratia, in duro crucis lecto, donec ſalutis noſtræ lytrum patri ſoluat: ſic enim ab æterno decretum eſt, viſo Adami peccato.

Bern. ſer. 7. de ſig.

Leo ibid.

4. Quoniam certa fide nobis conſtat nos per Chriſti paſſionem, & mortem ſaluandos, rogemus, non vt de cruce deſcendat, ſed cruci nos ſecum figat, vt in illa affectu ſaltem cum illo moriamur: [neminem audiamus fratres (ait Bernardus) non carnem, & ſanguinem, non ſpiritum quemlibet deſcenſum à cruce perſuadentem: perſiſtamus in cruce, moriamur in cruce. perſeuerantia enim (vt idem ait) ſola meretur

Bern. ſer. 1. de Paſch.

Bern. epiſt. 126.

Digitized by Google

viris gloriam, coronam virtutibus,] neque solum cum ipso in cruce figamur: sed ictus malleorum, quibus claui pedibus & manibus infixi sunt, cor nostrum sentiat. Quare vt hunc affectum semper retineamus, mentis oculos in crucis arborem perpetuo defixos habeamus, & Saluatorem nostrum in editiore loco eleuatum, ad summam illi conflandam ignominiam, intueamur, & semper mente teneamus. hæc ad maiorem contumeliam facta Hierosolymis totius Iudææ metropoli, tempore celeberrimo, in solemnitate scilicet paschatis, magno hominum concursu, ex diuersis orbis locis, idque in meridie, vt ab omnibus videretur, & infamis haberetur. Hinc ad maiorem contumeliam [ipsum medium latronum crucifixêre (inquit Chrysostomus,) vt illorum videlicet prauæ existimationi famæque communicaret] Intueamur, obsecro, hoc singulare patientiæ exemplum [ad hunc enim (vt ait Bernardus) attentius intuere, quã grandi admiratione, & tenerrima compassione dignus apparet. Vide nudum, & verberibus laceratum, in medio latronum cruci ignominiosæ ferreis clauis affixum, aceto potatum,] variis illusum scommatibus, hominum opprobrium, & plebis abiectionem effectum, scopum, in quem omnes dolorum aculei sese colliment. Si enim aspicere velimus eius caput, non habet vbi se reclinet: si sacra eius brachia, cruci affixa cernemus, si diuinam eius faciem sputis deturpatam, sanguine contaminatam, sordibus oppletam videbimus: si pectus, præ dolore simul, ac nostri amore palpitans, si pedes, ac manus clauis traiectas, si denique totum corpus, pro nostris peccatis lacera-

Ber. Epist. 126.

Ber. ser. de pass.

tum contemplabimur: ſi aures velimus arrigere, inſulſos prædonum clamores, irriſionesque in Chriſtum è cruce pendentem iactatas audiemus. Audiemus etiam vlulatus, fletus, & clamores dolore plenos, quos filiæ Hieruſalem edunt lacrymabili ſpectaculo aſtantes.

5. O quos tunc cruciatus Chriſti aures ſentiunt, tam ex hoſtium exultantium clamore, quam ex amicorum ſuſpiriis, gemitibus, ſingultibus! ſi enim amici Iob oculis in illum ſublatis, in ſterquilinio iacentem, & vlceribus plenum agnoſcentes exclamauerint, ſciſſiſque veſtibus ſparſerint puluerem ſuper caput ſuum, & ſederint cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus taciti, videntes dolorem eius vehementem; quid feciſſe amicos Chriſti putatis, cum ſublatis in crucem oculis, Saluatorem ſuum in hiſpido crucis lecto cernerent, vulneribus à planta pedis, vſque ad verticem capitis plenum multo acrioribus Iobi vlceribus, & atrociores illi dolores inferentibus. Quid, inquam, eos feciſſe putatis? haud dubiè in cælum clamores eleuantes amaro doloris veluti gladio, corda ſua quodammodo ſciderunt, ſéque puluere, & ſqualore, præ pudore ſimul nuditatis ſuæ, & Chriſti extremæ confuſionis operuerunt, & attonitis ſimiles videntes dolorem eius vehementem obmutuerunt. Hic vulneratus (inquit Bernardus) propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, & factus in holocauſtum ſuauiſſimi odoris in conſpectu tuo pater æternæ gloriæ, vt auerteres indignationem tuam à nobis, vt conſidere nos ſibi faceret in cæleſtibus.] Quid ergo par nos facere cum amici illius eſſe dica-

Iob. 1.

Ber. ſer. de paſ.

mur? nonne deflendi etiam nobis Saluatoris noſtri vehementiſſimi dolores, quandoquidem videamus ob peccata noſtra Chriſtum in huiuſmodi coniectum anguſtias? Ad patrem itaque cum Bernardo clamemus: [Vtinam Domine appendas in ſtatera peccata quibus iram meruimus, & calamitatem quam pro nobis paſſus eſt innocens filius tuus: certè grauior apparebit, & magis digna, vt propter ipſam effundas ſuper nos miſericordiam tuam, quam fuit illa, vt pro peccatis noſtris contineas in ira miſericordias tuas. Gratias tibi pater referat omnis lingua, pro ſuperabundantia bonitatis tuæ, qui vnico filio cordis tui non pepercisti, ſed pro nobis omnibus illum tradidiſti in mortem, vt eum tanquam fidelem aduocatum haberemus coram te in cælis.] Huius ergo in cruce afflictiones vehementiſſimoſque dolores, contumelias meditemur taciti, & capita noſtra pœnitentiæ ac contritionis ſqualore, & puluere operiamus, non modo per ſeptem dies cum amicis Iobi, ſed toto vitæ decurſu ad crucis pedem commorantes, defleamuſque omnes eius cruciatus, illóſque in animæ noſtræ viſceribus tenaciter imprimentes magno animi affectu dicamus: O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor eius.

Bern. ibid.

6. Et tu Beatiſſima Chriſti mater, quid tibi fuit animi cum vidiſſes vteri tui amãtiſſimum filium inſtar Tyranni illius Damaſte ob crudeliſſimas multorum neces à Theſeo diſtractis membris extenſi, vt lecto longiori torturæ inſtrumento omnium membrorum conuulſione applicatus, ruptis totius corporis venis in ſuo ſanguine mo-

Plutar. in Theſeo.

reretur? hunc-ne pro tuo filio ſic inſtar Tyranni male tractatum agnouiſti, ingenti membrorum conuulſione diſtractum, & duriſſimo crucis lecto crudelis torturæ inſtrumento applicatum, & in ſuo ſanguine venis totius corporis opertis, morientem, hiccine quem illibato vteri tui cubili incluſum nouem menſibus geſtaſti! agnoſciſnè tuum eſſe filium, qui veluti malefactorum Anteſignanus inter duos latrones ſuſpenſus è patibulo manibus ac pedibus crucifixus, ſeſe mouere ſine incredibili dolore nequit! Agnoſciſne illius vultum cruore ac alaparum liuore deturpatum? Illenè eſt vultus, de quo Regius vates olim vaticinatus: [ſpecioſus forma præ filiis hominum?] iam verò contaminatus forma, præ filiis hominum, ſic hunc eſſe agnoſcis: dic mihi, obſecro, ſimilenè vnquam vidiſti ſpectaculum? tantámne vnquam metamorphoſin factam eſſe audiuiſti? Si hunc dixeris filium Dei, & tuum eſſe, quis credet tibi? quis credet cæli, Terræque creatorem, qui in cælis tonat, & in terram fulgura, & fulmina, & tonitrua emittit, manibus & pedibus cruci affixis, inſtar latronis nudatum, inſtar prædonis flagellatum, inſtar malefactoris crudelium feritati expoſitum? quis credet inſtar Agni, inter tot tormenta, opprobria, & ignominias penitus obmutuiſſe? Hinc, vt video, ô Virgo tacita, præ ſtupore, lacrymas, ſuſpiria, ſingultus, ad ſingula filij tui tormenta, mallei ictus, membrorum conuulſiones emittis: [mente mater erat (ait Bernardus) percuſſa cuſpide teli, quo membra Chriſti ſerui foderunt iniqui. Ipſa enim erat, quam dolor tenebat, in mente eius creuerant immenſi dolores, nec poterant

Quomodo Beatiſſimæ Virginis dolor exaggeratur.

Bern. de lament. Virg. Ibid.

extra retundi. Intus atrocius sæuientes dolores nati matris animam gladiabant.] omnia igitur filij tormenta in tuo ipsius corde, ô Maria, ad viuum sentis, tantúmque aspectu infinitam penè animi angustiam & incredibilem tristitiam
Ibid. ostendis, [stabat enim (inquit Bernardus) iuxta crucem Maria, intuens vultu benigno Christum pendentem in patibulo, pedúmque summitatibus annitens manus leuabat in altum, amplectens rubricatam crucem, ac in oscula eius ruens ea parte qua vnda pretiosissimi sanguinis defluebat. Sursum manus nisu quo poterat extendebat, vnicum suum amplecti desiderans, nec valebat. Volebat amplecti Christum in alto pendentem, sed manus frustra protensæ, in se complosæ, complexæ redibant. Leuabatur à terra sursum, vt dilectum suum contingeret, ipsúmque tangere nequiens, durissimè recollidebatur ad terram, ibi doloris immensitate oppressa, prostrata iacebat;] adeò, vt dicere posset cum filio: [O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Sed maxima, ait Bernardus, vis amoris, quia incensa mens eius ardebat, eam erigere compellebat, & amoris impetu surgens, reextensis manibus suum attrectare filium affectabat: & rursum magno cruciata dolore terram repetere cogebatur.] O quanta huius certaminis afflictio! amor illam animabat, sed dolor debilitabat; amor illam assurgere, vt filium suum oscularetur, cogebat; sed dolor deorsum trahebat: sic inter amorem, & dolorem pia mater afflictabatur.

Digitized by Google

Figuræ, quibus hæc Chriſti ſuſpenſio demonſtratur.

CAPVT LXV.

Chriſtus ſactus nobis racemus.

1. VT ſingulari modo hanc Chriſti torturam deflere poſſimus, ſurſum oculos, ſi præ dolore valemus, attollamus; & in primis in racemum illum terræ promiſſæ ſuper perticam ſuſpenſum intueamur: & vnuſquiſque cum ſponſa intimo animi affectu dicat: [Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi,] idque ob dulcedinem, & gloriam Dominicæ breui reſurrectionis, quam in hoc racemo deguſtare mihi videor, qui adhuc è crucis vecte pendet, natus in terra promiſſa, in virgineo, inquam, beatiſſimæ Virginis vtero. quam rem olim nobis promiſit Iſaias: [ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel; [magnum pietatis Sacramentum (inquit Apoſtolus,) quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.] cuius gloriæ & dulcedinis participes nos eſſe deſiderat [mel (inquit Richardus Victorinus) de cælo venit mediante rore, butyrum de carne mediante lacte. Quid eſt enim butyrum, niſi quædam pinguedo lactis? & quid eſt mel niſi quædam dulciflua craſſitudo roris? in lacte intelligitur cordis dulcedo, in butyro cordis exultatio; butyrum de lacte colligitur, & vera

Cant. 1.

Iſai. 7.

1. Tim. 3.

Richar. par. 1. l. 2. de Emmanu. c. 21.

cordis exultatio, de vera cordis dulcedine generatur. Iuxta abundantiam benignitatis, erit & abundantia iucunditatis. Si cor Christi attendimus, nihil illo dulcius, nihil illo benignius, nullum cor corde illo vberius exultauit:] & maximè in crucis pertica. hinc puer butyrum & mel comedit, vt instar butyri vitalem gratiæ pinguedinem gratis nobis oblatam sumeremus, donec à passione melleam omnis consolationis & gloriæ dulcedinem ex illo racemo emanantem prægustemus. Huius vero racemi duo sunt baiuli, vetus & nouum testamẽtum: præeunt Iudæi, sequuntur Christiani (inquit Augustinus) Salutem hi ante conspectum suum gerunt, illi post dorsum: hi obsequium præferunt; illi contemptum. Laboremus ergo ne à ceruicibus nostris tam sanctam sarcinam deponamus] Contemplemur hanc præ oculis in crucis pertica racemum, & consideremus quomodo pretiosus ille liquor, quo Sanctæ animæ inebriantur, ex illo toties presso in crucis torcular in terram diffluat: ingeminemus [sponsus sanguinum tu es mihi,] ô Christe, ex quadrifida crucis arbore dependens sanguinolentus, tùm quia tuo sanguine animas nostras tibi in cruce coëmis, & desponsas; tùm quia à nobis viciſſim, vt sponsæ simus te dignæ, exigis, vt tui etiam gratia, sanguinem nostrum, imo & vitam profundamus [Sanguini enim nostro (vt ait Cyprianus) patet cælum: ingreditur miles vulneribus suis gaudens.]

Aug. ſe. 100. de Temp.

Exod. 4.

Cyp. de laud. hab. mart.

Serpens æneus.

2. Oculos præterea conijciamus in serpentem illum æneum à Moyse in deserto, eam ob causam erectum, vt omnes qui in illum viua intuerentur fide, à tartareis serpentum morsibus sanarentur.

natentur. Quid enim aliud ſerpens ille in ligno erectus ſignificauit, quam Chriſtum in cruce ſuſpenſum, veluti aliquem noxium, cum tamen mundi Saluator eſſet, cuius intuitu, per fidem & contritionem, ab omnibus lethalium culparum morſibus vendicamur? nam ſicut ſerpens ille, per Moyſen, in deſerto erectus, ſerpentis formam gerebat, venenum minimè; ſic Chriſtus peccatoris formam aſſumpſit, ſed peccatum minimè. [Effigies (inquit Tertullianus) ænei ſerpentis ſuſpenſi, figuram deſignauit dominicæ crucis, quæ à ſerpentibus, id eſt, ab Angelis diaboli nos erat liberatura, dum per ſemetipſam diabolum, id eſt, ſerpentem interfectum ſuſpendit.] Hinc veteres Hebræi morſus per ſerpentem antiquum Adæ nobiſque illatos fore ſanandos in diebus Meſſiæ docuerunt. Non pigeat igitur nos mentis oculos in ſerpentem hunc ſalutarem, è patibulo pendentem, ſæpius conijcere, ſi à ſerpentinis diaboli morſibus velimus liberari, & poſteà videre Regem gloriæ in ſolio maieſtatis ſuæ reſidentem. [Bonus ſerpens (inquit Ambroſius) qui de ore ſuo remedia, non venena fundebat.]

Tertul. l. de Idolo, c. 5.

Amb. ſer. 6. in Pſal 118.

3. Iuſtus Lipſius memoriæ prodidit in Affrica moris fuiſſe, cum infeſtiſſimi Leones, immanéſque Tigres iter agentibus obuiam frequenter venirent, & ab ijs ſæpè diſcerperentur, hac ſingulari induſtria vti, vt tanto malo occurreretur: plura ſcilicet ligna per vias exaltare, & ab iis totidem Leones ſuſpendere, quorum aſpectu Leones & Tygres ita peterriti fugiebant, vt illac in poſterum pertranſire omnino expaueſcerent. Non diſſimili artificio vſus eſt Leo de Tribu Iu-

Lipſius de cruce, Modus fugandi Leones & Tygres hominibus infeſtos.

da, vt infestissimos hominum saluti Leones abigeret. Voluit enim se in excelso crucis ligno in Caluariæ montis vertice exaltari, vt suo conspectu Tartareos Leones, dæmones nimirum, qui tanquam Leones rugientes circumeunt, & quærunt, quos deuorent, à nobis abigeret, & profligaret. Quare nihil præsentius contra eius machinamenta crucis signo, cuius vel solo aspectu ita concutitur, vt etiam infideles ipsos cruce consignatos, tanquam hostes suos fugiat, vti apparet in illo infideli, quem attingere, ob crucis signum, quo sese muniebat, minimè dæmon ausus, sed veluti digito illum cæteris dæmonibus designans, vas, inquit, vacuum, sed signatum. Hinc Antonius magnus contra dæmonum insultus pugil, rogatus à discipulis, quibus armis facilè diabolum repelleret? respondit: signum crucis, vt ardens in Christum fides inexpugnabiles sunt viris Deo dicatis armaturæ, & aheneus murus aduersus dæmonum machinationes.] Quamobrem Magdalenæ in suo antro pœnitenti, & grauiter à dæmonum spectris agitatæ Iesum inuocanti statim affuit S. Michaël Archangelus, qui eos fugauit, & crucem in ore antri erexit, dicens: [Ne extimescas custos tui est Altissimus.] Crucem ergo complexa, & iuxta illam perpetuò orans, & in ea Christum Saluatorem suum iugi commentatione contemplans, ibidem triginta annorum spacio, lætè, & piè, pœnitentiam egit. Quid igitur, pigebítne nos serpentem hunc salutarem in pertica suspensum intueri, ex quo salus nobis, & gloria, obuentura?

Crux diabolum fugat.

Athan. in eius vita.

2. *Reg.* 21.

Figura crucifixionis.

4. Porrò singulari mentis affectu intueamur non filios Respha Saülis concubinæ per Gabao-

nitas crucifixos, ſed æterni patris, ſponſæque eius Mariæ filium à perfidis Iudæis in monte Caluariæ cruci confixum. Contemplemur etiam in hoc montis vertice Ieſum miſerrimi Abſalonis inſtar, quaſi qui diuinæ iuſtitiæ, & patri æterno bellum intuliſſet, crucis arbori humanitatis ſuæ, quaſi crinibus adhæreſcentem, & tribus atrocibus obtuſa cuſpide clauis veluti tribus lancearum ictibus confixum! conſideremus inſuper Chriſtum Dei filium, quaſi paſſerem noſtri gratia, in crucis ara immolandum, cuius ſanguine aſperſi à peccati lepra mundabimur: [alium autem paſſerem viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum, qui mundatus eſt ſepties.] *Leuit. 14.* Quem locum noſter Cornelius ex Iſychio Rodolpho, & aliis ſic Allegoricè exponit. [Lepra eſt peccatum: hæc expiatur primo per lignum cedrinum, quod eſt fortiſſimum, & imputribile, id eſt per crucem Chriſti, quæ omnia vicit, & ſuperauit: ſecundò per coccineum, id eſt, per ſanguinem paſſionis Chriſti: tertiò per hyſſopum, quæ boni odoris eſt, id eſt per gratiam Spiritus ſancti, quæ cooperatrix eſt emundationis noſtræ: quartò, per paſſerem viuum, id eſt, per diuinitatem Chriſti: quintò, per paſſerem morientem, id eſt, per humanitatem Chriſti immolatam: huius enim morte viuificatur peccator: ſexto per aquas viuas baptiſmi.] & Ianſenius hæc omnia complectens Chriſtoque crucifixo adaptans: [Chriſtus, inquit, in ligno crucis charitatis vinculo ligatus, verè eſt hyſſopus, ligno cedrino per filum coccineum colligata. Chriſtus enim ſua humilitate inflationem cordis noſtri

ſanat, ſicut hyſſopus herba humilis prodeſt purgandis, & ſanandis præcordiis: hæc hyſſopus tincta in cruce proprio ſanguine aſpergit, per fidem credentes in ipſum: iuxta illud Iſaiæ; [iſte aſperget gentes multas:] hinc & Regius Propheta orat: [Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor,] cupiens ſcilicet perfectè mundari. In veteri enim lege purificabantur immundi, vel aſperſione, vel ablutione. Hunc ergo paſſerem pio animi affectu intueri nos oportet, vt ſpiritali ſanguinis eius aſperſione à peccati lepra abluamur.

Iſa. 52.

Leuit. 16. Chriſtus hircus emiſſarius.

5. Conijciamus quoque animi oculos in hircum illum emiſſarium, qui in montis Caluariæ verticem noſtris onuſtus iniquitatibus, & in crucis arborem conſcendit, agni natura velut exuta, hirci indutus contemnitur. Immolabant filij Iſraël ex legis præſcripto rufam vitulam extra caſtra, cuius cineribus omnes conſperſi ſanctificabantur. Quod myſterium hodie cernimus completum. Nam humanitatis vitula charitate ſimul & ſanguine veluti rufa extra muros Hieroſolymitanos in conſpectu omnium in crucis altari immolatur, cuius ſacrificij cineres, Chriſti nimirum mortis ac paſſionis memoria, illiúſque fructus totius humani generis peccata expiant, & delent. Ecce Rex Hai in patibulo ſuſpenſus, ſiue vt vertunt Septuaginta, [in ligno gemino.] Quid mihi, inquit Origenes, prodeſt ſi ſciam quod in gemino ligno Rex Hai ſuſpenſus eſt: ſi autem ſciam duplicem eſſe virtutem crucis, in qua & Chriſtus in carne ſuſpenditur, & diabolus cum ſuo exercitu triumphatur, ex intelligentia Sacramenti anima mea ædificabitur. Videte

Ioſue 8. Greg. ho. 8. in Ioſue.

Digitized by Google

etiam virgam illam Moſaicam per ſummum contemptum, in cacumine montis ſublimius collocatam, quam verus mundi Redemptor manu ſua tenet, qua Amalechitis inferni incolis ſuperatis, breui triumphum aget, & regale illud crucis vexillum ſuſpicite, ſub quo omnes militamus, in monte Caluariæ erectum, penitus contemptum conſiderate, quod breui tanquam triumphale ſignum in nationibus excitatum omnes palam conſpicient: de quo Iſaias: [Leuauit ſignum in nationibus.] Verè Chriſtus hoc ſignũ in montem Caluariæ leuauit, in quo ipſum etiam eleuatum cernimus, ſignum quidem infinitis penè cruciatibus, & ignominiis Chriſtum afficiens, cuius gratia ſanguineis etiam lacrymis nobis deplorandum eſſet, quamuis nobis ſignum ſit gratiæ & remiſſionis.

Exod. 17.

Virga Moyſis.

Iſai. 11.

6. Suſpenderunt, inquit Lactantius, eum inter duos noxios medium, qui ob latrocinia damnati erant, crucíque ignominiosè affixerunt, prius conſputum, verberatum, & corona ex ſpinis redimitum. Quid ergo hic in tanto facinore dolorem, aut quibus verbis tantum nefas conquirat? Non enim Gauianam crucem deſcribimus, quam M. Tullius vniuerſæ eloquentiæ neruis, ac viribus velut effuſis totius ingenij fontibus proſecutus eſt, facinus indignum eſſe proclamans ciuem Romanam vinciri, verberari, necari, in crucem tolli, contra leges: [Facinus, inquit, vincire ciuem Romanum, ſcelus verberare, propè parricidium necare; quid dicam in crucem tollerẽ? tetterrimum crudeliſſimúmq; ſupplicium.] Non, inquam de Gauiana cruce, ſed de cruce filij Dei agimus, non de aliquo ciue

Quantum ſcelus Chriſtum ſuſpendere.

Romano, ſed de vnigenito Patris æterni filio contra omnes tam humanas, quam diuinas leges vincto, verberato, in crucem ſublato. Quid igitur de tanto facinore? quid de huius indignitate dicemus, in qua Deus à cultoribus Dei ſuſpenſus eſt? Quis tam facundus, & tanta rerum verborúmque copia inſtructus accedet? quæ oratio tantæ affluentiæ vbertate decurrens, tanta compoſitus efficacitate, vt illam crucem meritò ſuis circunſtantiis depingat, eius ignominiam exprimat, cruciatus eius deploret, quam mundus ipſe, & tota mundi elementa luxerunt? verè facinus eſt vincere Deum, ſcelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? teterrimum crudeliſſimúmque ſupplicium, eóque tetrius, quod in medio latronum, execrandum hoc ſupplicij genus ſubeat, [& cum ſceleratis deputatus eſt.] Heu Domine qui medius inter Patrem & Spiritum ſanctum ſedes, in medio latronum, tanquam eorum Anteſignanus collocaris, & qui in medio doctorum cum omnium admiratione de magnis diſſerens rebus honorabaris, modo veluti latronum princeps in medio ſuſpenderis, & qui in monte Thabor, medius inter duos Prophetas, Moyſen, & Eliam, glorioſus & inſtar ſolis collucens apparuiſti, hodiè in montis Caluariæ vertice, in probroſa cruce inter duos latrones deformis, ſanguine cruentatus, & præ filijs hominum exinanitus oſtenderis, quem cæleſtis pater ad expianda hominum ſcelera in hoſtiam pacificam ſibi offerri voluit. Quare non mirum ſi præ admiratione ſimul, & congratulatione omnis humanæ ſapientiæ altitudo, manibus in cælum ſublatis in

Apoc. F.

hanc laudis vocem erumpat: [dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem,] dignus eſt inquam omni veneratione, amore, & compaſſione, qui ſeſe vltrò in crucis ara incredibili affectus dolore pro noſtris peccatis diuinæ iuſtitiæ in victimam offert.

Dies paſſionis Chriſto nobis læta.

7. O diem ergo tam nobili victima percelebrem! diem calamitatis Chriſto & triſtitiæ: diem ſalutis, & gaudij nobis: diem inquam non Protomartyris Stephani lapidibus obruti, martyrio ſacram, non toſti in craticula Laurentij, qui glorioſa martyrij laurea decoratus ſpiritum Deo reddidit: non horribili nece Bartholomæi, cui viuo cutis detracta eſt, non lugubri Apoſtolorum Petri, & Pauli morte, quorum alter cruce, alter gladio interemptus eſt, nobilitatam; ſed diem Saluatoris noſtri paſſione lugubrem, nulla obliuione abolendam, diem gemitibus, lamentis, ſuſpiriis, & lacrymis deuotam, diem omnium dierum triſtiſſimam, in qua diuinæ iuſtitiæ gladius omnium peccatorũ ſanguine ebrius in filium ſuum à cæleſti patre conuertitur: diem quæ vnigenitum Dei filium cruci affixum videre erubeſcet in tenebras verſa: diem in qua potius diuini verbi præcones ſilentium colant, meditationes inſtituant, lacrymas vbertim effundant, quam verbis exprimere, quæ Chriſtus hodie patitur, & præſertim cruci affixus, conentur. O diem toti vniuerſo hactenus inauditam, in qua Deus diſtractis membris atrociſſimè cruci affigitur! ô diem Domini magnum, cuius vox amara valde: hic enim tribulatur fortis. dies igitur iræ, dies tribu- *Sopho. 1.*

lationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris, quia exultant victores, ſuſpenſo Saluatore, & verſis in fugam Apoſtolis, quoniam inebriatus eſt in cælo gladius eius qui internecionem non peccatoribus, ſed Chriſto minatur: quoniam in hac tragica actione peccatorum omnium ſuſtinet perſonam. hinc ſanguinolentus diuinæ iuſtitiæ gladius in eum diſtringitur, vt ipſe pro nobis interfectus, hoſtia fiat, qua iuſtitiæ in nos rigor mitigetur.

Iſai. 34.

8. Verè tu es illud ſignum in ſublime eleuatum, cui contradicendum prædixit Simeon. Quis enim enarrare poteſt tam varias, tum ante incarnationem, tum poſt, contradictiones, quas ſuſtinuiſti? contradixit tibi in cælo Lucifer, præ inuidia, ſuumque exaltare ſolium, contra tuum decreuit, indignans, quod filius Dei, relicta Angelica natura, vili hominis naturæ ſeſe vniret? contradixit tibi etiam, cum in paradiſo Euam, & Adamum in peccatum pertraxit, vt hac ratione Dei filius, carnem ex peccatoribus propagatam ad ſuæ hypoſtaſis vnionem non aſſumeret, ignorans huius myſterij ineffabilem modum! contradixit tibi, cum omnes filios Iſraël per Pharaonem, è medio tollere conaretur, ne ex Abrahæ familia Meſſias naſcereris! contradixit tibi vix nato: nam ad mortem, per Herodem, te expetijt! contradixit tibi in deſerto, cum te ad duellum poſt longam inediam prouocaret! contradixit tibi ſæpius, per ſcribas, & Phariſæos, qui tibi generis ac naralium vilitatem obiecerunt. [Nonne hic eſt Fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria?] contradixit tibi, cum te velut in-

Iſai. 14.

Multæ à diabolo contradictiones Chriſtus ſuſtinuit.

Geneſ. 2.

Exod. 2.

Math. 2.

Math. 4.

Marc. 6.

Digitized by Google

ſanum eſſe eniteretur oſtendere, ac proinde ligandum perſuadere contenderet: [quia in furorem verſus eſt.] contradixit tibi, per pompam, & vanam gloriam, te ad ruinam fruſtra alliciens: [proijce te deorſum:] & alibi [tranſi hinc & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis!] contradixit tibi, per patriæ contemptum, licet id præter intentionem Nathanaelis acciderit dicentis: [A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?] contradixit tibi, prouinciæ in qua conceptus, & verſatus fueras, detrahendo: [ſcrutare ſcripturas] & vide, quia à Galilæa propheta non ſurgit! contradixit tibi, te Samaritanum, dæmonium habentem, potatorem vini, ſeductoremque appellando! contradixit tuæ doctrinæ: [vnde huic ſapientia hæc, & virtutes? dæmonium habet, inſanit; quid eum auditis?] contradixit tuæ vitæ perfectioni: [ſcimus quia hic homo peccator eſt: non eſt homo à Deo, qui ſabbarum non cuſtodit, homo verax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus!] contradixit tuæ poteſtati infinitæ & miſericordiæ: [Quis eſt hic qui peccata dimittit?] contradixit tibi, alios excitando, vt te blaſphemiæ arguerent: [de bono opere non lapidamus te; ſed de blaſphemia; & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum!] contradixit tibi tuam carpendo authoritatem: [In qua poteſtate hæc facis?] contradixit tibi tua miracula dæmonis opera aſſerendo patrata: [Hic non eijcit dæmonia niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.] contradixit tibi te infamiſſimo latroni Barabbæ poſtponendo: [Non hunc, ſed Barabbam.] contradixit tibi te flagellis cædendo, ſputis deturpando, ſpinis co-

Marc.3.
Ioan.7.
Ioan.1.
Ioan.7.
Ioan.8.
Math.13.
Math.11.
Luc.7.
Ioan.10.
Math.12.
Luc.23.

ronando, veſte alba irridendo, crucis baiulatione infamando, inter latrones ignominiosè ſuſpendendo. Verè igitur [poſitus es in ſignum cui contradiceretur] in ſignũ in quod omnes diaboli hominũ, & patris ſagittæ dirigerentur, in ſignum quod omnes ſuam experientur indignationẽ, in ſignum tamen veræ humilitatis, patientiæ, charitatis & amoris, in ſignum nobis propoſitum ad imitandum, in ſignum pacis ac concordiæ inter patrem & peccatores, in ſignum opprobrij, abiectionis, & infamiæ, quibus opprobrium nobis debitum, infamiam & abiectionem à nobis proſcripſit. Voluit enim per omnia corporis membra oſtendere quanta, noſtri cauſa, patitur, quo nos à peccati debito ſoluat, reſtituatque priſtinæ æterni patris amicitiæ.

9. Conijciamus obſecro oculos modo in Chriſtum è cruce ſuſpenſum, & è ſolis pendentem vulneribus, conſideremus pectoris eius anguſtias ſummoſque dolores, qui nihilominus extendit brachia, vt nos ſub vmbra alarum ſuarum ſuſcipiat, ne ab infernali miluo rapiamur, clamemus cum ꝓpheta: [Domine refugium factus es nobis] & ipſe ſcapulis ſuis obumbrabit nobis, & ſub pennis eius ſperabimus. Ante pectus ſuum (inquit Auguſtinus) te ponet, vt alis ſuis te protegat, ſi quaſi pullus infirmus fugias ſub alas matris, ne à miluo rapiaris. Contemplemur porrò pacis ſignum in aëra ſublatum, ſignum, inquam, cæleſtis arcus: [Ego ſtatuam (inquit pater æternus) pactum meum vobiſcum. Iris quidem temporaneum, vt ait Rupertus, ſignũ eſt, videlicet cum nubibus è ꝓſente mundi ſtatu tranſiturum. At ſpiritualis Iris, cuius illa

Pſalm. 89.
Pſalm. 90.
Aug. in illud Pſal. 90
Geneſ. 6.
Rupert. in illud Geneſ. 6.

corporalis vmbra eſt, æternum manebit ante conſpectum patris in carne filij eius, in cicatricibus vulnerum, pedum, manuum, & lateris eius. *Gen. 9.* [Cum obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubib⁹, & recordabor fœderis mei.] Ecce hodie obducitur, præ ſtupore, cælum nubibus, vt benedictus ille arcus in nubibus omnibus appareat, fœderis noſtri cum Deo teſſera, vt quoties cœlum nobis aliquid ſiniſtri minatur; in arcum fœderis mentis oculos intendamus, vt Deus, arcus ſui memor, ſuam leniat iram, ſeque ad miſericordiam componat. Hinc arcus noſter Chriſtus vulnerum ſtigmata, & veſtigia in cælo ſeruaturus eſt, quibus non aliter ſplendebit, & irradiabit, quam verſicolor Iris in nubibus, vt in promptu habeat, quo & iram in nos patris ſedet, & illi memoriam refricet antiqui fœderis, & obligatæ fidei. Hinc hodie arcus ille cæleſtis tanta vulnerum varietate diſtinctus, & ſanguine velut deturpatus, ita in patris oculis ſplendeſcit, vt fœderis ſui, eo viſo, recordetur, nec velit in poſterum diſſipare terram. Quoties ſiquidem patri naturam humanam cicatricibus ſignatam oſtendit, modo in cælis toties eius iram placat, ſicut hodie oſtenſis vulneribus, tanquam variis Iridis coloribus, patris furorem mitigat. Hinc, ô pec- *Bernard.* catór, ſecurum habes ad Deum acceſſum, ait Bernardus vbi ante patrem filium, ante filium habes matrem: mater oſtendit filio pectus & vbera; filius oſtendit patri latus & vulnera, nec vlla ibi poteſt eſſe repulſa, vbi occurrunt tot charitatis *Ber. ſer.* inſignia. Dicat igitur vnuſquiſque ex intimo *feria 4.* cordis affectu cum eodem ſanctiſſimo viro, *hebd. pæno.* [Proinde memor ero quamdiu fuero laborum

illorum, quos pertulit (Christus) in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum eius, conuiciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium, quæ per eum, & super eum abundantius transierunt. Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo: sed si accesserit etiam imitatio, vt sequar vestigia eius: alioquin etiam exquiretur à me sanguis iustus qui effusus est super terram.

Habac. 3. 10. Propheta Habacuc expensis mirabilibus tum conceptionis, tum natiuitatis mysteriis dixit: [consideraui Domine opera tua, & expaui.] Sed quid, ô Propheta, si coram cerneres Dei filium in medio duorum latronum ignominiosè suspensum, nonne multo profundius hanc eius demissionem, hominum causa, æquo animo latã, admirareris? vidit olim Moyses illum inter duo animalia, ac proinde præ animi stupore, ait [in medio duorum animalium cognosceris!] qui ab æterno media fuit in Trinitate persona. Quid Moyses si hodie medium inter duos latrones in cruce suspensum videres? nonne extra te positus tantæ humilitatis stupore attonitus elinguis maneres? si Regina Saba, visa Salomonis maiestate auditaque eius sapientia, ministrantiumque multitudine perpensa, eorumque ordine, decore, & ornatu, adeo attonita fuit, vt spiritus vltra in ea minimè remanserit: quo quæso stupore nos percelli oporteat, si nostri Salomonis maiestate contempta, ministrantium Angelorum absentia, decore, & ornatu penitus spoliati abiectio-

Regina Saba miratur Salomonis maiestatem.

nem, & vilipenſionem inter duos latrones patibulo affixi velimus contemplari? ſi eum vilibus inuolutum pannis in præſepi, in fæno iacentem, in duro reclinatum lecto admirati ſumus? quanto magis obſtupeſcere nos oporteat videntes illum inter duos latrones in patibulo omnibus expoſitum ludibriis? ſi filium Dei in vili ſtabulo vētis peruio, inter bouem, & aſinum vt calefieret collocatum obſtupuimus; certè mirum eſt, ſi in nobis vel minimus remaneat ſpiritus, conſpecto in cruce nudo, inter duos latrones patris vnigenito! Dicamus igitur cum Propheta,]conſideraui Domine opera tua, & expaui,] eóque potius, quod Chriſtus, licet nihil iam in cruce dicere videatur, in die tamen iudicij exprobraturus ſit peccatoribus ingratitudinem, quorum cauſa hæc omnia tolerat, [ego (dicet Chriſtus) te, ô homo, de limo, manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi ſpiritum; ego tibi meam imaginem conferre dignatus ſum: tu vitalia mandata contemnens deceptorem ſequi, quam Deum maluiſti. cum expulſus de paradiſo mortis vinculis, propter peccatum, tenereris, carnem aſſumpſi, in præſepio expoſitus, & pannis inuolutus iacui, infantiæ contumelias, humanóſque dolores pertuli, irridentium palmas, & ſputa ſuſcepi, flagellis cæſus, vepribus coronatus, cruci affixus expiraui. En clauorum veſtigia, quibus affixus pependi! En perfoſſum vulneribus latus! cur quod pro te pertuli, perdidiſti? cur ingrate redemptionis tuæ munera renuiſti? cur habitaculum quod mihi in te ſacraueram, luxuriæ ſordibus polluiſti? cur me grauiore criminum tuorū cruce, quam illa in qua quondam

Aug ſer. 67. de temp.

pependerã, affixisti? grauior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in quo inuitus pendeo, quam illa in quam tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Et quia post omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari; despexisti enim in iudice veniam.]

Dan.10. Daniel viso Angelo obstupuit.

11. Porro si Daniel Propheta viso Angeli splendore in tantum expauit, vt exanimis in terram corruerit: [Domine mi, inquiens, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil remansit in me virium, & quomodo poterit seruus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim remansit in me virium:] si inquam Daniel emarcuerit, & consternatus super faciem suam in terra hæsit: quid si hodie maiestatem illam Dei infinitam, potentiam illam immensam, & bonitatem contemni, paruiduci, & ludibrio haberi inter duos latrones in crucis patibulo omnium risui exponi cerneret, quid animi, quid virium haberet? imo dissolutis penitus renum compagibus, & viribus omnino deficientibus non exanimis, sed mortuus prorsus in terram consideret. Quis enim vnquam audiuit, aut cogitare potuit diuinam maiestatem posse ita contemni, vt latronibus etiam postponeretur? quis splendorem gloriæ, & figuram substantiæ paternæ adeo obscurari, vt forma illa præ filiis hominum speciosa, in patibulo sic contaminata appareat, vt ipsorum latronum obscuritati, Iudæorum opinione cedat. Hinc beatissima eius mater filij sui vultum ita obscurari videns, eúmque inter latrones cruci appensum, clarè ostendit quanti effecerit humani generis salutem, quæ licet cor-

de lancinaretur, tamen de effectu tantæ ignominiæ gaudebat, [Virgo, inquit Abulenſis, in tempore paſſionis ex charitate magna, qua eam repleuerat Spiritus ſanctus, ardenter diligebat ſalutem humani generis. Cùm ergo eum vidit patientem, admirabiliter conſolabatur: quia certiſſimè videbat redemptionem humani generis factam, dolebat tamen acerbè, quia videbat tenerrimũ illum iuuenem Chriſtum Ieſum, quem ipſa conceperat, ipſa lactauerat, quem magis diligebat, quam animam ſuam, ita vt pro eo mori elegiſſet, ſi licuiſſet. Erant ergo in ea ſimul dolor & gaudium, vtrumque magnum, ſed ſatis vnum alteri concordabat.] Ecce quomodo Mariæ voluntas cum diuina ſemper concors erat. Nam ſicut cæleſtis pater ita mundum dilexit, vt filium ſuum vnigenitum daret; ſic etiam Maria mundum dilexit, vt filium quoque ſuum vnigenitum daret. Hinc Gerſon [erige ait cordis aures ad voces ſpiritus ſui, dum proprium filium, dum dilectum oris ſui, viſcerum quoque ſuorum, & votorum conſenſit crucifigi pro redemptione noſtra, dans nobis illum vtique cum gaudio, & exultatione, quæ ſummam ſuperabat carnis anguſtiam (videns vteri ſui filium inter latrones ſuſpenſum) alioquin qualiter impleſſet, quod dicitur; hilarem datorem diligit Deus,] Maria ergo non modo mediatrix, reparatrix ſalutis noſtræ, ſed auctrix etiam ſub Chriſto appellari debet.

Abul. cap. 9. Deut. 9 4.

Ioan. 3.

Gerſ. tit. 2. de Cantic p. 3. Alpha.

12. O Gabriel, Dei Altiſſimi nuncie, qui vnigeniti patris, in me fœlicem annunciaſti deſcenſum, ſaltem tu celerem mihi modo ex parte exultanti ob hominum ſalutem, & ex parte nimis deſolatæ, ob tantam filij mei ignominiam inter

Gabriel ad conſolationem Mariæ inuitatur.

Digitized by Google

duos latrones pendentis opem adfer : adsis qui aliquando cor meum tam grato nuncio exhilarasti , adsis inquam , & meum cor medio finde, vt certè in eius medio , velut in Sepulchro filium meum è medio latronum penitus breui mortuum gremio exceptum recundam , vt cum latronibus suspensus , cum iisdem non sepeliatur, tunc enim humani generis salus perficietur: nollem enim ante dissentire æterni patris decreto,quo ordinauit vt filius eius , & meus pro salute hominum moreretur. O Mariæ immensum in nos amorem, quam verè dixerat de te Bonauentura [nulla postea creatura ita per amorem nostrum exardescet , quæ amantissimum filium suum , & vnicum,quem mulier plus se ipsa amauit nobis dedit & pro nobis obtulit.] Nam quáuis amor Deiparæ in filium esset immensus,nihil tamen vnquam excelsius aut Deo gratius exhibere potuit , quam filium , quem tantopere amabat, ad patris æterni , & ipsius filij voluntatem morti vltro nostri gratia offerre. Hinc optimè Bonauentura [nullo ait modo dubitandum est , quin virilis Mariæ animus , & ratio illius constantissima voluit etiam tradere filium suum pro salute generis humani , vt maret per omnia conformis esset patri & filio. Et in hoc miro modo debet laudari & amari , quod adeo compassa est , vt si fieri potuisset , omnia tormenta , quæ filius pertulit , ipsa libentius sustinuisset : & nihilominus placuit ei , quod vnigenitus eius pro salute generis humani offerretur. verè ergo fuit fortis (viso filio inter duos latrones suspenso) & pia, dulcis pariter , & seuera sibi parca , & nobis largissima. Ideo nobis amanda , & veneranda

Bon. ser. 1. de Maria.

Bona. in 1. d. 48 q. 2.

post

poſt Trinitatem.] Verè amanda nobis eſt: [Per ipſam enim (vt ait Petrus Damianus) cum ipſa, & in ipſa totum hoc faciendum decernitur, vt ſicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita ſine illa nihil refectum ſit.] *Petr. ſer. de Annun.*

13. Verum ex affectu, quo talis mater in talem filium ferebatur, non poterat non lamentari, & filij vulnera, & ignominioſam inter duos latrones ſuſpenſionem graviter ſentire. Vnde Anſelmus: [Vtique pia Domina non crediderim te potuiſſe, vllo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere; niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi filij tui te confortaret, te conſolaretur. Ita enim diuinæ voluntati conformis erat; vt, ſi oportuiſſet ad implendam voluntatem Dei, ipſa filium in cruce poſuiſſet, atque obtuliſſet: neque enim minoris fuit obedientiæ, quam Abraham.] Nihilominus tamen hoc, vel ſimili modo filij ſui ignominiam lugebat: O anima mea, cum nemo mihi ſuccurrat, plora, luge, lacrymate; nam tuum emoritur in cruce ſolatium inter latrones! ô venter aliquando beatiſſime, reclinatorium patris vnigeniti, nũc velut infeliciſſimus luge fructum tuum in crucis patibulo pendẽtem! ô cor meum effunde, quaſi torrentem, lacrymas, ne des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui, quia ſpes tua Chriſtus inter latrones ſuſpenſus paulatim expirat. Filio itaque patiente inter latrones ſupra omnem humanum modum lamentabatur. [Fugientibus (inquit Arnoldus) Apoſtolis, in faciem filij ſe oppoſuerat mater, & gladio doloris animæ eius infixo vulnerabatur ſpiritu, & crucifigebatur affectu, & quod in carne Chriſti agebat *Anſelm. de excel. Virg. cap. 5.* *Anſel. apud Anton. 4. p. Theol. tit. 15. c. 41. §. 1.* *Varius plorandi Chriſti modus.* *Arnald. in tra. de land. Virg. to. 1. Bibl.*

claui, & lancea, hoc in eius mente compassio naturalis, & affectionis maternæ angustia. Stabat ante crucem non minor quam matrem Christi decebat. Fortasse autem, quia in morte filij intelligebat redemptionē mundi, etiam sua ipsa morte se aliquid æstimabat publico muneri additurā.] Pergit Deipara lugere. O pingue solum, & felix in quod è quatuor illis cælestibus fontibus sanguinei emanant riui! ô optatum ver, cui obtigit dulcis illa oliua, quæ misericordiæ, & pacis tibi arrha perpetuo erit! ô cælestis æternæ beatitudinis racemus, qui fluenta ex te sanguinis, velut vini optimi, quo germinantur Virgines, emittis pressus in crucis torculari! ô fructus sine pretio pretiosæ, pretiosæ scaturiginis è Christi corpore defluentis clauis elicitæ, & in omnes animarum sinus deriuandæ, modo expansos diuinis gratiæ riuis supponant! ô pie Pelicane, cui non modo rostri ictu pectus feritur, vt inde sanguis erumpat, quo pullos tuos à serpente enectos aspersos viuifices, quibus etiam gratiæ vitam restituis serpentis morsu intoxicatis licet! ô nobilis Phœnix, sola tui generis in mundo auis, quam flamma amoris inter sanguinis fluenta cōsumit, non vetustate senescentem, sed velut præcoci amore in flammas sponte abeuntem, quibus sanguinis tui scaturigines ardent, & ardens amor sanguinem è venis. Inter hæc omnia singularem Deipara constantiam retinuit, hinc merito Bonauentura illam firmamento comparat quod diuidit aquas ab aquis, [virgo, ait, fuit cælum firmamentum vniformiter semper motum per patientiæ firmitatem. Nam licet in ea aquæ inferiores, id est, vires sensitiuæ, & sensibiles fortissi-

Genes. 1.

Bonau. ser. 1. de Mari. hom. 3.

me fuerint concuſſæ in filij ſui paſſione: ſuperiores tamen à ſua non fuerunt pace commotæ. Et licet ſentina nauis, id eſt pars ſenſibilis, repleta fuerit aquis: pars tamen ſuperior nauis ſemper ventis proſperis nauigauit.] itaque, inquit noſter Salazar, ſic fletus & lacrymas Virgini concedere debemus, vt hæ de virtute conſtantiæ, & fortitudinis ne modicum quid detrahant.

14. Liceat ergo nobis cum Auguſtino præ gaudio ſimul, & dolore, vt his in rebus Deiparæ ſimiles efficiamur in crucis, & crucifixi laudes erumpere. [O crux Chriſti, nobis totius cauſa beatitudinis, benedicta ſis in poſterum, quæ hactenus maledicta habebaris: tu ſiquidem nos à cæcitate liberáſti erroris: tu nos à tenebris eruens, luci gratiæ reddidiſti: tu debellatos quieti reſtituiſti, tu alienos Deo coniunxiſti: tu longè conſtitutos proximos Deo effeciſti: tu peregrinantes à Deo, ad viam veritatis reduxiſti: tu diſcordiæ amputatio: tu pacis firmamétum: tu donorum omnium copioſa largitio: hodie fixa es, & ſæculum ſanctificatur: hodie fixa es, & dæmones diſperguntur: hodie fixa es, & mors ſubuertitur: hodie vincis, & mors vincitur: hodie diabolus catenis conſtringitur, & homo à peccatorum vinculis ſoluitur, diabolus confunditur, & Deus glorificatur. O crux, quæ Chriſto gloriæ, & honori fuiſti, nobíſque ſaluti! Non enim tantum Deo dignum erat, támque glorioſum feciſſe cælum & terram, vt ait Ecumenius, ac hominem ſupernáſque virtutes, ſicut quod propter nos dignatus fueris crucifigi, & inter duos latrones crucifigi. Gratias itaque crucifixo ex intimo cordis affectu agimus, qui humani generis cauſa in- *Aug. ſer. de Paraſc.*

ter duos latrones ſuſpendi voluiſti, vt in tuo corpore pœnas noſtris latrociniis debitas copioſiſſimè ſolueres.

Inſignis Athleta Chriſtus partis de hoſtibus victoriis, in crucis pulpito factus eſt nobis liber, veſpertinum ſacrificium, clypeus, baliſta, ac tandem nos ad ſe traxit, vt poſteà ad gloriam euehat.

CAPVT LXVI.

1. VIdiſtis iam Dauidem noſtrum ad certamen vſque ad crucis verticem feſtinantem! vidiſtis egregium illum pugilem Gedeonem, animosè ſuam proſequentem victoriam, & vires paulatim Madianitarum conficientem! vidiſtis Eliam ſeſe è terra erigentem, & ad montem non dico Oreb, ſed Caluariæ ſingulari præditum fortitudine properãtem, anxio illo perfunctum ſudore, & mortis vehementi apprehenſione iam penitus contempta: modò cernite magnanimum athletam in crucis culmine confixum clauis, egregiè cum hoſtibus certantem, cernite Scæuolam illum Romani Imperij acerrimũ propugnatorem, qui vt nos in libertatem filiorum Dei aſſereret, vitámque tartareo illi Porſenæ tyranno eriperet, non horruit, non modò manum; ſed totum corpus paſſionis flammis comburendum in crucis ara in holocauſtum tradere! Cernite fidelem Zopyrum, qui vt rebellem hanc mundi Babylonem in poteſtatem magni illius Darij,

Herodotus in fine l. 3.

cæleſtis nimirum patris, redigeret, vulnera ſibi infligi, verberum vibicibus totum ſuum corpus liuidum fieri permiſit, ſanguinéque perſperſus, deceptis tartari hoſtibus, totum terrarum orbem proprio poſſeſſori iamiam reſtituet. Cernite patriæ amatorem Codrum, qui vt non modo Athenienſibus victoriam pareret ſua morte, atque adeo toti Græciæ, ſed vniuerſo etiam orbi, depoſitis maieſtatis ſuæ inſignibus, familiarem induit cultum: [habitu enim inuentus eſt vt homo,] ſéque hoſtium globo obiecit, faſce onuſtus, cuius mortem breui, pax, & victoria ſequetur. Cernite L. Dentatum, tantæ fortitudinis ac animi roboris, qui licet varijs certaminibus triginta annorum, & trium decurſu exagitatus, non quadraginta quinque vulnerum cicatrices geſtat, ſed quinque millia, quadraginta, ſeptuaginta quinque vulnera, toto ſuſcepit corpore. Vnde facilè colligi poteſt nulli ipſum ceſſiſſe ictui, aut nulli prælio, noſtri gratia ſuſcepto, ſe ſubduxiſſe, cum tamen nō modo centum viginti pugnas, ſed multo plures & acriores inijſſet, quē ob infinitum animi robur, & frequentes de hoſtibus partas victorias Chriſtianorum Herculem appellare merito poſſumus, qui etiam modo è crucis ſtadio non duodecim labores, ſed infinitos pænè hoc vltimo prælio confecturus eſt.

Val. Max. l. 3. cap. 8. Plin. l. 7.

2. Videte quomodo vitæ liber foliis iam expanſis in crucis pulpito apertus reſideat, in quo non per calamum & attramentum, ſed per flagella, ſpinas, arundinem, clauos, lanceam, & incredibilis amoris penicillum omnes prædeſtinatos inſculpi voluit, adeò vt illud Pſalmiſtæ in eo hodie completum videamus: [In libro tuo omnes ſcri-

Chriſtus in cruce expanſus liber vitæ.

Psal. 138. bentur, licet in libro tuo non tantum omnes homines, sed omnes etiam creaturæ inueniantur descriptæ, singulari tamen amoris penicillo omnes prædestinati in illo intus inscripti, quos quotidie præ oculis quasi gratam tibi lectionem habes, eorúmque memoriam quasi continua illorum nominum repetitione refricas. Hinc meo iudicio tu es ille verè liber, qui de teipso apud Isai. 49. Isaiam dicis: [In manibus meis descripsi te,] imo non solum in manibus, sed in pedibus etiam & latere, & toto corpore nos amoris tui penicillo descripsisti, adeo vt in toto corpore sculptus nostri amor cernatur. Descripsit ergo nos in cicatricibus vulnerum, quas in manibus nostri gratia suscepit, gestabítque perpetuò: non enim nos atramento descripsit, sed sanguine suo, nec calamo, sed clauis & stigmatibus, non in cute, sed in carne adeo depressè, vt eos nulla vnquam ætas, neq; ipsa æternitas sit deletura. Isai. 49. [Ecce ego (inquit) pinxi muros tuos.] Non detergamus (vt monet Ambrosius) peniculo negligentiæ depicta animæ nostræ muralia. Ideò dixit: muros pinxi, quibus hostes possimus auertere. Habet anima muros suos, de quibus eminet, & de quibus, ait: Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa, his munitur muris, his obsessa defenditur. Et verè murus anima, quæ prætendit in castris. Vnde & ipsa ait: Ego murus, vbera mea, & turris, bonus murus, quem pinxit Dominus sicut ipse ait: [In manibus meis, pinxi muros tuos, & in conspectu meo es semper,] quod enim in manibus depictum est, penè semper oculis aduersatur. Quare vnus è tuis electis, bone Iesu, in tuo pectore insculptus,

Ambr. l. de bono mortis, c. 5.

Cant. 8.

Ambroſius nimirum, ait: [Omnia habemus in Chriſto, & omnia in nobis Chriſtus: ſi à vulnere curari deſideras, medicus eſt: ſi febribus æſtuas, fons eſt: ſi grauaris iniquitate, iuſtitia eſt: ſi indiges auxilio, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt, ſi tenebras fugis, lux eſt: ſi cælum deſideras, via eſt: ſi cibum quæris, alimentum.] Quis non deſideret in huiuſmodi nutricij pectore amoris calamo, tanquam in vitæ libro exarari, à quo omne bonum trahere poſſet?

Omnia vitæ documenta in hoc libro inueniuntur.

3. Hunc, obſecro, librum in crucis pulpito expanſum, iam attentius legamus. In eo enim omnia maximarum virtutum viua repertemus exempla: [Oculi tui (vt monet Iſaias) videntes ſint præceptorem tuum,] Chriſtum ſcilicet in cruce ſuſpenſum, qui & præceptor noſter eſt, & liber: quippe qui in ſeipſo, tanquam in libro omnia probitatis nobis documenta arripiamus. In hunc itaque tantum modo præceptorem, in ſe nimirum ac ſuæ humanitatis librum intueri nos deſiderat, vt & præceptoris diſciplinam, & libri documenta noſtris inſcribamus mentibus. Hic eſt ille liber, de quo Dominus ad Habacuc: [Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat, qui legerit eum.] Ecce quomodo ei præcipit vt librum maiuſculis ſcribat characteribus, illúmque in tabulis ita explicet, vt qui legerit; legendo non hæreat, ſed facilè omnia percurrat quæ in eo libro ſcripta ſunt: [Poterat quidem planè homo, quamdiu in mundo conuerſatus eſt Chriſtus, de pacis bono, quam idem perficere venerat, dubitare; at vbi patibulo effuſus eſt cruor de

Iſai. 30.

Habac. 2.

Laurent. Iuſtin. de triumph. Chriſti agone.

ipsa certificatus est pace. Hanc itaque non in membranis, non in lapide, neque in ligno, sed sanguine proprio in sua carne scripsit librum hunc, vt ab vniuersis legatur, publicè exposuit, non autem sermone composito, vel humanæ sapientiæ exaratus est verbis, sed hominum interueniente malitia digito Dei scriptus, nempe sæuientibus Gentilibus, atque Iudæis depictus est foris; virtute autem & sapientia Christi formatus est intus: habet foris simplex, & indoctus quid legat, habet spiritualis & perfectus, quod intus intelligat. Legit simplex, & lætificatur, atque compungitur, exercitatus vero intelligens irradiatur atque accenditur. Quisnam nisi sapientia doctrix, poterat paucis tam multa colligere? Abbreuiatam equidem legem, legalia Sacramenta, charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum normam, & totum humanæ redemptionis modum, ordinémque in hoc sui corporis inclusit volumine. Quamobrem cum scribere complesset, nihílque supereſſet scribendum, inquit: Consummatum est. Quam pulchra hæc in sui corporis documenta libro nobis proposuit legenda, & quia omnibus liber est, perspicuus esse debet, super tabulas explicatus, in lignea extensus cruce, maiusculis conscriptus literis, apparet maximis, inquam, & clarissimis amoris, patientiæ, humilitatis, ac omnium denique virtutum exemplis, ita perspicuè exaratis omnibus exponitur, vt nemo in ijs perlegendis possit hærere, sed si velit primo tantum aspectu, ita legere queat, vt inde rectè viuendi regulam sibi arripere possit.

Digitized by Google

4. De hoc libro sic Paraphrastes Chaldaicus (scribe Prophetiam, & explana eam in libro legis, vt festinet ad sapientiam assequendam, quicunque legerit in ea.] vbi per librum legis Christus accipi potest, qui patri loquens ait: [& legem tuam in medio cordis mei:] ô quam præclarus hic liber in crucis pulpito propositus, nostri amore, intus & foris inscriptus! verè liber iste est, quem, vt ait Bernardus, in sua Ioannes Apocalypsi conscripsit; scriptus intus & foris: foris enim Christi vulnera cernimus, sed intus immensi eius erga nos amoris incendia contemplamur. Hunc docti, & indocti vident, hunc omnes legunt.] & quilibet iuxta gratiæ mensuram sibi datam, ex eo mirificè proficere potest. Attendite ergo, & singula pernotate, non modo eius folia, sed verbera etiam, & apices: liber enim scriptus est Dei digito, in verbi Incarnatione, vbi nihil potest esse scriptum, nisi salutare, diuinum, augustum. In lucem verò editus, in eiusdem verbi natiuitate, & cæsti ornatus pretiosi sanguinis pigmento in circumcisione; à patre librorum conscientiarum censore exactissimo, in montis Thabor vertice approbatus est [Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite] variis porro virtutum emblematibus, & fulgentissimæ charitatis radiis inauratus à malo mercatore, tam pretiosi libri iniquissimo æstimatore Iuda, pretium vniuersi triginta argenteis venditus, & denique in alto crucis pulpito expansis membrorum folijs, omnibus ad legendum propositus, vt inde vitam & gratiam, pio animi affectu legentes, haurirent. Tot igitur nobis figatur in corde, qui pro nobis

Ber. ser. de Christi Resurrectio.

Quilibet ex hoc libro proficere potest.

Digitized by Google

totus in cruce fixus, infinitum ostendit amorem, liber hic memoria ac cogitatione perpetuò à nobis voluatur, & reuoluatur. Hic sit nobis in ore frequenter, in corde semper, hic stylo nostro admodum sit familiaris. Inde sublimiorem hauriamus Philosophiam, scire nimirum Iesum, & hunc crucifixum; hic liber sit nobis semper in sinu, manu semper nostra teratur, ex quo omne bonum in nos deriuatur. Denique exclamemus cum Salmerone, huius libri amore inflammati: [ô librum super omnem librum! hunc expedit nocturna versare manu, versare diurna, qui desiderio progrediendi in via salutis tenetur; hic sit nostrum enchiridion, Isagoge ad sapientiam, verbum abbreuiatum, contemptus mundi, soliloquium, stimulus diuini amoris, itinerarium mentis in Deum, summa totius scripturæ, & quod dici solet: vade mecum, & dormi securè.]

Sal. to. 19. trac. 37.

5. Non solum liber, ô Christe, es in crucis pulpito, insignibus virtutum ornamentis exaratus, sed etiam agnus es ille, qui in crucis Ara Deo vesperi debueras sacrificari, vt nos alioqui diabolo sacrificandos à tanto infortunio liberares. Mane quidem illucescente ætatis tuæ aurora, in templo patri oblatus es, idque in dulcissimæ Matris tuæ brachiis, nunc vero vesperi, morte tibi ingruente, non in brachiis amantissimæ Matris, sed in ignominiosissimæ crucis brachiis, non in templo, sed in monte Caluariæ, non laudante Simeone & Anna te tanquam Dei filium, sed blasphemias in te Iudæis velut in vile mancipium eiaculantibus, tuo cruentatus sanguine sacrificaris, vt hoc tuo cruento sacrificij genere nos ab horrendo illo sacrificio quo omnes diaboli conse-

Digitized by Google

crandi eramus, penitus vendicares. Hinc te veſperi in cruentum patri ſacrificium, in crucis altari offers, res ſane ſtupenda, incredibiliſq; amoris argumentum! Quare merito exclamat Chryſoſtomus: [Papæ quam magnum & vehementer ineffabile, quod ſeruus factus es! quod verò mortem ſuſtines, multo plus eſt, ſed eſt & aliud maius quiddam iſto, & admirabilius: quoniam non quæuis mors iſti ſimilis eſt; iſta namque omnium videbatur probroſiſſima, iſta plena dedecore, iſta maledicta: maledictus enim omnis, qui pependit in ligno.] *Chryſoſt. ad Philip. 2.*

6. Hoc tuum cruentum veſperi exhibitum, noſtri gratia, ſacrificium valde diſſimile oblationi matutinæ: matutina ſiquidem delicata fuit, & ſuauiſſima, gaudiis plena, & fauſtis acclamationibus. Nihil enim doloris, cum patri æterno veluti hoſtia pro nobis offeraris in ſanctiſſimæ matris tuæ brachiis baiulatus, ſenſiſti! Quanto affectus gaudio ſenex ille tibi deuotiſſimus Simeon, cum te in ſuis exciperet brachiis! Quomodo B. illa Anna, præ lætitia exultauit, te viſo, & in matris, & Simeonis brachiis pullis columbarum, vel turturibus pro te immolati: Infinitam ſanè in te Domine puritatem, & amorem noſtri huiuſmodi ſacrificium ſignificabat, vbi pulli pro peccato generis humani expiando, & turtures in holocauſtum oblati, quo indicatū fuit te in crucis ara amore incenſum pro noſtris peccatis æterno patri in holocauſtum aliquando oblatum iri. Hinc Auguſtinus: [qui ergo non habebat peccata propria, dignè deleuit aliena. Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, vt omnes leuaret. Et quia debitum ſolus non habuit, rectè fœ- *Veſpertinū ſacrificium cruentum, matutinum gaudio plenum.* *Aug. ſer. 41 in Ramis. 114. de tēp.*

nus miſericordiæ pro debitoribus erogauit. Perpende inter hæc, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem à nobis ſit exacturus vſuram] Tunc quidem quinque ſiclis redemptus eſt, & à matre ſua ſanctiſſima cum gaudio, congratulantibus omnibus, domum reportatus eſt. At veſpertina oblatio crudelis, doloris plena, ſcandalo Iudæis, gentibus ſtultitiæ facta eſt. In ſublimi enim crucis altari hodie cruentum Dominici corporis holocauſtum fit, tota inſpectante Hieruſalem, blaſphemantibus in eum Iudæis coram matre ſua mœſtiſſima, cælo interim ac terra præ ſtupore tantæ iniuriæ contremiſcentibus, Sole, Luna, ac ſtellis tenebrarum quaſi veſtibus pullis triſtiſſimè induris [celebret ergo, vt ait Auguſtinus, Dominicam paſſionem lux fidei linguis hominum, quam conclamauerunt etiam ſilentia tenebrarum. Hodie Dominus noſter in ſtatera crucis pretium noſtræ ſalutis appendit, & vna morte vniuerſum mundum, ſicut omnium conditor, ita omnium reparator abſoluit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptæ mercedis dignitas, inſignis pretij ſupergreſſa eſt. Inter redemptum, & redimendum diſpenſatio fuit, compenſatio non fuit.] Quinque porro ſiclis infiniti pretij lytro, quinque nimirum vulneribus nequaquam ſeipſum à morte redimit, licet nos ab æterna morte vendicet. Matris denique triſtiſſimæ brachiis mortuus breui excipietur infauſtis acclamationibus illum Iudæis perſequentibus. Quam vere à B. Cypriano dictum: [vulneri tam putrido, & antiquarum cicatricum fœtori non

Aug. ibid.

inueniebatur medicamentum conueniens, nisi vnguento sanguinis tui plaga vetus liniretur, & malagmate carnis in cruce extensæ exiccarentur venena, quæ calcaneo primi hominis, & omni posteritati eius serpens infuderat. Hæc vna medela corrodet cicatrices, & vim suam perdet concupiscentiarum corruptela; & deleta damnationis conscriptione, nouis literis assignata, est restituenda libertas, priuilegio dato, charta indulgentiæ, sigillo plagæ lateris firmata] quid ergo retribuemus tibi Domine, pro hac infiniti pretij oblatione, quam retribuisti nobis, qua tibi mortem, nobis vitam peperisti sempiternam!] In manu etenim patris, vt ait Gregorius, quasi statera mihi libraminis factus, hinc in se calamitatem nostram: & illinc peccata suspendit: sed grauis ponderis esse calamitatem moriendo innotuit, & apud misericordiam suam Deus leue esse peccatum relaxando monstrauit] in diuinitatis enim iustitiam quasi in oppositam ex aduerso lancem totius humani generis peccata coniecit: sed misericordi interueniente mors & Christi passio illa pondere suo vicit.

7. Factus etiam nobis in cruce arma Christus, quibus cælum expugnet; & in primis clypeus ille est fortunatissimus, quem olim Iosue in prælio ex præcepto Domini in sublime leuauit, quo animati milites omnes habitatores Hai expugnarunt: Et sicuti clypeus ille, iuxta Hebræorum sententiam, positus fuit in hasta quadam oblonga, quò posset ab omnibus cerni: sic Christus in cruce exaltatus, tanquam clypeus omnibus hodie proponitur conspiciendus: cuius conspectu animati omnes Christi milites, resumptis

Christus clypeus Iosue. 8.

viribus, contra omnes tartari incolas strenuè dimicant: illosque fundunt, fugantque. Sub hoc itaque clypeo tuti erimus ab aduersarij inuasione, qui semper circumit quærens quem deuoret. Si enim ipsi Christo iam morienti tanta inuigilauit audacia, vt in ipsa cruce consisteret frustra prædã expectans, quanta putatis impudentia sese nobis & bene viuentibus, & sanctè etiã morientibus ingeret, vt nos sibi in prædam rapiat, nisi quam citissimè ad hunc nostræ spei ac fortitudinis clypeum festinemus [cogitandum nobis (ait Gregorius,) quam rabidus, quam terribilis sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus, princeps huius mundi veniet; si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsiuit, in quo suum inuenire nihil potuit.] Recurrendum igitur ad gratiæ clypeum, & ad fortissimum illum bellatorem Christum, ex illa crucis turri strenuè cum animarum hostibus certantem, ne nos illi in prædam sibi rapiant. Arma quibus pugnat, non modo clypeus, sed ipsa etiam crux, claui, spinæ, & reliqua passionis instrumenta, quibus antiqui serpentis caput, qui primos nostros Parentes circumuenit, conteret, & nobis ad cælestem gloriam aditum patefaciat.

Greg. ho. 36. in illud Ioan. 14. venit princeps. &c.

8. Et quoniam in serpentis forma parentes nostros expugnauit bellator noster Iesus, serpentis etiam induit imaginem in cruce suspensus; nam cum Moyses Sanctus (inquit Ambrosius) filios Israel de captiuitate Ægypti produxisset, atque idem populus in deserto graui à serpentibus incursione laboraret, nec aliqua illis armorum defensio posset obsistere, tunc sanctum Moysen diuino repletum spiritu, serpentem

Amb ser. 51. ser. 6. paras.

æneum affixum ligno inter medias morientium exiſſe turbas, & mandaſſe populo, vt de illo ſigno ſpem gererent ſanitatis: atque hac re tantum medicinam contra morſum aſpidum prouenisse, vt quiſquis vulneratus in illam ſerpentis crucem, aut reſpiceret, aut ſperaret, ſtatim remedium ſalutis acciperet.] Et ſubdit: Vnde ſi affixus ſerpens ligno filiis Iſraël contulit ſanitatem, quanto magis ſalutem præſtat populis Dominus in patibulo crucifixus? & ſi figura tantum profuit, quantum prodeſſe credimus veritatem?] Quare ſicut Moyſis etiam ſerpens cum Magorum ſerpentibus decertans illos omnes deuorauit: ſic ipſe ſerpentes in nos miſſos, peccata, inquam, quæ ſuo nos veneno interficiunt, deuorabit. Et quemadmodum Gedeon hydriam confringens, quam tenebat manibus ſplendore lampadis, quæ intus latebat, perterrefecit ac vicit Madianitas. Ita inſignis noſter pugil carnem ſuam paſſionis ſuæ laboribus frangens, virtutum fulgore & paſſionis efficacia, quæ ab eo proceſſerunt, omnia humani generis ſcelera ſuperans, tartari poteſtates conteret. Ad hunc igitur fortitudinis clypeum nobis recurrendum, ſub quo tuti ad bellum nos parari poterimus, & tandem illo, velut efficaci armatura inſtructi, in prælium animosè cum diabolo deſcendere. *Exod. 7.* *Iudic. 7.*

9. Porro ſicut Chriſtus in cruce ſuſpenſus clypeus nobis fuit, ſic etiam & balliſta, quam adeo intentam video, vt non modo à nobis nequitiæ tela arceat, ſed ignita etiam è crucis turri in noſtra viſcera amoris iacula euibrare paret. Sicut enim baliſta arcu, atque egregie extento funiculo conſtat, cui ad medium nux (vt ait noſter Ro- *Chriſtus balliſta.*

signolius) ex qua desiliente elabentéque funiculo, maiori impetu, certo ictu sagitta propel tur, & maiora & profundiora vulnera infligun-tur; sic crux tua Christe lignum est protensum, tuum corpus brachiis porrectis funiculus, lateris tui vulnus nox est, cui amoris sagitta inserta, in hominum corda vehementer emittitur, qua vulnerati vtinam omnes nos vno ore conclamare possemus: quia charitate tua vulnerati sumus, quo charitatis ictu Dei hoste in nobis interfecto, nimirum peccato, amoris vulnere viuamus.

M. Manil. de Alcone. Insignis sagittatio.

10. Alio peritissimus sagittarius cum ingentem colubrum in filij sui pectus, quem venationis causa ad silnam secum duxerat, inuasisse cerneret, suisque spiritis corpus eius vndique cingentem, non sine præsentivitæ illius periculo, paterno quidem commotus affectu, arcum tetendit, & in colubrum collimatis oculis certo impulsu sagittam emisit, & filio penitus saluo, & indemni serpentem interfecit. Mirabile, inquit M. Manilius, fuit hoc opus, sed ars erat esse patrem] Et Christus sagittarum iaculator experientissimus è crucis turri nos, non vno sed plurimis peccatorum colubris circumseptos videns, amoris arcum intendit, & collimatis infinitæ pietatis oculis ardentes charitatis sagittas in nos euibrat, quibus vita gratiæ nobis restituta, peccatorum colubros interimit. Mirabile sanè opus; sed ars erat esse patrem: quomodo enim miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Quare charitatis sagitta nos vulnerando, & ad se tanquam prædam trahendo, peccatorum colubros interfecit. Quanta hæc sagittarum Christi vis è crucis balista in nos emissarum, quibus

Psal. 102.

simul

ſimul inimicos proſtrauit, & nos ad ſuam traxit ſocietatem, perfregí-que baliſtam diaboli qua à mundi exordio venenatas in hominum pectora ſagittas eiaculabatur.

11. Hoc Chriſte pollicitus es præſtare, quid enim dicere: [cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum,] quam interfectis animarum inimicis, nimirum peccatis, dicere [totam humani generis cauſam agam, & olim peccato perditam in integrum reuocabo naturam (intortis veneno infectis, in Authoris caput ſagittis:) In me verò, omnis hominum infirmitas abolebitur, in me omnis plaga ſanabitur, per lignum erigam lapſos, in ligno & guſtu fellis & aceti, diluam eſcam peccati.] experientia docet, quo altius ſol ſupra noſtrum zenit aſcendit, eo vehementius radiorum feruore terram calefacere, & quo feruentius in terram radios proijcit, eo efficacius vapores, & exhalationes è terra ad ſe rapere. Et verus Iuſtitiæ ſol Chriſtus in crucem exaltatus, diuinos Deitatis radios, quos hactenus plerúmque occultos tenuit, hodie exerens ſolito multo fortius ad ſe omnia trahit. [Traxiſti, inquit Leo, Domine omnia ad te, & cum expandiſſes tota die manum tuam ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ Maieſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit. Traxiſti Domine omnia ad te, cum in execrationem Iudaici ſceleris vnam protulerunt elementa ſententiam, cum obſcuratis luminaribus cæli, & conuerſo in noctem die, terra quoque motibus quateretur inſolitis, vniuerſáque creatura impiorum ſe vſui negaret. Traxiſti Domine omnia ad te, quoniam, ſciſſo Tem-

Nō ad ſe Chriſtus trahit.

Leo ſer. 6. de paſſ.

Leo ſer. 8. de paſſ.

pli velo, Sancta-sanctorum ab indignis Pontificibus receſſerunt, vt figura in veritatem, Prophetia in manifeſtationem, & lex in Euangelium verteretur. Traxiſti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ templo, obumbratis ſignificationibus tegebatur, pleno apertóque Sacramento vniuerſarum vbique nationum deuotio celebraret.

12. Porro traxiſti nos ad te amoris vinculo, vt noſtram paupertatem tua impleres gratia, & diuitiis gloriæ tuæ, nos aliquando locupletares. Et quemadmodum natura, vt vacuum impleat, mira facere ſolet, leuia deorſum magno impetu rapit, & è contrario grauia ſurſum trahit. Ita & tu, in cruce ſuſpenſus, vt vacuum nobis impleres, mira præſtitiſti. Gratia penitus vacui eramus: hoc autem vacuum, cum tu ſolus implere poteras, Deus cum eſſes, & puriſſimus ſpiritus, omnis corporeæ molis expers, ex altiſſimo patris tui ſolio, ad præſepe vſque deſcendiſti, eximaniuiſti temetipſum, vt vacuum hoc gratia impleres, propter nos enim egenus factus es, cũ eſſes diues, vt tua inopia nos diuites eſſemus. Ecce quomodo, vt vacuum impleres mira feciſti, leuia deorſum trahens, & hodie grauia ſurſum rapis, nos nimirum, qui graui peccatorum pondere, ita in terram depreſſi fuimus, vt ſurſum ora, aut vultus attollere minimè poſſemus, tua virtute, vt vacuum, gratia impleres, ad te trahis. Minuitur luna, vt elementa repleat, eximaniuiſti te ſol Iuſtitiæ, vt tua nos gratia repleres. Traxiſti nobis Patrem, traxiſti Angelos, vt nobiſcum pacem inirent, leuia deorſum igitur celeri motu feſtinare facis, & traxiſti nos pecca-

Deus vt vacuum gratia impleret, mira geſſit.

2. *Cor.* 8.

tores graui peccati mole in terram deiectos, in te reconcilians ima summis. Ingenti ergo pondere grauata sursum, & leuia deorsum rapis, vt vacuum impleas.

13. Trahes breui è limbo Patres, è sinu Abrahæ illos educens perfractis inferni claustris omnia ad te trahens, sua spoliabis tartareos exercitus præda, imo ipsa insensibilia ad te trahes, quæ tuã, natiuo quodam motu, mortem persentiscentia sursum ad te quodammodo rapta ingemiscent. Pendente enim in patibulo Creatore vniuersa creatura congemit, & crucis clauos omnia simul elementa sentiunt, nihil à tuo supplicio liberum, hoc in communionem sui & terram traxit, & cælum hoc petras rupit, monumenta aperuit, Inferna reserauit, & densarum horrore tenebrarum, radios solis abscõdit. Debebat hoc testimonium suo mundus Authori, vt in occasu conditoris sui, vellent vniuersa finiri, sed patientia Dei seruat rebus, atque temporibus ordinem suum, nosque in illum potius vocat affectum, vt eorum salutem petamus, quorum crimen horremus.] Hinc sagittas charitate ardentes, & sanguine intinctas, ex lateris tui vulnere, tanquam ex balistæ nuce desilientes, in corda nostra dirigis, quæ ex hac mystica explosæ balista, & hostes expugnabunt, mortem interiment, diabolum vincent, affectum nostrum in te & animarum salutem excitabunt, infernum spoliabunt, & cælum ditabunt. Quare tantum abest, vt ad te ascensum impediant, vt potius cordibus nostris infixæ, ad ascensum iuuent.

Vniuersa Christo morienti compatiuntur.

Leo. ser. 6. de pass.

14. Et quoniam summa nostra exultatio est ad crucem tecum, & postea ad gloriam euehi, cum

Summa exultatio ad crucẽ euehi.

ardua sit ad crucem via, & celsissimum etiam cælum quò nos ducere festinas vnica crucis scala, vtriúsque iter breui compendio conficiendum. Quandoquidem ergo scala sit, per quam ascenditur ad gloriam, & tu ipse in supremo illius gradu positus nostram contempleris imbecillitatem, vacillantes animi pedes, in hoc arduo ascensu, à præcipitio serua, sic, vt crux tua non tantum nobis sit clypeus, quo ab hostium impetu protegamur, aut balista cuius ardentibus charitate sagittis corda nostra tui amore colliquescant, sed scala etiam, cuius basis in terra constituta, suo cælos vertice tangat, vt nos in terra natos corde, corpore, & animo ad cælestem tandem gloriam euehat, vt sic de instrumento quod iniquitas Iudæorum parauit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis faciat ad gloriam.

Crux nobis scala ad gloriam.

Leo. ser. 4. de pass.

De crucis titulo.

CAPVT LXVII.

1. IN more positum fuit, vt mortis causa crucifigendi, super crucem poneretur; vt quilibet facilè posset intelligere, non iniuria, sed iure reum crucis supplicij fuisse, qui cruci affigeretur. Hinc Pilatus titulum in tabella aliqua supremæ crucis parti infixa scripsit, per quem palam omnibus fieret mortis Christi causa, ídque diuino instinctu. Huiusmodi autem titulus fuit: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Quàm rectè Pilatus illud Scripturæ oraculum obseruauit: [Ne corrumpas tituli inscriptionem.] Hinc Iudæis indi-

Digitized by Google

gnantibus, ob huiuſmodi tituli inſcriptionem, reſpondit Pilatus: [Quod ſcripſi, ſcripſi.] O ineffabilem (exclamat Auguſtinus) vim diuinæ operationis, & iam in cordibus ignorantium! nonne occulta vox quædam Pilato intus, quodam, ſi dici poteſt, clamoſo ſilentio perſonabat, quod tanto ante in ſacris literis prophetatum eſt? ne corrumpas tituli inſcriptionem: Ecce, Pilatus tituli inſcriptionem non corrupit. [Quod ſcripſit, ſcripſit.] Hanc inſcriptionem tabulæ buxeæ exaratam Beda tradit, de qua ſenſu quodam myſtico, illud Iſaiæ vaticinium interpretari poſſumus: [Scribe & ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum.] Hæc autem buxi materies inſcriptioni mirificè (vt optimè notauit eruditiſſimus Carthagena) quadrat: non genus hoc arbuſti (vt ipſe ex Iſidoro ſcribit) durum, ſolidum, & nodoſum eſt, quod Chriſti regni ſoliditatem, per titulum expreſſam, apertè ſignificabat: virorem etiam ſemper conſeruat, quo tituli inſcriptionem indicaret nunquam abolendam, quantumuis id attentarent Iudæi. Addit Angles buxum tenaciſſimum eſſe figuræ in ſe exaratæ, quod haud obſcurè indicat huius tituli tabellam, quæ hodie viſenda Romæ in Templo S. Crucis proponitur ex buxo eſſe, quandoquidem poſt mille ſexcentos, & nouemdecim annos titulus in ea crucis inſcriptus legi facile poſſit.

Aug. tract. 117. in Ioan.

Iſai. 30.

Carthag. de titulo crucis.

Angl. l. 17. cap. 20.

2. Cur verò tribus linguis, Hebraicè, Græcè, & Latinè, ſcriptus fuerit, Cyrillus rationem reddit: [Diuinitus, inquit (vt ego puto) factum eſt, vt trium linguarum, quæ præcipuæ ſunt, literis ſcriptus titulus fuerit: omnium enim gentium re-

Cur tribus linguis titulus ſcriptus. Cyril. Alex. l. 12. in Ioan. cap. 32.

Dan.7. gnum Christo attributum esse significauit. Vt omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruiant,] &

Philip.2. Apostolis: [Vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.] Titulus igitur iste per præcipuas linguas omnium linguarum (ait Cyrillus) Iesum futurum Principem prædicabat.] Quam rem expressius

Theoph. in cap.23.Luc. Theophylactus significans, ait: [Hoc symbolum fuit, quod potentissimi Gentium, quales Romani, & sapientissimi, quales Græci, & religiosissimi, quales Hebræi, Regno Christi subijciendi essent.] Aliam addit causam Chrysostomus:

Chryſ. hom. 48. in Ioan. [Scripsit, inquit, & titulum Pilatus, tum vt Iudæos vlciscereturtum vt Christum excusaret. Nam cum tanquam prauum tradidissent, & sententiam hanc latronum societate confirmare vellent, ne quis iam turpem mortis notam inurere, & tanquam malum, & perditum accusare posset, vt calumniantibus os obstrueret; in Regem suum surrexisse denunciat.] Hinc existimo Pilatum integrũ crucis titulum tribus diuersis linguis scribi voluisse, vt diuersæ nationes ad festum Paschatis celebrandum confluentes, facile intelligerent causam Christi mortis fuisse tãtum modo Iudæorum inuidiam, & in Christum singulare odium, vt sic à se in eorum malitiam Innocentis mortis

Quid Nazarenus significet. culpam eijceret. Hinc sequitur in titulo Nazarenus, quod eius innocentiam declarat: flos enim innocentiæ symbolum esse perhibetur. Cum igitur floridus fuerit Iesus excellentissimis virtutum floribus exornatus, quos in toto vitæ decursu, & præsertim in crucis arbore ad nostrum exemplum, & instructionem ostendit, merito Nazarenus appellatur.

Digitized by Google

2. Huius tituli tertium insigne est Rex, quo indicatur etiam causa cur Pilatus Christum supplicio crucis addixit, cum tamen verè esset Rex Iudæorum, non temporaneus, sed æternus, cuius Regnum, &| incipit, & firmatur ab ipsa cruce, iuxta illud, quod canit de Christo Ecclesia: [Regnauit à ligno Deus.] Eius verò regnum à ligno incipere pater voluit, vt peccati regnum quod ab vna arbore incepit, accedente primi parentis nostri inobedientia, destrueret, & filij sui Regnum ab altera crucis arbore inciperet, ex obedientia Christi in ea morientis. Hinc colligere licet, si nos cum Christo in cælis regnare velimus, à crucis regno nobis inchoandum, veterem vitam, veteres mores, veterem in concupiscentijs, & peccatis, instar veteris Adami, viuendi rationem deserendo, vt destruatur corpus peccati, vt euacuetur, inquam, corpus delinquentiæ per emendationem vitæ, vt ait Tertullianus, non per interitum substantiæ. Non tantum fuit Rex Regum, & Dominus Dominantium, sed peculiari etiam ratione Rex fuit Iudæorum, quod huius tituli vltimum est insigne. Et quamuis illi per malitiam, & obstinati cordis peruicaciam, in Regem noluissent eum acceptare, sed potius quia Regem Iudæorum seipsum dixit, infami crucis morti addicendum iudicarunt, conclamando: Tolle, tolle, crucifige eum, non tamen ideo illorum excidit Regno, qui ab æterno patris decreto constitutus est Rex, vt regnaret super Sion montem sanctum eius, & super omnes, qui illius nominis participes forent, qui nimirum vera confessione profiterentur Deum reuelasse, gloriam illi idcirco aseri-

Christus Rex Iudæorum.

Psal. 95.

Tertul. l. de Resur. car. cap. 47.

Vltimũ tituli verbum Iudæorum.

Psalm. 2.

bentes. Quid loquimini ergo insani Pontifices? nunquid propterea non erit verum quia Iesus ait, Rex sum Iudæorum? si corrumpi non potest, quod Pilatus scripsit, corrumpi potest, quod veritas dixit? Ideo enim Pilatus, quod scripsit, scripsit, quia Dominus quod dixit, dixit.]

Alia huius tituli causa.

4. Vnam atque aliam huius tituli causam subtexam, & in primis ex illustrissimo Palæotto: [Titulus, inquit, iste Seruatori perbelle conuenire visus est, tanquam qui de hostibus triumphum ductaret maximo Regi, cum præsertim vetus inoleuisset mos, in triumphis arcuatos extruere fornices, & in ipsis titulos nomine, patria & deuictarum gentium prænomine triumphantis, ad laudem peregregiè inscripto: hinc factum est, vt isti (præter intentionem) sanctissimo cæli terrarúmque Regi in triumpho, quem deuictis diabolo, morte, ac peccato reportauit, crucis Arcum erexerunt infixo titulo, in quo nomen Iesus, Nazarena patria, Regia dignitas, subditi quoque Iudæi inscripti fuere.] Hic igitur titulus ex sententia Palæotti, & ex rei veritate, triumphum de hostibus agentem, Saluatorem nostrum indicat, qui hostibus iam penè deuictis, triumphantium more, cruci tanquam triumphali columnæ victoris nomen, patriæ, dignitatisque titulum affigi voluit, & vt inde omnibus palam fieret, quam iniustè crucifixus fuerit. Aliam deinde B. Cyrillus addit huius tituli causam: [Habebat, inquit, diabolus aduersus naturam nostram Chirographum, maledictionem legis diuinæ transgressoribus debitam, & priscam Dei sententiam, quæ aduersus primum

Palæot. in expla. sac. Synd. c. 5.

Cyril. in Psal. 13.

hominem iustissime fuit prolata, in quo genus vniuersaliter nostrum, quia nemo absque peccato est, condemnatum fuit. Nam vt Adam peccauit, sic & cæteri post ipsum, mandatum Dei neglexerunt. Quare de vno aduersus omnes sententia fuit prolata, hoc igitur aduersus genus nostrum, Chirographum titulo in cruce confixo Saluator deleuit: liquidò namque hic titulus mortem in ligno suam significauit, quam pro condemnatorum vita passus est, & pro delictis pœnam dedit sufficientem,] cruci igitur peccatorum nostrorum chirographum, qui peccatis nostris diabolo venundati fuimus, Christi virtute affixum est. Hinc Ambrosius [scribitur autem titulus etiam secundùm Ioannem, & super crucem ponitur, vt affixo cruci chirographo, quod erat contrarium nobis, sententia vetusta cessaret.] Istud itaque chirographum hactenus à dæmone detentum virtute passionis cruci affigitur; vnde Apostolus, [delens, ait, quod aduersus nos erat chirographum, & affigens illud cruci, traduxit Principatus, & Potestates triumphans eos in semetipso.]

Chirographum diabolo traditũ per Christũ, cruci affixum.

Ambr. l. 10. in Lu. c. 23.

Coloss. 2.

De primo Christi verbo in cruce. Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23.

CAPVT LXVIII.

Ad vltima Christi documenta attenti reddimur.

1. AVdistis quanta Christus, nostri causa, sustinuit tormenta, & quam ignomi-

niosè è crucis arbore suspensus, spectaculum factus est Deo, hominibus, & Angelis. Modo audire libet, quam præclaro fine totam concludat passionem. Relicturus itaque mundum, & ad patrem profecturus, nobis filiis suis è duro crucis lecto, extremæ valedictionis loco, diuina relinquit documenta, quæ ideo in finem distulit, vt tenacius nostris inhærerent mentibus. Cuilibet enim à natura insitum est, vt Parentum mandata, in fatali vltimæ ægritudinis lecto, tradita, altius animæ imprimat, ac cæteris, alioqui in vita optimis, à Parentibus acceptis, vltima hæc maioris faciat. Hodie igitur Christus amantissimus noster parens, in durissimo crucis lecto collocatus, mortemque breui obiturus, domi suæ disponit, leges familiæ præscribit, debita expungit, documenta tradit, cohæredes instituit, & diuitiarum suarum thesauros dispensat. Vbi igitur Christus in cruce pendens distribuisset in electorum singulos bona sua, iuxta illud Psalmistæ: [Disposui testamentum electis meis,] corpus nimirum & sanguinem in Apostolos suamque in terra potestatem crucem peccatoribus ad se conuertendis, omnibus denique singulare ac viuax omnium virtutum exemplum, passionisque merita ac satisfactiones reliquisset, in manus patris suum commendauit spiritum septem nobis relictis pro testamento aureis documentis animis nostris serio imprimendis.

Psal. 88.

2. Primum itaque verbum, aut potius prima aurea Christi sententia ex crucis pulpito pronunciata est: [Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt!] Quid dici (inquit Gregorius) quid cogitari in prece mundius potest, quam cum &

Luc. 23.

Greg. l. 13. Mor. c. 8.

illis misericordia intercessionis tribuitur, à quibus toleratur dolor? vnde factum est vt Redemptoris nostri sanguinem, quem persecutores sæuientes fuderant, postmodum credentes biberent, eumque esse Dei filium prædicarent] Christus membris distractis cruci affixus iniuriis, blasphemiis ac sannis lacessitus oculos in cælum attollit, & lacrymas pro suis persecutoribus fundens, ardenti amoris affectu ad patrem suum clamat: [pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.] & quam benè illud suum præceptum nobis aliquãdo datum: diligite inimicos vestros, & orate pro ijs qui vos persequuntur.] hodie effectui ipse mandat, idque cum lacrymis & clamore valido misericordia ac pietate plenis factus pro nobis maledictum. hinc Ambrosius: [ille fleuit, ne tu homo diu fleres: ille iniurias passus est, ne tu iniuriam tuam doleres. Grande remedium solatium habere de Christo. Ille enim pro nobis hæc patientius tulit: & sumus, qui patienter hæc pro illius nomine ferre nequeamus: ideo pro nostra infirmitate instantius patrem orat, patet inquiens dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt: omnis quippe peccans est ignorans: cum. ergo sanguineis Christus lacrymis pro se persequentibus oret, quidni accedamus magna cum fiducia præsertim iam tempore gratiæ legis ad sanguinis adspersionem melius loquẽrem quam Abel: quia sanguis Abel, vt ait B Thomas, clamat vindictam, sed sanguis Christi clamat veniam: pater ignosce illis. hinc Iob in Christi persona ait. [Terra ne operias sanguinem meum, nec inueniat in te latendi locum clamor meus.] Quem locum ita explanat D. Gregorius. [Ipse

Amb. l. 2. de fid. c. 4.

Gregor. 13. moral. c. 12.

Digitized by Google

sanguis redemptionis, qui sumitur, clamor nostri redemptoris est. Melius loquitur sanguis Iesu, quam Abel, quia sanguis Abel mortem fratricidæ petijt, sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetrauit. Locum latendi, clamor eius in nobis inuenit; si hoc quod mens credidit, lingua tacet. Sed ne in nobis clamor eius lateat, restat, vt vnusquisque iuxta modulum suum viuificationis suæ mysterium proximis innotescat.] Nihil enim tam frequenti, acri ac vehementi cura versare & inculcare debemus quam Christi hanc orationem pro persecutoribus fusam.

Se se nõ vindicat Christus.

4. Reg. 1.

4. Reg. 2.

Gen. 9.

Crucifixores ad pœnitentiam vocat.

4. Reg. 19.

Act. 5.

Ber. super Cant. to. 2. ser. 50. c. 4.

3. Non imperat igni vt è cælo descendat, & iniuriantes deuoret, sicut olim Elias fecit, non ferociſſimis belluis, vt eos in partes discerpant, quemadmodum Elisæus, non maledicit impuris dæmonum mancipiis, blasphemias in se euomentibus, vti quondam Noë maledixit Chanaan: non Angelis præcepit, vt omnes ad internecionem deleant, sicuti aliquando exercitum Sennacherib deleuerunt: non morti, vt improuisis eos configeret sagittis, sicut Petrus Ananiam, & Sapphiram; sed mansuetè omnia ferens: pater, inquit, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. ô admirabilem Christi pietatem & mansuetudinem, qui, vt ait Bernardus, flagellis cæsus, spinis coronatus, clauis confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor inquit: Pater ignosce illis. Non ait: examina, considera, pondera, sed ignosce, vt nostras doceat offensas non examinare, non ponderare, nec etiam considerare: sed obliuioni omnino tradere, & toto corde, & pleno ore atque efficaci opere indulgere] Pater, ait, ignosce illis.

Digitized by Google

Audiant ergo qui ex hæredibus illius esse volunt, hanc eius vltimam voluntatem, audiant Dei filium cælestia omnibus palam oracula pronunciantem; Et ne fortè ignorantiæ prætextum malè affecti prætenderent, sublimis voluit in crucis cathedra collocari, vt ab omnibus videretur, & vocem quasi tuba exaltauit, vt ab omnibus audiretur. Cuius vis tanta vt cælum penetret, petras disrumpat, mortuos suscitet; imo hinc Hierosolymam totius Orientis Principem ciuitatem, & velut vniuersi terrarum orbis meditullium ad hoc elegit, vt inde in omnem terram exiret sonus eius, & vt maiori auditorum celebritate id faceret, diem festum Iudæorum, & locum potentissimum extra vrbem designare voluit, quo omnia perfectissimè cum omni solemnitate, & requisitis circumstantiis ante mortem absolueret. Arrigite igitur aures, flagrantissimisque animis suscipite cælestia patris vestri auidè documenta, & oculis præ lætitia simul ac mœrore genas irrorantibus, hanc primam huius Doctoris salutarem lectionem, & prima vltimæ voluntatis verba paucis contenta, sed omnem vitæ perfectionis doctrinam continentia vestris inscribite pectoribus. Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciant.] Hinc Gregorius, [Quibus, ait, homo sufficiens erat nullus; ipse Deus homo factus est interceſſor pius, nam in cruce suspensus orauit dicens: Pater dimitte illis. Placatus est ergo Deus ijs qui in Deum peccauerant non aliena prece, sed sua.]

Monemur vt attetius audiamus. vltimam eius voluntatem.

Greg. in illud Hiere. 15. Quis miserebitur tui, &c.

4. Plorauit olim Isaias scelera Babylonis, Hieremias iniquitatem filiæ Sion, Ezechiel flagitia, abominationesque Ægypti, Tyri & Oseæ, Amos

crimina Samariæ ; sed Christus cruci affixus totius vniuersi peccata deflet. Non deflet tantum originis peccatum sed singula etiam singulorum, tum mortalia, tum venialia, præterita, præsentia & futura. Agnus enim Dei est, qui tollit peccata mundi, qui solus (vt ait Isichius) quod in se commissum est potest relaxare. Talem ergo inuenimus deprecatorem qui nullo pro se apud patrem indiget oratore, [Quis (inquit Augustinus) pro quo nullus orat, nisi ille, qui pro omnibus interpellat.] Audi, ô homo ex duro crucis lecto Christi pectus gemitibus resonare, suspiriis perstrepere, & ad lacrymosas eius voces ipsos reboantes cælos, dum ingeminat : Pater dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt.] cur igitur ad crucem non accedimus, vt hanc inusitatam auidis auribus hauriamus lectionem ? cur non lacrymas lacrymis, vota votis coniungimus : Pater dimitte nobis quæ hactenus in te commisimus : nescimus enim quid fecimus. Errant enim qui operantur malum.] Horum enim (vt loquitur Tertullianus) erit venia per exoratorem patris Christum.]

Isi. l. 2. in Leuit. 7.

Aug. con. 2. in Psal. 36. ad medium.

Prou. 24.

Tertul. l. de pudici. c. 19.

5. Quam aptè Iesus in cruce Saluatoris officium exercet : Pater, inquiens, dimitte illis. Amabile profecto, breue, sed efficax orationis exordium : pater. Potuisset quidem hinc initium sumere : omnipotens Domine ; sed dulce patris nomen maluit exprimere, vt agnoscat pater, non serui alicuius, sed vnigeniti sui verba hæc esse. Amoris igitur pleno Christus exordio vsus ad paternum pectus flectendum [pater, inquit, ecce filius tuus, quem tibi dilectum in Transfiguratione coram Moyse & Elia, Petro, Ioanne, & Iacobo

Quam dulce nomen, & efficax ad impetrãdum pater.

Digitized by Google

è nube professus es, ad te non tanquam ad Iudicem, qui seuera Iudicij censura castigare delicta solet, sed veluti ad patrem amantissimum clamo, vt me persequentibus parcas. ô immensam Saluatoris nostri charitatem! quam admirans sic Cyprianus exclamauit [sicut dixisti, ô Domine, mandatum nouum do vobis: ita nunc dicere potes, exemplum nouum do vobis.] quid enim magis nouum quam pro cruciantibus se orare, & diuinum pectus dulci patris nomine ita inflectere vt misericordiam filij sui persecutoribus tribueret. Cum igitur nihil patri optimo antiquius filio, qui in omnibus patri obsequiosus semper fuit, cumque nihil dulcius in inobedientissimi filij ore patris nomine, nihilque fiduciam ac spem impetrandi magis addat, hoc potius dulcissimo patris nomine quam omnipotentis vsus est. Et quid dare negabit parens misericordissimus filio obnixè petenti, cum hoc illi dederit, vt filius eius esset naturalis. Hinc certus de suæ orationis effectu pater inclamat, mei saltē amore dimitte illis, quorum gratia libenter ego filius tuus iam patior. Licet enim in te, & me peccauerint, multi tamen ex illis filij tui per gratiam futuri sunt. videbat, inquit Augustinus, quosdam suos, inter multos alienos, illis iam petebat veniam, à quibus accipiebat iniuriam: non enim attendebat, quod ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur] licet ergo quoad sufficientiam pro omnib⁹ supplicauerit, quoad efficaciam tamen orauit tantummodo, pro suis qui ex ignorantia minus grauiter fortè peccarunt. Quam rem sic declarat Bernardus; ideo ignosco illis, quia non agnoscor ab illis, sunt quibus non

Cyprian.

Aug. tract. 31. in Ioan.

Ber. trac. de præcep. & dispen. Ioan. 17.

ignoſco, quos non ignoro, & vidiſſe, & odiſſe, & me & patrem meum.] Non ergo pro mundo rogat, ſed pro his quos dedit illi pater. Hos Chriſtus docuit communem habere patrem in cælis ad miſericordiam propenſiſſimum. Quare patrem obſecrat vt illis pietatis viſcera modo oſtendat; quaſi diceret: cur ego pater illos amo? nonne quia tu iuſſiſti? & cur eorum curam ipſe, & patrocinium geris? nonne quia pater, & quia cum filius tuus ego ſim, per te inſtigatus paternam illis conuiuentiam poſtulo, eoque magis, quia id mereor tot patiendo pro illis tormenta ex tuo decreto. Dimitte ergo illis, ô pater! mira res, inquit Bernardus, ille clamat, ignoſce: Iudæi, crucifige. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & iſti ſunt iacula. Et ſtatim in Iudæos indignabundus: ô Iudæi, lapides eſtis: ſed lapidem percutitis molliorem: de quo reſonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum charitatis. Quomodo potabis, Domine Ieſu, deſiderantes te, torrente voluptatis tuæ, qui ſic perfundis crucifigentes te oleo miſericordiæ tuæ?]

Ber. ſer. de paſſ. feri. 4. maio. hebd.

6. O quanta hæc filij Dei amoris argumenta in ſuos perſecutores! Hinc Anſelmus: Chriſtus in cruce leuatur, irridetur, blaſphematur, & ecce dicit: Pater ignoſce: ô verbum magnæ patientiæ, magnæ dulcedinis, magni amoris, & indicibilis charitatis! Ecce enim non ſuam attendit iniuriam, non pœnam reputat, non ſentit contumelias, non obliuiſcitur miſereri: ſed ipſis quoque à quibus patitur, ille compatitur, à quibus vulneratur, ipſe medetur, vitam procurat, à quibus occiditur, orat pro eis, & non petit vltionem. Sic igitur anima mea quid in cruce agat percunctare,

Anſel. ſer. de paſſ.

percunctare, & respondebit tibi illud Psalmographi; Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi; ego autem orabam. Pater, dimitte illis, & in primis illis qui me modo cruci inhumaniter affigunt, illis, qui meas sub cruce vestes inter se diuidunt, illis qui in me blasphemias euomunt, qui me irrisionibus, scommatibus, & execrationibus lacessunt, illis qui ex inuidia, odio, rancore ingeminant: Tolle, tolle, crucifige, crucifige; illis qui me importunis onerant calumniis, illis qui me falsò apud Pilatum accusarunt; illis denique omnibus qui meæ passionis fuere authores, Scribis, & Phatisæis, Sacerdotum Principibus, clamosæ plebi, & Pilato, qui in me iniquam mortis tulit sententiam, necnon Adamo, eiúsque posteritati, qui omnes tam horrendæ passionis causa extiterunt. Scio quidem illos æternas commeruisse pœnas, scio dignos, quos terra absorbeat, vel ignis de cælo cadens in cineres redigat, scio dignos, quos Oceanus suis implicet vorticibus, & ad imum præcipitet, scio æterna dignos è cælesti patria proscriptione, tanta tamen, ô Pater, sanguinis mei vis est, vt illius profusoribus, si velint, profuturum. ô charitatis abyssum! verè (vt ait Gregorius) charitas in sancto eius pectore ex persecutione ignescebat magis, & veluti per antiperistasin magis se acuebat, sicut se acuit, & intendit calor cum à frigore obsidetur, & impugnatur. *Greg. l. 27. moral. c. 7.*

7. Verùm vt facilius peccati huius veniam impetret, peccantes excusat, eorúmque quantum potest, peccatum extenuat: quia, inquit, nesciunt quid faciunt, quod est vltima huius efficacissimæ orationis, & vltimæ voluntatis exordij periodus. *Extenuat peccatum.*

Excusare quidem non poterat Pilati iniustitiam, qui reclamante conscientia flagellis innocentem subdidit, & in eum postea iniustissimam mortis sententiam ambitione inductus pronunciauit, neque inusitatam militum crudelitatem, neque inuidiam, odium & rancorem Sacerdotum principum, neque inconstantiam & ingratitudinem plebeculæ, neque falsa peierantium testimonia, tantum poterat eorum excusare ignorantiam, quamuis multi inter illos crassa affectatáque laborabant. quare graui culpa non carebant [quid est ergo, interrogat Augustinus, quod in cruce positus Saluator ait: ignosce illis, nõ enim sciunt, quid faciunt : si enim nescIunt, quid est quod ignoscitur, maximè cum dicat Rex Abimelech ad Deum; Nunquid Gentem ignorantem perdes? non omnis ignorans immunis à pœna. Ille autem ignorans potest excusari à pœna, qui à quo disceret, nõ inuenit. Istis autem hoc ignosci petit, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt,] cum neque prauam Iudæorum intentionem, neque factum ipsum excusare Christus posset: poterant enim scire sceleris sui grauitatem, si credere voluissent Christo nuntianti, & proinde ex mala intentione malum commiserant scelus, excusationem tamen Christus adhibet, qua facti magnitudinem eleuet, veniámque impijs tortoribus deprecatur, qui omnes saluos fieri cupit. [Licet igitur Pilatus Sacerdotum principes, populus & ministri minimè Christum esse Dominum gloriæ cognouissent: Nam (vt ait Apostolus) si cognouissent, numquam crucifixissent, cognouit tamen Pilatus illum, fuisse virum iustum, sanctum, Innocentem

Aug. de qu. vet & nou. Testam.

1. Cor. 2.

ac proinde toties illum absoluere conatus est. Quoties nullam se causam in eo reperisse, reclamantibus Iudæis, significauit & ex mera principum Sacerdotum in eum inuidia, sibi traditum cognouit. Cognouerunt principes etiam Sacerdotum, illum verè esse Christum in lege promissum (vt asserit Illustrissimus Bellarminus) ex B. Thoma, quia, inquit, negare non poterant, neque negabant eum multa signa facere, quæ Messiam facturum fuisse Prophetæ prædixerant. Cognouit denique plebs inconstans Christum sine causa iusta damnari, toties Pilato clamante: [nullam causam inuenio in eo, &, Innocens ego sum à sanguine iusti huius.] Malitia itaque corda eorum excæcauit, quo minus Christum esse verum Messiam, ex tam euidentibus signis colligere possent. Hinc B. Ioannes, cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant, quia dixit Isaias: [excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, vt videntes non videant, & audientes non audiant, & conuertantur, & sanem eos.] Quæ excæcatio minimè illos excusat, quippe voluntaria & concomitans, non verò præcedens. Nesciunt quidem quid faciunt, huiusmodi perculsi cæcitate, qua solent omnes ex malitia peccantes laborare, quæ illos non excusat, quia actum peccati non præcedit, sed concomitatur. Tanta tamen Christi bonitas, vt illam etiam ipsam ignorantiam concomitantem quantum fieri potest, excuset. Quare Cassianus: [sciunt, inquit, quia crucifigunt, ignorant quem crucifigunt.] Ecce ignorantia concomitans, quæ delinquentes non excusat.

Bellarm. de primo verb. Dom. in cruce, cap. 1. sub finem.
D. Thom. in comm. ad 2. c. prior. ad Corinth.
Luc. 23.
Math. 27.
Isai. 6.
Ioan. 12.
Cassian. lib. de pass.

8. Docet Chrysostomus inimicum non lege Ta-

Chrysost. in mor. in illud vince in bono malum.

lionis, sed patientia, contemptu, & risu vincendum. [In olympicis, inquit, certaminibus diabolo consecratis, lex est maleficiendo vincere, in stadio Christi omnino lex est contraria: hic enim non eum, qui percutit, sed qui percutitur, coronari decretum est. Illud demum est diuinæ virtutis, illud cœleste stadium, illud Angelorum theatrum, si mansuetudinem exhiberemus, essemus omnibus insuperabiles, nec vlla ad nos injuria peruenire. Roga inimicum an non doleat, an non censeat se victum cum rides, cum contemnis eius iniurias.] Nihil certè magis hostem affligit, quam eius tibi illatas iniurias veluti inanes venti flatus contemni, alioqui ab inimico vincitur, & non vincit qui eius iniurias magni facit. [Vindicare ergo se, vt ait Ambrosius, non est actus fortitudinis, sed abiectionis, & timiditatis.] Hoc in primis optimè intellexit ille hominum mansuetissimus Moyses, qui populo in Deum, & in se rebellanti tanti sceleris veniam à Deo efflagitauit. [Quid Moyse (inquit Gregorius) mansuetius, qui commissi sibi populi seditionem tolerat, & tamen irascentem Dominum pro ijsdem suis persecutoribus rogat, séque pro illis diuino furori obijcit: quid in sancto eius pectore etiam ex persecutione charitas ignescit? Quid Samuele benignius, qui de principatu regendi populi deiectus, successorem sibi humiliter requirit, inuentúmque vngit in regem, vnctum mox tolerat persecutorem? à quo ne moriatur, trepidat: & tamen ne ei Dominus irascatur rogat:] & subdit, quid ergo isto viro benignius dici potest, qui & hunc non vult diuinitus percuti, à quo formidat occidi? Quid Dauid

Patientia & contemptu inimicus vincendus.

Ambr. lib. 1. offic. cap. 36.

Exod. 32.

Greg. lib. 27. moral. c. 5.

misericordius qui à Rege reprobo pro victoriis contumelias recipit, qui de manu hostili Israëliticam gentem fortis eripuit, & tamen ipse ne moriatur quasi debilis fugit? qui & se electum diuino iudicio, & persecutorem suum reprobum agnoscit, & tamen eidem persecutori suo crebrę satisfactionis humilitate se subijcit?] Quid patientius Stephano & Iacobo Domini fratre, qui lapidibus & fustibus horribiliter appetiti, magistri sui exemplum secuti pro suis lapidantibus, & percutientibus obnixè orarunt, Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Ad hanc Sanctorum, & maximè Christi patientiam serio imitandam sicuti ad eius charitatem, & mansuetudinem, nos excitare Chrysostomus nititur [congruum, inquit, est, vt quando quis contumelia nos afficit, vel verberat, vel alia ratione affligit, sustineamus omnia mansuetè, & patienter. Et enim ipse Dominus, & Saluator noster contumelia affectus, verberatus, cruci clauis affixus, leniter tulit Iudæorum furorem, & licet posset de ijs vindictam sumere, non sumpsit tamen: sed virtutem suam ostendit, eo quod concussit terram, & mortuos suscitauit, & obscurauit Solem, & noctem ex die fecit, mansuetudinem autem declarauit, quia nullum ex his, qui impiè agebant, puniuit, & quia tam mansuetus fuit ipse, vt non solum mansuetè eos tulerit, qui crucifigebant, & blasphemabant, sed & patrem obsecrauerit, ne cælestibus aduersus impios telis vteretur; idcirco cum & tibi graue aliquid, & durum ferenti, subrepunt furor, & ira, recordare mansuetudinis Christi, & in inimicos charitatis, & statim mansuetus eris & clemens.]

Chryſ. ſerm. de manſuetudine.

9. Audi manſuetudinis authorem: Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt: non quod ipſe non poſſet relaxare (inquit Chryſoſtomus) ſed vt pro perſequentibus orare doceret, non ſolum verbo, ſed opere. Hoc eſt illud nouum charitatis præceptum in nouo teſtamento per Chriſtum primo explendum, ad quod olim Dauid ſpiritu incitatus prophetico explendum, Dei filium excitabat: [Exurge Domine in præcepto, quod mandaſti, & Synagoga populorum circumdabit te.] [Quid eſt (inquit Chryſoſtomus) quod mandaſti? vt opem feramus his qui iniuria afficiuntur, & non negligamus eos, quibus extruuntur inſidiæ: quod tu ergo nobis lege inſtituiſti, hoc etiam facto nobis exprime.] Verè hoc non tantum lege nobis conſtituiſti, ſed quod multo perfectius eſt, cauiſti vt pro perſequentibus nos, oremus. Hoc perfectæ charitatis præceptum hodie in crucis patibulo ſuſpenſus imples, patri inclamans: Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt. Ad hanc etiam Chriſti patientiam, manſuetudinem, & eximiam charitatem amplectendam nos excitat Auguſtinus: [Tu, ô Chriſtiane, inquit, quæris vindicari de aduerſario tuo, qui tibi forſan iniuriam fecit! æſtuas, furis, anhelas, feſtinas vindicari: attende Chriſtum medicum ægritudinis tuæ; attende Redemptorem animæ tuæ: propter te pependit in ligno, & nondum eſt vindicatus, & tu vis vindicari, & non vis tantum, & talem magiſtrum imitari? Ideo pati voluit, vt tibi patientiæ ſuæ demonſtraret exemplum. Vide pendentem, & tibi languenti de ſuo ſanguine medicamentum conficientem! vide pendentem, & tibi de ligno,

Chryſoſt. in Mat. c. 19.

Pſalm. 7.

Chryſoſt. in expoſitione illius verſ. Pſalm. 7.

Aug. Ser. 2. de Sanctis.

Digitized by Google

tanquam de tribunali præcipientem, audi precantem: Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.] Quis ergo noſtrum eſt, propoſito ſibi hoc ſingulari charitatis, & amoris in inimicos exemplo, adeo pertinax, vt nolit tam eximij charitatis actus æmulus eſſe, quo magiſtro ſuo charitate ſimilis fieri poſſit? grauiſſimum quidem erat ſcelus hoc, quod Iudæi perpetrarunt; Chriſtus tamen de eius grauitate, aut indignitate ne verbum quidem facit, imo illud quantum poteſt extenuat, inquiens: neſciunt, quid faciunt: ſic nos, licet factum excuſare minimè poſſumus, intentionem tamen facientis excuſemus contemnamúſque nobis iniurias illatas. [Omnis enim (vt ait Tertullianus) iniuria ſeu linguâ, ſeu manu incuſſa, cum patientiam offenderit, eodem exitu diſpungetur, quo telum aliquod in petræ conſtantiſſimæ duritiem vibratum. Proprium igitur (vt ait Seneca) eſt magnitudinis veræ non ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſpexit: ſic illiſus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat. Qui non iraſcitur in iniuria inconcuſſus perſiſtit, qui iraſcitur, motus eſt. Non ergo iniuriam pati, ſed iniuriam facere, vel neſcire pati, malum eſt.] Paſſus eſt Chriſtus iniuriam, non retulit, ſed pro iniuriantibus orat: Pater, dimitte illis, &c.

Tertul. l. de pœnit.

Seneca lib. 3. de ira, c. 25.

De blaſphemante latrone, & de redarguente illum blaſphemiæ altero latrone.

CAPVT LXIX.

Luc. 23. 1. [VNus autem de his, qui pendebant, latronibus blaſphemabat eum, dicens: ſi tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum, & nos: reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.] Ecce quomodo malo latrone & Iudæis Chriſto improperantibus, bonus hic latro ſocij ſui impudentiam redarguit, qui malitiam Iudæorum imitatus eſt dicentium: [alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluare: deſcendat nunc de cruce, & credimus ei,] de cruce non deſcendit, quia id perperam petebant Iudæi ſicut latro, vt ſemetipſum ſaluum faceret, & eiuſdem pœnæ comites, [cum ſaluus (inquit Bernardus) eſſe non poterit, niſi qui perſeuerauerit vſque in finem: quanto minus poterit eſſe ſaluator? & ſtatim in diabolum inuectus: [nouit, ait, iniquè quid cogites. Non tibi dabit occaſionem ſurripiendæ nobis perſeuerantiæ, quæ ſola coronatur. Non faciet obmuteſcere prædicatorum linguas, conſolantium puſillanimes, & dicentium ſingulis: tu locum tuum ne deſeras. Quod ſine dubio ſequeretur, ſi reſpondere poſſent: quia Chriſtus ſuum deſeruit.] Noluit etiam deſcendere ne anſam illis præberet deſtruendi

Bern. ſer. 1. in die Paſcha.

fidem quam ipsi promittebant. [eò quippe, inquit Bernardus, tendebat malitiosa suasio, non vt ipsi crederent: sed nostra quoque, si qua erat fides in eum, omnimodis deperiret. Legentes enim: Dei perfecta sunt opera, quando fatererentur Deum qui salutis opus reliquisset imperfectum?] illos imitatus blasphemus ille latro, ait: Si tu es Christus saluum fac temetipsum, & nos. Quibus verbis tacitè negat Christum esse, nec se, nec alios posse saluare. *Deuter. 32.*

2. Quam familiare impijs propria obliuisci peccata, & aliena exaggerare, de bonis murmurare, & sua illos censura acerbiùs perstringere, semetipsos vero velut Innocentes illis comparatos existimare, & præferre! quemadmodum scelestissimo huic latroni euenit, qui quamuis hoc vltimo blasphemiæ peccato mensuram suarum iniquitatum implesset, sese tamen Christi Innocentiæ præponere videtur cum illum blasphemiæ arguat, quod crimen latrocinio immanius. Hinc licet colligere, & improbi latronis insolentiam qui Innocenti insultat, & incredibilem etiam Christi patientiam, qui illo insolentius blasphemante, altum coluit silentium; verum Christo tacente, alter latro, qui à dextris erat diuino actus spiritu, & cælesti excitatus gratia blasphemanti sese obiecit: [Neque tu, inquit, times Deum, qui in eadem damnatione es,] quasi dicat: cum in eadem, qua Christus pœna versaris, & quod amplius est, tu quidem merito, ille verò immerito, tamen neque pœnæ societas, neque eius te mouet vitæ sanctitas, & Innocentia, vt eius miserearis, cum certum sit illum haudquaquam hanc crucis pœnam nobis- *Latro Christum defendit.*

Digitized by Google

cum, pro aliquo pari latrocinio, aut crimine etiam minimo: & nos quidem iustè patimur, qui pro innumeris à nobis patratis furtis, ac latrociniis, & quamplurimis scelcribus crucis supplicio torquemur; hic autem nihil mali gessit. Innocens omnino est, nihil cruci debet. [Quam velox fidei effectus vt de crucifixis (vt loquitur Leo) cum Christo latronibus in Christum filium Dei vnus crediderit, paradisum iustificatus intrauerit. Quis tanti muneris explicet Sacramentum? quis potentiam tam miræ commutationis enarret? exiguo temporis puncto longorum scelerum reatus aboletur, inter luctantis animæ dura tormenta, hærens patibulo transit ad Christum, & cui propria impietas intulit pœnam, Christi gratia dat coronam] quamuis inquit bonus latro pœnæ sit nobiscum Christus comes, non est tamen comes culpæ; exhorrescamus ergo Innocenti insultare, satis nobis sit nos pro nostris demeritis iure puniri, & commiscreamur Innocenti grauissimas nobiscum pœnas subeunti, qui nullum vnquam vel minima pœna dignum commisit crimen: filius enim Dei est, in quem peccatum cadere minimè potest. O virum omni dignum admiratione, quã altos geris spiritus, vt non extimescas palam profiteri Christi Innocentiam eo præsertim tempore, quo omnes illam impugnabant suaque fuga Apostoli velut reum mortis! ô præco Altissimi non vereris ex alto crucis pulpito proclamare: [Hic verò nihil mali gessit:] non extimescis Iudæorum iram, Sacerdotum & Scribarum indignationem, qui circumfremẽtes hoc ipso tempore quo hanc præclaram facis professionem,

Leo. ser. 4. de pass.

blaſphemant. Tu ſolus magnis vocibus diſcipulis in fugam verſis, Chriſti prædicas innocentiam.

Exclamationes quibus extollitur bonus latro.

3. O latro ſapientiſſime! ô Chriſti innocentiæ ſingularis præco! ô Confeſſor egregie, quanta inſtructus gratia, Chriſti deprædicas innocentiam, quam perſpicaci fidei oculo intueris latitantem Chriſti diuinitatem! quam ſingulari confeſſione, cum omnes penè negant, iuſtum innocentem, ſine crimine, omni virtutum genere ornatum, innocentiſſimum, ſanctum & omni vacuum crimine palam profiteris. Quam ſagaciter præuides fidei oculo quod aliquando Chriſtus per Matthæum mundo ſignificandum prædixerat, in te breui ob eximiam hanc de Chriſti innocentia confeſſionem explendum: [Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt, & coram Angelis Dei.] Quam inſignes porro humilitatis præſertim & charitatis actus in hac ſua reprehenſione bonus iſte latro oſtendit! nonne egregius ille fuit charitatis actus quo publicè grauibus, & conuincentibus blaſphemum latronem verbis corripuit, quo illum ad ſaniorem reduceret mentem: [Nec tu times Deum, qui in eadem es mortis damnatione!] atque ſi diceret: quod Deum non timeant ſua fruentes libertate, deliciis, & huius mundi gloria, integris viribus, non adeo mirandum; ſed quod tu non timeas qui ita tuam libertatem amiſiſti, vt ne quidem loco te mouere poſſis, cruci manibus ac pedibus affixus, horrendis ſubditus tormentis & morti proximus; hoc verò omnem excedit ſtuporem! non igitur ſummæ humilitatis

Matth. 10.

Actus charitatis & humilitatis

actus palam fateri ſuam culpam, ſeque iuſte cruci affixum, quam ſuis promeruit ſceleribus? cuius rei ſuum admonens ſocium ad eandem ſecum humilis confeſſionis promulgationem, & iuſtam iudicij ſententiam in ſe prolatam eſſe omnibus ſignificandum excitabat, dicens: [Et nos quidem iuſtè] crucis tormentum ſubimus; [Hic autem nihil mali geſſit] cuius patientia tam ſtupenda, vt non ſolum in tortores minimè excandeſcat, ſed potius pro eorum conuerſione ac ſalute oret: [Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.] Sed incaſſum omnia adhibuit bonus latro ad ſui ſocij conuerſionem.

Malus latro reſpuit boni latronis cõſilium.

4. O ſi ſcires impie latro, quid bonus latro per huiuſmodi confeſſionem conſecutus ſit, profecto tui ſocij conſiliis acquieuiſſes! ſi ſcires quiſnam ad latus tuum poſitus, cuius gratia effectum eſt, vt comes tuus breui rapturus ſit paradiſum, reſipiſceres vtique, tuamque ſortem haud dubiè clementius, & æquiori ferres animo, neque cum Iudæis Chriſto inſultares, ſed potius ingenti perfuſus gaudio fœlicem te Dei conſortio deprædicares, tibi ſummo duceres honori, pro tuis ſceleribus, cum hoc Innocentiſſimo mori. Sed impiè, maluiſti cum Iudæis blaſphemando ad barathrum ſceleribus cumulatus deſcendere, quam cum comite tuo ab omni expeditus iniquitate Paradiſum rapere, cum facile tibi eſſet cum Innocente morienti, illius gratia, ſocij tui ſortis fœliciſſimæ eſſe participi. Optimam partem elegit ipſe, quæ non auferetur ab eo, qui probè intellexit ſe prò ſceleribus ſuis, cum Innocente mori, ſub cuius vmbram confugiens cruciatus ſuos æquo tulit animo, ſibique honori duxit, cum

Egregia de Phocionehiſtoria.

hoc Innocente vitam finire, vt cum eo æterna frueretur beatitudine, singularem huic nostro negotio, de Phocione historiam applicandam nobis reliquit Plutarchus. Hic siquidem in vincula nullo commisso crimine coniectus, alium in carcere inuenit Tudippum nomine, capitalis criminis reum, qui sortem suam sæpius deflebat, quem huiusmodi verbis Phocion consolatus est: [num tibi satis est Tudippe cum Phocione mori] quasi diceret: quid turbaris? quid fortunam tuam deploras Tudippe? quid adeo sortem tuam defles? lætãdum tibi potius, & exultandum, quod tibi cum Phocione viro Innocentissimo sit moriendum. Tu quidem iustè ob scelera in Rempublicam perpetrata ad mortem deposceris, & tamen ploras? at ego qui semper patriæ saluti impensius studui, ac de ea semper bene sum meritus, qui nemini vnquam ne verbo quidem nocui, iniqua tamen sententia morti adiudicatus sortem hanc æquo ferendam animo iudico. Quare cum ita sit, nonne tibi potius honori & ingentis gloriæ loco æstimandum Tudippe, cum Innocente mori? Iisdem penè verbis te præsertim fœlix latro alloqui possum: num tibi satis est, Disma, cum insigni nostro Phocione mori? tu quidem, vt optimè, & candidè fateris, iustè ob scelera tua, ad mortem deposceris: sed Christus, qui peccatum nunquam fecit, & in cuius ore nullus vnquam inuentus dolus, qui semper generis humani saluti incubuit, ac de eo semper benè est meritus, qui neminem vnquam, ne verbo quidem læsit, iniustissima tamen Pilati sententia, ad probrosam crucis mortem condemnatus æquo animo hanc, tui gratia, sortem tulit.

Quid igitur honorabilius? quid salutarius? quid glorioſius, quam cum hoc innocentiſſimo Phocione mortem oppetere? ô fœlix latro! verè tibi ſummo honori & ingentis gloriæ loco duxiſti, cum hoc noſtro Phocione mori.

De fructu Chriſti in cruce orationis & latronis conuerſione.

CAPVT LXX.

Typus impiorum malus latro.

1. SIcuti impiorum figuram impius latro; ſic omnium ex animo pœnitentium bonus latro Diſmas typum geſſit. Impius enim ille latro quamuis ſuorum ſcelerum conſcius eſſet, Chriſtique innocentiam facile poſſet intelligere, improperauit tamen illi; impurique cordis ſui in eum euomens blaſphemiæ venenum, ipſum imbecillitas arguit, impatiens pœnæ ſuis ſceleribus debitæ; ſicut impij Iudæi, quorum typus ille fuit, ſibi multorum ſcelerum conſcij, & perfectam habentes Chriſti innocentiam, minimè contenti in crucem illum agere, ſed verborum etiam ſcurtilitate, & mordacibus impuræ linguæ ſannis infeſtare non deſtiterunt, qui innocentiæ potius illi teſtimonium dare, & crucifixo condolere debuerant. Quare merito in eos

I eo. ſerm. 4. de paſſ. Inuectiua oratio in Iudæos.

B. Leo inuehitur: [De quo erroris fonte, impij Iudæi, de quo inuidiæ lacu talium blaſphemiarum venena potaſtis? quis vobis magiſter tradidit? quæ doctrina perſuaſit quod illum Regem Iſraël, illum Dei filium credere deberetis, qui

ſe crucifigi non ſineret aut à confixione clauorum liberum excuteret? non hoc vobis legis myſteria, non paſchalis obſeruantiæ Sacramenta, nec vlla vnquam ora prophetarum cecinerunt: ſed legiſtis illud quod ad deteſtabilem veſtri ſceleris impietatem, & ad voluntariam Domini pertinet paſſionem: dorſum meum dedi ad flagella, maxillas meas ad palmas, faciem autem meam non auerti à confuſione, ſputorum: Et paulo poſt ſubdit: [Non legiſtis: Dominus deſcendit de cruce, ſed legiſtis: Dominus regnauit à ligno.] Nihilominus inclamatis: [Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluare, deſcendat de cruce & credimus ei.] Sed Chriſto tacente, vobis blaſphemantibus (ſicuti ſcelerato latroni blaſphemiam euomenti) bonus latro reſpondit: neque vos timetis Deum qui impudenter huic iuſto improperatis. Ecce euidentiſſima electorum nota, quâ à diaboli filij ſecernuntur, Deum ſcilicet timere, & innocenti malè tractato ex animo condolere, qua electionis teſſera bonus etiam latro à malo latrone dignoſcitur, qui neque Deum timuit, neque innocenti Chriſto inhumaniter excepto condoluit. *Iſa. 53.*

2. Quod vero hac electi nota bonus latro à malo diſtinctus fuerit ſtatim oſtendit: Illo enim pertinaciter in ſuis perſeuerãte flagitiis bonus latro conuertens ſe ad Chriſtum: [Domine, inquit, memento mei, cum veneris in regnum tuum,] Quorſum hoc? vterque adeſt Chriſto morienti, vterque eius audit pro inimicis fuſam orationem, vterque videt eius patientiam, vnus tamen conuertitur, alter pertinax in malo perſeuerat. [Sicut enim, ait Auguſtinus, aurum ſub vno igne *Aug. de ciu.*

rutilat, paleat, fumat, & vbi paleæ comminuuntur, frumenta purgantur: ita vna eademque vis irruens, bonos probat, & purificat, malos damnat, vastat, & exterminat; vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur, & blasphemant: boni Deum precando laudant. [Domine, inquit bonus latro suspensus in cruce cum Christo, memento mei cum veneris in regnum tuum] malo latrone etiam in cruce Christum persequente, & illum arguente infirmitatis: [Si tu es Christus saluum fac temetipsum, & nos: cui Dismas, Neque tu times Deum qui in eadem damnatione es? nos quidem iustè, scilicet patimur: nam digna factis recipimus] ô Christi orationis efficaciam, cuius fructus in ipsa etiam cruce apparuit! Commouit enim alterius latronis viscera, & ad celerem perduxit pœnitentiam. Hinc statim ad Christum conuersus, ait, Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum. [Non est, inquit Chrysostomus, ausus dicere: memento mei, nisi confessione peccati sarcinam remisisset. Inspice, quantum præstat confessio, confessus est, & paradisum patefecit: & totam confessus fiduciam meruit, vt regnum post latrocinium postularet.] Ecce Dominicæ crucis effectus latronis conuersio ex qua sequitur Dominici nominis exaltatio, quod significatur per illud dignitatis verbum [Domine.] Deinde peccatorum remissio, quod indicant subsequentia boni latronis verba [memento mei:] quasi dicat, satis mihi erit ad salutem consequendam, si tu mei memineris pœnitentiam agentis, & gratiam tuam efflagitantis. Denique regni cælorum, quod nobis hactenus clausum fuit, apertio, quod innuit

Chry. hom. prio. de cru. & latro.

Dominicæ crucis effectus.

vltima

vltima illius verba [cum veneris in regnum tuum,] quod tuæ passionis virtute nobis aperire festinas, qui tibi per commiserationem simul & amorem coniungimur.

3. Quam abditi, quam sublimes, quam diuini sensus horum verborum latronis, Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum, quam viuax fides, quam ardens charitas, quam inusitata rerum abstrusarum cognitio in illis delitescunt! Hinc Augustinus exclamat, [O bone latro, dicito mihi regnum petens, quid in eo tale vides, vnde istud petas: nam quod in conspicuo est, clauos & crucem cernis. Cui respondes: crux ipsa Regni insigne est, & propter eam Iesum Regem appello, quia video crucifixum: opus enim Regis est vitam suam, pro ijs quibus regnat, ponere: nam bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis,] mira sanè hæc tua, ô latro, conuersio, mira petitio: [Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum,] mira hæc latronis confessio, adeò vt ex viarum insidiatore factus sit derepentè Saluatoris professor! [mira certè conuersione mutatio, exclamat Leo: insidiator viarum, & saluti hominum semper infestus, vsque ad crucem reus, fit Christi repentè confessor, & inter illos acerrimos corporis animique cruciatus, quos simul & instantia, & difficultas mortis augebat, mira conuersione mutatus: [Memento mei, ait, cum veneris in regnum tuum.] Sensisti bone latro tibi pectus feriri inusitata illa Christi oratione, pro inimicis fusa, sensisti ab eius vulneribus erumpentes gratiarum fontes, quibus detersis animæ sordibus fidei lumine derepente collustratus Christi, cor

Leo. serm. 2. de pass.

noſtræ ſalutis amore ebulliens intuitus es, præſertim cum illum audiſſes inter horribiles cruciatus, pro ſe cruciantibus impenſius orantem: [Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.] Hinc quamuis illum tot tormentis ſubditum vidiſſes, in homine Deum latitare, claro fidei lumine regia maieſtate conſpicuum, proteſtatus es, ipſum appellans Dominum, & addens: Cum veneris in Regnum tuum: regnum illius æternum, & cæleſte per crucem poſſidendum indicaſti. Inſuper odoratus es gratiarum eius fragrantiam, & ideo, per illam, ſcelerum tuorum fœtorem à te arceri deſiderans, dixiſti: [Memento mei.] Quid enim aliud per hanc breuem & efficacem orationis formulam efflagitaſti, quam vt Chriſtus tua tibi condonaret delicta? [Hæc eſt (inquit Ambroſius) fidei plena deuotio, vt cum de vulneribus Domini profluens ſanguis cernitur, tunc de poteſtate eius venia poſtuletur: cum videtur eius humilitas, tunc magis timeatur eius diuinitas: cum morti addictus putatur, tunc Regis illi honorificentia deferatur. Iſte enim fidelis latro non credidit moriturum, quem annuntiat regnaturum: non putat ſubdendum inferis, quem dominaturum confitetur in cælo: non arbitratur cum apud tartarum detineri, à quo ſe etiam poſtulat liberari. Cernat licet eius hiantia vulnera, ſpectet ipſius ſanguinem profluentem. Deum tamen credit, quem reum neſcit, iuſtum fatetur, quem non meminit peccatorem. Quamobrem non diu Chriſtus tuæ orationis effectum diſtulit, ſed licuti commeruiſti, tantam tibi mercedem tribuit, vt inter primos hodie habereris in cælo: audiſti enim confeſtim tibi dici: [Amen

Amb. ſer. 4. heb. Sanct. ſerm. 49.

tibi dico: hodie mecum eris in Paradiſo.]

Crux iudicantis tribunal.

Mira certè hoc loco ſeſe nobis res offert: Video enim Chriſti crucem, non tam Chriſti locum tormenti eſſe, quam quoddam iudicantis tribunal! qua re perſpecta exclamat B. Leo: [O admirabilis potentia crucis, ô ineffabilis gloria paſſionis! in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi.] Alterum ſiquidem latronem ſocium blaſphemiæ redarguentem ſuámque confitentem culpam tanta benignitate, ac indubitata amoris ſignificatione, ſtatim ad ſui agnitionem vocauit, nam per confeſſionem ſuæ culpæ Deo placuit, adeo vt non modo à culpa, ſed etiam à pœna liberaretur; [nouit enim, vt ait Ambroſius, omnia Dominus: ſed expectat vocem tuam, nõ vt puniat, ſed vt ignoſcat: non vult, vt inſultet tibi diabolus, & celantem te peccata tua arguat. Præueni accuſatorem tuum: ſi te ipſe accuſaueris accuſatorem nullum timebis: ſi te detuleris ipſe, etſi mortuus fueris, reuiuiſces:] ſic hic bonus latro præclara confeſſione præuenit accuſatorem ſuum dæmonem, præuenit & damnationem, altero qui in impietate perſeuerans naturæ ſuæ ferocitatem Chriſti innocentis ſuauitate, ac patientia emollire neglexit, iuſtè damnato. O quam diſpar vtriuſque conditio! quam diſpar ex crucis Tribunali data ſententia! [in medio enim (vt ait Auguſtinus) Iudice conſituto, vnus qui credidit liberatus eſt; alter qui inſultauit, damnatus.] O quam diſpar alterius fidei & commiſerationis, alterius pertinaciæ, & duritiei cordis compenſatio! quam diſpar vtriuſque exitus! ille rapitur ad æterna præmia, hic ad æternas pœnas. Regnum

Leo ſerm. 6. de paſſ.

Amb. lib. 2. de pœn. c. 8.

Aug. ſerm. 130. de tẽp.

cælorum ille violentus rapuit, altero ad Barathri imum præcipitato; mira enim hæc boni latronis fides, mira eius inter horrendos cruciatus facta confessio, quæ certè arguit eximiam illius in Christum spem. Nam omnibus diffugientibus Apostolis, solus ille tanquam nouus Apostolus & Apostolorum omnium quasi vices subiens, Christi innocentiam asserit, Deum esse agnoscit, & regia maiestate dignum, quem videt secum in cruce torqueri: [Domine, inquit, memento mei cum veneris in regnum tuum.] Mira res, exclamat Ambrosius, confitetur latro, quem discipulus abnegauit. Mira, inquam, res: latro honorificat patientem, quem Iudas prodidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur; ab illo crucis vulnera prædicantur. Intellexit enim quod pro alienis peccatis has ille plagas susceperit, pro alienis sceleribus hæc vulnera sustinuerit: & sciuit quod illa in corpore Christi vulnera non fuerint Christi vulnera, sed latronis: atque ideo plus amare cæpit postquam in corpore eius sua vulnera recognouit, vnde exclamare incepit: [Domine, memento mei cum veneris in Regnum tuum.] O quanta illuxit animæ latronis gratia! Apostolus Petrus negat Christum, & latro cruci affixus confitetur! Discipuli euntes in Emmaus dubij inter se mussitant dicentes: [Nos autem sperabamus, quia ipse esset redemptturus Israël:] hic autem confidenter loquitur: [Memento, inquiens, mei cum veneris in Regnum tuum,] Thomas Apostolus negat se creditum Christum à mortuis resurrexisse, nisi videat in manibus eius fixuram clauorum, & mittat digitum suum in locum clauorum, &

Amb. ser. 49. fer. 4. hebdo. sanctæ.

Luc. 24.

Digitized by Google

mittat manum ſuam in latus eius. Et latro in cruce ignarus fortè Chriſti miraculorum, Chriſtum cruci affixum pro inimicis deprecantem aſpiciens, Regem poſt mortem futurum non dubitauit aſſerere. *Ioan. 20.*

5 O miram latronis fidem, qua tanquam cæleſti claue in Chriſti pectus veluti in bonorum omnium gazophylacium penetrans omnes gratiæ thecas aperuit! ô latro ingenioſe qui prædari ingeniosè didiciſti! vidiſti in meridie Angelorum Regem vilis mancipij habitu contectum; improborum, inquam, fœdis coopertum ſputis! vidiſti toto corpore flagellis laceratum! vidiſti per huiuſmodi ignominioſam crucis viam pergentem, ſed in regnum ſuum iter facientem! verum enimuero perſpicaci fidei oculo, ſub vili hominis habitu, ſub ſcurrarum ſputis regias latuiſſe opes agnouiſti. Inuaſiſti proinde Regem manibus ac pedibus cruci affixum, hanc ingenioſiſſimè anſam quæſiſti, viuacem fidem velut ingenioſam clauem adhibuiſti quatuor vulnerum Chriſti clauſtris, aperuiſti, intraſti, ſpoliaſti regium theſaurum, cum ipſe ſe mouere vix poſſet, neque manibus, te neque pedibus repellere, diuinásque opes tibi comparaſti, quibus ſic es locupletatus, vt inter cæleſtes Principes, cæleſtibus circumfluens opibus ſublimius in cælo breui ſis collocandus! Quam verè de te popularis ille noſter Sedulius: *Fide tanquam clauis aperuit latro diuinas thecas.*

6. [Abſtulit iſte ſuis cælorum regna rapinis.] vtinam huiuſmodi nos latrones ſimus, fide pleni, charitate feruentes, gratia inſignes! quam ingeniosè cum bono latrone in Chriſti pectus ſubintrare conaremur! vtinam boni huius la- *Sedul. l. 5. Quicquid liberum habuit latro Chriſto abſtulit.*

tronis generosam mentem geramus, eiusque in Christum liberalitatem, expilato eius gratiæ thesauro imitemur. [In cruce (inquit Gregorius) claui manus latronis pedésque ligauerant, nihílque in eo à pœnis liberum, nisi cor & lingua remanserat. Inspirante Deo totum illi obtulit quod in se liberum inuenit, vt corde crederet ad iustitiam, ore confiteretur ad salutem.] [Domine, memẽto mei cum veneris in regnum tuum.] O egregia latronis confessio! ô boni nuncij præco, è latrone repente effectus. [Verè (vt ait Arnoldus) Dictator Euangelij latro efficitur, & quod persuaderi illa hora difficile erat, Christum Deum in cruce fatetur, ibi orat, ibi adorat, multa simul pietatis officia complectitur, credit, timet, compungitur & pœnitet, confitetur & prædicat, amat: confidit, & orat, fide illuminatur, timore subditur, compunctione mollitur, pœnitentia concutitur, confessione purgatur, prædicatione zelatur, dilectione dilatatur, confidentia sperat, oratione impetrat.]

Greg. l. 18. Mor. c. 23.

Arnol. trac. de nouis 7. verb. Christi.

7. Quis vnquam talem audiuit Euangelij prædicatorem, qui solus, cæteris penè omnibus Apostolis, Discipulis, amicis præ timore trepidantibus, Christum in cruce intrepidè prædicat? [memento, inquiens, mei cum veneris in regnum tuum:] Domine quamuis hi circumstantes, & comes etiam meus tibi, regnoque tuo illudant, & regiam potestatem, quam ego perspicuo fidei lumine sub carne flagellis contrita, sputis contaminata, liuoribus obducta, contectam irrideãt, teque veluti leprosum, & virorum nouissimum à Deo percussum censeant; ego tamen te Regem Angelorum firma fide credo, credo, populi tui

causa, mortem subire crucis ignominiosissimam, credo Regnum te habere amplissimum in æternum stabilitum; quippe cuius nunquam finis: memento igitur mei, cum in hoc Regnum veneris: ô inaudita latronis fides! ô Euangelica confessio, quæ paucis Euangelium complectitur! hanc tuam fidem, fideique professionem, hoc præsertim tempore, omnes obstupescunt: [iste, inquit Chrysostomus, videt Saluatorem, non in regali solio, sed in pœna sociatum latronibus: videt in cruce pendentem, & orat, quasi in cælis sedentem: videt condemnatum, & inuocat regem, Iudæi crucifigunt, qui nouerunt legem, & tu latro vnde tale Philosopharis: memento mei cum veneris in Regnum tuum!] *Chry. hom. de cruce.*

8. Quid hoc interrogas Chrysostome? nonne vides illi assidere magistrum veritatis? nonne vides tacito susurro sua nimirum patientia, longanimitate, & ardenti charitatis verbo, illi omnia suggerentem, illius pectus inflammantem, vt pro sui honore, cum omnes alij desint, aduersariis respondeat, suum socium de blasphemia redarguendo, Christumque Deum esse palam profitendo? [nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es?] & fide viua ad Christum conuersus, Regem illum agnoscendo, & è ligno regnaturum indicando: [memento mei cum veneris in regnum tuum.] Hinc Chrysostome mirum in modum huius latronis cælestis philosophia extollenda, & insignis confessio à Deo ipsi inspirata. Quare non immerito Eusebius Emissenus hanc latronis è cælo dilapsam Philosophiam mirificè laudibus effert: [Ecce inquit, inter signa atque virtutes, attestantibus miraculis, & accla- *Author latroni patrocinatur.* *Euseb. hom. de bono latrone Aug. de diuers. ser. 45.*

mantibus aliquoties in discipulis mens tam robusta titubauit, & nunc Christi supplicijs quodammodo contradicentibus fides nouella in latrone conualuit. Sub ipso passionis tempore ab ancilla interrogatus, vnus ex discipulis B. Petrus, peculiarius Christo cognitus, ita respondit: Non noui hominem istum. Et iste qui ante non nouerat, exclamat: Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Quam singularis, & quam stupenda deuotio. Sub illo tempore credidit reus, quo negauit electus. Laudabilius hoc itaque in latrone, ac magnificentius fuit, quod hominem addictum, & inter extrema [illegible]ientem supplicia Deum credidit, quam si inter virtutum opera credidisset.] & subdit; auertamus plenius quo tempore Dominum confitetur. Feruebat impietas persequentium, exultabat impietas blasphemantium, contritio, liuores, & vulnera, solum Christum hominem demonstrabant. Sacrarum manuum in ligno crucis extensio, & reuerenda confixio, quæ condemnabat Adæ & Euæ manus, ad interdictum ligni cibum ingemiscenda sæculi transgressione porrectas. Hæc inquam confixio per omnia infirmitatem hominis asserebat, quantum ostendebat hominem, tantum abscondebat Deum. Apostolis post diuina miracula desperantibus, solus hic non acquieuit scandalo crucis, & mortis. Solus hic testis est maiestatis, qui socius probatur doloris: [Memento mei, ait, Domine, cum veneris in regnum tuum.] Vnde licet colligere latronem, hanc nouam, ac inusitatam Philosophiam à magistro sapientiæ in crucis pulpito hausisse, cuius proinde fides tam singulare præ-

Digitized by Google

mium, paradiſi nimirum gloriam commeruit.

9. Magnificè & merito Abrahæ fides extollitur. Credidit quidem Abraham, ſed loquenti è cælis Domino; mirificè etiam Moyſis fides laudatur: Credidit quippe ipſe, ſed in medio ignis Deo ſecum colloquenti: Credidit & Iſaias, ſed ſuper thronum excelſum ſedenti: Crediderunt in eum diſcipuli eius, ſed miracula patrantem. Credidit & latro, ſed in ignominioſæ crucis patibulo pendenti, ſupplicia patienti, ægra trahenti ſuſpiria. [Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël.] Crediderunt Nathanaël, & Nicodemus, ſed Scripturis & miraculis permoti. Crediderunt Hemorroiſſa, & Chananæa, ſed claritudine ſignorum allectæ; verum latro horum nihil percipiens credidit. Et quid credidit? ex infirmitate gloriam, ex condemnatione innocentiam, ex tot tormentorum patientia Chriſti diuinitatem. Quare merito velox facta eſt illi miſericordia: audijt enim in præmium fidei ſuæ: hodie mecum eris in paradiſo. [Sed ne fortè, inquit Euſebius, aliquem nimis ſecurum faciat, aut remiſſum, tam noua fœlicitas credulitatis, ne fortè dicat aliquis in corde ſuo: non me vſque adeo conturbet & cruciet rea conſcientia, non me vſque adeo contriſtet culpabilis vita, video ſub momento, video ſub exiguo ſpatio latroni crimina ſua donata, & mihi reſolura mente concipiuntur. Primum conſiderandum in latrone illo non ſolum credulitatis compendium, ſed deuotio, ſed temporis illius, ſub quo hæc agebantur, occaſio, quo iuſtorum legitur titubaſſe perfectio. Deinde ante mihi fidem latronis oſtende, & tunc tibi latronis beatitudinem pollicere. Immittit diabolus ſecuritatem,

Fides latronis præ cæteris extollitur.

Matt. 8.

Euſe. ibid.

vt inferat perditionem: neque dinumerari poſſint, quantos hæc inanis ſpei vmbra deceperit. Deterreant, quæſo, nos ab hac perſuaſione innumerabiles populi ſub tali ſecuritate nudi & vacui bonis, & malis pleni, ex hac luce prærepti. Tanta fuit boni huius latronis humilitas virtute veræ pœnitudinis, ſpei ac in Chriſtum confidentiæ prædita, vt veniam expreſſè non petierit, non regnum cælorum, ſed vt Chriſtus illius eſſet memor, vbi in regnum ſuum veniſſet [Conſiderabat nimirum (vt ait Auguſtinus) facinora ſua, & pro magno habebat, ſi ei vel in fine parceretur, ſalutem ſuam longe futuram ſperabat, & poſt longum tempus accipere contentus erat] non diſtulit tamen humilem petitionem, ſciens tarda molimina Spiritui-ſancto minimè placere. Hinc Euſebius: [Non ſalutis tempora ſciens diſtulit, nec remedia ſtatus ſui in momenta vltima infelici fraude poſuit, nec redemptionis ſuæ ſpem in deſperationis nouiſſimum reſeruauit, nec religionem ante, nec Chriſtum ſciuit, quod ſi ſciuiſſet, fuiſſet forſitan inter Apoſtolos non poſtremus in numero, qui prior factus eſt in regno.] Accedamus ergo & nos ſpe bona pleni cum latrone, bonamque faciamus confeſſionem, vt cum illo etiam audire mereamur: hodie mecum eris in paradiſo, dicamus cum Bernardo: [Omnino propter manſuetudinem quæ in te prædicatur, currimus poſt te Domine Ieſu (audientes latronis conuerſionem) quod non ſpernis pauperem, peccatorem non horreas, non horruiſti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio, non ſeden-

Aug. ſer. 8. de verb. Domini.

Euſe. ibid.

tem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non ipsos crucifixores tuos, in odorem horum currimus.]

De secundo Christi in cruce verbo: Hodie mecum eris in paradiso.

CAPVT LXXI.

1. IOsephus patriarcha in carcerem cum duobus maleficis coniectus alteri prædixit fore vt euaderet, & gratiæ Pharaonis pristinæ restitueretur; atque ita euenit: alteri verò quod malè mulctaretur, qui deinde capitis damnatus sui flagitij præmium accepit: & Christus inter duos latrones in cruce collocatus, quibus ex æquo singularia suæ innocentiæ, charitatis, ac patientiæ exempla præbuit, vnum, cui Christus in resurrectionem positus, æternæ beatitudinis stipendio donandum pollicetur: dicens: [hodie mecum eris in paradiso [videamus (inquit Eusebius) quid inter ista respondeat dives, & larga Dei bonitas: quæ sicut excedit vota, ita gratiam adiungit ad merita: hodie inquit, tanquam si diceret: quid me, ô fidelissime comes, & vnice tanti testis triumphi, quid me tantopere exorandum putas, vt die iudicij mei meminerim tui? quid me ad præsentem retributionem paratum in tempora tam longa dissimulas? quid in futura secula fidem in te perfectam fatigas? hodie mecum eris in paradiso.] & subdit [ingredere illuc primus: sed ingressu feliciore, quam primus. Intra paradisum, nequaquam vltra cum Adam

Euse. ibid Aug. 120. de temp.

visurus infernum.] Quanta hæc latroni consolatio: hodie mecum eris in paradiso: verba (inquit Bernardus) consolationis Dei sunt, ablutio culpæ, restitutio gratiæ, euasio exilij, consecutio regni, consortium diuinitatis, adeptio æternitatis.] ô fœlix latro, cui talia Christus pollicetur. Ille tantum petit, vt memor sit ipsius, non iam in cruce, sed vbi venerit in regnum suum: Christus non diu differt postulationis effectum, sed asseueranter dicit. [Amen, non cras polliceor regnum cælorum, nec post resurrectionem, sed hodie mecum eris in paradiso; futurum promitto, sed id quod futurum est vnius diei spatio non patiar protelari, ne dilatione gratia minuatur. Volo siquidem, vt æque misericordia ac iustitia mea eluceat. Sicut igitur iustitia mea primum Adam veluti latronem vetitum pomum surripientem è paradiso reiecit; sic misericordia mea latronem, præclara confessione cælum surripientem, eo ipso die, in cælestem paradisum retromittat. Hinc glossa: qua hora Adam è paradiso ejectus fuit, eadem admissus latro ad paradisum, quantum ad promissionem: nec iniuria: nam si Adam qui excusans se, culpam in Deum reiecit dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi; sine intermissione è paradiso abigitur, nonne consentaneum rationi, vt latro hic accusans se: Nos quidem digna factis recipimus, & excusans Christum à calumniis ei falso impositis, hic autem quid mali fecit?] absque mora in paradisum induceretur.

Ber. in sententiis.

Amb. in Ps. 118. ser. 8.

Gen.

2. Alterum verò, cui ex propria malitia Christus viuaque eius exempla in ruinam posita sunt in æternæ damnationis præcipitium ob sua peccata actum Adricomius, & Bredinbacus tradunt,

Digitized by Google

Eo aiunt tempore, quo Christus animam patri tradiderat, petris scissis,& monumentis apertis è sinistro Christi latere apparuit horrẽdum quoddam foramen, cuius latitudo tanta erat, vt facilè hominem, exciperet, sed tanta eius profunditas, vt nulla explorari bolide posset, nec perpendiculo quantumuis longo fundum attingi. Vnde existimant foramen illud ad inferos vsque protendi, vt mysterio locus pateat: sicut enim latroni qui à dextris Christi erat, in cælum vsque patuit aditus; ita è contrario impio latroni à sinistris eius pendenti, omnibúsque eius vestigia sequentibus, ad inferos vsque expansus est locus, in quem præcipitatus est. [Positus itaque (vt loquitur Eusebius) in patibulo vetus arbiter in medio damnatorum, negantem repulit, suscepit confitentem. Hunc deputat regno, illum relinquit inferno.] Verè bonum latronem præuenisti Domine in benedictionibus dulcedinis, qui maiora quam petierit illi tribuisti, quemadmodum antea seruo illi, qui cũ multa talentorũ millia debuisset, nec esset soluẽdo, tantum postulauit; patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, & Dominus misericordia motus non tempus quidẽ, quod vnũ efflagitauerat, prorogauit, vt debitum solueret, sed omne debitum remisit ei. [Bonus Dominus (exclamat Chrysostomus) misericors, nostrique curã agens, supplici beneuolens, non solum quantum petijt, sed quantum non cogitare quidem ausus fuit, dedit. Is enim Dei mos est, vt vincat, & præueniat petitiones nostras.] Qua in re nullũ præclarius documentũ, quam quod hodie in latronẽ editũ vidimus. Orabat ille: [Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum,] & dixit illi Iesus: hodie mecum eris in paradiso.

Adrico. l. de descr. Hier. num. 252. Bred. in descript. terræ sanctæ, sub die 12. Iulij, &c.

Euseb. ibid.

Psalm. 20.

Math. 18.

Chrysost. ho. 27. in Gen.

Ambr. l. 10. in t. 23. Luc. Pulcherrimum (inquit Ambrosius) affectandæ conuersionis exemplum, quòd tam cito latroni venia relaxatur; & vberior est gratia, quam precatio. Semper enim plus Dominus tribuit quam rogatur.]

De salute nemini desperandum. 3. Quis, obsecro, de salute desperabit, quantumuis peccatis onustus, si cum vera pœnitudine, & humili peccatorũ confessione cum bono latrone, ex intimo animi affectu exclamet: [Domine memento mei,] qui statim audijt: [hodie mecum eris in paradiso. Quid est (inquit Ambrosius) hodie? hoc est, de nocte transisti, mecum eris in lumine. Noli tenebras formidare, quem æterna lux suscepit. Pulchrè etiam subiunxit: mecum eris in paradiso, hoc est, noli dubitare de carne: & me in carne vidisti. Noli timere ne tu cadas de paradiso, sicut cecidit Adam: sed audi quia mecum eris, quo præsente cadere non possis. Ceciderat caro in paradiso antequam susciperetur à Christo; ibi eris susceptus, vbi & ille qui suscepit; quia non mentitus est dicens: volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum.] Ecce præclaræ confessionis præmium. In hoc gratia, inquit Arnoldus non affligitur expectatio dilatione, nec interuallum est inter optatum, & datum: ille ait; Memento mei cum veneris in regnum tuum: Christus non differt optatum, sed ait hodie, eris mecum in paradiso. Dauid dicit, inquit idem auctor, peccaui: & propheta: translatum est peccatum tuum: ad mulierem in adulterio deprehensam; non te condemnabo: noli vltra peccare. Quid commemorem Niniuitas, quorum pœnitentia subito Iudicem amouit à sententia? Quid Achab & Manassen Reges

Ambr. in Psal. 39.

Luc. 10.

Arnol. trac. de 7. verb.

1. Reg. 12.

Ioan. 8.

Matt. 12.

4. Reg. 14.

impios, quorum contritionem in anguſtiis non eſt aſpernata diuina clementia? inter cætera pietatis exempla latro noſter nobis occurrit pœnitentiæ regula, confeſſionis forma, indulgentiæ præco, ſpei exemplum, qui dum ingemiſcit, ſubito quod quærit inuenit, quod petit accipit, & illico audit, hodie mecum eris in paradiſo: non ad loca purgatoria, flammaſque peccatorum vltrices confitens deſtinatur: non ad loca tenebroſa & tormenta deducitur: nulla pars aduerſa gratiæ Dei præſumit inferre calumniam: vna crucis pœna omnia abolet crimina: imo non pœna, ſed gratia. Præmittitur igitur in paradiſum hic noſtræ nuncius abſolutionis, & primitias libertatis noſtræ reſtis libertate donatus paradiſi ciuibus id expectantibus, & deſiderantibus primus inuexit.] hinc merito Cyprianus exclamat: [ô fœliciſſimum latronem, cui nullus latro comparari poteſt: alij ſiquidem latrones latrocinio vitam perdunt: hic autem latrocinio vitam furatur ſempiternam.] hinc precationem latronis (inquit Ambroſius) vox ſecuta eſt cæleſtis huiuſmodi: amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo;] quia Chriſti ſententia magnum diabolo illatum eſt damnum. Amiſit enim prædam de qua videbatur ſecurus.] vnde in illum Ambroſius huiuſmodi verbis inſultat. [Tripudiabas Draco, quod Apoſtolum ſubtraxeras Chriſto: plus amiſiſti, quam ſuſtuliſti, qui latronem vides in paradiſum eſſe tranſlatum. Nemo eſt qui poſſit excludi, quando receptus eſt latro. Miniſter tuus eò peruenit, vnde ipſe dejectus es.

Cyp. ſer. de latrõ.

Ambr. in Pſal. 39.

Ambr. ibid.

Paradiſo digna latronis cõfeſſio.

4. Verè paradiſo dignus, qui cæteris à Chriſto

penè deficientibus eius confessus Deitatem. Nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es.] Quam præclara deitatis confessio! [Dominum (inquit Augustinus) tunc latro non suscitantem mortuos, sed morientem pro peccatoribus agnoscere, & confiteri promeruit: vnde exclamat: ô latronem mirabilem, violentum cælo, fide feruentem:] & alibi [huic fidei quid addi possit, ignoro: Titubauerunt, qui viderunt Christum mortuos suscitantem. Credidit ille, quem videbat secum in ligno pendentem, quando illi titubauerunt, tunc ille credidit; qualem Christus fructum de arido ligno percepit: latronem de suis sceleribus pœnitentem è cruce in paradisum rapere decreuit, dicens: hodie mecum eris in paradiso.] Hæc fides tua, ô bone latro, tanta est, vt omnes ipsi cælites illam obstupescant, & homines mirentur, vnde admirabundus Leo [Quæ, inquit, istam latronis fidem exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? non viderat prius acta miracula, cessauerat tunc languentum curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum, ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant & tamen Dominum confitetur, & Regem quem vidit supplicij sui esse consortem.] Hinc audiuit verba consolationis plena: [Hodie mecum eris in paradiso.] Quam singulare præmium tam singulari respõdet confessioni: hodie, inquit, non cras, non post aliquot annos purgatorij, non post aliquot menses vel dies eris in paradiso, sed hodie, non vlterius mercedem tam inusitatæ confessioni debitam differam, sed hodie antequam sol occumbat mecum transibis de patibulo crucis ad delicias paradisi.

Augustſer. 122. de tẽp.

Aug. ſer. de ſer. 3. Paſch.

Leo. ſer. 2. de paſſ.

O miram

O miram Saluatoris munificentiam ! ô miram latronis felicitatem! hodie,ait,mecum eris in paradiſo. Paradiſum pollicetur hodie! ô Domine nonne ſuffeciſſet tantam mercedem polliceri poſt ſaltem aliquot dies ? ſed quid , charitas tua accelerat terminos qui alioquin fuiſſent conſtituendi,& loco purgatorij pro ſolutione cruciatus acceptat , quos iam in cruce patitur, & vt generoſiori animo, qui adhuc ſuperſunt, cruciatus tolerare proponat , non differt præmium , ſed hodie ſe collaturum ſpondet , vt & vberior ſit gratia, quam precario. Memento mei, ait ille ; & Chriſtus,hodie mecum eris in paradiſo. Non differam in craſtinum , quod hodie commeruiſti, quia hodie ſalus tibi facta eſt.]

Pœnitentibus cælum patet.

CAPVT LXXII.

Latronis præſentia honoratur paradiſus.

1. NOnne Domine latronis præſentia paradiſum dedecoras ? qui ob ſua ſcelera maledictus in crucem merito actus eſt ? minimè : nam latronem pœnitentiam agentem , omnique flagitio nuncium remittentem benedictum,omnibus virtutum ſplendoribus exornatum in paradiſum introduco. Quid enim magis ornat Paradiſum , quam peccatores ex animo verè pœnitentes,renunciantesque omnibus omnino vitiis, & in virtutum ſtudium ſedulo incumbentes ? Hi ſunt paradiſi ornamenta , hi ſunt Angelorum comites , cæli ciues ac domeſtici. Nobiliſſimus quidem erat aliquando Lucifer , & ſingulare

paradiſi ornamentum, gratia & virtute nobilitatus, ſed quoniam hiſce ſe ornamentis per rebellem ſuperbiam ſpoliauit, Paradiſum ſua inhonorans præſentia cõfeſtim inde in Tartari imum deturbatus eſt. Ignobilis verò erat latro, & multis contaminatus ſceleribus, ſed quia per humilem pœnitentiam, & egregiam diuinitatis meæ confeſſionem ſeſe miſericordiæ ſubdidit, ſtatim, gratiæ, virtutumque coruſcationibus eximiè illuſtratus, hodie in paradiſum à me introducetur, quem ſua honoratus eſt præſentia. Hoc opus infinitæ meæ miſericordiæ, vt ex latrone ciuem efficiam cæli, qui mortis peccati ac dæmonis victor euadam, & ſacratiſſimam ingrediés patriam triumphantis more mecum latronem introducam, non conculcans paradiſum iſto pietatis opere, ſed honorans, neque confundens latronis introitu, ſed illuſtrans. Honor namque paradiſi eſt talem Dominum habere, qui etiam latronem dignum facere poſſet Paradiſi delitiarum. Etenim cum publicanos & meretrices introduxero in regnum cælorum, non confundam, ſed illud potius efferam, neque deijciam, ſed potius honorabo paradiſum.] Et ſubditur; talis enim eſt Dominus regni cælorum, vt & meretrices, & publicanos ita probabiles reddat, vt digni appareant gratia, & gloria, quæ illic eſt.] Ecce quomodo Chriſtus nõ modo latrone, ſed publicanis etiam, & meretricibus pœnitentiam ſerio agentibus, paradiſum potius honoret, quam dedecoret.

Sic Auguſt. ſer. 130. de temp. fere.

Nemini deſperandum.

2. Hinc in primis diſcimus neminem debere animum abijcere, licet toto vitæ decurſu ſeſe peccatis implicatum videat, ſi cum hoc latrone per ſeriam totius vitæ pœnitudinem velit reſi-

Digitized by Google

piſcere: tanta enim Dei misericordia, vt qualibet hora paratus ſit pœnitentem in gratiam recipere. Quare qui dixit, [nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat;] hoc ipſum in hoc bono latrone expleri voluit, vt quilibet etiam alius peccator ſpem habeat in gratiam cũ Deo redeundi, ſi egregius ſit huius latronis per pœnitudinem æmulator. Verè in omnem terram (inquit Bernardus) exiuit hic odor vitæ, quoniam miſericordia Domini plena eſt terra, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Ergo qui vitalem hanc ſparſam fragrantiam non ſenſerit, & ab hoc non currit, aut mortuus eſt, aut putidus.] [Nam ſi pœnitẽtis peccata fuerint vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, etſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.] Si te ergo pœniteat ſcelerum, licet illa difficillimè ablui poſſint, tamen vera pœnitudine abolẽtur: quemadmodum huius boni latronis peccata momento temporis deleta ſunt: [Domine, inquit, memento mei.] O fœlix latro, hucuſque latrociniis & ſceleribus nominatiſſimus, iam viua pœnitudine nobilitatus agnoſcis in Chriſto patiente diuinitatẽ, & Regium ſtemma. [Domine, intonat, memento mei, cum veneris in Regnum tuum. Hoc tibi, bone latro, neque caro, neque ſanguis reuelauit, ſed pater, qui in cęlis eſt.] Hinc dimiſſis ſtatim peccatis audiſti: [Hodie mecum eris in paradiſo.] Oculus certè Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltauit caput eius, & mirati ſunt in illo multi, & honorauerunt Deum. O fœlix pœnitentia (exclamat Hieronymus) quæ ad ſe Dei trahit oculos! Hinc [ipſa hora, qua paradiſus Deum ſuſcepit (inquit

Ber. ſer. 10. in Cant.

Iſa. 1.

Math. 16.

Eccli. 11.

Hieron. in Epiſt. ad Fabi.

Amb feri. 5 Hebd. sanct ferm. 50.

Ambrosius)& latronem: vnus passus est pro salute cunctorum, & duobus pariter immortalitatis ianua reseratur. Sed hanc tãtam gloriam latroni fides præstitit. Fides enim est, quæ peccata cooperit, quæ vincit crimina, quæ facit de latronibus innocentes, quamuis enim delinquentium grandis culpa sit, fidei tamen maior est gratia. Plus enim credidisse Christo, quam sæculo deliquisse, & plenioris est meriti veniam speraſſe de Domino, quam culpam contraxisse de mundo.] Vtinam tantum fides nostra, ac pœnitentia mereantur præmium! vtinam claues sint tales, quales fuere fides, & pœnitudo latronis, quæ omnium mysteriorum nobis aperiant sensum! latroni quidem has tradidit Christus claues, mentis nimirum oculos fide illustratos, & pœnitentiæ collyrio inunctos, quibus omnia simul mysteria in Christo hactenus abscondita vidit. huiusmodi fidei oculos pœnitẽtię salutari collyrio inunctos, vtinam nobis Deus applicet, vt cum latrone illuminati alta in hac passione Christi mysteria nobis abdita penetremus, illáque intimo cordis affectu meditemur, amplectamur, & affectu mandemus.

Chry. ser. de pœnitentia. Miri pœnitentiæ effectus.

23. Quanta igitur pœnitẽtiæ vis! Hinc Chrysost. perspecta illius virtute, exclamat: [O pœnitentia quæ peccatum miserante Deo remittis, & paradisum reseras, quæ contritum sanas hominem, & tristem exhilaras, vitã de interitu reuocas, statum restauras, honorem renouas, fiduciam das, reformas vires, gratiámq; abundantiorem refundis! ô pœnitentia quid de te noui referam? omnia ligata tu soluis, omnia soluta reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas: ô pœnitentia rutilantior auro, splendidior sole, quam

non vincit peccatum, nec defectio ſuperat, nec deſperatio delet! ô pœnitentia miſericordiæ mater,& magiſter virtutum, magna opera tua, quibus reos reſoluis, & reficis delinquentes, lapſos releuas, recreas deſperatos; per te ſubito rapuit latronem Chriſtus ad regnum, per te Dauid poſt flagitium, fœlix iterum recepit Spiritũ ſanctum.] Arripiamus igitur cum latrone hanc ſecundam poſt naufragium pœnitentiæ tabulam, illi nos cõfidẽtius cum latrone committamus, vt ad tutum cum illo cæli portũ tandem perueniamus,& procul viſa regionis cæleſtis terra cõclamemus: Domine memento noſtri, & certiſſimam Dei opem ſentiemus. Si enim adeo liberalis in latronem Chriſtus extitit, vt eum ob tres quatuorue pœnitentiæ horas, tanto affecerit præmio, quã:o liberaliori nos afficiet, ſi modo integris viribus non tãtum per tres, aut quatuor horas, ſed per totum vitæ decurſum ſeriam pœnitentiam peccatorum agamus: nã ſi adeo ſe gratum erga latronẽ oſtendit, qui poſt innumeras illi illatas per latrocinia iniurias, ſemel illi reuerentiam detulit, & honorem, ſemel præclaram confeſſionem fecit, ſemel reprehendit blaſphemiæ ſociũ, ſemel inclamauit: Memento mei Domine, quantum oſtendet gratitudinem nobis, qui non ſemel illi reuerẽtiam& honorem exhibemus, qui nõ ſemel Deum illum eſſe, & mundi Saluatorem confitemur, qui non ſemel fraterna correctione proximos corrigimus, qui non ſemel inclamamus: Domine, memento noſtri, ſed per totius vitæ decurſum colimus,& honoramus quotidie, Saluatorẽ noſtrum agnoſcimus, peccantes quotidie corrigimus, inclamamus quotidie: Domine, memento noſtri.

Vota Deo offerēda ad peccati remissionem.

4. Deinde ex hac latronis supplicatione efficaci qua sibi peccatorum remissionē impetrauit, discimus; licet in peccatorum cœno immersi hactenus fuerimus, supplices Deo voces debere, & vota lacrymásque offerre, vt eius in nos flectamus misericordiam, præsertim cum nemo ante extremum vitæ diem de Dei misericordia desperare debeat. [Raptor es? inquit Chrysostomus, publicanum cogita: impurus es? animo tuo meretrix sese obijciat, sicarius es? latro ille ante oculos tuos versetur: flagitiosus es? in mentem tibi veniat Paulus, qui prius blasphemus erat, postea Apostolus, prius persecutor, postea Euangelista, prius lupus, postea pastor. Peccasti? resipisce. Millies peccasti? millies resipisce.] Nihilominus tamen nolim neglecta Dei Iustitia soli eius misericordiæ adhærescas. Ecce enim hodie damnatur Apostolus, Iustitiæ negligens censuram, saluatur quidem latro misericordiæ fisus, Iustitiæ tamen suas tribuens vices, vt nos inde discamus celerem pœnitentiam Dei misericordia instructam cæli ianuas aperire, quæ impœnitentibus soli misericordiæ Dei fisis clauduntur. Deus enim qui diues est in misericordia, nihil antiquius habet, quam vt seria pœnitudine peccata cito deleamus, vt sic tam iustitiæ, quam misericordiæ ius suum tribuatur.

Chrys. hom. in Ps. 50.

Magna Dei clementia extollitur.

5. Ineffabilis Saluatoris nostri misericordiæ simul ac iustitiæ exemplum nobis in bono latrone ostenditur; misericordiæ, quod illum statim in suam suscepit gratiam, liberalíq; illum donauit præmio, inquiens: hodie mecum eris in paradiso: Iustitiæ, quia suis sceleribus debitam in cruce luit pœnam, factorúmque omnino pœnitens

Digitized by Google

illi ſatisfecit. Quamobrem neque nos peccati fœditas, aut peccatorum multitudo deterreat à veniæ & miſericordiæ conſecutione, ſi pœniteat, ſingulare præ oculis in latrone miſericordiæ exemplum habentes. Non huic, ait Arnoldus, pœnitenti multorum annorum ieiunia imponuntur, non nudipedalibus vel ſacco afficitur: ſimul & confitetur, & iuſtificatur, & glorificatur: vide horam, nota perſonam; vltima hora, peccatrix perſona, ſed vbi repente facto cœlitus ſono Spiritus ſanctus illabitur, quicquid immaduerat peccati labe, ſiccatur: nec ſupereſt vllum fœditatis veſtigium vulneri, quod miſericordiæ abluit lauacrum. Fœtebat etiam quatriduanus in monumento Lazarus, ſuſcitatus non tabeſcit languore, erigitur, ſoluitur, & ſtatim conueſcitur. Nulla lepræ crepido, nullum ſignum in facie Simonis ſupereſt, hoſpes incolumis curatori ſuo hilarem exhibet famulatũ. Nullum ſignum horroris comitantibus magiſtrum, idem conuiua, & magiſter prætendit. Maria Magdalena ad pedes Chriſti plorat, & orat, tergit, & vngit: nec improperat Chriſtus vitam infamem, & inuerecundam, nec opponit quod diluit; nec exprobrat quod ignoſcit: quicquid agit in huiuſmodi, celeri nutu Spiritus ſancti conſummat, nec emendicat aliunde ſuffragia, qui quod illuminat, formar, qui ſtatim piſcatores facit Doctores, & Idiotas prædicatores. O bone Ieſu, quam libenter omni loco, & tempore miſericordiæ obſequia præſtas! quam officiosè munus tuum iuſtificandi peccatores exerces, qui cum adhuc in materno exiſteres vtero, tuum iuſtificaſti præcurſoré. Iacebas in præſepio, & Magos ad te gratiæ tuæ

ſtella illuſtratos vocabas, & in cruce pendens ſicarium hunc latrociniis inſignem iuſtificas, & tecum hodie in paradiſo fore polliceris! ô ineffabilem Saluatoris benignitatem! ô immenſum eius in peccatores amorem, cuius cibus, & deliciæ peccatores ad gratiam reuocare!

Pœnitentia minimè differenda.

6. Nolim tamen quempiam tanta hac Dei miſericordia prouocatum pœnitentiæ opera in extremam vitæ periodum (ſibi propoſito in exemplum hoc bono latrone) differre. priuilegium enim huiuſmodi conceſſum bono latroni, alteri conceſſum Scriptura nuſquam commemorat. Imo quamuis potentiſſimus Chriſti ſanguis ad totius mundi peccata penitus delenda fuerit, vtrique tamen latroni conuerſionis priuilegium non eſt conceſſum, neque ſuam in vtroque virtutem exercuit, vt nimirũ timoris contra præſumptionem, fiduciæ verò contra puſillanimitatem haberemus exemplũ. Vni igitur hoc priuilegium ex latronibus datum eſt, vt in extremis conuerteretur, ne deſperemus (vt ait Auguſtinus) ſed ſoli, ne præſumamus. Qui enim omni pœnitenti promiſit gratiam, non omni peccanti promiſit pœnitentiam, quin imo (vt ait idem ſanctiſſimus Pater [hac animaduerſione percutitur, ſæpè peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret, oblitus eſt Dei.] Si igitur ſapis vnicum in Scriptura exemplum noli ad te trahere, & imprudentius latronis pœnitentiam in vltimo vitæ ſpiritu, imitaturum te noli tibi perſuadere, cum videas altetũ latronem etiam iuxta ipſum Chriſtum morientem ſine pœnitentia diſceſſiſſe, diuinæ vltionis cenſuram expertum.

Aug. ho. 2. de Innoc.

De ingenti Mariæ ad crucem aſſiſtentis dolore. Ioan. 19.

CAPVT LXXIII.

1. NOëmi vidua, mortuis inter Moabitas filijs ſuis, redijt in patriam Bethleem. Cum autem ſalutaretur ab aliis mulieribus, reſpondebat: [Nolite me vocare Noëmi, id eſt, pulchram, ſed vocate me Mara, id eſt amaram, quia amaritudine repleuit me vehementer Dominus.] potiori ſane iure Maria filio ſuo ſtatim priuanda ſe ſalutantibus reſpondere poterit: nolite me vocare lætitiæ Matrem, ſed vocate me Mariam amaritudinis plenam, quia filij mei dilecti tormenta amaritudine me vehementer repleuerunt. Tanta profecto repleta eſt amaritudine, iuxta crucē ſtans, vt nemo illam explicare poſſit, qui illius in filium amoris magnitudinē ignorat. Amor verò Mariæ, inquit Anſelmus, in Chriſtum tantus eſt, vt omnem humanam & Angelicam etiam excedat cognitionem: [Stabat, inquit Guerricus Abbas, iuxta crucem planè Mater, quæ nec terrore mortis Filium deſerebat: quomodo enim morte terreri poterat, cuius Chriſtus fortis vt mors, imo fortior quam mors erat? Planè iuxta crucem ſtabat, cuius mentem dolor crucis ſimul crucifigebat, ſuámque ipſius animam tam multiplex pertranſibat gladius, quantis confoſſam corpus filij cernebat vulneribus,] licet tot gladijs vulneraretur conſpecto filij cruciatu, adeò tamen

Ruth. 1.

Exaggeratur Mariæ triſtitia.

Anſel. l. de excel. Virg. cap. 4.

Guerricus.

patiens fuit, & constans prospiciens singularem inde in totum hominum genus redundaturum fructum, vt iuxta crucem insigni animi alacritate staret. Quamuis ergo [gladius, vt ait Anselmus, animam illius pertransiret, illa tamen modestiæ metas non transiuit.] Quod verò præuiderit fructum inde consecuturum Ambrosius clarè ostendit: [Maria, ait, ante crucem stabat, & pijs spectabat oculis filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem.] Quare matris Machabæorum constantissimæ animi robur superasse quis ambiget? Illa [supra modũ (inquit sacer textus) mater mirabilis, & bonorũ memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quam in Deum habebat: singulos eorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos.] Supra modum igitur mirabilis mater Maria, & bonorum memoria digna, quæ morientem filium Deum, atque hominem conspiciens bono animo ferebat, quamuis intimo animi dolore interim lancinaretur.

Amb. lib. 10. in Luc. c. 23.

2. Mach. 7.

2. Anna quidem mater Tobiæ ingenti affecta est tristitia ob filij sui absentiam: flebat enim irremediabilibus lacrymis, atq; dicebat: [Heu, heu me, fili mi! vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ!] Sed, ô mulier, tibi Maria vteri sui filio viduata respondere potest: Cur Anna filium tuum ita deploras, quem Angelus Raphael semper comitatur, vt eum tibi incolumem ac saluum re-

Digitized by Google

ducat? cur te irremediabilibus crucias lacrymis ob breuem filij abſentiam? ſanus eſt filius tuus: ſatis fidelis eſt eius comes cum quo miſiſti eum. Quid igitur toties reſpectas & circumis vias? an ſi forte filium tuum incolumem videre redeuntem poſſes? tace, & noli turbari. Amor ſcio incredibilis tantillam abſentis filij moram longiſſimam ſimul ac moleſtiſſimam facit. Ecce lumen oculorum tuorum! ecce baculus ſenectutis tuæ, & poſteritatis ſpes cum Raphaële redit incolumis ac lætitiæ plenus! Quare pauliſper oculos in me conuerte, iam præſentia filij tui recreata, & vide, & attende ſi eſt dolor ſicut dolor meus! nam filij mei non tantum abſentia, ſed horrendis etiam tormentis exanimor. In me igitur hilarem conuerte vultum, vt hoc viſo ſpectaculo mecum contriſtata ob filij Dei luctuoſam carnificinam collacrymari diſcas: [Cor meum dereliquit me, vteri, inquam, mei filius, quem plus quam cor meum diligo, ipſe coram oculis meis inhumaniſſimè cruciatus, me ſtatim deſeret, ſine quo mihi viuere mors eſt. [Væ mihi, væ mihi. Quis dabit mihi vt ego moriar pro te fili mi, fili dulcor vnice, ſingulare gaudium, vita animæ meæ & omne ſolatium, fac vt ego ipſa nunc tecum moriar, quæ te ad mortem genui, ſine matre noli mori fili mi. Nihil in me niſi Chriſtus, quare Chriſtum mori mors mihi eſt, ſine illo igitur relicta quaſi nihil ſum, cuius tota ſum. Reliqui omnes aliquid ſuum habent quod non eſt Ieſus, ſed nihil in me eſt, quod illius non eſt. Dilectus ergo meus mihi, & ego illi. Hinc præ te, ô Anna, tali viduata filio acerbiore abſorbeor triſtitia.] *Ber. de lam. Mar.*

[Video morientem quem diligit anima mea, & *Berd. ibid.*

Digitized by Google

tota liquefio præ doloris anguſtia, non deſpondeo tamen animo, quia filius meus breui rediuiuus matri apparebit, cuius proinde præ ceteris conſtantiam ſic nobis proponit B. Auguſtinus; [ſtabat, ait, ante crucem mater, & fugientibus viris ſtabat intrepida, videte vtrum pudorem mutare potuerit mater Ieſu, quæ animum non mutauit: ſtabat non degeneri mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in cruce filius, mater ſe perſecutoribus offerebat] filij amore incenſa.

Aug. l. de inſtitu. virg. cap. 7.

2. *Reg.* 21

3. Reſpha concubina Saulis vidit duos filios ob Gabaonitas cruci affigi, quæ tollens cilicium ſubſtrauit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.] Reſpha à filiorum ſuorum conſpectu recedere minimè voluit, donec Deus placatus terræ, filiorum morte, pluuiam daret. Et Maria vnicũ ſuum filium cruci clauis figi, ſed in duabus ſubſiſtentem naturis cernens, ob aliorum peccata non à cruce diſceſſit, donec Deus terræ morte filij ſui placatus, gratiarum imbrem immitteret, Reſpha cilicium ſibi ſubſtrauit: & Maria pungentibus dolorum aculeis cooperta ſuper Caluarij petram requieuit ab initio meſſis, ab exordio Chriſti crucifixionis, quæ initium infinitæ gratiæ meſſi dedit, donec ſtillaret gratiarum aqua cælitus ſuper peccatores, & non permiſit aues è Tartari nido auolantes, Iudæos, inquam, lacerare eum amplius, quem ſuo excepit ſinu, per diem, neque beſtias per noctem, cuſtodes nimirum ſepulchri, qui beſtiarum more ſomno obruti mentiebantur, pecunia con-

Digitized by Google

ducti, Christum per Discipulos clam sublatum. mansit ergo afflictissima Mater è crucis regione, innumeris transfixa dolorum gladijs, donec terræ Deus per sanguinem filij sui placaretur [In carne quidem (vt ait Bernardus) Christus soluebat debitum mortis] & mater in anima, & [licet virgo mater, inquit Arnoldus, non ignoraret quid boni conferret mundo passio filij, tamen parentis affectu commoriebatur, & pectus maternum immanitate doloris arctabatur. Et (quod difficillimum erat) moriebatur, & mori non poterat. Crux illa animæ, & patibulum spiritus, in quo erat hostia viua, beneplacens Deo & medullatum holocaustum; quod cum ipsa incenderet, tantum conscientiæ ministerio vtebatur, ipsaque sine strepitu seipsam mactans in altari interiori & ligna & flammas, & latices congerebat. Altare erat in corpore filij, filius carnem, mater animam immolabat.]

Bernard. de laud. Virg.

Arnold. Carnot. trac. de verb. Christ. in cru.

4. Iuxta crucem stabat proinde, vt eadem, qua filius cruce torqueretur, & solita constantia vsque ad eius mortem perseuerauit, licet martyres dolore superaret. Martyres enim humana patiebantur: [Maria verò (inquit Amadæus) vicit sexum, vicit hominem, & passa est vltra humanitatem: torquebatur enim magis, quam si torqueretur ex se, quia supra se incomparabiliter diligebat id, vnde dolebat.] Sicuti ergo filius tribus cruci clauis fixus tenebatur, sic consimilibus eidem cruci illa tribus clauis confixa erat. Primo nimirum viua ac vehementi eorum cruciatuum apprehensione, quibus filius in cruce torquebatur; secundo in-

Amad. ho. 5. de Maria.

crèdibili amoris exceſſu, quo in illum non modo vt filium, ſed vt ſuum Deum Creatorem, & ſingularem benefactorẽ, ferebatur. Vnde omnia eius tormẽta, vt propria ſentiebat; Tertio deniq; inaudita filij commiſeratione, quod talis, & tantus, tam inuſitata, pro alienis peccatis, tormenta ſuſtineret. Hinc tanta eius animam perculſit triſtitia, tantus inuaſit dolor, vt verè doloris gladio tranſuerberata in cruce, cum filio, pati & mori cenſeri poſſit. Hinc Anſelmus [ipſa beata, ait, & ſuper naturam donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit, ex materna compaſſione viſcerũ laceratu reparturiens.] dolores igitur quos ipſa ſubire debuerat, ſi partus eius naturæ legibus ſubiacuiſſet, in præſentes commutatos fuiſſe docet Anſelmus. Quoties enim dilectiſſimi ſui caput pungẽtibus cruciatuum ſpinis intuebatur, toties ſuum etiam caput ijſdem ad viuum cruciari ſentiebat, quoties illius ſacratiſſimas manus clauis terebratas cernebat, toties proprias quoque manus ijſdem terebratas percipiebat; quoties amantiſſimi pedes clauis confixos aſpiciebat, toties ijſdem ſuos etiam pedes configi exiſtimabat; quoties filij membra per inuſitatã diſtractionem luxata adeo videbat, vt omnia eius oſſa dinumerari poſſent, toties quoque omnia ſua, per quandam membrorum conuulſionem, oſſa incredibili dolore, & tremore affecta inueniebat. Quare quidquid filius corpore ſuſtinebat, id totum Maria animo grauiſſimè patiebatur. [Quicquid igitur, vt ait Anſelmus, crudelitatis inflictum eſt corporibus martyrum, leue fuit, aut potius nihil, cõparatione tuæ paſſio-

Anſel. l. 4. de fid. ortho. c. 15.

Anſel. l. de excel. virg. cap. 5.

nis. Quia nimirum reliqui martyres passi sunt in carne, carne verò cruciatum perferente animus non modo non cruciabatur, sed etiam salutaris, & glorioſæ necis conscius mirificè recreabatur: at verò virginis tota passio in anima peracta est; ipsius enim animam, vt ait Simeon, pertransiuit gladius:] gladius mœroris pariter & amoris vt docet Ildephonsus [tunc ait plusquam martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam mœroris gladio intus vulnerata fuit.] *Ildephon.*

5. O quam merito tunc poterat vsurpare illud Hieremiæ: [tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ.] verè factus est Mariæ filius in cruce extensus arcus misericordiæ, chorda eius in Matrem doloris sagittas emittente, dum cælestis pater iræ suæ arcum intenderet. Hinc stare, & non sedere iuxta crucem, quantum arcus sagittas iacere posset, Maria voluit, vt omnia doloris tela suo exciperet pectore. Facta enim est quasi signum ad sagittam, vt frequenti sagittarum emissione feriretur toties, quoties in ipsam, tanquam in scopum, ex crucis arcu emitterentur sagittæ. Nam si sedere vellet iuxta crucem, non omnes forte exciperet sagittas, nec cor sedentis ad viuum attingerent, neque præ nimia hominum multitudine, omnes filij labores, opprobria, ignominias ac tormenta contemplari posset. [nullo interim modo, inquit Bonauentura, dubitandum est, quin virilis Mariæ animus, & ratio illius constantissima voluit etiam tradere filium suum pro salute generis humani, vt mater per omnia conformis esset Patri, & Filio. Et in hoc miro modo debet laudari, & amari, quod *Pater posuit quasi signū ad sagittam Mariam. Thren. 3.*

Bon. in 1. d. 48. q. 2.

Digitized by Google

adeo compaſſa eſt, vt ſi fieri potuiſſet, omnia tormenta, quæ filius pertulit, ipſa libentius ſuſtinuiſſet, & nihilominus placuit eo, quod vnigenitus eius pro ſalute generis humani offerretur. Verè ergo fuit fortis, & pia, dulcis pariter, & ſeuera, ſibi parca, & nobis largiſſima. Ideo nobis amanda, & veneranda poſt Trinitatem.] Et alibi [nulla poſtea creatura ita per amorem Dei, & per amorem noſtrum ita exarſit, quæ amantiſſimum filium ſuum, & vnicum, quem mulier plus ſe ipſa amabat, nobis dedit, & pro nobis obtulit,] expoſita tot interea dolorum ſagittis hinc ſtabat, vt omnes erecto corde, ac ipſi affixo cruci acciperet, [parata, inquit Ildephonſus, ſtetit ad quamlibet pœnam ſuſcipiendam, ſi percuſſoris manus acceſſiſſet,] parata igitur ſtabat clauis interim cruci affixa, & doloribus tanquam vinculis aſtricta, vt nullo modo ſedere illi liceret: ſtabat tamen affixa ſine requie, ſanguineis veluti lacrymis obortis, viſis dilectiſſimi oculis ſanguine coopertis, & ſacratiſſimo eius corpore atrociſſimis conciſo vulneribus. Hinc & anima, & corpore ipſa penitus vulnerata, non habebat vbi ſpiritu quieſceret, & ideo corpore ſtabat. [vulnerabatur, inquit Arnoldus, ſpiritu, & crucifigebatur affectu gladio doloris animæ eius infixo, & quod in carne Chriſti agebant claui, hoc in eius mente compaſſio naturalis, & affectionis maternæ anguſtia. Stabat ante crucem non minor, quam matrem Chriſti decebat. Fortaſſe autem quia in morte filij intelligebat redemptionem mundi, etiam ſua ipſa morte ſe aliquid æſtimabat publico muneri addituram.]

Ildef. ſer. 2. de Aſſumpt.

Arnold. tra. de Virg. aud.

Chriſtus cõpatitur Matri.

6. At mi dulcis Ieſu, quibus verbis explicare quiſpiam

quiſpiam poterit, quibus etiam compaſſionis ſagittis cor tuum, omneſque animi & corporis ſenſus penetrantibus affligebare, cum maternum pectus tui amore acerbiſſimis confici doloribus cerneres. Videor mihi te dicentem audire: [circumdederunt me dolores mortis,] ſed non minus cor meum lancinat, & tranſuerberat gladius ille de quo Simeon vaticinatus eſt, quem modo Matris meæ innocentiſſimæ animam, non ſine ingenti dolore, penetrantem video. Siccine ſeparas amara mors, non animam tantum à corpore, ſed etiam Matrem, & talem Matrem à filio, & tali filio? verè tuam ipſius animam cum Matris anima doloris gladius pertranſibat. Nam cum Mater attonitæ inſtar oculos nunc in tuum ſacrum caput ſpinis circumſeptum, nunc in manus, nunc in pedes acutiſſimis terebratos clauis defigés, ex intimo pectore profundos gemitus ac ſuſpiria identidem ederet, nouo ac inuſitato dolore ſimul ac amore afficiebaris! ô quot acutiſſimi mucronis ictus tuo tunc animo excipiebas! cum certo tibi conſtaret, tot gladijs matris animam confodi, quot verbera, ſputa, irriſiones, opprobria, ſpinas, clauos ſacratiſſimo tuo corpore excepiſti. Hinc ſicuti tu inter tanta & tam varia cruciatuum genera pluſquam martyr extitiſti, ſic tuam matrem pluſquam martyrem fuiſſe tuus ſeruus Bernardus omnino ſentit: [Tuam, inquit, ô virgo animam pertranſiuit vis doloris, vt pluſquam martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ paſſionis ſenſum exceſſerit compaſſionis affectus,] Quod verò paſſa ſit in corde tot vulnera, quot tu Domine in corpore, B. Bonauentura nobis author eſt. Filius

Pſal. 17.

Ber. ſer. in verb. illa Apoc. 12. *ſignum magnum.*

Bonau. in stim. amo. c. de planct. Virgin.

inquit in corpore, ô virgo, tu in corde es passa; singula vulnera per eius corpus sparsa in tuo corde sunt vnita] vnde idem ait: [Quæro matrem Dei, & inuenio spinas & clauos: quæro Mariam & inuenio vulnera & flagella, quia tota conuersa est in ista] Quare haud iniuria totius Christi passionis clarissimum speculum cor Virginis effectum, ait Iustinianus; in corpore enim filius in mente erat genitrix crucifixa. Quam multiplex ergo fuit matris & filij dolor, cum mutuis se conficerent doloribus!

Iustin. de ago. c. 2. & c. 17.

Ouis & agnus simul immolãtur. Leuit. 22.

7. Præcepisti æterni patris fili, ne vna die ouis cum fœtib⁹ suis immolaretur. Quomodo igitur, ô iustissime Legislator, legem à te sancitam in speciem violas? quænam mitior ouis vnquam hac sanctissima Virgine matre tua extitit? & quis mitior agnus teipso, Christe Iesu Dei Agne, qui tollis peccata mundi? cum ita sit, cur, ô bone Iesu, vis eadem die, & in eodem crucis altari ipse æterno patri te in sacrificium offerri, & tuam ipsius matrem simul ibidem immolari, quam tamen tecum in horto habere noluisti, ne illam patris tui legem transgredi videreris? satis enim tibi fuit, vt ipse solus in feruenti sanguinis tui balneo coquereris, satis fuit vt agnus in suo sanguine immolaretur dimissa oue. Verum pro te nobis satisfacit seruus tuus Anselmus; voluisse nimirum, te vt mater tua sacratissima tibi vltima mortis tuæ hora interesset, vt eam vnicam hæredem ex asse tuam institueres, tanquam proximiorem consanguineam. Patriarcha Iacob morti proximus dilectum sibi filium Ioseph accersiri iubet, cui dixit: [Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi

Genes. 48.

Digitized by Google

in gladio & arcu meo,] pars hæc singularis quam ex diuisione Chananeæ exemit Iacob, dedítque speciali donatione Ioſepho, fuit ager vrbis Sichem, vel Sichar: & Christus moriens matrem ſuam, præ omnibus dilectam, ſibi præſentem voluit, illámque hæredem inſtituere omnium in primis dolorum, vulnerum & cruciatuum, omniúmque quæ per illos crucis arcu comparauit, meritorum ſcilicet omnium, quæ in eius manu ſita eſſe voluit, vt nobis fratribus ſuis illa diuideret, prout vniuſcuiuſque virtus exigeret. Hinc quidquid à Chriſto impetratum cupimus, per Mariæ preces & interceſſionem facilè impetrabimus.

De tertio Christi verbo: Mulier, ecce filius tuus: deinde dicit Discipulo: Ecce mater tua. Ioan.19.

CAPVT LXXIV.

1. CHriſtus breui expiraturus Ioannem quaſi oculis deſignans matri ait: [Mulier, ecce filius tuus. Non diſſimulans (inquit Arnoldus) quod humano pungeretur affectu circa nouiſſima, expreſſit quantam matri vellet in mundo reuerentiam exhiberi, cui in vltimis tam officioſum reliquit dilectionis indiciũ.] Miratur Chryſoſtomus cur Chriſtus matrem ſuam dilectiſſimam, mulierem hoc loco appellet: [O bone, inquiens, Ieſu, quid matrem tuam erubuiſti, quæ te tam diligenter nutriuit, reuerenter tractauit,

Arnold. in illud Ioan. 19.

Chryſ. hom. 84. in Ioan.

dulciter lactauit, tam dure loqueris mulierem inquiens!] & suæ admirationi satisfaciens subdit: [ideo factum esse arbitror, ne materno nomine amplius dolorem excitares: non enim tempus tunc erat matrem dulciter alloquendi, nec nomen matris exprimendi.] Nihilominus tamen hæc filij verba veluti acutissimum telum Mariæ pectus penetrarunt, & insigniter cordis dolorem auxerunt, tum quod ex illa insolita mulieris appellatione agnosceret Christum, sub hoc peregrino nomine tenerrimum in se amorem velle occultare, quo cognito, vehementius indoluit, transfixa simul amoris, & doloris gladio, tum quod intelligeret sibi filium valedicere, & prope esse vt expiraret, quod adeo eius dolorem auxit, vt simul cum filio, nisi diuinitus conseruaretur, expirasset, tum etiam quod huius commutationis inæqualitatem perciperet, qua pro filio Dei, filium acciperet pauperrimi piscatoris, & pro cęlesti magistro terrenum discipulum, Ioannem pro Iesu, filium Zebedæi pro mundi Saluatore.

Aug. in ep. 50. ad Paulinum.

2. O qualis hæc commutatio! [An non tibi (inquit Augustinus) plusquam gladius fuit sermo ille, reuera pertransiens animam vsque ad diuisionem animæ & corporis: Mulier, ecce filius tuus!] Quæ lingua dolorem, quem ex hoc verbo suscepisti, exprimere sufficeret? verbum enim hoc (vt Pauli verbis vtar) penetrabilius fuit omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionē animæ & corporis. Tanta siquidem doloris acie Matris viscera penetrauit, vt omnes etiam animæ facultates vi sua peruaderet, omnem in ipsa vitæ halitum ita præcluserat, vt prot-

Hebr. 4.

sus, nisi diuina virtute fulciretur, animam ageret: [Mulier, ecce filius tuus!] verè hoc verbo immissæ sunt in renibus tuis omnes filiæ pharetræ, adeo, vt nihil in te vacaret à vulnere: nam quemadmodum album, in quod sagittæ continuò collimantur, omni ex parte discinditur, perforatur, & vulneratur ex perpetuis sagittarum ictibus: sic Mariæ cor velut Album in quod filius omnes dolorum suorum sagittas euibrabat, quamnis omni ex parte continuis dolorum ictibus discinderetur, perforaretur, & vulneraretur, tamen grauius hoc vnico telo vulnus illi inflictum, quam cæteris omnibus dolorum sagittis: [Mulier, ecce filius tuus!] O inusitata commutatio, quæ tuum laucinat pectus, penetrat viscera, peruadit animam, extinguit penè spiritum! Ioannes tibi pro Iesu traditur, seruus pro domino, Discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero: ô quomodo afflictissimam tuam non pertransiret animam huiusmodi auditio, quando nostra licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatione scinduntur. Mulier tristitiam habes, sed tristitia tua breui vertetur in gaudium, & secundùm multitudinem dolorum tuorum in corde tuo consolationes tuæ lætificaturæ sunt animam tuam.

Aug. epist. 5. ad Paul.

Psalm. 94.

3. Interea mater charissima, ecce tibi dilectus meus Ioannes, cuius custodiæ te committo. [Iam moriens, inquit Euthymius, matrem commendat discipulo, summè dilectam maximè dilecto, Virginem virgini; instruens nos vt parentum curam ad extremum vsque spiritum habeamus.] noluit enim pati vt Iudaica rabies in Sanctua-

Christus matrē Ioanni commendat. Euthym. in illud Ioan.

rium ſuum profanam mitteret manum, vel aliqua infectione violaretur illud Spiritus ſancti templum. Proinde Ioannem veluti fidelem templi ædituum tanti theſauri cuſtodem inſtituit. [Ecce, ait, mater tua, ad diſcipulum conuerſus: hoc eſt (inquit Laurentius Iuſtinianus) indiſſolubili charitatis fœdere te illi, & ipſam copulabo tibi. Ecce mater tua: illi famulare, illam honora. Quicquid exhibebis illi, ſiue obſequij, ſiue reuerentiæ, ſeu iniuriæ, aſcribam mihi] Hinc Ambroſius: [Legatur, ait, matri pudoris defenſio, teſtimonium integritatis; legatur etiam diſcipulo matris cuſtodia, pietatis gratia commendatur: Ecce mater tua.] Quanta hæc morientis Chriſti de matre ſua ſolicitudo. Quare optime Cyprianus ait: [Nunc conſidero te Domine de matre ſolicitum in cruce, qui loqui tecum cum Euangelizares, negaueras, retroactis diebus, & prætuleras matri auditores verbi, pauperes ſpiritu, dicens eos tibi eſſe pro matre & fratribus, qui voluntati Dei obtemperarent: nunc materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendans, prouides ſedulo benedictæ inter mulieres Apoſtolicam clientelam, & obſequium virgini, virgini diſcipulo tradis, vt iam non Ioſeph tanti myſterij honoretur præpoſitura, ſed Ioannes. Quia tum exigebat ratio, vt coniugij remoueretur opinio, nec vltra pater Chriſti æſtimaretur, qui eatenus vicem patris, & coniugis tenuerat. Habebat Ioſeph in hac Chriſti diſpoſitione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognouiſſet carnalem maritum. Sed quia in ſpiritu actum erat, coniunctionis illud myſte-

Iuſtin. lib. de triumph. Chriſt. agon. cap. 8.

Ambr. l. de inſtit. virg.

Cypr. tract. de paſſ.

rium passus est Ioseph æquanimiter, sibi eum in hoc seruitio præponi, quem digniorem se indicabat, & quia magistri electio sic negotium ordinabat.

4. Docuit Christus per hanc de matre sua solicitudinem nos singularem parentum oportere curam gerere, illud Deuteronomij in se explens: [Honora patrem tuum, vt benè sit tibi.] In quem *Deuter. 5.* locum sic egregiè Procopius. [Deus, inquit, qui omnia producit & creat post leges, quæ ad ipsum *Procop.* pertinent, meritò secundas tribuit parentibus, qui post Deum secunda, vt scimus, causa sunt.] & paulò pòst subdit [reuerentiam deferendam esse genitoribus exemplo est Christus, qui è cruce pendens commisit fidei discipuli spectatissimi matrem: Ecce mater tua, tibi præ cæteris commissa tibi, qui hactenus tuæ vocationi egregiè respondisti, tibi qui animæ & corporis castimoniam ab ineunte ætate mihi consecrasti, tibi qui in cœna ceruical tibi in pectore meo aptasti, tibi probato dilectóque discipulo pudor virgineus, matris thalamus & sanctimoniæ integritas assignatur, vt testis sis idoneus virgini suæ integritatis, tibi scrinium omnium gratiarum è mediis doloruṁ vndis ereptum committitur. Hoc te priuilegio honoro, & post illud reclinatorium in quo visurus es verbum, dicens: In principio *Ioan. 1.* erat verbum, & verbum erat apud Deum, post inquam, illud verbi reclinatorium, officinã hanc, in qua verbum caro factum est, singulariter tibi committo. Esto itaque fidelis cubicularius matris meæ, qui deuotus filij eius fuisti discipulus, esto minister matris meæ sedulus, cuius filij dilectus extitisti, singularis in me tuus amor calcar

Arnold. de 7. verb. in Biblioth. SS. Patr.

tibi sit, vt singulariter matrem meam ames, quam amoris affectu præ omnibus creaturis ab æterno prosecutus sum. Tui ergo in me amoris argumentum sit tuus in matrem amor, hanc tibi commendo, cuius in me amor tantus semper fuit, vt non satis illi omnia passionis meæ tormenta in suo corde, ad viuum sentire, nisi etiam mecum quodammodo in crucis tortura moriatur. Et quoniam tu Ioannes illius in me amoris egregius æmulator es, vt cæteris Apostolis in turpem versis fugam me ad crucem vsque solus sequaris; Ecce proinde mater tua, & vt hoc lubentius præstes, hanc quæ mea est mater, tuam etiam facio matrem. Quod ergo filium decet, huic tuæ præsta matri, eam serua diligenter, foue & dilige.

Ioannis fit Maria filius.

5. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam: Vices (inquit Arnoldus) filij naturalis, filius accipit adoptiuus, & transfunditur in ministrum filialis affectus, formatúrque & firmatur in amborbus pietatis vnicæ gratus concorsque complexus, non ex traduce naturæ, sed ex munere gratiæ.] Quanta hæc Ioannis dignitas, qui Christi verbis singulari quadam ratione factus est Mariæ filius! Quare cum Isaia Christi generationem explicatu difficillimam extollente, meritò dicere possum: generationem Ioannis quis enarrabit, cuius nouus generationis modus, quo fit filius virginis, Angelicæ, ne dicam humanæ menti ineffabilis. Admiranda fuit Ioannis Baptistæ conceptio, & natiuitas, quam Deus multis honorauit prodigiis. Nonne prodigium concipi ex sterili matre? nonne prodigium, in materno adhuc vtero sanctificari? nonne prodi-

Isai. 53.

Digitized by Google

gium ad Christi aduentantis præsentiam in materno vtero gestire, illúmque suis in vtero motibus salutare, alloqui, cum illo alta tractare mysteria? nonne prodigium in gratia nasci? verum, si cum hac Ioannis Euangelistæ noua conceptione, & natiuitate conferantur, qua velut renascitur, & in instanti filius virginis efficitur, multo his inferiores erunt. Baptistæ quidem conceptio, & natiuitas, non ab alio, quam ab Angelo, & eo Angelo, qui Christi conceptionis & natiuitatis nuncius fuit, prænunciata: [vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.] Sed Christus *Luc. 1.* Angelorum princeps ac Dominus, Euangelistæ, & nouæ conceptionis, & natiuitatis nouæ præco fuit, & effector: Baptistæ conceptio, & natiuitas à dextris altaris incensi declarata per Angelum: & Euangelistæ conceptio simul & natiuitas, non à dextris Altaris incensi, sed in ipso sacri Altaris medio, in cruce nimirum, non per Angelum, sed per ipsum Angelorum creatorem, qui ait: Ecce mater tua! Baptistæ conceptionis ac natiuitatis nuncius Zachariæ ante tempus sacrificij apparuit; sed Euangelistæ conceptionis, ac natiuitatis nouæ nuncius, ipsi simul & matri in ipso cruenti illius in ara crucis sacrificij tempore, dixit: Mulier, ecce filius tuus! & discipulo: Ecce mater tua! Baptista ex matre sterili, Euangelista ex virgine matre singulari natiuitatis modo nascitur! Ille ex semine virili, hic ex speciali quodam, & peculiari amore, quo sese inuicem, tanquam mater & filius mirificè amplectebantur, qui multo ardentius sese efferebat, quam natiuus amor parentis in prolem, & prolis in parentem, idque cum reuerentia qua-

dam singulari Ioannis in virginem, qualem nullus vnquam filius, per naturam, in matrem suam habuit : quam generationem optimè Arnoldus depingit: [vices, inquit, filij naturalis, filius accepit adoptiuus, & transfunditur in ministrum filialis affectus, formaturque, & firmatur in ambobus pietatis vnicæ gratus concorsque complexus, non ex traduce naturæ, sed ex munere gratiæ.]

4. Reg. 2. 6. Admiranda inerat vis pallio Eliæ, quod in sublime igneo subuectus curru Elisæo discipulo dimisit; quo aliquando indutus duplicem (vt efflagitabat) spiritum Eliæ induit. Hinc pulcherrimè Chrysostomus, [erat inquit duplex Elias ille: & sursum Elias, & deorsum Elias. Igitur si tanta vis inerat pallio ac spiritui, quem Elias discipulo legauerat, vt duos efficeret Elias: cur non Deipara discipulo in matrem à filio tradita, duos efficeret quodammodo Christos? merito dixerim & erat duplex Iesus: & erat sursum Iesus, & erat deorsum Iesus. Tanti verò istum in terris filium, quem ad crucem Iesu susceperat virgo castissima, semper fecit vt illo solo contenta non Angelos, non ipsosmet Apostolos ad sui solatium & contubernium optauerit. Quam rem piè admodum Guarricus Abbas contemplatur, qui Deiparam sic loquentem inducit. [Sufficit mihi meus nouus in carne Angelus, discipulum dico, quem diligebat Iesus: cuius meæ dilectionis hæredem reliquit, cum illum mihi & me illi in cruce commendauit: cuius obsequio nihil mihi gratius: quia conuersatione & affectu nihil castius, moribus nihil suauius, nihil sincerius fide, nihil sanctius sermone,] Quare

Guar. ser. 2. de Assumpt.

Digitized by Google

sicuti Christus naturalis æterni patris figura; ita & Ioannes expressa quædam sanctitatis vitæ morumque Christi mystica est imago. Quare sic Mariæ curam in se suscipit, tanquam si eius naturalis filius esset. [vnum igitur, vt ait Arnoldus, contubernium Ioannis & Mariæ virginitas accipit, & vnius moris in domo vnam habitationem, mereturque communem conuictum.] hinc quia Mariæ semper astitit colloquio, multa ab ea didicit mysteria, quibus Ecclesiæ membra confirmauit, vnde Ambrosius; Tradita est, inquit virgo Ioanni coniugium nescienti, quare non miror, præ cæteris, loquutum mysteria diuina, cui præsto erat Aula cælestium Sacramentorum.] Non immerito igitur accepit eam in suam, ex qua tot hausit virtutum ac mysteriorum priuilegia.

Arnol. tract. de 2. Iesu. verb.

Amb. de inst. vir. c. 7.

7. Ecce, inquit Arnoldus, Ioannes piæ hereditatis suscipit testamentum: eligeris & in hoc proponeris omnibus: Ioseph qui eatenus ministrauerat te subrogato, cedit: nec maritalia iura opponit, vt obstruatur os loquentium iniqua in posterum, quia matrimonium dispensationi diuinæ, non copulæ carnali seruierat, ideoque nec Ioseph cum Ioannes eam suscipit in Parentem, quæritur de disiuncto connubio, quod dispensatorium fuerat, sine vllo carnalis copulæ commercio. Hoc testimonium integritati matris Christus in fine perhibuit, vt haberet Ecclesia sancta ex Euangelio lapidem, quem Bonosi Heluidijque hæreticorum impudenti fronti infigeret qui in matris illibatæ virginitatem ausi sunt impia, blasphemia gannire. Tu igitur Ioannes sancte ad hoc eligeris, vt ministres, & obsequaris ea

Arnol. supra.

Ioseph cedit Ioanni.

zed by Google

dilectione, qua filius, ea obedientia, qua discipulus, ea subiectione, qua minister, & famulus.] quæ fideliter tanquam bonus filius optimæ matri semper præstitit. O fœlix discipule, exclamat noster Fernandus, petebas sedere ad dexteram, vel ad sinistram Iesu in regno ipsius: planè quid peteres, nesciebas, longè incomparabilius est quod accepisti: Non sedes ad dexteram Iesu, sed recumbis super pectus Iesu; non cathedram accipis in regno dexteram, sed matrem Regis in matrem accipis: at quam matrem? quæ post Deum omnia superat. Ad quam comparatus orbis simul cum omnibus, & naturæ & gratiæ opibus, aut aquæ guttula, aut vna in mari arenula computatur. Ecce mater tua: ecce filius tuus. Hinc tibi, ô Ioannes, præsto fuit aula cælestium Sacramentorum, vt ait Ambrosius, Virgo Dei mater, cum qua eodem hospitio per multos annos, vti cum matre filius, atque ad eandem mensam accubuit. Quare à virgine Deipara ita instructus tanquam filius in tam sublimem cognitionis verticem ascendit, vt mortales omnes superauerit. Ioannes, ait Augustinus, diuinitatis potentiam sublimius contemplans cum Domino ad cælum volat.

De tenebris quibus obductus est mundus paulo ante Christi mortem.

CAPVT LXXV.

1. CHristo in cruce fixo à sexta hora, quæ est in meridie, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam, quæ est tertia post meridiem. O Sol lucidissime, cur te obscuris ac densis circumdas nubibus? cur faces rutilantes nostris aspectibus subducis, & mœrorem vultu obtenebrato ostendis? An quia educti è terra impuri vapores, affectus nimirum nostri terrenis rebus infecti, & peccata nostra quibus etiamnum Authorem vitæ morti tradimus, in cælum clamantia ascenderunt, è quibus caliginosæ nubes effectæ, tuam obscurarunt lucem, qua indigni mortales, nec adhuc harum subtrahunt tenebrarum causas, sed obscuros peccatorum vapores, qui semper ascendentes ipsum cælum, tenebris obducunt, quotidie ministrant! An fortassis ob visam tam ingentem hominum ingratitudinem, qui nec vnam lachrymam emittunt, claro Iustitiæ sole occumbente, tuos subducis radios, tenebris terram contegens, vt hominibus minimè dolentibus, quo modo possis dolorum Christi, & ignominiæ compassionem ostendas, & tua luce nubibus abscondita, tuam indices terræ indignationem, quod omnibus insensibilibus creaturis Christo cõpatien-

Causa solis obscurati. Matt. 27.

tibus, soli homines, quorum causa patitur, non patiantur super contritione eius? an fortassis vt occasionem subtrahas persequentibus, in Christum sæuiendi, subsannandi, blasphemandi, tua illos luce priuando, eosque tenebris obsitos cogas ab impio cœpto desistere; verè causas habes, ô Sol, tuos subtrahendi radios, vt & simul natiuo mœrore Creatori morienti compatiaris, & redarguas hominum ingratitudinem, tenebris eos inuoluens, tortoresque, tua luce indignos, cimmerijs obruas tenebris.

Sol materialis obscuratur, Sole Iustitiæ occasui proximo.

2. O verè Sol Iustitiæ, æquum omnino est, nobis minimè tibi compatientibus, materialem hunc solem obscurari, terramque suo luctu contegere, te, præ tristitia, & doloribus prorsus obscurato, & iam occasui proximo, vt transeas ad alterius vitæ hemisphærium. Sed noli, ô Domine, noli committere, vt nos ita excæcatos relinquas, subductis gratiæ radiis, quibus effera etiam, & tenebricosa hominum corda molliri, & illuminari solent; noli, noli committere, vt non assequamur quam sit tibi gratum nos tecum contristari, nec adeo in nos permittas peccata dominari, vt in sceleribus insensibiles redditi consenescamus, nihil compatientes super contritione Ioseph, super contritione, inquam tua. Quamuis non modo in ingratum illum populum, per solis defectionem, sed in nos etiam multo illis ingratiores iustam ostendere tuam voluisti iram, ob tam horrenda, quæ quotidie committimus peccata, quorum cruci velut humores in tenebricosissimam coalescentes nubem, non solum materialis solis, sed multo magis Iustitiæ solis radios, ne nostra peccatis obscurata, & quasi pertinaci gelu

Digitized by Google

concreta corda molliat, impediunt, virtute tamen passionis tuæ hanc densam peccatorum nubem perfringe, quemadmodum sol materialis, collectas è terræ humoribus nubes, radiorum virtute dissiparet, & in vtilem resoluere pluuiam solet. Exere igitur virtutẽ tuam, ô sol fulgentissime, iam eleuatus supra zenit nostrum, in crucis sphæra, quasi in tuo orbe fixus, eclipsim breui, ad tres dies, præter solis naturam, passurus, donec illuminato inferiore inferni hemisphærio ad tuum naturalem redeas cursum, & in nostro iterum hemisphærio positus gloriosè fulgeas.

Elementa Christo compatiuntur.

3. Hanc verò eclipsim natiuo commiserationis motu elementa spectantia (præsertim omnibus fermè etiam amicis, & Apostolis filium Dei deserentibus, ac Deipara innumeris transfixa dolorum gladiis) attonita contremuere: Patre enim familias moriente, tota domus eius turbatur, omnis familia plangit, & consciscis tunicis, nigris se operiunt vestimentis: sic & mundi creatore, ad mortem properante, totus contristatur mundus, exceptis hominibus, vniuersa cæli ministeria lugent, & candore depositio pro vestibus luctuosis, tenebris vestiuntur. Omnis itaque fermè creatura compatitur Christo morienti; sol obscuratur, terra mouetur', petræ scinduntur, velum Templi diuiditur, sepulchra aperiuntur, solus miser homo non compatitur, pro quo solo Christus patitur: videt enim natiuo sensu, quod homo rationis particeps minimè videt: videt siquidem caput Angelicis tremendum spiritibus, densitate spinarum pungi, faciem præ filijs hominum specioſam, Iudæorum sputis deturpari, oculos sole lucidiores in morte caligare, aures

Simile.

Hominis ingratitudo.

Digitized by Google

Angelicis assuetas cantibus, peccatorum audire insultus, os quod docet Angelos, felle & aceto potari, pedes quorum scabellum adoratur, cruci clauo affigi, manus quæ cælos fabricarunt, in cruce extensas, & clauis crudeliter affixas: videt corpus verberari, latus lancea perfodi, quid plura? videt nihil in eo præter linguam remanere, vt pro peccatoribus oret, & afflictam matrem afflicto discipulo commendet.

4. Principes itaque vniuersi partes summi ostendunt mœroris signa: omnes enim creaturæ, præter peccatores Christi mortem lugent, & ob tot illatas in eum iniurias natiuo quodam doloris sensu indignari videntur: [Apertè enim, vt ait Augustinus, rerum natura perspicitur commoueri, velut in vindictam authoris sui velit armari: terra ipsa concussa à fundamentis suis, quasi quæ crucem Domini vix sustineat, tanquam ad scelus proprium contremiscit: Dies refugo homine quomodo potest sumit lamentum, & fusco tristium tenebratum habitu more lugentis induitur, & vt tota cæli facies Dominicæ natiuitatis gloriam noua luce testatur; ita crucis iniuriam nouis tenebris detestatur.] Solus homo omnem exuens humanitatem, & naturæ oblitus suæ, arma in suum creatorem mouet, sole cæterísque astris tantam redarguentibus inhumanitatem. Sol siquidem decursu operis defecit, & interitum suum cum eo reliqua mundi elementa senserunt: ad onus Domini in cruce pendentis terra tremuit, & eum qui mortuus erat, intra se contestata est non capere.] Et tamen adhuc peccator non mouetur, non tristatur sui gratia Saluatorem omni destitui solatio, non intelligit clamantem,

Aug. serm. 120.

Hilar. l. 3. de Trinit.

clamantem, sed potius cum Iudæis verbis, & factis Christo patienti insultat.

De quarto Christi verbo: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Math. 27.

CAPVT LXXVII.

Christus eclipsim sui præsentit.

1. AVdiamus quomodo sol noster imminentem sibi eclipsim præsentiat. Circa horam nonam, ait Mathæus, clamauit Iesus voce magna: [Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?] Quibus verbis omni se tam humana, quam diuina destitutum ope ostendit, licet enim eo etiam momento beatifica frueretur visione, ea tamen cruciatuum dolorem non minuebat, sed potius augebat. Quid enim acerbius illi accidere poterat, quam à vilibus diaboli mancipiis tanta simul ignominia, & cruciatu affici, qui à Deo etiam tum infinita quodammodo gloria coronabatur? Hinc Laurentius Iustinianus: [Altissimo, ait, diuinitatis consilio actum est, dum pendens clamaret, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? vt tota diuinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam.] In primis itaque ob internam paternæ consolationis desertionem, qua maximè angebatur voce magna clamauit. Quamuis enim diuinitas ab eo nunquam separata fuerit, illi tamen subtrahebatur omnis solatij causa, vt copiosa esset apud eum humana redemptio. Vnde Leo Magnus: [Vox ista dilectissimi doctrina est, non querela. Nam cum in

Math. 27.

Laurent. de triumph. Christ. ago. cap. 8.

Leo ser. 16. de pass.

Digitized by Google

Christo, Dei & hominis vna persona sit, nec ab eo potuerit relinqui, à quo non poterat separari pro nobis trepidis, & infirmis interrogat, cur caro pati metuens exaudita non fuerit. Instante enim passione, ad sanandum & corrigendum nostrę fragilitatis metum dixerat: [Pater, si possibile est, transeat calix iste à me.] Hoc verò loco quamuis calcato iam mortis penitus terrore, [in ipso tamen tantæ victoriæ exaltatus triumpho, causam & rationem, qua sit relictus, id est non exauditus, inquirit: nimirũ vt ostendat, ait Leo, alium esse illum affectum, quem ad humanæ formidinis excusationem recepit, alium illum, quem ex æterno placito patris pro mundi reconciliatione præelegit. Vnde ipsa vox non exauditi magni est expositio sacramenti, quod nihil humano generi conferret Redemptoris potestas, si quod petebat nostra obtineret infirmitas.] Sicut ergo illic paterna simul & humana consolatione destitutus fuit, sic iam in cruce pendens omni caruit solatio. Quare Hugo de S. Victore Christum patri in hunc modum loquentem inducit: [Tu mecum pergis, simul ambulamus, sequutus sum te quasi amicum meum, mecũ habens: venit hostis meus, me vulnerans, tu me plagari cernẽs, nihil moueris, non curans mea vulnera. Benedico tibi, vt quid me dereliquisti? adhuc stas iuxta me, & causor te recessisse à me: iuxta es loco, sed longe es auxilio.] Derelictio igitur, de qua Christus conqueritur, est desertio sensibilis consolationis, & solatij, quo diuinitas humanitatem priuauit, vel potius permisit illam tristitia affici, quasi non esset illi coniuncta, idque à tempore orationis in horto, vsque ad ipsam expirationem in cruce.

Leo. ibid.

Huga.

Quid Christus à patre derelinqui.

Quare grauiter Christus doloribus iam in cruce afflictatus, dependēs tantummodo ex manuum, & pedum clauis, ad patrem exclamat: [Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti.]

2. Quærimonia verò hæc, non ab impatientia, vel ignorantia, quasi passionis nesciret causam, aut non libenter ferret, se in illis doloribus derelictū à patre, profecta, sed ex protestatione acerbissimæ passionis, ne quis, quod hactenus ob tantam animi æquitatem, ne gemitus quidem edidisset in publico, suspicaretur impassibilem redditum, superiore aliqua virtute nihilque propterea doloris percepisse, aut passionem simulasse. Addit etiam Augustinus, gessisse tunc nostrā personam: [Quare, inquit, hoc dicit, nisi quia nos ibi eramus, nisi quia corpus Christi Ecclesia.] & Athanasius, [quia reuera similis nobis passibilis tunc patiebatur, verbis demonstrare voluit derelictos quodammodo nos, & naturam nostram in Adam, ne quo pacto, quando sumus in periculis, putemus nos derelictos. Non potuit itaque Christus derelictum se simpliciter asserere, alioqui sibi contradiceret, qui ait: solus non sum: sed ego, & qui misit me, pater: &, qui misit me, mecum est, & non dereliquit me solum.] Efflagitauit ergo Christus, ac sua querela, & sui nominis exaltationem, & corporis resurrectionem & gloriam, & hominum salutem. [Ne igitur (vt ait Leo) simplex & incuriosus auditor, ita accipęret verba dicentis: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? tanquam fixo Iesu in crucis ligno paternæ ab eo Deitatis omnipotentia recessisset, cum in tantam vnitatem Dei & hominis natura conuenerit, vt nec supplicio potuerit

Cur Christus se derelictū conqueritur.

Augusti. in Psalm. 21.

Athanas. de Incarn.

Ioan. 8.

Leo. ser. 17. de pass.

dirimi, nec morte diſiungi. Ideo, vti paulò pòſt ſubditur, Ieſus voce magna clamabat, dicens: quare me dereliquiſti? vt notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, ſed ſæuientium manibus derelinqui, hoc eſt, Saluatorem mundi fieri, & omnium hominum Redemptorem, non per miſeriam, ſed per miſericordiam, nec amiſſione auxilij, ſed definitione moriendi.] Has itaque voces emiſit noſtri gratia, quibus haud ambigo totus contremuit infernus.

Iudæis minime Chriſto compatientibus inſenſilia cōpatiuntur.

3. Propius ad Leonis ſignum ſol accedens potentior eſt: ſic Chriſtus iuſtitiæ ſol, cum morte velut truculentiſſimo leone confligens, ſolito fortius irrugiit: [Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti?] quo mugitu aëreas poteſtates perterrefecit, non ſecus quam volucres ingenti populi boatu, & vociferatione (vt author eſt Valerius Maximus) ſuperato olim Philippo, & ciuitate priſtinæ libertati reſtituta; corruerunt. Cuius obſecro pectus etiam adamātinum hæc Chriſti vociferatio non commoueret, præſertim cum noſtri cauſa huiuſmodi voces emiſerit: vnde Origenes: [forſitan, ait, videns peccata hominum pro quibus patiebatur, dicebat Chriſtus: quare me dereliquiſti, vt fierem quaſi qui colligit ſtipulam in meſſe, & ſicuti qui colligit racemos in vindemia, cum non ſit botro ad manducandum primitiuo.] Verum quandoquidem iſtiuſmodi Chriſti clamore non cohorreſcimus, ipſa inſenſilia natiuo motu, & ſimul noſtram redarguunt pectoris duritiam, & lugubri Chriſti clamori reſpondent: [vocibus his, ait Leo, veſtris ſtultis reddunt omnia elementa reſponſum, & vnam in vos ſententiam ferūt, qui impiis vocibus & acti-

Origen. in Matth.

bus mortem Christi approbatis: cælum, terra, sol, sideráque indignos vos suo ministerio protestantur, terribili motu, insolitóque defectu tenebras mundo vestræ cæcitatis ostendunt.] Hinc, vt sua peccatores illustratione indignos esse iudicent, tenebris eos obuoluere, subtracto lumine, festinant, Deo præsertim id iubente. Vnde illud Ezechielis expleri iam cernimus: [omnia luminaria cæli mœrere faciam, & dabo tenebras super terram,] quasi dicat Pater cælestis, quoniam homo tantam ostendit ingratitudinem, vt Saluatore suo patiente, & à me ipso quod immodo derelicto, non commoueatur, insensilia cæli astra, si fortè hoc prodigio ingratus homo erubescat, mœrere faciam, & vniuersam terræ faciem tenebris obuoluam, vt sole, ac astris authori suo, quasi compatientibus ac lucis suæ radios, præ mœrore, abscõdentibus, homo tandem inusitatis hisce portentis, ob suam ingratitudinem obstupescat: [pendente, inquit Leo, in patibulo creatore, vniuersa creatura congemuit, & crucis clauos omnia simul elementa senserunt, nihil ab illo supplicio liberum fuit, præter ingratos peccatores: hoc in communionem sui, & terram traxit, & cælum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reserauit, & densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. [Debebat hoc testimonium suo mundus authori, vt in occasu conditoris sui, vellent vniuersa finiri, sed patientia Dei seruat rebus atque temporibus ordinem suum, nósque in illum potius vocat affectum, vt eorum salutem petamus, quorum crimen horremus.

Ler ser. 10. de pass.

Ezech. 32.

Leo serm. 6. de pass.

4. Quamuis filius Dei nihil potuerit commisisse quo à patre relinqueretur, huius tamen dere-

Causa derelictionis magnitudo pretij gratiæ diuinæ. Math. 13.

lictionis causa etiam esse potest magnitudo pretij diuinæ gratiæ, inquit Bellarminus, quæ est illa margarita pretiosa, quam mercator sapientissimus Christus, venditis omnibus, quæ habebat, emit, nobísque restituit. Hanc quidem margaritam sine pretio pretiosam, primus noster parens, per suum peccatum in paradiso, & sibi, & nobis perdidit, & illius loco toti suæ posteritati diuinam induxit indignationem, qua perseuerante, illam cælestem gratiæ margaritam recuperare non potuimus, neque omnes hominum diuitiæ, aut merita illam coëmere poterant, quippe quæ fuit infiniti pretij. Quamobrem solus inuentus est ditissimus mercator, Christus nimirum, qui simul suæ passionis merito, & patris indignationẽ remoueret, & nobis deperditam gratiæ margaritam recuperaret. Opus itaque illi fuit grauissimis se vitæ incommodis subdere, vt ingenti labore, & dolore eam nobis restitueret: hinc omni priuatur patris solatio, quod maximè ad hanc margaritam nobis recuperandam conduxit, cum inde Christus magnam conceperit tristitiam.

Quarta causa magnitudo regni cælorum.

5. Aliam adfert idem illustrissimus causam, magnitudinem nimirum eminentissimã Regni cælorum, ad quod nobis aditum immensis laboribus, & doloribus suis patefecit filius Dei. [Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud,] quamuis minime Christo opus fuit ad regni cælorum adeptionem pati, cuius propria passio fuit, tamen illi vim inferre debuit, vt nobis ob peccatum exclusis aditum aperiret, hinc & mortis aculeum retunderet, opus illi fuit durissimo cum illa prœlio luctari, in quo prœlio pa-

Math. 11.

Digitized by Google

ter eum dereliquit, vt glorioſius triumpharet. Quare tanti triumphi hodie Eccleſia pæana canit huiuſmodi: [Tu deuicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cælorũ.] Pergit illuſtriſſimus: alia cauſa fuit amor ingens, quo patrem filius proſequebatur. Optabat enim vt in redemptione mundi, & abolitione peccati, honori patris æterni copioſiſſimè, & cumulatiſſimè ſatisfieret, quod fieri non poterat, niſi pater filium derelinqueret, id eſt, pati permitteret omnes cruciatus, qui à diabolo excogitari, & ab homine tolerari queunt. Voluit denique hac ſua quaſi querela: [Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?] iam morti vicinus intelligeremus quibus doloribus, noſtri gratia, afflictabatur, vt tanto amori minimè ingrati eſſemus, & pretiũ redemptionis magni æſtimaremus; vnde Cyprian. [Tu, inquit, Domine, de morte non agis, de opprobriis non contendis, ſed hoc vis intelligi, quæ ſit cauſa mortis, quis quæſtus, vt in vtraq; re cognita, peccatum appareat, & gratia, & quanti ponderis ſit vtrumque, retũ probet effectus: Cum originali morti nullum niſi in Chriſti morte potuerit eſſe remedium, nec reconciliare Deo potuit exules & damnatos quæuis oblatio, niſi ſanguinis huius ſingulare ſacrificium.] Clamauit itaq; poſt tenebras, & trium horarum ſilentium, clamauit cordis voce ad patrem pro nobis etiam per tres illas tenebrarum horas, clamauit vulneribus, clamauit ſanguine, imo tot linguis clamauit quot vulneribus, tot oribus, quot ſanguinis noſtri cauſa effuſis guttis veniam inſtanter nobis ac miſericordiam poſtulantibus.

Cypr. tract. de paſſ.

De quinto Christi verbo: Sitio.

CAPVT LXXVII.

Duplex Christi sitis, naturalis & spiritualis.

1. SCiens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura dixit: Sitio!] duplex hæc fuit Christi sitis, altera naturalis, quæ, quod nocte præcedenti nihil prorsus bibisset, cum tamen grauissimos sustinuisset cruciatus & labores, sanguinisque sui iacturam fecisset verberibus, spinis, clauis è toto corpore expressi, eum vehementer vexauit alia nostræ salutis sitis, quam ab æterno, viso Adæ peccato, concepit. De sitis verò naturalis acerbitate iam olim Regius Propheta vaticinatus est: [Aruit, inquiens, tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluere mortis deduxisti me.] Tanta Christus siti in cruce laborauit, vt omnis eius virtus, præ nimia siti, exaresceré videretur. Vnde Cyrillus asserit, vnum è grauissimis tormentis, quæ Christus in cruce tolerauit, fuisse sitim hanc naturalem. Quare non alij rei eius ariditatem Propheta comparare voluit, quam testæ aridæ, & siccæ: sicut enim testa arida, & ex clibano educta superinfusam aquæ guttam statim sorbet, ita Christus in siti aruit, vt ipsum etiam porrectum sibi amaritudine medicatum potum ori suo saltem admoueri permiserit. Huius verò sitis vehementiam illa Prophetæ verba [Lingua mea adhæsit faucibus meis;] clarè exprimũt. Sicuti enim sitibundi, præ humoris in ore defe-

Psal. 21.

ctione, linguam in verba efformare non possunt, & quasi agglutinatam palato nequeunt motitare, cum desit, præ nimia siti, saliua, quæ linguam, veluti aquæ molam, circumagitet; sic Christus licet alta voce iam in cruce moribundus, præter morem aliorum diuinitate illum ad plura patienda confirmante damnauerit, exhausto tamen toto penè sanguine, vix fieri potuit, quin lingua eius præ siti aruerit. Hinc ait, [Sitio.] Dic mihi obsecro, bone Iesu, nonne tu fons hortorum es, & puteus aquarum viuentium? nonne dixisti, si quis sitit veniat ad me, & bibat? nonne tu es ille qui cuilibet petenti ex intimo animi affectu præbes aquam vitæ salientem in vitam æternam, & dicis, sitio?

Iudic. 15. Sitibundis creaturis aqua suppeditatur, Christo minime.

2. Prouidit Deus Sampsoni aquæ fontem sitibundo post pugnam ex mandibula asini: [clamauit ad Dominum Sampson, & ait: tu dedisti in manus serui tui salutem hanc maximam, atque victoriam, & in siti morior, incidámque in manus incircumcisorum,] at Christus post longam passionis pugnam, & maximam de hostibus partam victoriam [sitio] exclamat: & cum nemo vel aquæ guttam illi porrigat, in manus truculentissimorum incidens, amaro potu excipitur. Et populo duræ ceruicis sitienti, melle dulciores præbuit aquas, imo amaras etiam aquas illis dulces, ligni immersione, (quod Christi crucis typus fuit) reddidit. [Lignum passionis, ait Tertullianus: hoc enim lignum tunc in Sacramento erat, quo Moyses aquam amaram indulcauit, vnde populus qui siti peribat in eremo bibendo reuixit,] & æterni patris filio præ nimia siti deficienti, nemo est qui condoleat, sed omnia

Aperuit itaque Dominus molarẽ dentem in maxilla asini, & egressa sunt ex eo aquæ.

Tertul. lib. contra Iudæos cap. 13.

eius mœrorem augere conantes myrrhatum porrigunt vinum. ô ingens Iudæorum crudelitas, qui Christo inter tot tormenta graui extimulato siti vel vnicam aquæ guttulam denegatis! siccine in eodem cum Epulone Christum ordine collocatis, vt sicut illi vel minimam aquæ guttam Abraham dare minimè voluit ; sic Christo quasi inferni mancipio hodie aquæ guttam denegatis! Puero Ismaeli præ ardente siti in deserto loco iam moribundo puteum aquæ per Angelum matri eius Agar , quo puer suam extingueret sitim, ostensum scriptura commemorat. Et patris cælestis vnigenito in cruce exhausto sanguine, præ siti ardentissima arescenti , neque per patrem neque per Angelum, neque per aliquem amicum aquæ pureus ostenditur , præter illum alte defodiendum breui in eius latere , militis lancea , ex quo aqua & sanguis emanatura. Eliæ sitienti de torrente Carith aquam suppeditauit Deus: sed Christo de passionis torrente, non aquæ haustus, sed sui sanguinis riui propinantur. Isaiæ grauiter siti exagitato , audita Manassæ Regis crudeli sententia in se lata, vt medio secaretur serra, fontis Siloë miraculo aquas illi (vt author est Epiphanius) Deus præbuit : Et filio Dei acerrima exagitato siti, crudeli mortis sententia in illum lata, & tories flagellis, spinis, ac clauis excarnificato potus minimè porrigitur, præter fel & acetum! Dauidi siti mirum in modum laboranti, tres pugiles non sine capitum periculo de aqua cisternæ, quæ fuit in Bethleem desideratum obtulerunt calicem : & Christo Saluatori nostro grauiter sitienti, & potum petenti, nemo est qui offerat vel vnicam aquæ guttulam , neque Ange-

Gen. 21.

3. *Reg* 17.

Epiphan. de vit. & mor. prophet.

2. *Reg.* 23.

lus, neque pater, neque ex amicis aliquis huiusmodi charitatis officium illi præstat, donec sui sanguinis poculo, quasi inebriandus sanguinem ipse, & aquam, per latus, lancea traijciendum emiserit.

Egregium pueri & matris constantiæ exẽplum.

3. Tibi, ô mundi Saluator, dixisse pater cælestis videtur, quod mater quædam paruulo filio, loris, tui causa, durissimè cæso, & præ nimia siti haustum aquæ poscenti respondit: [calicem, inquiens, eum expecta, quem occisi in Bethleem infantes olim biberunt lactis, & papillarum immemores. [Isaacum respice, qui cum immolandus aram & ensem aspexisset, vltro colla prębuit. Interim autem cum capillis à vertice tortore reuellente, acclamat puero mater: patere fili, mox enim ad eum venies, qui caput nudatum nunc tuum, per contumeliam, regio vestiet diademate, puer matris simul cohortatione ac diuina corroboratus virtute, lætus virgas & dolores vulnerum ridet, damnatur, ducitur cum B. Romano ad supplicij locum, quem in complexu mater foras extulit; carnifex poscit; dat illa præter osculum nihil morata; & vade, inquit, nate dulcissime. Ceruicem dum ense carnifex ferit, accinit illa: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius: ecce seruus tuus, & filius Ancillæ tuæ. quibus dictis amputatum filij caput pallio inuolutum excipit. & pectori applicat] Huiusmodi, inquam, æternus pater, tecum, ô Christe agit ratiocinatione: calicem eum expecta, quem occisi in Bethleem Infantes, tui aliquando causa, hauserunt lactis, & papillarum immemores; Isaacum tui typum respice, & cum illo immolandus, in crucis Ara, vltro morti te præbe: patere fili: mox

enim ad me venies, qui caput ſpinis coronatum nunc tuum, per ſummum contemptum, regio veſtiam diademate. Hinc Chriſtus licet grauiſſimas ſenſerit pœnas, ſiti mirum in modum vexatus, præ lætitia tamen, ob electorum ſalutem concepta, dolores vulnerum quaſi ridens: conſummatum eſt, inquit; & pater ad pacis oſculum caput in humerum inclinanti, veluti oſculum offerens; vade, inquit, nate dulciſſime; quo expirante, pretioſa, inquit, in conſpectu meo mors ſancti Sanctorum. Ecce pater vnigenitus tuus, & filius Ancillæ tuæ, quæ incredibili patientia, filij ſui ſupplicio aſtat, ſeque in tuam reſignans voluntatem, quod Angelo nuncianti vnigeniti tui Incarnationem, idem modo tibi, ô pater, filium ſuum tantis cruciatibus affligi permittenti reſpondet: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum! Porro & patris & matris vices ſupplens, filij vteri ſui corpus è cruce depoſitum deſiderato excepit amplexu, pectorique ſuo, intimo animi affectu, applicuit.

Sitis ſalutis noſtræ ardentiſſima.

4. Verum ſi hanc ſitim cum ea conferamus, qua in ſalutem noſtram ardebat, hæc præ illa incredibilis eſſe videbitur, ſitis ſiquidem illa naturalis ad breue tempus durauit, & linguam maximo affecit cruciatu, ſed ſalutis noſtræ ſitis æterna fuit. [Sitis hæc (inquit Laurentius Iuſtinianus) de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine naſcitur charitatis: ſitiebat nos & dare ſe nobis deſiderabat,] Hæc illum è cælo in terram traxit, hæc illum virgineis admouit vberibus, hæc illum ad triginta trium annorum labores noſtri gratia ſubeundos impulit, hæc illum in horto aquam

Iuſt. l. de agon. c. 19.

& sanguinem sudare fecit, hæc illum columnæ applicauit, hæc illum spinis coronauit, hæc illum cruci affixit, hæc eius viscera & animæ medullas acerbissimè cruciauit, nec tamen his omnibus extingui potuit, donec effuso toto in cruce sanguine, totum nobis vno veluti haustu propinaret. in singulis itaque actionibus illud reipsa vsurpasse videtur quod de eo scribit Augustinus: [Sitis mea salus vestra est, sitis mea redemptio vestra; sitio fidem vestram, gaudium vestrum, plus animarum vestrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet: cucurri in siti à summo cælo in terram, tanquam gigas cucurri, & ita cucurri & sitiui, vt licet multos biberim, numquam tamen sim fine siti animarum.] quamuis plurimi hanc meam sitim nihili facturi sint, hanc illis ingratitudinem Regius vates exprobrat dicēs: [Quousque irruitis in hominem, interficitis vniuersi vos tanquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ: veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere; ego verò cucurri in siti] In quem locum sic Augustinus commentatur. [Illi interficiebant & repellebant me, ego sitiebam illos; illi honorem meum cogitabant repellere, ego eos in corpus meum conabar traijcere per porum, hoc semper sitit Christus, ideo in cruce dixit: sitio; & Samaritanæ: da mihi bibere. Samaritana illa in puteo sitientem Dominum sentit, & à sitiente satiata est, sensit illa prior sitientem, vt biberet iste credentem, & in cruce illos sitiebat, illi verò acetum dederunt.] Quemadmodum ergo diabolus inexplebili ardet nocendi siti; sic è contrario vno omnes haustu hominum animas exsorbere Christus desiderat.

Aug. ser. 1. de Ram. Pal.

Psal. 51.

Aug in illud Psal. 51.

Hinc ſitio ait, cucurri in ſiti. Verè cucurriſti & adhuc ſitis, multas bibiſti animas, nec vnquam huiuſmodi potu ſatiaris, donec ſaltem quadruplicem in nobis extinguas inordinatam ſitim.

5. Sitimus nos aliquando inimicorum vindictam, & nihil tam efferueſcentem extinguere ſitim valet prẽter inimici ſanguinem, vnde eius dicta, & facta in malum ſemper torquemus, ſenſum, vt maiori in eum indignatione exacerbemur [vbi amicitia, inquit Gregorius, permanet, nihil facile creditur, nihil facile recipitur, quod diſſidium poſſit operari. Si verò inimicitiæ ſemel occupauerint animos, omnia quæ fiunt, quæ dicũtur, ita accipiuntur, & intelliguntur, vt ad maiores & longiores proficiant inimicitias. Si quid enim boni dicatur de inimico, non creditur : ſi quid autem mali, hoc ſolum creditur & confirmatur, cuius cauſa inimici ſanguinem in potum nobis præbendum optamus. Tam crudelis ſitis iſta, vt ad illam extinguendam oportuerit Chriſtum ſui ſanguinis calicem patri propinare, quo & inimicos inter ſe reconciliare poſſet patriſque fauorem impetrare ijs à quibus ipſe diris afficiebatur tormentis, vt ſuo exemplo doceret inimicorum non ſanguinem, ſed ſalutem ſitiendum [pater intonans ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.] Sacrificium enim crucis patri minimè placuiſſet niſi inimicorum dilectio interueniſſet: [virtus eſt, inquit Gregorius, coram hominibus tolerare inimicos, ſed virtus coram Deo diligere : quia hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod ante oculos eius in altari boni operis charitatis flamma incendit.]

Greg. l. 30. Mor. c.

Greg. paſt.

6. Sitimus etiam aliquando magni nominis gloriam, cupientes terræ nomina nostra inscribere, obliti Saluatoris nostri exorbitans discipulorum gaudium, qui dæmonia sibi subijciebant, reprimentis: [videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem] quasi diceret, vt loquitur Hieronymus, [si ille (scilicet Lucifer) propter superbiam de tanta magnitudine cecidit, vos quoque non debetis gloriari, quia vobis dæmonia subiecta sunt: sed quia nomina vestra scripta sunt in cælo: vt vnde ille cecidit per superbiam, vos ascendatis per humilitatem. Quis ergo inanem sitire gloriam velit? [Inanis enim gloria, vt ait Augustinus, huius seculi fallax est suauitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas: initium sine prouidentia, finis cum prouidentia.] Cecidit Lucifer inani inflatus gloria, sicuti omnes mundi, & gloriæ amatores.] Dic mihi, inquit Hugo, vbi sunt amatores mundi & inanis gloriæ qui ante pauca tempora nobiscum erant? nihil ex eis remansit nisi cineres & vermes. Attende diligenter quid sunt vel fuerunt, homines fuerunt sicut tu, comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, & illic anima ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati sempiternis inuoluantur incendijs, qui socij fuerunt in vitijs, socij erunt in pœnis, vna namque pœna implicat, quos vnus amor in crimine ligat.

Luc. 10. *Hiero. in c. 14. Isa.* *August. in Psal. 149.* *Hug. 1. de anima.*

7. Porro sitimus res terrenas quæ nunquam sitim nostram possunt extinguere, sed augent potius. Hinc Ambrosius: [O diues, ait, nescis quam pauper sis! quanto plus habueris, plus requiris.

Amb. l. de Nabot. c. 2.

gitized by Google

Inflammatur lucro auaritia, non reſtinguitur. Quaſi quoſdam gradus cupiditas habet: quo plures aſcenderit, eo ad altiora feſtinat, vnde ſit grauis ruina lapſuro.) Et ſtatim id oſtendit conferens auarum Achab Regem cum paupere Naboth: [Ille, inquit, regni opibus affluebat; & tamen ceſpitem pauperis flagitabat. Pauper nihil de poſſeſſionibus concupiuit diuitis. Quis igitur tibi pauper videtur? qui contétus eſt ſuo: aut qui concupiſcit alienum ?] Sed vlterius conſiderandum qua exſtimulatur auarus Rex alienæ poſſeſſionis ſiti. Nam inopi Naboth ait, [da mihi vineam tuam daboque tibi pro ea vineam meliorem,] ô miſeram Regis auaritiam qui à paupere emendicat dicens: da mihi. [Hæc, inquit Ambroſius, quam abiecta, quam vilia ? non habent enim humilitatis affectum, ſed cupiditatis incendium.] Deinde commutationem offert: [daboque tibi vineam meliorem,] O ineffabilem auari rei alienæ ſitim! ſi melior vinea tua, cur cum deteriore commutas ? reſpondet Ambroſius, [Diues quod ſuum eſt quaſi vile faſtidit, quod alienum eſt, quaſi pretioſiſſimum concupiſcit,] Quare non immeritò magnus Baſilius inexplebilem auari ſitim cum ignis vehementia componit, nam ſicuti ignis nunquam dicit, ſufficit; ſic auarus nunquam explet appetentiæ ſitim. [Auaritiæ (inquit Baſilius) malum ſtare neſcit, ſed ignis naturæ ſimile. Ignis enim poſtquam incendium attigit, omnem properat abſumere materiam; nec prius deſiſtere poterit, quam materia defecerit. Aurum autem quid retinere poterit ? igne vehementior eſt, omnia continuando finibus ſuis occupat; ea quæ ſunt vicini ſibi aufert.

3. Reg. 21.

Amb. ibid.

Baſil. h. 21. in aliquot ſcripturæ locos.

Mox

Mox vbi alium fortiter vicinum, & quæ illius sunt ad se rapit. Non ob ea quæ possidet, lætatur, sed ob ea quibus caret angitur, neque ijs quæ congregauit fruitur; sed cupiditate plura consequendi se magis excruciat. Imo Augustinus auarum cum ipso inferno comparat: [Auarus, ait, inferno est similis. Infernus enim quantósque deuorauerit, nunquam dicit: satis est; sic etsi omnes thesauri confluxerint in auarum, nunquam satiabitur.] Hinc Christus vt in se auarorum extingueret sitim vehementer in cruce sitire voluit. *Aug. lib. de salut. document. c. 30.*

8. Alij denique turpes sitiunt voluptates, & cœnosas carnis illecebras, de quibus Isaias: [Computrescent pisces in aqua, & morientur in siti,] verè huiusmodi in sordido carnis cœno computrescunt, & concupiscentiæ siti indies exardescente, nunquam satiantur, sed in siti ipsa moriuntur nisi quam citissimè cælesti gratiæ fonte suam extinguant sitim. Hæc Christi sitim, & cruciatus auxit. Quare vt hanc quadruplicem in nobis extingueret sitim, iniuriarum oblitus pro inimicis orauit, nominis gloriam contemnens in probrosa suspendi cruce voluit, diuitias nihili faciens nudus pependit ex ligno; voluptates omnes conculcans, in toto corpore, & anima cruciatus, & dolores sustinuit, vt suo nos exemplo doceret hæc omnia contemnere, cælum eiúsque gloriam sitire, si passionis participes esse velimus. Vtinam cum Bernardo verè possimus dicere: [Nihil aliud desiderat anima mea, nihil aliud à Deo quærit, quam ipsum Deum, neque suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tanquã priuato sui ipsius amore *Ber. ser. de diuersis affect. animi.*

desiderat; sed tota pergit in Deum, vnicumque ei ac perfectum desiderium est, vt introducat eam Rex in cubiculum suum, vt ipsi adhæreat, ipso fruatur.

9. Heu cur non huiusmodi ardentissima nos siti solicitamur, vt ille qui nostræ salutis siti hodie exæstuat, nostro etiam amore, tanquam gratissimo aquæ poculo quodammodo satietur? Nullo enim potu Christi sitis magis sedari potest, quam animarum lucro, quas per eius gratiam cælestis patriæ siti incendimus, & ad eius caulam inducimus, si eadem cum ipso animarũ siti laboremus, vt gratum illi suæ conuersationis haustum præbeant. Sed proh dolor! tantum abest, vt hac cælesti æstuemus siti, vt potius relicto aquarum viuentium fonte, dissipatas voluptatum cisternas anhelo consectemur animo, quibus & nos, & oues nobis commissas mortifero peccati veneno inficimus. Hinc ipse olim hanc præuidens nostrã ingratitudinẽ, grauiter de nobis per Hieremiam cõquestus est. [Me, inquiens, dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere nõ valent aquas:] O quanta hæc mortalium stupiditas! qui dissipatis putridæ aquæ cisternis inhiant, puro gratiæ fonte relicto. [Quantum, ait Augustinus, & quale bonum sit Deus, etiam ex hoc euidenter ostenditur, quod nulli à Deo recedenti benè est: quia & qui gaudent in mortiferis voluptatibus, sine doloris timore esse non possunt. Et qui omnino malum desertionis suæ maiore superbiæ tumore non sentiunt, aliis qui hoc nouerũt discernere, quanta sit miseria apparet.] Quoniam itaque in solo Deo est omnis vera satietas, & delectatio hinc

Aug. in sententen. sentent. 289.

peccator eius gratiæ aqua priuatus omni amaritudine repletur, quia relicto vitæ fonte velit nolit adhærer mortis fonti, & omnium malorum cæno, cuius vel gustus hominis animã interimit. Verum itaque aquæ fontem in vitam æternam salientis, adeamus, quemadmodum etiam Gentilis ille Trismegistus nos monet, [respicite, ait, ô mortales, & resipiscite, & ad fontem vitæ recurrite, ex quo haurietis aquam viuam, qua immortales efficiemini, & omni bono locupletabimini, [qui, inquit Ephrem, fontem habent, gutta non indigent. Lacte non egent, qui gregem pascunt. Qui panem frangunt, micis opus non habent. Qui mel conficiunt, eos mellis saporem explorare non est necesse. Qui margaritam habent, de obolo acquirendo non laborant.] Qui perennem gratiæ fontem apertum habent, cur ad cisternas dissipatas, quæ aquam continere non possunt, aduolant? Hic [haurietis (vt ait Propheta) aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.] O vos itaque, qui hactenus fœdas voluptatum cisternas consectabamini, quarum cœnosæ aquæ serpentes potius gignunt, in fœtenti animæ stagno, quam sitim extingunt, quam citissimè ad mentem redite, & salutares Saluatoris fontes petite, ex quibus gratiæ aqua vbertim emanat, quæ, & nutritos in turbido pectoris vestri alueo turbida, ac stagnante voluptatum aqua infecto, serpentes interimit, & vitæ tribuit alimenta. Sed heu adhæret in terra (vt ait Propheta) venter noster exsugens tenues rerum terrenarum guttas, quibus sitis nostra extingui non potest. Dicamus ergo cum Augustino: [Cum inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi labor & dolor, & viua erit

Trisd. dial. 7.

Ephrem. tract. de diuin. grat. to. 1.

Isai. 12.

Aug. lib. 12. Confess.

vita mea, tota plena te, nunc autem quoniam quem tu imples, subleuas eum, quoniam tui plenus non sum, mihi oneri sum.] Et interim vehementer inter voluptates sitio, donec de torrente æternæ felicitatis me potaueris.

10. Interea fac Domine vt pleno hausto hic bibam de fontibus tuis aquas remissionis, discretionis, deuotionis, & zeli, vt sint mihi arrha cæleſtis potus, quo in æternum in domo tua, vt spero, fruar. [Sicut enim (vt ait seruus tuus Bernardus) in paradiso terrestri fuere quatuor fontes, qui vniuersam irrigarent terram: ita in Christo, qui noster est paradisus, quatuor est reperire fontes. Primus fons est misericordiæ, ad diluendas culpas aquis remissionis. Secundus fons sapientiæ, ad potandum sitim nostram aquis discretionis. Tertius fons gratiæ, ad irrigandas plantas bonorum operum aquis deuotionis. Quartus fons est charitatis ad condiendum & decoquendum nostras affectiones aquis æmulationis. Et de istis intelligi potest illud Isaię: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Adde quintum, qui est fons vitæ, quem post hoc sæculum repromittit, ad quem sitiebat Propheta, cum diceret: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Fortasse propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc viuens in cruce: propter quintum, cum iam tradidisset spiritum, transforatus est in latere.] Ex his igitur fontibus cum mellifluo illo Dominici calicis poratore Bernardo pleno ebibamus hausto, vt per emanantem inde gratiam omnem cupiditatum sitim prorsus extinguamus. Accedamus itaque festini ad Christi crucem, illiúsque vulneribus

Bern. serm. de Natiu.

Digitized by Google

gratiæ fontibus animæ supponamus ora. Pater enim nobis, vt ait Ambrosius, arcanum cordis eius per foramina corporis, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. *Ambros. in Psal. 118.*

De sexto Christi verbo in cruce: Consummatum est.

CAPVT LXXVIII.

1. CVm accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est.] Hinc, ait Leo, iam degustato aceto Dominus, quod illa dabat vinea, quæ ab authoris sui plantatione degenerans, conuersa fuerat in amaritudinem vitis alienæ: Consummatum est, ait, hoc est, completæ sunt Scripturæ: non est amplius quod insaniam populi furentis expectem, nihil minus pertuli, quam me passurũ esse prædixi. Peracta sunt mysteria infirmitatis, promãtur documẽta virtutis.] Perfecit Deus die sexto creationis opus, & die septimo requieuit ab omni opere quod patrarat; & Christus hodie feria sexta nostræ redemptionis operi finem imposuit, requieturus die septimo, cras nimirũ die Sabbathi in sepulchro à maximo, & difficilimo generis humani Redemptionis opere, quod patrarat. Dixit igitur, [Consummatum est] hoc est, inquit Ambrosius, consummata sunt omnia, eo quod assumptæ mortalitatis impletũ esset omne mysterium, & exhaustis omnibus vitiis, immortalitatis sola lætitia remãsisset. Benè ergo ad con-

Leo. serm. 4. de pass. Math. 21.

Genes. 2.

Figuræ.

Sexto die redemptionis opus perfecit.

Amb. l. 10. in c. Luc. 23.

summanda omnia acetum bibitur, corruptio sinceritatis hauritur, vt omnia quæ vitiata fuerãt cruci affigerentur. Significat itaque hoc verbo Christus, Consummatum est, Prophetias omnes, & Scripturas completas esse, quæ de sua vita & morte tractabant. Huius rei figuram nobis iam olim Esdras proposuit, qui librum legis coram populo [stans super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum,] apertè legit, quo significauit Christum de gradu ligneo, hoc est, de cruce, librum legis, seu totam Scripturam mundo interpretaturum, expletis omnibus de se prædictis, cum diceret: Consummatum est, hoc est, tota in me Scriptura impleta est.

2. Esth. 8.

Consummatum est verbum plenum mysteriis.

2. Breue certè perfectum, compendiosum, & mysteriis pleniſſimum verbum. Verbum profecto consummatum, sub quo innumera latent mysteria, verbum abbreuiatum, sed penitus consummatum, sub quo innumera latent mysteria. Laudatur illius industria, & singulare artificium, qui omnes Homeri Iliadas in membranula eleganter cõscriptas in exigua nucis putamine concluſit, in quibus tot bella, tot prælia, tot victoriæ, tot heroum facta, tot stratagemata, tot pugilum concertationes, tot ciuitatum obsidiones, tot strages, & innumera id genus alia egregiè exarata continebantur. Sed si cum his, quæ in hac exili verbi theca delitescunt, illa conferre velimus, radius cum sole, scintilla cum incendio, gutta cum mari, vnica arenula cum omnibus pelagi arenis comparata videbuntur. Verbum itaque consummatum, verbum verè consummatum, cuius mysteria, quæ in se solo claudit, nemo mortalium assequi potest. Nam quæcumq; de Christo penè

Iliades Homeri in nucis putamine concluſæ.

vnquam Prophetæ prædixerunt, hoc vnico verbo finem accepisse indicantur. In primis enim omnia fermè de Christi passione, Propherarum vaticinia completa esse, per hoc verbum intelligimus, vel ipso Christo attestante, cum Hierosolymam discipulis stipatus peteret, [consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.] Quicquid æterna sapientia cõstituerat, quicquid iustitia rigida pro singulis quibusque exegerat, quicquid charitas amanter popoſcerat, quicquid fuerat promissum Patribus, quicquid mysteria, figuræ, ceremoniæ, & Scripturæ præsignauerant, quicquid ad nostram redemptionem accommodatum, ac necessarium extiterat, quicquid in nostris abolendis debitis fuerat conducibile, quæcunque ad nostras explendas, resarciendásque negligentias contulerant, quicquid glorioſum, atque amicabile esse poterat ad sublimem demonstrandum amorem, quæque pro nostra spirituali institutione, ac informatione desiderare potueramus, quicquid demum honestum, atque congruum fuerat, mirificè redemptionis nostræ triumpho celebrando, atque victoria, cuncta hæc sunt determinata verbo illo Christi: Consummatum est.

Luc. 18.

Sic fere Thaulerus in exercitatione de vita Christi.

3. Expleta est in primis illa Prophetia Isaiæ, qua significabatur Christi conceptio in virgineo vtero: [Ecce virgo concipiet.] natiuitas quoque eius subsequentibus verbis: [& pariet filium.] locus quoque natiuitatis per Micheam exprimitur: [& tu Bethleem terra Iuda, &c. Ex te exiet Dux, qui regat populum Israël.] Præterea consummata est illa Prophetia, qua apparitio nouæ stellæ iam olim monstrabatur futura: [orietur stella ex Ia-

Isai. 7.

Mich. 2.

Num. 23.

cob. Insuper illam, qua adoratio Regum prænunciabatur: [Reges Tharsis, & insulæ munera offerent.] Illam etiam Prophetæ Baruch, qua eius inter homines conuersatio prædicebatur. [In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.] Nam triginta tribus annis inter nos versatus, veluti perfectæ vitæ, ac morum, virtutúmque omnium magister, adeo vt illam Isaiæ Propheticam de eo prædictionem expletam esse videamus. [Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis: hæc est via ambulate in ea:] via siquidem morum ac virtutum Christus nobis propositus est, vt per omnes virtutum eius gradus perambulemus. Deus enim, vt ait Haimo, peccatorem à se auersum, & ad bona caduca conuersum, quasi à tergo sequitur, vt eum ad se alliciat, & reflectat. Et Gregorius: Quasi terga, ait, in præceptoris faciem vertimus, cum verba despicimus, cuius præcepta calcamus, & tamen nos vocare non cessat.] Consummata etiam illa eiusdem Prophetæ de Christi prædicatione, Prophetia: [Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me.] Necnon illa de eius miraculis: [Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet, sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua murorum,] porro triumphus ille per Zachariam Prophetiço olim præuisus oculo, consummandus est: [Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.] Merito igitur exclamat: [Consummatum est.]

Psalm. 71. *Baruch. 3.* *Isai. 30.* *Greg. ho. 34. in Euang.* *Isai. 61.* *Isai. 35.* *Zachar. 9.*

4. Quod vero cõsummata sint ea, quæ ad Christi

passionem pertinent à Prophetis prædicta, clarum est. Illa in primis Regij Prophetæ vaticinia de perfido proditore expleta esse cernimus: [qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.] Cui adde illud Zachariæ de pretio à proditore accepto pro magistri sui proditione. [Appenderunt mercedem meam triginta argenteis.] Hoc autem consummatum, cum Iudas vnus de duodecim Christum triginta argenteis vendidisset, cuius semel & materiali pane, ac spiritali, proditor in mensa Dominica vescebatur: præterea illud quoque Regij vatis, [longè feciſti notos meos à me,] impletum scimus, quãdo diffugientibus præ metu discipulis, Christus solus rabidis canibus relictus est, qui Christum veluti indagine cinxerunt: [Circumdederunt me canes multi;] quasi diceret: Iudæi veluti canes famelici, me tanquam ouiculam innocentissimam circumdederunt, rabidisque in me latratibus emissis sæuissimis maledicentiæ morsibus me dilacerarunt iactando in vulgus, & coram præside Pilato, necnon Rege Herode me populi subuersorem fuisse, tributum dare Cæsari prohibuisse, regnum affectasse, ficta iactasse miracula; vt illud de destruendo templo tridui spatio, quod multis impensis, & annis fabricatum fuerat, & de eo iterum reædificando: [Circumdederunt me porro vituli multi, tauri pingues obsederũt me,] petulantes nimirũ Pharisæi, & Scribæ, & Sacerdotum Principes, præ pinguedine, & delicijs ferocientes, meque calumniis, & irrisionibus, veluti cornibus lacessentes, & instar leonum, velut ore rictúque aperto præ fame & perdendi me desiderio, penitus deuorare voluerunt.

Consummata quæ dicta sunt per Prophetas de passione Christi.

Psal. 40.

Zachar. 11.

Psalm. 21.

Vaticinia expleta. Isai. 50.

5. Porro illud Isaiæ vaticinium expletum esse quis non videt? [corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me] conspuerunt enim in eum in domo Caiphæ, & genas euulsis pilis percussierunt, corpus eius vniuersum flagellis contuderunt. Quid plura? factus est illis in parabolam, illudentibus ipsi, eumque cædentibus, & colaphos illi impingentibus. In eum præterea [surrexerunt testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi,] in domo nimirum Caiphæ, & coram Pilato, & Herode in multis eum accusantes falso, quo in eum, horum trium iram, exasperarent. Insuper illam quoque Dauidis prophetiam hodie consummatam nemo ignorat: [supra dorsum meum fabricauerunt, seu (vt in Hebræo est) arauerunt peccatores, & prolongauerunt iniquitatem suam,] in prætorio nimirum Pilati, vbi non solum vestibus exutus, columnæ alligatus communi more flagellatus est, sed contra etiam omnem consuetudinem, ita verberibus exceptus est, vt detractis pelle ac carnibus, ac penitus dilaceratis, eius ossa denudarentur, [vidimus itaque eum (vt iam olim prædixit Isaias,) & non erat aspectus, vnde nos reputauimus eum quasi leprosum] præsertim cum à flagellatione spinis coronatus, populo totus deformis exulceratus, & cruentatus à Pilato exponeretur, dicente [Ecce homo,] prædixerat etiam idem propheta. Principatus eius erit super humerum eius; quod expletum vidimus, cum per plateas Hierosolymitanas, & inde per viam vsque ad Caluariæ montem, suæ necis instrumentum, crucem nimirum

Psal. 68.

Isa. 53.

Psal. 21.

Digitized by Google

suæ victoriæ tesseram, in humeris portaret. Dixerat quoque regius Vates olim: [foderũt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea:] quod expletum cernimus, Christo è crucis arbore pendenti manibus pedibusque clauorum transfixione terebratis, adeoque extenso, vt ossa eius numerari possent: &, vt singula singulis prophetarum prædictionibus responderent, [partiti sunt vestimenta eius, & super vestem eius miserũt sortem:] quod Ioannes expressis verbis in Christi vestibus factum declarat: [milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem;] de tunica verò inconsutili, [dixerunt ad inuicem, non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.] *Psal. 68. Ioan. 19.*

6. Vt omnia prophetarum vaticinia de Christi passione explerentur, nihil omnino perfidi Iudæi omiserunt ex ijs, quæ prædicta fuerant, quamuis veritatem figuris respondere ipsi minimè aduerterent. Quare illud etiam Regij prophetæ consummatum esse videmus: [Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto,] quemadmodum B. Ioãnes scribit: [postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, Dixit: sitio!] & subdit: [vas ergo positũ erat aceto plenũ. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: consummatum est.] verè consummauit penè omnia; & vt nihil consummationi deesset, [cum iniquis reputatus est,] vt iam olim de eo vaticinatus est Isaias: quod consummatum est, cum inter duos latrones cruci affixus latronum *Omnia explentur vaticinia.* *Psal. 68. Ioan. 19. Isa. c. 53.*

Digitized by Google

Antesignanus haberetur: & addit: [& pro transgressoribus orauit] ne perirent: [pater, inquiens, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt;] & ad miseriarum cumulum accessit illud, quod olim Dauid in sua persona expertus est: [factus sum opprobrium illis; viderunt me, & mouerunt capita sua;] in sua quoque persona expertus est Christus, cum principes sacerdotum & scribæ mouentes capita sua illuserunt illi ingeminantes: [Vah qui destruis Templum Dei] Ecce quomodo omnia de Christo vaticinia in hoc verbo [consummatum est] expleta cernimus.

Isai. 10. Consummauit vaticinia de gratia nobis restituenda & damone ejiciendo.

7. Deinde videamus consummationem, & abbreuiationem, quam Dominus Deus exercituum facturus erat in medio omnis terræ, quam Christus in cruce perfecit, vt consummatione abbreuiata, inundaret iustitia & sanctitas in vniuersum terrarum orbem, diabolo iniusto mundi vsurpatore foras turpiter eiecto. Consummata proinde patris æterni indignatio, & furor quem toties ob humani generis scelera, olim minabatur. Hoc igitur illud est, dilectissimi, Sacramentum, cui ab initio omnia sunt famulata mysteria. Nunc sanguis iusti Abel mortem summi pastoris eloquitur, & in parricidio Iudæorum Cain interfector fratris agnoscitur. Nunc diluuium & Noë arca manifestat quid sit renouationis in baptismo, & quid salutis in ligno. Nunc Abraham gentium pater promissos acquirit hæredes, & in semine eius non germen carnis, sed fidei propago benedicitur. Nunc ad prænunciatum festis omnibus festum, sacer nouorum mensis enituit, vt in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Christiana creatura principium. Expletæ

Leo. ser. 9. de pass.

sunt etiam hebdomades Danielis in quibus [Consummanda erat præuaricatio, & finem accepturum peccatum, & delenda iniquitas, & adducenda iustitia sempiterna, & omnis visio & prophetia adimplenda.] Hinc Chrysostomus, sistere, ait, oportuit prophetias post Christum: hoc enim est signare, id est, sistere visionem. Vnde Christus dixit: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem.] Cuius rei causam adducit Tertullianus [Ipse, inquiens, Christus enim fuit signaculum omnium prophetarum, adimplens omnia, quæ retro de eo prophetæ nunciauerant. Post aduentum enim Christi, & passionem ipsius iam non visio, neque propheta est, qui Christum nunciet venturum, &c. Vnde verissimè dicit aduentum eius firmare visum, & prophetiam] Christus itaque nascens, & moriens hanc Danielis omniumque aliorum prophetarum visiones impleuit, & sua morte legē proinde veterem consummasse quoad ceremonialia & iudicialia: veritate enim præsente vmbræ cessare debuerant: vnde Apostolus: [Finis ergo & consummatio legis Christus est] quo effectum est vt pro iugo ferreo, & penè intolerabili, suaue Christi iugum ceruicibus nostris imposuimus [Sarcinam enim (vt Augustini verbis vtar) innumerabilium obseruationum redegit Christus ad duo charitatis præcepta.

Daniel 9.
Daniel hebdomades expletæ.
Chry. orat. 2. contra Iudæos.
Tertul. l. contra Iudæa.
Aug. ser. 9. de verb. Domi.

8. Postremo hoc verbo, [Consummatum est] nobilissimam illam Ecclesiæ fabricam quam ab æterno ædificare statuit, statim consummandum sua morte significauit, in qua omnibus sibi obtemperantibus æternæ salutis causa fieret: [Et consummatus factus est omnibus obtemperan-

Heb. 2.

Magni Christo conflitit hæc consummasse.

tibus sibi causa salutis æternæ.] vna itaque oblatione in cruce facta, omnia consummauit quæ ab æterno perficere decreuit, idque non sine ingenti labore,& dolore. Quam dulciter cum hominibus versatus est, quàm abundanter multa & magna illis bona largitus est,quam fortiter tam indigna, tam aspera, tam dura pro nobis passus est antequam hæc consummasset, dura verba,duriora verbera, durissima supplicia. [Quæ cum ita sint, vt ait Augustinus,agnoscat homo,quantum valeat,& quantum illum Deo obnoxium faciat natura vel gratia. Agnoscat homo quantum ab illo expectet Deus, & quem tanta dignatione habuit charum. Quam velit esse in conuersatione pretioso. Agnoscat homo quantum valeat, & quantum debeat, & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat & potius vicem muneris Saluatori ex ipso bono suo,id est de cruoris commercio Christus redemit. Reus itaque erit non parui pretij,sed sanguinis Christi, qui violat, & commaculat animam Christi sanguine, & passione mundatam.] ô summum in nos Dei amorem![cum enim posset nobis (vt ait Gregorius) etiam non moriendo succurrere, voluit tamen hominibus moriendo subuenire: quia nos videlicet minus amasset, nec vim suæ dilectionis nobis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret ad tempus ipse sustineret.] [Absit ergo nobis gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, in cruce ergo cum Christo permaneamus, in cruce perseueremus, donec cum Christo in cruce verè [consummatum est] dicamus. [Neminem itaque, vt nos etiam monet Bernardus, audiamus fratres;non carnem, & sanguinem,non spiritum

Aug ser. de temp. 120.

Greg. l. 20. Mor.

Gal. 6.

Digitized by Google

quemlibet descensum à cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce; perseuerantia enim meretur viris gloriam, coronam virtutibus, absque perseuerantia, neque qui pugnat victoriam, neque palmam victor consequitur. vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror est patientiæ; constantiæ filia, propugnaculum sanctitatis. Qui ergo perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit.] *Ber. ser. 1. Paschæ. & epist. 126.* *Mat. 24.*

Magna voce Iesus clamauit.

CAPVT LXXIX.

1. POstquam consummatum est dixisset, magna voce clamauit. propterea, inquit Ambrosius, præmisit voce magna in qua Dei professio glorioſa vsque ad mortem se pro nostris descendisse peccatis annunciauit. (Ergo nec ego erubescam fateri quod Christus non erubuit voce magna profiteri) vel euidens manifestatio contestantis Dei secessionem diuinitatis & corporis. Sic enim habes alibi: clamauit Iesus voce magna dicens, Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? clamauit homo diuinitatis separatione moriturus. Nam cum diuinitas mortis libera sit, vtique mors esse non poterat, nisi vita discederet, quia vita diuinitas est] bis ergo in cruce Iesus magna voce clamauit, quo vtroque clamore suam, vt ait Athanasius, ostentaret potentiam. voce enim sua Iudæos terrefecit, velum templi diuisit, petras scidit, & monumen- *Amb. l. 10. in c. Luc. 23.* *Ath. quæst. 77. ad Anthio.*

Digitized by Google

ta aperuit. Agnouit centurio virtutem diuinam, huiusmodi clamore indicatam: videns enim statim à clamore expirantem ait. [Verè homo hic filius Dei erat.] Vox ergo Domini in virtute.

Ber. ser. 26. in cantica. Hinc pulchrè Bernardus: [Ad vocem, inquit, credidit, ex voce agnouit filium Dei, & non ex facie. Erat enim ex ouibus eius, de quibus ait: oues meæ vocē meam audiunt.] [O duriora saxis, exclamat Ambrosius, pectora Iudæorum! finduntur petræ, sed illorum corda obdurantur. Iudex

Amb. ibid. arguit, credit minister, proditor scelus suum voluntaria morte condemnat, elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta reserantur. Iudæorum tamen duritia toto orbe concusso manet immobilis.]

Causa cur Christus magna voce clamauerit. 2. Clamauit quoque bis Dominus præ nimio dolore derelictus fermè ab omnibus, & quasi ancipiti pugione animum transuerberante, quod præuiderat, vt author est Hilarius, pauciſſimis profuturam passionem suam, comparatione eorum, qui illius fructus minimè participes futuri essent. Clamat insuper Dominus iamiam moriturus voce magna, quemadmodum dux victor clamat cum victos insequitur hostes, & veluti Leo de tribu Iuda rugit prædam tartaro ereptu-

Iudic 7. rus, iuxta illud Amos: [Nunquid rugiet leo in saltu, & non habebit prædam?] In signum ergo victoriæ, quam de dæmone, & inferno statim reportaturus erat, voce magna clamauit, & non secus ac Gedeon confringens lagenas suas excitato clamore Madianitas superauit; ita glorioſiſſimus Dux noster Iesus, quasi confracta corporis sui lagena, per tormenta in cruce huiusmodi magna voce clamans, morte sua tartareas dæmonum

monum legiones debellaturum se statim ostendit. Clamat etiam voce magna (vt ait noster Salmeron) vt in se mortem prouocet: [Inclamat, inquit, quoque mortem ad se accedere non audentem aduocãs, quia cum Christus esset iustus, & innocens, mors nihil iuris habebat super eum, ideo longissimè ab eo distabat, ita vt opus fuerit clamare voce magna, quasi ad rem quæ procul ab eo erat, docétque nos suo exemplo vt tempore mortis clamemus ad Dominum, vt spiritum nostrum suscipiat. Nam ibi iacitur alea déque extremo capitis nostri periculo agitur.] Clamat porro, vt idem Author asserit, indicans audacem præliatorem mortem, scilicet à se iamjam superandam. [Clamat, inquit, voce magna, vt egregius de morte triumphator ingeminans illud: Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.] Quam merito de te igitur egregie triumphator, mundíque Saluator sponsa tua Ecclesia canit. [Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam nostram resurgendo reparauit.] Hinc duplici victoria auctus glorioſus à Resurrectione victor apparebis: nam & mortis aculeum retudisti, & peccati macerie destructa vitam nobis reparasti. Tibi itaque soli inuictissimo pugili, honor & gloria in sæcula sæculorum.

In se mortẽ prouocat. Salm. to. 10. de pass. trac. 46.

Indicat mortem superandam.

3. Præterea alta voce clamauit, vt ineffabilem suam demonstraret sapientiam. Nam concussio terræ ad clamorem eius, & scissio petrarum innuebant per Christi passionem, & mortem breui fore obstinatos cordibus conscientiæ remordentis clamore scissis ad veram reuocandos pœnitentiam, cuius rei euidens confestim editum pœnitentiæ exemplum, vti scribit B. Lucas, qui re-

Christi sapientia ostẽditur.

Luc. 23.

fert multos ab illo lacrymabili spectaculo reuersos, [tundentes pectora sua.] Apertio etiam sepulchrorum sapientiam eius clamat, illa siquidem demonstrare voluit glorioſam mortuorum resurrectionem ex morte sua succeſſuram. Scissio denique veli, vnde Sancta sanctorum patuerunt, euidens fuit argumentum eius etiam sapientiæ, illa enim scissione declarare voluit, ob mortis suæ meritum aperiendum cæleſte sanctuarium, in quod adytum Sanctorum animis pateſcere placuit, vt viſione Dei à morte frueren-

Potentia simul Christi, & sapientia ostenditur per hæc prodigia.

tur. Verum non tantum per hæc prodigia suam potentiam, & sapientiam manifeſtare voluit, ſed vtrámque etiam oſtendit in eo, quod ex morte vitam produxit, quod & potentiæ eius, & sapientiæ indubitatum eſt argumentum. In cuius rei figuram, vt ait illuſtriſſimus Bellarminus,

Num. 20.

Moyſes ex lapide ſcaturire fecit aquam, & ipſe,

Ioan. 12.

inquit, Chriſtus ob eandem cauſam grano frumenti ſe ipſe comparauit, quod moriendo multum fructum adfert: nimirum vt granum frumenti, dum corrumpitur germinat ſpicam viuentem; ſic Chriſtus moriendo in cruce multitudinem gentium vita gratiæ donauit.

Christus patibulū aliàs detestandū glorioſum reddidit.

4. Denique ſapientiam ſuam, ait idem illuſtriſſimus, moriendo Chriſtus aperuit, quia effecit, vt crucis patibulum, quo nihil fœdius, aut deteſtabilius olim habebatur, imo ita horroti omnibus, vt maledictus cenſeretur, qui in eo penderet, effecit, inquam, honorificentiſſimum adeóque glorioſum, vt reges ipſi illud in fronte geſtare honori ſibi ducant. Nec ſolum honorificum, & glorioſum, ſed dulce etiam, & iucundiſſimum Chriſti amatoribus effectum eſt: hinc ca-

Digitized by Google

nit Ecclesia: [dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus sustinuit.] [Crux enim Domini, vt ait Leo, sicut in Iudæorum erat mente crudelis, ita est in crucifixi virtute mirabilis: furit in vnum populus, & miseretur omnium Christus; quod sæuitia infertur potestate suscipitur, vt licentia facinoris æternæ opus impleat voluntatis.] Quare B. Andreas, vt diximus, ardentissimus crucis amator huiusmodi iubilo significauit. [Salue crux pretiosa, &c.] nihil cruce dulcius, nihil optabilius, nihil glorioſius; cuius virtus tanta, vt omnes Christi hostes, atque adeo humani generis, facilè vicerit, licet Christus in ea mortuus fuerit: hinc Bernardus: [Moritur vnus, vt totus inde reuiuiscat mundus. Vnius ob meritum cuncti periere minores, & nunc saluantur vnius ob meritum.] Magna igitur voce clamauit, vt tam inusitata per eam prodigia efficiens suam simul declararet potentiam, & sapientiam.

Quomodo Christus exhaustus omnipenè sanguine clamet.

5. Magni certè miraculi loco habendum, vt Christus omni ferme exhausto sanguine, & tot affectus doloribus, & iamiam moriturus, alta clamet voce: cum nos, vt ait Hieronymus, cum ima voce, vel sine voce morimur; sed ille vitam suam sponte pro ouibus suis ponit: hinc alta voce testificatur se verum ouium pastorem esse: [qui animam suam ponit pro ouibus suis;] nos verò morientes gracili, vel nulla voce vtimur; quod animæ à corpore separationem ægrè feramus, quodque pro nobis ipsis rationem simus reddituri, consternimur: in quo simul apparet incredibilis Christi charitas in oues suas, & fortitudo in ipsa vltima vitæ periodo; quæ enim maior charitas esse potest, quam animam suam

ponere pro inimicis suis, idque sponte, nemo enim illo inuito poterat illam tollere: hinc ipse:
Ioan. 9. [Nemo tollit animam meam à me; sed ego pono eam à me ipso,] quare vt tantam omnibus charitatem notam faceret, voce magna clamauit, quo nemo sese excusat per ignorantiam, tantæ charitatis exhibitæ voce præconis in sublimi montis Caluarij vertice, ex crucis suggestu proclamante, adeo vt præ stupore tam inusitatæ charitatis argumenti, nobis minimè obstupescentibus, terra quasi suis auulsa sedibus contremuerit, rupes medio fissæ, monumenta aperta, & templi velum disruptum apparuerint, tanquam si suis insolitis motibus nostram redarguerint ingratitudinem, & creatori suo patienti, nobis minimè condolentibus, condolerent, qui vitam suam, qua nihil charius, nihil amabilius, nihil pretiosius, quippe quæ Dei vita est, pro tam ingratis ponat creaturis, æterna potius morte dignis.

Christi fortitudo in illa voce ostensa.

6. Quæ maior esse potuit fortitudo, illa Christi, idque morte iam præ ianuis illum expectante, quæ omnibus terrori esse solet, qua præditus, licet omni fermè exhaustus sanguine, voce tamen magna clamauit; cuius clamoris magnitudine insensiles creaturæ, quasi sensu & ratione, (quibus nos heu carere videmur) donatæ, magni doloris signa præbuerunt, in detestationem humanæ mentis duritiei, & obstinationis; & simul ad pudorem nobis ingerendum, qui patienti Christo, nostri gratia, minimè compatimur; cum tamen eo ipso tempore, si voluisset (præciso quidē patris decreto) sese à morte liberasset. Hinc enim magna voce in illa vitæ extre-

ma periodo clamauit, vt omnes intelligeremus ipsum tunc, & robore, & viribus voluisse ad vitam producendam, & mortem auertendam, si placuisset; ideóque mori velle, quia ipse volebat, vt bonum pro malo redderet, præuidens quidem tantæ efficaciæ suam aliquando vocem futuram, vt quorum tunc corda rebus terrenis adhæresce-bant; vocis suæ virtute, & passionis efficacia fore tremula diuino timore perculsa, quod est principium iustificationis, & quantumuis durissima, paulatim tamen confringenda contritionis, & doloris malleo, aperienda, vt in confessione manifestent sua peccata, vt sic ad nouam viram reuocata, cum Christo resurgant.

De septimo Christi in cruce verbo: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23.

CAPVT LXXX.

Spiritum patri commendat Christus.

1. AVdiamus modo quid Christus alta voce clamauit: [Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.] Totius itaque nostræ Redemptionis quasi facta consummatione epiphonematis loco, voce non sine lacrymis clamauit: [Pater, in manus tuas commendo spiritum meũ.] Et benè, ait Ambrosius, commendatur spiritus qui seruatur. Quod enim commendatur, vtique non amittitur. Bonum ergo pignus est spiritus, bonum depositum.] Et paulò pòst subdit:] Commendatur ergo patri spiritus. Et ideo ait: quo-

Amb. l. 10. in c. 23. Luc.

Psalm. 15.

niam nō derelinques in inferno animam meam. Vide autem magnum mysterium. Nunc commendat in manibus patris spiritum suum, nunc in patris sinu sedet, quia totum alius non capit Christum.] Hinc testamentum condens suum in duro crucis lecto, Patri tanquam principem sui partem legat, spiritum scilicet suum, quasi diceret: Meam tibi pater corporis vitam commendo,

Amb. ibid. [Caro enim moritur (vt ait Ambrosius) vt resurgat, spiritus patri commendatur, vt cælestia quoque ab iniquitatis vinculo soluerentur, & pax fieret in cælo, quam terrena sequerentur.] In manibus itaque patris corporis vitam ponit velut depositum, donec eam in resurrectione corpori restituat.

Christus nos tanquā spiritum suum patri commendat.

2. Imo Christus nos hoc loco suam etiam animam appellat. Quorsum enim spiritum suum in patris manus commendabat, qui paterno semper tenebatur, & fruebatur amplexu, nisi vt etiam nos, quorum gratia acerbissimam subiit passionem, patri commendaret? [Cum in cruce (inquit

Atha. orat. de human. natu. Athanasius) dicit: Pater, in manus tuas depono spiritum meum, in eo omnes homines apud patrem deponit, ac commendat: per ipsum & in ipso viuificandos: membra enim sumus, & membra ista multa vnum corpus sunt, quod ipsum est

Galat. 3. Ecclesia, quemadmodum Apostolus Galatis scribit: Vos omnes non nisi vnum estis in Christo Iesu. Omnes igitur in se Deo commendat] Cui

Anselm. tr. 3. in dialg. de pass. concinit illud Anselmi: [In hac commendatione cum hostia sanguinis commēdabat Christus Deo patri matrem dulcissimam, quæ scrinium est, & purissimū habitaculum Sancti spiritus, vnà cum hominibus qui de Spiritu sancto victuri sunt

vſque ad finem ſæculi. Videant (inquit noſter Mendoza) iuſti quo in loco à Deo collocentur, quanto in pretio habeantur: anima Dei ſunt, qua Deus præſente ſibi viuere, qua recedente, ſibi mori videatur. Quoties peccando ſe Deo ſubtrahunt, toties ſuam Deo animam eripiunt: & ſi animam eripere, necare eſt, videant ne quoties peccando ſe Deo ſubtrahunt, toties Deum necare aggrediantur. [Homo igitur (vt monet Chryſologus) redi ad Deum ſic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te, qui ſe totum propter te ad ſuam deduxit iniuriam, & voca patrem fidens, quem tanto amore tuum probas, ſentis, intelligis eſſe genitorem.] *Chryſ. ſer. 70.*

3. Quis ergo Creatorem ſuum ſic mœſtiſſimè ſimul, & amabiliter ſpiritum ſuum, noſtrúmque ſimul patris manibus commẽdantem, noſtrámq; tacitè ingratitudinem perſtringentem, qui minimè illi condolemus, nõ ingemiſceret? audiamus quid reipſa nobis dicat: nonne ſatis propter te vulneratus ſum? nunquid pro iniquitate tua afflictus ſum? cur addis afflictionem afflicto? magis aggrauant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei.] Vide quomodo tuum commendo Patri ſpiritum dum meum commẽdo, cuius gratia effundo ſpiritum meum, vt in te refundatur ſpiritus gratus gratiæ! O qui ſic ploranti, clamãti, & ſpiritum noſtrum patri æterno commendanti, vulneribus attrito, ſanguine cruentato, velut leproſo, ac penitus lacerato in crucem acto, ac inde nudo pendenti, manibus ac pedibus acutiſſimis transfoſſis crudeliſſimè clauis, nec habenti vel tenue linteum quo virgineum tegat corpus, imo nec teſtam, qua ſeſe inſtar Iobi, ſalu- *Condolendũ Chriſto.* *Bernard. in ſermo.*

tis manibus tergat, aut confricet, non vehementer condoleret? Quis inquam, huiusmodi spectaculum intuens, virum scilicet dolorum, & præ Iobo scientem infirmitatem, non obstupescens ploraret, Iudæis præsertim intereà blasphemantibus: [Si filius Dei est, descendat de cruce, & credemus ei?] Ecce quam exactè magistri sui dæmonis lectionem didicerint, si filius Dei es, mitte te deorsum: & Iudæi, si filius Dei es descende de cruce. [O stulte (exclamat Ambrosius) & cæce grex Sacerdotum! nunquid impossibile erat ei de patuo stipite ligni descendere, qui descendit è cælorum altitudine? nunquid tua vincula possunt illum tenere, quem cæli non possunt capere? non venit, vt se liberaret, qui sub seruitute non erat, sed vt nos de seruitute redimeret.] quid ergo illi insultatis, qui venit vos saluos facere, & cum suo vestrum patri spiritum commendat? Audite eius ad patrem verba. Iam, ô pater vltionis gladio, in vindictam hactenus vibrato, è manibus depositio, & in vaginam recondito, extende ad peccatorum amplexus saluificas manus, qui per passionis meæ merita tibi reconciliandi sunt. Hos ego in defensatrices manus tuas vnicè commendo, quos ego in manibus meis, imo in singulis corporis mei partibus, non atramento, sed sanguine meo descripsi, hi siquidem sunt meæ manubiæ, mea sunt spolia ex Tartarei hostis faucibus breui eripienda. Hi triginta trium annorum mea venatio, meus labor, mea messis. Hos itaque, ô pater, accipe, & charitatis amplexu stringe, imo comede, vt benedicat mihi anima tua, hæ meæ oues erraticæ, quas ex Tartarea hara, ad cælestem aram meis humeris, tanquam su-

Ambr. in illud Math. 27. Si Rex Israel est, &c.

Vt electos pater amplectatur obsecrat.

turas tibi gratas victimas reportaui. Hos igitur quorum gratia maior in manus tuas commendo, ne eos vllus rapax eripiat lupus, nec eis fur appropiet, sed in manibus tuis iustorum animę sint, ne tangat illos tormentum malitiæ. [Absterge ab oculis eorum tandem omnem lachrymam, omnem dolorem, omnem tristitiam, neque in posterum super eos inferni puteus vrgeat os suum.]

4. Quam præclarum nobis documentum, vt assolet è crucis pulpito Christus proponit, quo instigare nos nititur, vt quemadmodū ipse spiritum suum, & electos omnes patri commẽdat, sic nos eius exemplo excitati, vnicè nos, & Patri, & Filio, & Spiritui sancto, quotidie, & maxime in hora mortis commendemus. Hæc pia sanctis consuetudo semper solemnis fuit, vt morientes sese suo creatori commendarent: sic Stephanum feciſſe Scriptura commemorat: [Domine suscipe spiritum meum:] & de Nicolao magno proditur ab initio Psalmum istum trigesimum, sub mortem pronuntiasse, & in verbis [In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis,] expirasse: eundem à Basilio sub mortis horam recitatum præsentibus Angelis, qui eius sanctissimam animam expectabant, scribit Nazianzenus: sic sanctum Ludouicum Galliæ Regem, in eadem verba extremum misisse spiritum, in eius vita scribitur. Idem de sancto Marco narratur in Menologio. [Pater, inquit, in manus tuas commendo spiritum meum.] Nonne etiam nos tot nobis propositis sanctorum exemplis, & præsertim Christi animas nostras in hora mortis maximè Deo commendare

Christus nobis commendat, vt ad sui imitationem nostrum quoque spiritū Trinitati commendemus.

Naz. orat. in Basil.

debemus, præsertim cum certum nobis sit animas nostras nusquam fore securas, nisi in Dei manibus. Illæ manus fecerunt nos, & plasmauerunt nos, vbi ergo securius potest vas esse, quam in figuli manibus, qui non modo illud à lapsu conseruat, sed ne illius obliuiscatur mentem, & oculos in illud intendit? Ingeminemus itaque: [in manus tuas Domine commẽdo spiritũ meum] & ad spem nostram in Christum erigendã simul inclamemus [redemisti nos Domine Deus veritatis:] verè caro nos pretio redemisti; [in manus tuas itaque commendo spiritum meum.] quis tibi refundet innocentem sanguinem? quis tibi restituet precium quo nos emisti? nemo planè: cum ergo nos simus laborum tuorum præmium, passionis tuæ fructus, & sanguinis tui pretium, quia sic voluisti, [in manus tuas commendo spiritum meum: redemisti nos Domine Deus veritatis.]

Et hæc dicens inclinato capite tradidit spiritum. Luc. 23.

CAPVT LXXXI.

Prima causa vt non necessitate sed propria voluntate mori se ostenderet.

1. VArias huius inclinationis (quæ sicuti spõtanea fuit, ita etiam sine mysterio non fuit) subijciam causas. cur igitur inclinato capite Saluator noster tradidit spiritum, cum sancti omnes morientes plerumque sursum attollunt vultum? Ratio huius rei à B. Chrysostomo petenda, qui docet Christum inclinato capite

tradidiſſe ſpiritum, vt non neceſſitate, ſed propria ſe voluntate mori oſtenderet : [quantum voluit, inquit, vixit, quando voluit tradidit ſpiritum.] cui illud Auguſtini apprimè concinit: [quis ita dormit quando voluerit, ſicut Ieſus mortuus eſt quando voluit? quis ita veſtem deponit, quando voluerit, ſicut ſe carne exuit, quãdo voluit? quis ita cum voluerit abit, quomodo cum voluit obijt? quantum timenda poteſtas eſt iudicantis, ſi apparuit tanta morientis.] Et Ambroſius [Tradidit, ait, & benè tradidit, qui non inuitus amiſit,] Denique Matthæus. [Emiſit, inquit, ſpiritum.] quod enim emittitur voluntarium eſt, quod amittitur neceſſarium : at Chriſtus inclinato capite emiſit ſpiritum, ſicut ergo inclinatio capitis, ſic & ſpiritus emiſſio ſpontanea fuit. Aliam inclinati capitis rationem Mallonius adducit : Chriſtum ſcilicet capitis inclinatione indicaſſe, mundi faſtum ſe deſpectui habuiſſe : [Inclinato, inquit, capite, nam ſupra caput titulum habebat, quo Rex dicebatur : vt igitur Chriſtus oſtenderet ſe regnum temporale non ambire, caput auertit, inclinans illud, forte vt nobis humanos faſtus, regioſque honores, & titulos oſtenderet fugiendos.] quippe qui ſuo pondere hominum mentes ad ſublimia creatas, ad terram deprimunt, quique nos æterno priuant honore : ita enim plerumque ad honorum faſtigia prouecti inſoleſcimus, vt noſtræ conditionis obliti Deum ipſum eiuſque mandata parui faciamus. Hinc inclinati capitis ſigno nos monet, vt quemadmodum ipſe regium ſupra ſe poſitum titulum capitis inclinatione auerſatur : ſic nos etiam mundani faſtus mentis velut inclinatione

Aug. trac. 120 in Ioan. in fine to. 9.

Amb. 10. in c. 23. Luc.

Secunda cauſa faſtus humani deſpectus. Mallo de vallate. cap. 20.

ad illius vanitatem penitus perſpiciendam inducta, omnino fugiamus deceptionem.

Tertia cauſa vt nos oſculo exciperet.

2. Porro hæc etiam cauſa inclinati capitis in medium afferri poteſt, quod Chriſtum ſuum inclinauerit caput, vt nos miſericordi oſculo exciperet: [Inſpice (inquit Auguſtinus) vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis; caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtatera veſtri cordis appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus eſt affixus in cruce.] cui illud luſtiniani optimè congruit [caput hoc Dei dum paſſionum ludibria, & mortis ſupplicia, pro hominibus pertulit, mediator liquefecit ad miſericordiam, flexit ad gratiam, inclinauit ad indulgentiam.] Quis igitur hoc vltimum Chriſti oſculum, non cum ſumma animi teneritudine excipiat? ſi enim magnus fletus factus eſt omnium procumbentium ſuper collum Pauli oſculantium eum, dolentium maximè in verbo quod dixerat, quoniã amplius faciem eius non eſſent viſuri; quid par eſt nos facere? nonne Epheſiorum inſtar oſculis atque complexibus, obortis lachrymis, in collum Chriſti procumbere, dolentes maximè, quoniã amplius faciem eius non ſumus viſuri? cur non ex intimo cordis affectu cum Ieremia exclamamus [Quis ergo dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte] quoniam amplius faciem eius in hac vita non ſum viſurus: ſi Abſolon mori maluit, quam pa-

Aug. de virginibus.

Lau. Ius. de ago. Chris. cap. 20.

Iere. 1.

tris sui aspectu priuari ad tempus, nonne potiori ratione nobis mori eligendum, quam aspectu patris nostri, ac redemptoris carere?

Quinta causa peccati grauitas. Lanspergius hom. 52. de pass.

3. Hanc insuper Lanspergij rationem superioribus addo [Inclinauit, inquit, Christus caput, quia cum omnium peccata portaret, eorum onere eius caput grauabatur, vt necesse fuerit, quodammodo illud in humerum inclinare, vnde illud regij Prophetæ vsurpare poterat, iniquitates meæ supergressę sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.] Quãuis enim Christus peccare non potuit; [qui peccatum non fecit, nec est dolus inuentus in ore eius,] tamen quia iniquitates nostras in sua carne delendas susceperat, illas suas quasi facit, cum tamen vel vnius peccati pondus Angelicis humeris impositum ipsum ad Tartari imum detruserit. Harum igitur grauitate onustum venerandum Christi caput in terram inclinatum est. Denique caput inclinando indicauit mortem iamiam adesse, quã non audentem accedere nutu quodãmodo inuitauit [impletis omnibus, inquit Athanasius, quæ pati debuerat, sola mors adhuc restabat, atque hæc quidem sibi metuens appropinquare non audebat: ideo Christus eam inclinato capite vocauit: nam antequam caput inclinasset, propius accedere verebatur.] Quo temporis momento ecce apertis cæli ianuis Angelorum legiones stationes suas deserentes turmatim è cælo descendunt, vt se comites victrici Christi animæ ad inferos descendenti præbeant.

Psal. 37.

Athan. l. qq. ad Antio. q. 76.

4. Contemplemur itaque singulari mentis affectu quomodo patris æterni filius consummatis penè omnibus ad nostram pertinentibus re-

demptionem, ſpiritu in patris manus tradito, & inclinato capite emittat ſpiritum, vt ſimilis nobis per omnia excepto peccato eſſet; ex nobis enim aſſumpſit, quæ pro nobis ſuſtinuit, naſci, lactari, mori, ſepeliri: mea eſt mortalitas nati: mea infirmitas paruuli, mea expiratio crucifixi, mea dormitio ſepulti. Tradidit itaque ſpiritum, noſtri cauſa, ſed ita tradidit, vt aduerſarium noſtrum, ſpiritu & robore priuarit, ſuaque morte quodammodo enecarit, ſuis ſpoliatum armis. O generoſe pugil! ô ſtrenue debellator dæmonis, multo generoſior Scipione, cruenti Annibalis ſtrenuo victore, multo ingenioſior Vlyſſe, qui informem interemit Polyphemum, multo ſagacior Dauide, qui carneam illam turrim Philiſthæum lapidis ictu proſtrauit, non enim tibi cum aliquo Annibale, Polyphemo, aut gygante certamen, ſed cum potentiſſimo Erebi principe, quem obtuſo crucis telo, emiſſo ſpiritu, proſtraſti, mortemque principem eius ſatellitem, tua morte ſuperaſti, vt non immeritò illis inſultantes inclamemus: [vbi eſt victoria tua, ô mors; vbi ſtimulus tuus?] O Satan, tune es ille, qui mundi poſſeſſionem, per multa annorum millia pacificè obtinuiſti? ecce hodie, è regni ſolio eiectus, ſua Chriſtus morte tibi eius poſſeſſionem eripuit. Apage! tartara pete, hic tibi locus proprius eſt, deſine in poſterum, quos Chriſtus ſanguine ſuo cariſſimè emit, tibi vendicare. Noli in poſterum tuæ potentiæ confidere: nam quamuis adeo excellis robore, vt nulla tibi ſit naturæ facultas comparanda, tamen, per Dei gratiam, ludibrio eris in poſterum pueris ac puellis. Ligatus enim es ne totam tuam vim exeras contra ele-

Ber. ſer. 76.

Superat dæmonem & mortem.

ctos, & vt ait Ioannes, ne amplius gentes seducas: quod sic interpretatur Augustinus [ab eis ait gentibus seducendis huius interdicti vinculo, & clausstro diabolus prohibetur, quas pertinentes ad Christum seducebat antea. Has enim Deus elegit ante mundi constitutionem eruere de potestate tenebrarum, & transferre in regnum filij charitatis suæ. Ad hoc ergo ligatus est diabolus, vt non seducat gentes ex quibus constat Ecclesiæ, quas antea seductas tenebat antequam esset Ecclesia,] Diabolus itaque cum sit per Christum ligatus, quasi accisis per eius passionem viribus quomodo nobis tamen quotidie nocet? nemini profecto nisi consentiat illius voluntati; nam quod quis à cane aut furenti Leone catena ligatis mordeatur, culpa illius est, qui sciens ac prudens illi appropinquans, in illius os manum ingerit: id quod optimè Augustinus obseruauit [dicet, ait, aliquis: si alligatus est, quare adhuc tãtum præualet? verum est, fratres chariſſimi, quia multum præualet; sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Iam videte fratres, quam stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates seculi noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem: non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit.

Aug. l. 20. decim. c. 7.

Aug. ser. 197. de temp.

Digitized by Google

De signis in morte Christi factis.

CAPVT LXXXII.

Bern. ser. de pass.

1. IAm quidem (inquit Bernardus) infirma eius, anima mea, vidisti, & miserta es: nunc maiestatem eius attende, & miraberis. Quid enim? ait Scriptura [A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam. Et obscuratus est sol, & velum templi *Math. 27.* scissum est à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormiebant, surrexerunt.] Qualis est hic, quia & cælum, & terra compatiuntur ei, cuius & mors mortuos viuificat. Ecce res sensu carentes creatore suo cum extremis ignominiosæ mortis angoribus conflictante manifestissima veluti doloris indicia produnt, & spiritum reddente in patris manus, vniuersa mundi machina contremiscit, & [densis tenebris splendor solis (vt ait magnus *Leo. serm. 2. de pass.* Leo) obductus extraordinariè nocti subdidit diem: stabilitatem suam terra profundis concussionibus labefactata non tenuit: & petrarum firmitas, confracta soliditate, dissiluit. Velum templi, quo priorum mysteria vlterius non erant obumbranda, discissum est, & multorum Sanctorum corporibus excitatis ad præmuniendam Resurrectionis fidem, monumenta patuerunt. In vos ergo Iudæi cælum & terra sententiam tulit, vobis sol virtutem suam diémque subtraxit, vobis

vobis famulatum ſuum elementorum ordines denegauerunt: & recedente à legibus ſuis miniſterio creaturæ, veſtra obcæcatio, veſtra eſt ſignificata confuſio.] Heu & in nos etiam miſeros ſententiam tulerunt, quorum cordibus cæcitas infuſa eſt adeo, vt nec illa prodigia per inſenſiles creaturas facta partim ob creatoris ſui necem; partim ob noſtram in Creatorem ingratitudinem nos terreant, nec illa medio die (vt loquitur Auguſtinus) tanta ſolis obſcuritas, & inter eius radios claros amputata lux, adeo vt nox recondita in die, imo vſurpans diem, curſum ordinis minimè ſeruet.] Neque nos moueat obtenebrari cælum, lugere terram, velum templi conſcindi, petras findi, inferna reſerari, omnem denique penè creaturam expaueſcere Chriſti mortem. In his tantis clauſi ſunt oculi noſtri, etiamſi Chriſtus illis ſalutare ſanguinis ſui collyrium adhibere voluerit. In nos itaque ſicuti in Iudæos, quicunque pertinaces, & ingrati ſumus, cælum & terra ſententiam mortis tulit.

Aug. orat. contra Iudæ. pag. & Arrian. c. 17.

2. Obſcuratus eſt ſol denſis obductus nubibus, [Sol (inquit Ambroſius) occidit ſacrilegis, vel refugit, vt funeſti ſpectaculum ſceleris obumbraret. O quomodo elementa commiſcentur Deo moriente! quomodo terra deficit, quomodo cælum creatore proſtrato perturbatur, væ nobis hominibus quorum corda morienteChriſto, adeo dura ſunt, vt omni rupe & Caucaſo duriora eſſe probentur, quæ tanti amoris oſtenſione non ſcinduntur, [expauit ſcelus hominum natura rerum, exclamat Auguſtinus, & quem creatura rebellis non agnoſcit, eum mundi Dominum tremens terra teſtatur, & cæli regem ſol

Amb. l. 10. in c. 23. Luc.

Auguſt. in Ramp. ſer. 41.

fugiens confitetur. Et peccator nihil mouetur cum tamen hæc facta sint, [vt scilicet, ait Chrysostomus, terrerentur homines, compungerentur, crederent. Nam ita planè diuinitus tenebræ istæ factæ sunt propter facinorosos videlicet illorum ausus. Quod enim non eclipsis fuerit, sed ira quædam ac indignatio, hinc profecto patuit. Tres enim horas tenebræ perstitere, eclipsis autem breuissimo fit temporis spatio.] Et subdit, non tamen admirati sunt, nec Deum illum, vel post tenebras esse putarunt, quod ingenti desidia ac improbitate tenerentur, longa impietatis consuetudine deuincti.] Quibus nos, proh dolor! non absimiles qui per mortem Saluatoris, licet ad Sancta-sanctorum aditus nobis pateſcat, & flammeus ille gladius, quo hactenus à cælestis gloriæ ingressu arcebamur, remotus sit, non tamen compungimur. Ecce terra contremuit, non tam ob Christi mortem, & ob tantum scelus in se commissum consternata, quam indignans nostram in Saluatorem ingratitudinem, & tam horrenda per nos quotidie iterata Deicidia, quibus ipsa contaminatur, & non contremiscit interea impœnitens cor nostrum in cuius medio, tam stupenda etiamnum deicidia innouantur.

Chryſ. in c. 27. Math.

Myſteria ſciſſionis.

3. Ecce velum templi medio sciſſum creatoris sui mortem quasi sentiens nobis minimè sentientibus, illius sciſſio indicat quoque nobis iam reuelata esse mysteria, quæ hactenus à sæculis abscondita fuerunt. [Reuelata sunt, inquit Augustinus, mysteria abscondita, vt iam omnes possint in Sancta-sanctorum introire, pretio redemptionis nostræ æterno patri exhibito. Palam fit arca, vbi erat manna, quoniam iam cor-

Auguſt. in hunc locum.

Digitized by Google

pus Domini in cœna diei præcedentis institutum fuit, quod per manna seruatum præfigurabatur, vbi erat & virga Aaron, quoniam iam erat erecta in signum æterni Sacerdotij Christi; vbi etiam testamenti tabulæ asseruabantur, quia iam impleta lex erat, & Prophetæ.] Audiamus quoque quid Euthymius de hac veli scissione sentiat: [Quid autem, inquit, mihi magis placet accipe, quia interiora veli, figura erant cæli, exteriora verò terram figurabant: scissum iam velum significabat, diuisum iam esse medium parietem inter cælum & terram, qui inter Deum erat & homines, & factum esse cælum hominibus peruium, soluto iam per Christum obstaculo medio. Addo veli scissionem indicare, quomodo corda nostra hactenus dura medio findi oporteat, aspersa recenti Christi sanguine. Vnde Propheta nos monet, vt corda nostra doloris ictu, ac pœnitudinis gladio scindamus: [Scindite corda vestra, & non vestimenta.] Quemadmodum igitur templum illud vestem suam, velum nimirum, quo operiebatur (Iudæorum in hoc quasi morem imitans, qui in luctu vestimenta scindere; in signum interni doloris cor ipsum scindentis, solebant) moriente Creatore instar dolentis & lugentis, à summo vsque deorsum scidit; sic nos vela cordis nostri vitæ authore moriente compassionis gladio findere deberemus, vt omnibus creaturis, Christo mortuo, lugentibus, cum illis etiam lugeamus. Pendente enim in patibulo Creatore vniuersa creatura congemiscit, & crucis clauos omnia simul elementa sentiunt; nihil ab illo supplicio liberũ, hoc in communionem sui, & terram traxit, & cælum, hoc

Euthy. c. 67. in Math.

Ioël. 2.

templi velum scidit, hoc terram insolitis concussit motibus, hoc petras rupit, monumenta aperuit, tartara reserauit, & densarum horrore tenebrarum, radios solis abscondit. Debebat enim, vt ait Leo, hoc testimonio suo mundus authori; vt in occasu conditoris sui, vellent cuncta finiri.

Leo. ser. 6. de pass.

Terra mouetur.

4. Terra deinde mota est, non ferens tam indignum facinus, seque proinde aperire gestit, vt Christi calumniatores & tortores instar Datan, Core, & Abiron, viuos ad tartara transmittat. Hinc Augustinus: [Apertè rerum natura perspicitur commoueri, velut in vindictam Authoris sui velit armari: terra ipsa concussa à fundamentis suis, quasi quæ crucem Domini vix sustineat, tanquam ad scelus proprium contremiscit, dies refugo lumine, quomodo potest, sumit lamentum, & fusco tristium tenebrarum habitu, more lugentis induitur; & vt tota cæli facies dominicæ Natiuitatis gloriam noua luce testatur; ita crucis iniuriã nouis tenebris detestatur.] Si igitur terra insolito motu sacrilegã Oziæ audaciam vindicare visa est, cum sacerdotis ministerium temere vsurparet, thus in thymiamatis altari adolendo, quanto magis hodie debuit sese quodammodo armare contra sacrilegos Christi hostes, suoque terrifico motu illos consternare, & veluti immugiens, præ tanti criminis indignatione, in medio ingratissimæ plebis sese scindere, suosque in profundum vsque aperire sinus, & noxij illi ex improuiso abriperentur, vt ita ab omnibus mundi huius ablegarentur elementis, vt nec aerem hausta, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro. Merebantur cer-

August ser. 120.

tè à terra absorberi vel ædificiorum mole super illos irruente penitus deleri; sed quoniam fructus passionis eius non fuit homines perdere, satis illi fuit terroris causam illis suggerere, qua, si sapuissent, ad veri Messiæ cognitionem peruenire potuissent.

5. Petræ insuper scissæ sunt. Quemadmodum veli, sic etiam petrarum scissionem prædixerat Isaias: [reuelabitur, inquit, operimentum Iudæ, & videbitis in die illa armamentarium domus saltus, & scissuras ciuitatis Dauid videbitis.] per veli scissionem, sacra nobis arcana hactenus incognita reuelata esse significantur. vnde passionis armamentarium, ex quo creaturæ omnes hodie arma sumpserunt, contra Christi tortores, nobis aperitur, vt inde omnia armorum genera, ad humani generis audacem hostem debellandum rapiamus, quo expugnato, scissuras ciuitatis Dauid nobis apertas videbimus, Christi nimirum vulnera, ad quæ confugere, hoste nos vehementius persequente, facile poterimus. [Ecce (inquit Dominus Moysi,) est locus, apud me, & stabis super petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam; tollamque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris] quasi dicat: in Sina est petra, in cuius concauitate latere poteris: In hac igitur te collocabo, nubeque tegam, donec transeat facies mea glorioſa, & tunc amota nube, videre poteris tergum meum, cum faciei splendores & illustrationes ferre non possis. Quid obsecro hac in re mysterij latet? nonne petram (ex qua gratiarum aqua nobis aliquando

Isa. 22. *Petrarum scissionis mysterium.*

Exod. 33.

elicienda) adeo duram indicat diuini pectoris fuisse , antequam Christus super crucis lignum obiisset, vt nullum in ea foramen extiterit, præter vnum, per quod vel ad nos gratiæ aqua emanaret, vel per quod, ad diuinam tutelam, vrgente nos hoste , confugere possemus. Iustitia enim Dei iudicium exercente in terra, misericordia in cælo continebatur, per quam tanquam per angustum foramen, vel ad Deum nobis erat confugiendum , vel gratiæ stilla in nos deriuanda. Verum postquam Christus in cruce expirasset, tunc simul cum eo iustitiæ rigor expirauit, & petræ sciſſæ sunt , Christi nimirum membra flagellis, spinis, clauis ac lancea sciſſa, non vnum nobis foramen, sed plurima præbent, è quibus non gratiæ stillæ, sed gratiarum flumina in nos vbertim defluunt. Huc tanquam ad tutissima asyla nobis confugiendum, è quibus veluti è munitissimis turribus subeuntem hostem arcere nō solum poterimus, sed Dei etiam faciem, qui Christus est, contemplari. Sciſſæ etiam sunt cordis nostri petræ valida Christi voce, qua non modo corda nostra lapidea rupit , sed rupta in carnea mutauit, vt simus iam in posterum non duræ ceruicis, sed omnes docibiles Dei, atque adeo, vt quæ hactenus arida extiterunt pectora, in stagna aquarum conuersa , aquas largissimas pœnitentiæ, petra cordis sciſſa emittant. Petræ porro sciſſæ sunt, vt per hoc (inquit Chrysostomus) intelligerent eum quoque & diffringere illos, & discindere potuisse. Nam qui petras scidit, & terrarum concussit orbem, multo magis hæc in eos, si placuisset, agere potuisset, At noluit, sed in elementa omnem conuertens iram , ex sua illos benigni-

Chry. in c. 27. Matth.

Digitized by Google

tate seruare cupiebat] Illi tamen rupibus duriores in malitia perseuerarunt.

6. Denique monumenta aperta sunt, vt mortui ad vitam reuocati passionis virtute Christi innocentiæ testimonium præbeant. [Monumentorum (inquit Ambrosius) reseratio, quid aliud, nisi claustris mortis effractis resurrectionem significat mortuorum? quorum in aspectu fides, in processu typus, quod in sanctam prodeundo ciuitatem præsentium specie, declarabat in illa Hierusalem, quæ in cælo est futurum perenne diuersorium resurgentium.] Hinc potentia simul pendentis in cruce manifestatur, qui sicuti magna voce Lazarum quatriduo fœtidum è monumento excitauit, intonans: [Lazare veni foras] sic clamore valido, quem in cruce emisit, & monumenta aperuit, & mortuos ad vitam reuocauit. Innocentia etiam eius omnibus innotescit, quam, mortui ad vitam reuocati, non obscuris argumentis, testificati sunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt, vt nostrorum etiam corporum resurrectionem aliquando futuram significarent, testesque fierent, non modo Christi breui resurgentis; sed eius etiam innocentiæ. Tradit enim Hieronymus, & post illum Vincentius, duos Simonis Iusti filios, tunc à mortuis resurrexisse, & in ipso templo præsentibus sacerdotibus, testimonium pro Christo tulisse. Ex huiusmodi verò portentis, & elementorum mutationibus multorum conuersio secuta est: centurio enim & qui cum eo erant compunctis cordibus pectora contundens ad pœnitentiam tanquam ad salutis asylum confugit.

Amb. l. 10. in c. Luc. 23.

Hieron. in Mat. Vincen. in sua Histo.

4. *Reg.* 3. 7. In libris Regum proditur Regem Moab ab hostibus prævalentibus superatum, & in fugam versum, ciuitatem fortissimis cinctam mœnibus ingredi coactum, hac vsum stropha, qua hostium animos ad commiserationem excitaret, illósque ab infestissima vrbis impugnatione cohiberet, filium suum primogenitum, ac vnicum regni hæredem arripuit, illúmque in holocaustum offerens in mœnibus suspensum vniuerso hostium exercitui contemplandum exposuit. Quo lamentabili spectaculo hostes ex humana compassione adeo permoti sunt, vt sibi ipsis, qui tanti mali occasionem præbuerunt indignati statim ab obsidione cessarent, & ad propria mœstissimi remearent: [facta est, ait Sacer textus, indignatio magna in Israël, statímque recesserunt ab eo, & reuersi sunt in terram suam.] Et Rex Regum æternus pater à peccatoribus, per infestissima scelerum arma toties lacessitus, cum eorum impudentiæ, & sceleratis operibus, partim per comminationes, partim per multorum internecionem, partim etiam per varia beneficentiæ officia finem imponere nequiret; tandem inaudito hoc vsus est stratagemate, quo eorum animos emolliret, & à tantis eos flagitiis reuocaret, filium videlicet suum vnigenitum, & ex asse hæredem in holocaustum, pro peccatis immolandum tradens, prius è sublimi crucis fastigio suspendi permisit, quo inusitato hoc spectaculo consternati, multi Innocentis sese sanguinis reos arguentes, cum summa pœnitudinis significatione pectora sua percutientes exclamarunt: Verè filius Dei erat iste! & in Christi necem se consensisse in-

Figura.

Quam efficaciter Deus nps promouere aggrediatur.

doluerunt: [Et omnis turba eorum qui aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.] Quare non modo ab incepta Innocentis impugnatione, inchoatóque in Deum bello abstinuerunt, sed in se etiam indignantes eximij doloris signa, sua identidem pectora tundentes exhibuerunt. *Luc. 23.*

8. Et nos qui certa fide hæc credimus, qui Christum in sublimi crucis arbore suspensum scimus, quo in nostris animis aliqua illius commiseratio excitaretur, qui crudeli illo & pluſquam tragico suspensionis tempore monumenta aperiri, elementa suo modo plangere, rupes medio findi, solem veluti pulla indutum veste, sese sub obscura abscondentem nube, quasi deliquium pati, cœlum horrendum in modum detonare, terram contremiscere, totam mundi machinam obstupescere, & denique rerum omnium naturam lugubrem induere habitum, adeò vt Dionysius Areopagita cum adhuc in Gentilitatis errore versaretur hoc die exclamasse tradatur: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur. Et nos tantum abest, vt doloris signa edamus, quorum tamen peccata Christo mortis causa extiterunt, & naturæ trepidationis, vt potius peccata peccatis quotidie cumulantes, filium Dei toties cruci figamus, & ostentui habeamus; cum tamen hoc luctuosum nobis propositum spectaculum, non tantum pectora; sed etiam corda humili contritionis verbere ita penetrare deberet, vt cum elementis ac tota natura obstupescentibus ob tam indignam Creatori illatam necem, *Quam parum Christi morte mouemur, omnibus creaturis obstupescentibus.*

Digitized by Google

præ timore ac stupore exarescamus! ô si quis nostrûm viua fide in filium Dei è crucis arbore ignominiosè suspensum mentis oculos conuerteret, suique causa illam huiusmodi ignominiam subire perpenderet, haud dubiè, sicuti ipse toto corpore perfusus sanguine, nostra peccata sanguineis deflet lachrymis, nosque in nobilissima sui corporis pergamena, non atramento, sed suo cruore inscribit, sic amore ac commiseratione eius, resoluto in lacrymas corde, suam deploraret ingratitudinem, daretque operam, vt passionis memoriam in suæ animæ visceribus, amoris simul ac doloris penicillo insculperet. Exemplo igitur centurionis, vt nos monet Leo [contremiscat in redemptoris sui supplicio terrena substantia, rumpantur infidelium mentium petræ, & qui mortalitatis grauabantur sepulchris, discussa obstaculorũ mole prosiliant. Appareant nunc quoque in ciuitate sancta, id est, in Ecclesia Dei, futuræ resurrectionis indicia: & quod gerendum est in corporibus, fiat in cordibus. Nulli infirmorum crucis est negata victoria: nec quisquam est, cui non Christi auxilietur oratio] Siquidem centurionis repentina mutatio Gentilis populi conuersionem in Deum præsignificauit.

Leo ser. 13. de pass.

De ictu lanceæ quo apertum est Christi latus.

CAPVT LXXXIII.

1. POst tot Christi innocentiæ simul & maiestatis argumenta, ab ipsis insensilibus edita; post tot probra, ignominias, & cruciatus illi irrogatos, post ignominiosam crucis torturam, & probrosum mortis genus, adhuc iam in cruce mortuo, ne fortassis aliquod resideret in eo tenue vitæ spiraculum crudeli lancea eius latus perfidi homines aperiunt. Ad Iesum autem cum veniissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit. O insensati Iudæi omnibus creaturis Deum in cruce agnoscentibus, ipsi cimmeriis obruti ignorantiæ & malitiæ tenebris agnoscere non vultis. Audite Dei querelam de tanta ingratitudine vos accusantis apud magnum Basilium: [Populus meus me non intellexit, qui cælo enarrante innotesco, qui terra marique me exhibeo cognoscibilem, qui per solem, lunam, astra, denique per omnem creaturam nulli non palam significor] tam duræ ceruicis es vt neque Christi miraculis, neque tot in te collatis beneficijs à malitia tua reuocari potueris: [Non fuga dæmonum (inquit Bernardus) non obedientia elementorum, non vita mortuorum, bestialem hanc, & plusquam bestialem hebetudinem ab eis depellere quiuit. Et modo in mortuum suam ostendit crudelitatem. Et licet mortuo iam Christo nihil lanceæ ictus nocere

Basil. in c. 1. Isa.

Ber. ser. 60. in Cant.

Digitized by Google

posset, vt tamen afflictæ matris viscera concuterent, latus eius transuerberarunt. [Et quidem (ait Bernardus) etiam postquam emisit spiritum tuus ille Iesus, ipsius planè non attigit animam crudelis illa lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus: sed tuam planè animam pertransiuit, ipsius enim iam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat auelli. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plusquam martyrem non immeritò prædicemus.

Bernard.

2. In primis per hunc lanceæ ictum magnum significatur mysterium, ex Adami nimirum secundi latere exijsse, eius spõsam nimirum Ecclesiam, Cum dormiret (inquit Augustinus) Adam costa illi detracta est, & Eua facta est: sic & Dominus cum dormiret in cruce, latus eius lancea percussum, & Sacramenta profluxerunt, vnde facta est Ecclesia. Ecclesia enim coniux Domini facta est de latere, quomodo Eua facta est illi de latere. Sed quomodo non est facta, nisi de latere dormientis, sic ista non est facta nisi de latere Christi in cruce dormientis.] Debuit hoc remedium ex Christi latere, veluti per Chirurgi lanceolam extrahi, vt veteris Adami morbo huius sanguinis virtus mederetur. Ex Adami enim latere ruinæ causa prodiit; mulier nimirum, per quam peccatum sumpsit exordium. Hinc Ruffinus: [Videtur mihi, inquit, in latere per costam mulierem indicari: quia fons peccati & mortis de muliere prima, quæ fuit primi Adam costa, processit. Quare cum peccati origo ex Eua, quæ ex latere Adami efformata fuit, prodierit, Christus velut expertus medicus huic pecoati morbo, per vniuer-

Aug. in Ps. 129. & trac. 9. in Ioan.

Ruffin. in exposi. symb.

ſam humani generis propaginem graſſanti, ex ſuo latere medicinam expromi voluit, indicta prius diæta, & ſanguinis diminutione, amaráque paſſionis potione vſque ad fæces exhauſta, vt tandem Chiturgi lanceola latus dextre incidente, ſanguis & aqua emanaret, quæ ſænienti peccati morbo adhibita, eius infectionem aliquouſque cohiberet, vt baptiſmo, qui per aquam è latere eius defluentem ſignificatur, originis peccatum tolleretur, & ſalutari Altaris Sacramento, quod per ſanguinem ex eodem latere emanantem deſignatur, à morbo conualeſcentes corroborentur.

3. Deinde oſtium arcæ, quod olim Dominus à foris clauſit, ne aquæ diluuij in arcam ingrederentur, typus extitit Dominici lateris per lanceam aperti, quod ingruente ſcelerum diluuio, & paſſionis fluctibus vndequáque aſſurgentibus ſemper clauſum fuit, donec peracta paſſionis inundatione lancea, velut claui, reſeraretur, vt ad illud, tanquam ad aſylum oſtio iam expanſo innocentes columbæ à tartareis exagitatæ vulturibus conuolarent, & vt in eo ſemel receptæ, à perſequentibus hoſtibus, & immenſo peccati diluuio conſeruarentur. Hoc, inquit Auguſtinus, prænunciabat, quod Noë in latere Arcæ oſtium facere iuſſus eſt, qua intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura. Et alibi quod oſtium (inquit) in latere accepit, profecto illud eſt vulnus, quando latus crucifixi lancea perforatum eſt, hac quippe ad illum venientes ingrediuntur. Itaque vt omnes liberè poſſimus per Chriſti latus ad ſalutem ingredi, non cuſpide aliqua tenuiori, ſed lancea illud aperiri permiſit.

Aug. 120. in Ioan.

Aug. lib. 15. de Ciu. c. 16.

Digitized by Google

Psal. 131. Liceat ergo nobis dicere cum Regio propheta: [hic habitabo quoniam elegi eam. Et cum B. Petro: [bonum est nos hic esse] nec non cum illo ardentissimo Dominici lateris amatore Elzeario ad sponsam suam per literas respondente. *In Elze. vit. apud Sur.* Si me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi, ibi enim habitabo, ibi me reperies, frustra alibi quæsitura] liceat denique cum illo Christi vulnerum veluti mammarum auidissimo diuini lactis potatore Bernardo exclamare, ô quam bonum, & quam iucundum habitare in corde hoc! bonus thesaurus, bona margarita cor tuum bone Iesu, quam fosso agro tui corporis inueniemus, quis hanc margaritam abijciat? quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi, iactans omne cogitatum meum in cor Domini Iesu, & sine fallacia illud me enutriet, ad hoc templum, ad hæc sancta Sanctorum, ad hanc arcam Testamẽti adorabo, & laudabo nomen Domini,] ô vtinã tanto animi affectu ad hoc lateris vulnus cum illis sanctis viris properemus, nosque in illud tanquam in bonorum omnium, & aquarum viuentium inexhaustum puteum ingeramus, quo nobis omnium gratiarum aquam cum gaudio hauriamus.

Ber. ser. 2. de pass. c. 3.

4. Ecce vitæ ostium nobis expansum, vnde Sacramenta Ecclesiæ manant. Aperuit, inquit Augustinus, verbo vsus est Euangelista, non percussit, aut vulnerauit, sed aperuit, vigilante verbo, vt illud quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt. Ecce paradisi porta hactenus nobis clausa, versatili, & flammeo iam sublato gladio, reserata ad ingres-

Aug. tract. 120 in Ioan.

Digitized by Goog

ſum inuitat. Et Procopius Adamus, ait, flammante, & verſatili gladio è paradiſo eiectus eſt. Et quod vertitur, tam diu vertitur, donec inueniat aliquid reſiſtens. Chriſtus verò proprium latus, ceu firmamentum aliquod, haſtæ obtulit, paradiſum aperiens, qui propter latus nempe mulierum fuerat obſtruſus. Neceſſe enim erat, vt omnia quæ tendebant in perniciem hominis, Chriſtus in cruce diſſolueret, & dilueret. Senſibili itaque gladio flammantem compeſcuit, cum nemo verſatili fuiſſet auſus ſe opponere. Cui illud Bedæ accedit expendentis verbum illud aperuit, cum potius videretur dicendum, percuſſit, ac ſi nobis oſtendere voluiſſet Euangeliſta non primo tunc, & de nouo factum fuiſſe vulnus in latere Domini. Ex quo enim Deus factus homo ſponſum ſe exhibuerat Eccleſiæ, percuſſum amoris lancea pectus, & cor in pectore, ipſe conteſtatus eſt. Cant. 4. Vulneraſti cor meum, ſoror mea, ſponſa, vulneraſti cor meum. Quid verò ſi bis vulneratus duo in vno corde vulnera nobis ſignificet, primũ quidem, alterũ ferri. Ecce iam mortuus vt ſalutis odorem ſpargit. ſicut enim [flos odorem ſuum, vt ait Ambroſius, ſucciſus reſeruat, & contritus accumulat, nec auulſus amittit; ita & Dominus Ieſus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec euulſus euanuit: ſed illa lanceæ punctione ſucciſus ſpecioſior fuſi cruoris colore vernauit, mori ipſe neſcius, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans.] Ecce petra vnico lanceæ ictu percuſſa, non modo aquam ſalientem in vitam æternam, qua concupiſcentiæ ſitis extinguitur, ſed ſalutarẽ etiam ſanguinis ſcaturiginem vbertim emittit, qua noſtræ animi ſordes abluantur!

Amb. lib. 2. de Spiritu ſanct. c. 15.

Digitized by Google

Ecce è latere dextro templi, è Christi inquam corporis templo, cæleſtes gratiarum aquæ profluunt, quibus ſanctæ animæ, coram ſponſo ſuo fulgentiſſimæ apparent! Ecce vt inde ſalutaris aqua veluti de fontibus Saluatoris erumpit, vt cum gaudio illam pleno hauſtu hauriamus! Ecce fons ille Zachariæ nobis expanditur, vt in eo loti diuino aſpectui arrideamus, [in die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ,] fons quippe occultus fuit vnigenitus patris inuiſibilis Deus: fons verò patens eſt idem Deus incarnatus, & maximè in cruce vulneratus, qui fons patens rectè domus Dauid dicitur: quia ex Dauid genere, noſter ad nos redemptor proceſſit. Ieruſalem autem viſio pacis interpretatur. Hi ergo Ieruſalem habitant, qui in viſione pacis intimæ mentem figunt, à peccatorum ſordibus abluti. En cauerna maceriæ, ad quam nos ſponſus inuitat; veni in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. En porta aurea nobis pateſcit, circa quam ſedentes nos mendici peccatores à diuina miſericordia eleemoſynas corrogamus. En ciſterna Bethleemitica ex qua olim bibere Dauid deſiderauit, nobis ad ſedandam concupiſcentiæ ſitim expanditur.

Ezech. 47.

Zach. 13.

Gregor. in Ezech. hom. 10.

Alia cauſa vt oſtenderet noſtræ regenerationis fontẽ.

5. Alia inſuper cauſa eſt cur lanceæ crudelis ictu ſacratiſſimum Chriſti latus apertum ſit, vt nobis noſtræ ſpiritualis regenerationis fontem in latere ſuo tanquam in omnis gratiæ, ac vitæ renouandæ origine quaſi digito oſtenderet, iuxta illud Iſaiæ vaticinium: [filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.] verè filij qui per peccatum paulo ante longè à Chriſto aberant

Iſa. 62.

aberãt, iam de longe venerunt, nimirum de statu peccati ad statũ gratiæ acclamãtes: verè filius Dei erat iste, & redeuntes Christo iam in cruce mortuo, percutientes præ dolore pectora sua, hi sunt filij, & filiæ, quæ de Christi latere surrexerunt, quos veluti in lauacro regenerationis in cruento lateris sui fonte abluit. Quamuis enim Christus per passionem ipsam, & mortem illos nobiscum redemit, tamen illa post mortem sanguinis effusio hanc ipsam redemptionem, & ablutionem typicè, vt Viegas optimè notat, significauit. Hinc omnes fermè patres asserunt ex latere Christi Ecclesiæ Sacramenta, sicuti ex Adami latere Euam, profecta, quæ sunt efficacissima animarum medicamina, quibus & lauantur, & singulari gratiæ splendore illustrantur. Filij ergo tui de longè venerunt, vt in hoc lateris tui balneo abluti inde specioſi surgerent; quamobrem idem propheta Christum quasi matrem omnium nostrum amantissimam aliquando futuram vaticinatus est, quæ nos in suis visceribus conceptos non sine ingentibus cruciatibus, ac paturientis doloribus per lateris vulnus, tanquam per matricem in lucem ederet: Qui portamini, inquit, *Isa. 46.* à meo vtero, qui gestamini à mea vulua: fit enim aliquando vt mater prægnans præ acerbissimo dolore pattus, vel alia de causa extinguatur, cuius viscera si ante prolis præfocationem experientis medici industria aperiantur, infans viuus extrahitur. Ita contigisse refert eruditissimus Carthagena ex Hispanis historiographis Regi Sancio Abarca nomine: matre siquidem per hostes in vrbem ingressos lancea crudeliter confossa per vulneris ostium infans manum foras porrexit,

& inde incolumis eductus est. Haud secus nos Christus in lucem edidit, nam cum in duro crucis lecto iaceret, & vehementibus quasi parturientis doloribus afflictaretur, tandem doloris magnitudine Deo spiritum reddidit, verum ex hostibus vnus horribili lanceæ ictu latus illi aperuit, vnde copiosa prolis generatio prodit, de qua Isaias: [Generationem eius quis enarrabit?] *Isa. 53.*

Aqua sine sanguine, & sanguis sine aqua nobis non prodest.

6 O peccator, quam singularia tui gratia mysteria hic in hac Christi lateris apertione sanguinis, & aquæ exhibentur! nam extremo hoc, præter alia, profluuio, sanguinem tibi porrigit, vt sanguine redemptum te non ignores: commiscet sanguini aquam, vt sanguine, & aqua etiam omnes animæ tuæ sordes elui significet. Non solum ergo sanguinem, nec solam aquam in hoc tibi mysterio præbet. Nihil enim profeciſſet aqua sine sanguine, & nihil profeciſſet te sanguine redemptum, nisi etiam aqua, Christi sanguinis virtutẽ in se continente abluereris. Vt igitur & à peccatis munderis, & Christi mystico corpori associeris, aqua quæ corporis tantum sordes abluere nouit, Christi sanguini tuæ redemptionis lytro adiuncta est, ex cuius coniunctione diuinam accepit virtutem, quæ abluendis etiam inuisibilibus peccatorum sordibus idonea est reddita: quod iam diu à propheta Zacharia prædictum legimus. [Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruæ.] fons ergo in eius latere defossus est, ex quo quotidie licet tibi, ô peccator, salutarem haurire aquam, quæ pœnitenti animæ cælestem munditiem, diuinumque nitorem affert, omnibusque animi morbis medetur, *Zacha. 13.*

Digitized by Google

& ardentissimam cupiditatum sitim extinguit, si semper in eo fonte gratiæ venam repertam sequamur : si itaque vitam nostram amemus, si æternum illum consolationis fontem, cum singulari animarum nostrarum emolumento haurire desideremus; si inde scaturientem Christi sanguinem, nostræ animæ vulneribus quotidie applicare velimus; si salutari lateris aqua animæ nostræ sordes abluere festinemus, nunquam ab illius cisternæ desiderio animæ nostræ palatum remoueamus, donec salutari sanguinis simul, & aquæ haustu ebrij, nihil aliud desideremus, quam lateris Christi cælesti cisternæ incumbere, vt viuifico illius latice salutem hauriamus sempiternam. [In Deo itaque, vt ait Bernardus, non est diffidendum, sed securè & fiducialiter est agendum.] Ipse tanquam pius & laudabilis medicus prius bibit potionem quam parabat suis, id est, passionem, & mortem sustinuit, & sic sanitatem immortalitatis accepit, & impassibilitatis; docens suos, vt confidenter biberent potionem, quæ generat sanitatem & vitam; & qui post passionem vita æterna viuit, spem dat nobis; vt idem speremus ab eo securi.

Ber. ser. II. de parasc.

Deum mori tanquam maledictum quis credet?

CAPVT LXXXIV.

1. O Res inaudita! Deus ecce in cruce lancea vulneratus pendet mortuus, & animam suam, inquit Bernardus, in mortem perdidit, vt meam perditam mihi redderet. Et ecce me duplici debito obligauit, nam & pro eo quod dedit suam, debitor illi sum: & pro mea quidem anima bis ab illo mihi data, semel in creatione, & semel in redemptione, quid magis iustè illi reddam quam ipsam non habeo. Pro illius autem pretiosa anima ita contribulata, quid ab homine dignè rependi possit, non inuenio. Nam etsi cælum & terram, & omnem ornatum eorum pro ea possem rependere, certè nec sic vsque ad mensuram debiti vllatenus attingere possem.] Me ergo penitus totum tibi consecro, qui te mihi crudeli morte penitus consecrasti, ne sim cum Iudæis ingratus tantæ dignationi. Ecce creator meus à perfidis creaturis coram me occisus crudeli lanceæ ictu ad maiorem ignominiam confoditur! quam meritò Isaias hoc prodigium Prophetico cernens oculo exclamauit: [Quis credidit auditui nostro?] quis inquam credet Deum mori potuisse? quid ad hoc Paule? fieri ne potest, vt Deus in cruce mortuus esse credatur? audio à te dici: [prædicamus Christum crucifixum,] sed quis prædicationi tuæ fidem poterit

Bern. serm. de pass.

Res inaudita Deum mori.

Isai. 53.

adhibere? nónne hoc quod prædicas Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam? quis hoc crederet, nisi fides id docuisset? hinc quia fide perfidi Iudæi caruerunt, quam tamen ex euidentissimis Christi miraculis facilè, per Dei gratiam, suscepissent, nisi eorum obstitisset malitia, noluerunt credere Deum immortalem, mortalem in cruce pependisse, neque illi aliquid inesse diuinitatis qui in ligno penderet, cum eorum sententia, omnis qui penderet in ligno maledictus censeretur. [ad tuæ igitur passionis glorioſa insignia, in quibus salutem nostram operatus es totos inclinamus: Tuæ victorioſæ crucis regale vexillum in nomine tuo Christe adoramus. Tuum spineum diadema, tuos rubentes sanguineos clauos, tuo sacro lateri immersam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem Christe supplex adoramus, & glorificamus,] quibus omnibus salutem animarum impensius operatus es.

1. Cor. 1.

Bern. serm. de pass.

2. Hinc bone Iesu, factus es pro nobis quasi maledictus, in quo nihil, quam maledictionis nobis debitæ vestigia reperiuntur, quid enim in capite apparet, nónne spinea peccatorum pungentium vestigia? quid in oculis, nónne lacrymæ? quid in vultu, nónne sputa? quid in fronte, nónne concretus sanguis? quid in collo, nónne vincula? quid in manibus, nónne claui? quid in toto corpore, nónne flagellorum vulnera? quid in latere, nónne lancea? hæc sunt peccati, ac maledictionis vestigia. Verè [non solum fortis est (vt ait Bernardus) vt mors, sed fortior est morte dilectio,]

Factus pro nobis maledictus.

Bern. serm. in signum magnum.

quicunque igitur hæc maledictionis in posterũ vsurpauerit iacula, magis reus erit Christi mortis, quam illi, qui crucifixerunt eum. Vnde Gregorius [plus peccant ij, qui Christum triumphantem in cælis blasphemant, quam qui lugentem in terris crucifixerunt.] Quis igitur in posterum cum Iudæis blasphemias in Christum euomet, qui tot charitatis signa ostendit, & vsque adeo tormenta nostri causa sustinuit, vt etiam mortuus vulnerari voluerit? Quando itaque, ô bone Iesu! mentis oculos in tuum latus attollo, illũdque lanceæ ferrum sanguine cruentatum, ex tuo pectore prodire intueor, non aliquo doloris telo sentio cor meum vulnerari, sed videre mihi videor amoris sagitta cruentari, quæ adeo vulnerat, penetrátque mihi cor, vt totum intra me liquefactum percipiam, nihil enim in eo sine vulnere, nihil sine charitatis tuæ flamma relictum est, quo simul amore vulneror, & flamma comburor. Vulnerauit enim ad viuum cor meum, viuus & efficax sermo tuus, quo pro inimicis suspensus patrem orasti; sermo penetrabilior omni lancea acutissima, pertingens vsque ad diuisionem animæ meæ, & producens ex ea tanquam de dextero latere meo vice sanguinis, & aquæ, amorẽ tuum Domine,] quo penitus vror. hinc exclamare cogor: quid facis dulcissime amor? quid flamma ardentissima intra animæ viscera vis facere? huc accessi ad crucem, & ad mortuum in cruce medicamenta quæsiturus, & tu me amor vulneras, & tu me flamma comburis. veni vitæ documenta accepturus, & tu me amor in insaniam vertis, & tu me charitatis flamma liquefacis! ô dulcissimum vulnus! ô

Ambris vulnere cor cruentatur.

Bern. serm. de pass.

flamma salutaris! ô liquefactio animæ proficua, quæ licet animam mihi, & cor furemini, illa tamen tutiori inueniam loco, defossa in sacro Christi lateris vulnere, hic erit locus quietis meæ, hic habitabo, quoniam elegi illud.

Christi amor cor, & animum furatur.

3. O cordium igitur fur, ô animarum prædo, qui licet mortuus è cruore dependes, amoris tamen illecebris in tuam potestatem humana redigis pectora, non occidens, sed occisus, non alieno, sed proprio cruore, è duro crucis lecto copiosè in nos defluente. Quare quemadmodum amoris vulnere, & charitatis flamma semel meum tibi rapuisti cor, ita & illud in tuo latere amoris catenis colligatum tene, vt nunquam inde auelli possit. [O Saluator meus, & Deus meus! veniat, veniat, oro tempus, vt quod nunc credo, oculis tandem reuelatis aspiciam: quod spero nunc, & à longè saluto, apprehendam, quod pro viribus meis desidero, vlnis animæ meæ amplectar, & deosculer, & in maris tui abyssum totus absorbear.] memineris, ô bone Iesu! tui promissi, breui eius expletio exigitur: dixisti enim olim: [Igne zeli, & amoris mei deuorabitur omnis terra.] Veniisti vt promissum expleres dicens: [Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?] Ardeat ergo è latere tuo ignis, nostráque depascat viscera. Hunc ignem olim expetiit magno animi affectu Prophera: [vtinam disrumperes cælos, & descenderes, aquæ arderẽt igne.] ô dulcem amorem! ô desiderabilem flammam! descende è Christi latere, & nostra incende pectora, ipsa glacie rigidiora, & in amoris flammas conuerte. Hic est enim præcipuus crucis

Bern ferm. de pass.

Sopho. 3.

Isai. 64.

tuæ ſcopus, hoc lateris tui vulnus oſtendit, hæc ipſa corporis tui ſpecies, è cruce pendentis, manifeſtè declarat, quæ omnes ad tui inuitat amo-
Ibid. rem. [O æternum, exclamat Bernardus, ſubſtantiale & inacceſſibile, clarum & dulce profluuium fontis abſconditi ab oculis omnium mortalium, cuius vnda ſine ortu, cuius profundum ſine fundo, cuius altum ſine termino, cuius amplitudo incircumſcrutabilis, cuius puritas imperturbabilis!] ſiccine nobis miſeris infinitum oſtendis amorem? Quid enim inclinatum in humeros caput præ ſe fert, quam amorem, quo oſculum ipſis etiam, ſi velint, perſecutoribus porrigis? quid extenſa in cruce brachia, aliud quam amorem clamant, quibus amoris amplexus cuilibet pœnitentiam agenti offers? quid traiectæ clauis manus, præter amorem oſtendunt, quibus omnia electis bona polliceris? [Tu enim largiſſime fons omnis boni, ſeptemplicis gratiæ pretioſum flumen de theſauris tuis emittis, cuius ſuaui dulcore, huius noſtri maris, id eſt, noſtræ infirmitatis ſalſuginem mitigare dignaris, flumen olei lætitiæ, flumen vini meraciſſimi, tor-
Bern ibid. rentis ignei vigoris. Spiritus paracletus à te, & Patre, par vtrique, in orbem terræ perfunditur,] quid ergo nobis deerit, cuius amor per omnia omnibus innoteſcit? Quid enim pedes confixi, nónne amorem ſpirant, quibus ſignificas te noſtram expectare pœnitentiam? [Miſereris enim
Sapient. 11. omnium, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam, & parcis illis, quia tu es Dominus Deus noſter:] quid latus lancea apertũ, quam amoris flammas euibrat! apertum habes, vt quilibet nimirum

sub tuo corde asylum se habere intelligat, & refugium in suis calamitatibus, quid ergo retribuemus tibi pro tam inusitata nobis ostensa dignatione?

Beata Virgo ad lamentationem inuitatur.

4. Sed vbi es, ô tristissima Mater, vbi lates? mortuáne iaces huius lăceæ ictu trăsfossa? scio etenim animam tuam tunc in filij demortui corde resedisse, mortalíque lanceæ ictu penetratam. [Verè (vt ait Bernardus) tuam, ô B. Mater, gladius animam pertransiuit, alioqui non nisi eam pertransiens carné filij penetraret, & quidem postquam emisit spiritum tuus ille Iesus, omnium quidem, sed specialiter tuus, ipsius planè nō attigit animā ipsa crudelis lancea, nec mortuo parcés, cui cum non posset nocere, aperuit latus; sed tuam vtique animam pertransiuit.] Hinc fortassis si non penitus mortua, saltem grauiter vulnerata decumbis: sed resume animos, ecce tibi ad manum vulneri remedium, viuificus nimirum filij tui manans è latere sanguis! hunc tuo applica vulneri, vt resumptis viribus paulisper funeris filio iusta persoluas. Suscipe filij tui corpus è duro crucis lecto per Nicodemum & Ioseph depositum in tuis brachiis, & vide an hæc sit tunica filij tui an non! vide corpus illud vndique cruentatum, verberibus liuidum, morte tabidum, sine specie, sine decore! contemplare an sit ille specioſus forma præ filiis hominum! dispice an sit aliquod antiquæ venustatis in eo relictum vestigium!

Bern. super signum magnum.

Bern. serm. de lament. Mariæ.

5. Quæ omnia mater luctuosa incredibili mœrore ac tristitia contemplans, tanquam mortis pallore tota perfunditur genis & ore tantum cruore, ait Bernardus, Christi rubentibus, caden-

tes guttas sanguis ore sacro tangebat, terram deosculans quam sæpissime cruoris vnda rigabat,] ô graue supplicium! ô frequentia ex imo cordis educta suspiria! ô doloroſum Virginis pectus! [Anima eius tota liquefacta est, facies pallet roſea, ſed prerioſo filij ſanguine rubet reſperſa.] Et ſequitur: [Venerunt ad locum (Ioſephus nimirum & Nicodemus) vbi erat Dominus crucifixus, ſecum inſtrumenta ferentes, quibus clauos extraherent, & vt eum de cruce deponerent. Quos cum benigniſſima & mœſtiſſima mater aſpiceret, & ſciret eos vnicum ſuum velle deponere de cruce, quaſi de morte conſurgens paululum reuixit anima eius, & de terra feſtina exiliens vbi iacebat dolens, violentia proſtrata, quod poterat adiutorium debiliſſima illis miniſtrabat. Vnus duros illos ac diros clauos trahebat manibus, alius ne corpus exanime caderet, ſuſtentabat. Stabat & Maria brachia leuans in altum, vulnera contemplans, manus perforatas ſacroque ſanguine reſperſas intuens, vix ſuſtinere ſe potuit. Iamque manus brachia ſancta, & caput ſupra triſte pectus ſuſcepit, vt hoc vltimo miſerando ſolatio poſſet conſolari. Quem vt attingere valuit, amore materno ruens in dulciſſimos amplexus, & oſcula, de ſuo ſic malè tractato filio non poterat ſatiari. Sed cum de cruce corpus eius fuiſſet totaliter depoſitum, præ doloris vehementia, & amoris immenſitate quaſi exanimis facta fuit.] Et ſtatim reſumpto animo: Quid feciſti, ait, Ieſu fili mi, fili mi Ieſu, vt nihil in te hominis relinqueretur, ſed veluti percuſſus à Deo, tanquam viliſſimus terræ vermis conculcareris, deturpareris, concidereris, hæc ingemi-

Ber. ibid.

nans [stabat ad caput extincti , inquit Bernardus, filij mœstissima mater , & eius regalem faciem mortis obfuscatam palloribus, magna rigabat affluentia lacrymarum. Aspiciebat illud reuerendissimum caput coronæ spineæ diris aculeis perforatum , manus illas & pedes sacros clauis ferreis crudelissimè perforatos,latusque suffossum lancea, cum cæteris membris laceratis,] quibus sedulo consideratis amarissimè flebat. *Bern.ser. de lamentat. Mariæ.*

6. Ad singula filij sui membra lacrymosos attollens oculos in hunc , vel similem modum luctuosa in verba erumpebat: vbi est illa fili mi Iesu, Iesu fili mi facies decora, gratiarum plena,in quam Angeli prospicere desiderant , quam ego toties meis demulsi oculis ? heu tota cruore fœdata, tota sputis contaminata, tota alapis liuida, & mortis pallore lurida ! ô pulchritudo fœdata ! ô luminare cæli maius obscuratum! [Interim verò,ait Bernardus, frontem & genas, nasum, oculos , ósque simul frequentius osculabatur , tanta perfluens affluentiã lacrymarum,vt carnem cum spiritu resolui putares in lacrymas.] inde conuersa ad cætera corporis membra;vbi est,ait,illa lingua melliflua,blanda, eloquentissima, qua vitæ æternæ verba toties ingrato huic populo exprompsisti ? quis illam mutã reddidit? quis illi silentium indixit ? quis vitæ instrumentum morti subdidit ? ô quoties lingua ista iam mortua famosissimas peccatrices animas ad solidam traxit pœnitentiam! nónne hæc est illa lingua,quæ milites à principibus Sacerdotum missos ad te comprehendendum, ita promouit , vt re infecta , ad suos reuerti sanctè asseuerarent,nullum vnquam se hominem ita loquentem audisse ? nóme hæc *Bern. ibid.* *Math.7.*

est illa lingua, cuius voce in horto armati milites iram ac indignationem spirantes retrorsum ceciderunt? nónne hæc est illa lingua, potens in sermone, cui mare, & venti, depositis tempestatum minis, obsecundarunt? nónne hæc est illa lingua cuius virtute Lazarus, iam per quatriduum in monumento fœtens, ad vitam redijt? nónne hæc est illa lingua, quæ stuporem Synagogæ Doctoribus incussit, cum in Templó sapientissimè responderet sibi propositis quæstionibus, & nouas obijceret? heu iam mortua silet! vbi sunt oculi illi luce splendidiores, qui intima cordis penetrabant, multo efficacius sole, (qui terræ viscera suis rimatur radiis, suáque virtute aurum, argentum, gemmas producit) aspectu suo peccati scoriam quasi dispellens, & gratiæ aurum in animæ visceribus progignens! ô quis vos clausit! vbi sunt illæ cælestes manus, tornatiles, aureæ, quæ omnibus benefaciendo opem tulere? quis eas cruci clauis affixit? quis virtutem illis detraxit? quis ita illas cruci affixit, vt nobis opem ferre modo mortuæ non valeant? vbi cor illud ex se amoris flammas e iaculari solitum? quis illud interfecit? quis interfectum crudeli lanceæ ictu vulnerauit? quis aperuit? quis inde sanguinem, & aquam elicuit? vbi denique speciosus forma præ filiis hominum? heu in exemplar dolorum mihi propositus est! heu quomodo [versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium!] Et ad filium conuersa exclamat:

Iob. 30.

Bern ser. de lamentat. Mariæ.

[O fili mi dulcissime, quid feci sti? quare crudelissimi Iudæi te crucifixerunt? quæ causa mortis tuæ? commisistine scelus, vt tali morte damnareris? non fili, non fili, sed sic tuos redimere di-

gnatus es vt posteris exempla relinquas. In gremio meo nunc te mortuum teneo, fasciculus mirrhæ ergo dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.]

7. O quis Mariæ dolorem, singultus, suspiria, & lacrymas exprimere potest, viso inter sua brachia tam lamentabili spectaculo? quis excogitare valet quibus tristitiæ gladiis eius cor penetrabatur? quis vel cogitare querelas amore simul, & mœrore pleniſſimas, quas æterno patri tunc obtulit, potest? & quid mirum, cum nemo sit qui amorem eius in filium, qui mensura doloris esse solet, vel verbis, vel scriptis significare valeat. Sola relinquitur tam bono viduata filio, neque consolationem admittere cupit, quæ omni suo caret solatio. Tandem è matris sinu tollitur filij corpus, quamuis nunquam à corde tolli potuit, & in nouo monumento reponitur. [Accepit illud (inquit Ambrosius) Ioseph ab Arimathia, vir iustus, sicut ait Euangelista, & in nouo suo sepeliuit monumento, in quo nondum quisquam positus erat. Beatum ergo corpus Domini Christi, quod cum nascitur, vtero Virginis gignitur: cum recedit iusti tumulo commendatur. Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & iustitia; custodiuit illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut seruauit illud Mariæ Virginis vterus illibatum. Hîc enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique virginitas. Nouus illud venter concipit, nouus tumulus includit. Virgo ergo Dominica vulua, virgo est sepultura. Quin potius ipsam sepulturam vuluam dixerim, est

Maria dolor.

Amb. ser. 2. de cruce.

Digitized by Google

enim similitudo non parua. Sicut enim Dominus de matris vulua viuus exiuit, ita de Ioseph sepultura viuus surrexit, & sicut tunc de vtero ad prædicandum natus est, ita & nunc ad Euangelizandum renatus est de sepulchro: nisi quod glorioſior ista est quam illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale, post illam natiuitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cælos. Religioſior planè est ista, quam illa natiuitas. Illa enim totius mundi Dominum nouem mensibus in vtero clausum tenuit, hæc autem triduo tantum tumuli gremio custodiuit. Illa cunctorum spem tardius protulit, & hæc omnium salutem citius suscitauit. [Tunc Angelorum millia, inquit Bernardus, millium, qui ad Christi sepulchrum conuenerant, dulces ei ac deuotas exequias, & victoriam decantabant.]

8. O quas interea lacrymas ab oculis mater effundit! quæ edit suspiria! quos gemitus ab imo cordis educit! Angeli Domino laudes (ait Bernardus) canebant, sed Maria gemitus, & suspiria emittebat. Dum igitur Ioseph, & Nicodemus, Dominum ponerent in sepulchro, volebat simul cum illo mater mœstissima sepeliri. Erat enim innixa super dilectum suum, quem amplectens, suauiterque deosculans sic dicebat: [Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.] Illum adhuc paululùm mihi relinquite, vt faciem ipsius sublato velamine valeam contemplari, & præ amore ipsius aliquantulum videndo consolari. Nolite quæso eum tam citò tradere sepulturæ, sed ipsum reddite mihi miseræ matri suæ, vt illum mecum habeam saltem, vel defunctum:

Bern. ser. de lament. Mar.

aut si illum in sepulchro reconditis, ibidem me miseram matrem cum ipso sepelite, quia malè post ipsum superero.] Quamuis omnes eius pio dolori compaterentur, tamen Christum Iesum vitæ dominum & mortis tradiderunt sepulturæ, qua identidē deosculata voce qua poterat suum benedixit filium iam sepultum, & in domum redijt cum Magdalena & Martha continuo luctu suam deplorans viduitatem, cui alternata vice lugentes Magdalena, & Martha acclamabant: [Facta est quasi vidua Domina gentium, princeps prouinciarum facta est sub tributo:] si enim Hieremias flens sedit, & planxit lamentatione tristi Ierusalem, & amaro animo suspirans, & eiulans dixit: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo! quomodo facta est quasi vidua Domina gentium! quomodo princeps prouinciarum facta est sub tributo! potiori certè ratione Beatissima Virgo suo viduata filio sola sedens plorare debuit, videns non modo filiū suum iam mortuū, sed etiam præuidens Hierosolymitanæ ciuitati imminentem calamitatem, & subuersionem, quæ omnibus ciuitatibus illustrior fuit, cū Deo obsecūdaret, quæ plena populis, quæ plena gentibus vndique ad eam confluentibus, quæ magnificè dominabatur populis, quamdiu Dei Dominum patiebatur, siquidem tanta erat eius amplitudo, & pulchritudo, vt per eam Ecclesiæ Christi maiestas designaretur. Verum postquam factorem suum deseruisset, & morte turpissima affecisset, sola iacuit sine reipublicæ forma, sine populis, sine gentibus, dispersa sine pastore, per vniuersum terrarum orbem, & vidua sine Regibus, sine Sacerdotibus, sine Magistratibus, sine

Thren.1.

ciuibus, & quod magis luctuosum est, sine Deo. Hanc simul filij sui à se separationem, & ciuitatis Hierosolymitanæ à Deo, filij sui recordata lacrymarũ super Ierusalem effusarum, fleuit amarè, venientibus sibi subitò in die vna, duobus his
Isai.14. sterilitate, & viduitate, nam vno die, & filio caruit, & omnium gratiarum sterilitatem ciuitati illi Deo alioqui dilectæ imminentem vidit. quis ergo medebitur tui? quis duplex lethale vulnus cordis tui sanare poterit? nónne certè medicus qui tanto vulneri medicinam faceret vnus erat, sed tibi sublatus, qui è cælo descendit, vt contritis corde mederetur, ipse est qui hoc duplici vulnere tuum sauciauit cor, flens ob ciuitatis destructionem, & pro peccatoribus moriens? quis ergo medebitur tibi, certè solus ille, qui hoc tibi duplex vulnus inflixit, ille solus est, qui dolorem tuum leniet, qui vulnus tuum oleo lætitiæ fouebit, qui tristitiam tuam absterget,
Psalm. 93. qui à sua resurrectione secundùm multitudinem dolorum tuorum in corde tuo consolationibus suis lætificabit animam tuam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Laus Deo Virginique Matri.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

C, caput: N, numerum indicat.

GENESIS.

1. ET operuerunt aquæ faciem abyssi, caput 31. num. 3
2. Perfecit Deus die sexto creationis opus, caput 78. num. 1
3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, c. 13. n. 10
3. Collocauit Deus Adam ante paradisum, c. 37. n. 1
3. Maledicta terra in opere tuo, c. 55. n. 3. & c. 61. n. 13
3. Mulier quam dedisti mihi, &c. c. 71, n. 1
4. Maior est iniquitas mea, &c. c. 43. n. 3
6. Octo animæ in arca Noë seruatæ, c. 60. n. 6
6. Ego statuam pactum meum, &c. c. 65. n. 9
7. Multiplicatæ sunt aquæ, &c. c. 39. n. 15
8. Recordatus est Deus Noë, &c. c. 13. n. 10
9. Apparebit arcus meus, c. 65. n. 9
9. Noë maledixit Chanaan, c. 68. n. 3
15. Apparuit clibanus fumans, c. 50. n. 6
21. Puero Ismaeli aqua datur, c. 77. n. 2
22. Non extendas manum tuam super puerum, c. 7.

Digitized by Google

n.7.& c.29 n.6
22.*Vidit Abraham arietem inter vepres,* c.57.n.4
22.*Portabat ligna Isaac,c.59.n.12.& c.60.n.1.& c.62.n.5*
22.*Non videbo morientem puerum,* c.63.n.2
28.*Iacob dormiebat Domino in cacumine scala,* c.60.n.3
28.*Vidit scalam Iacob,* c.7 n.7
32.*Iacob occurrente fratre Esau attonitus,* c.15.n.1
32.*Vidi Dominum facie ad faciem,* c.30.n.17
32.*Dimitte me, non dimittam.* c.39.10
37.*Tunica filij mei,&c.* c.8.n.9
37.*Vendiderunt eum Ismaelitis,* c.12.n.3
39.*Per multos dies iniecit domina sua,&c.* c.35.n.8
39.*Fera pessima deuorauit eum,* c.52.n.1
41.*Tu eris super domum meam,* c.33.n 5
45.*Ego sum frater vester Ioseph,* c.7.n.6
48.*Do tibi partem vnam extra fratres tuos,* c.37. num.7.
49.*Nephtali ceruus emissus,&c.* c.15.n.6
49.*Tu fortitudo mea,&c.* c.37.n.2
49.*Lauabit in vino stolam,&c.* c.52.n.1

EXOD.

1.*Filij Israel creuerunt,* c.63.n.5.& c.65.n.5
3.*Ego sum qui sum,* c.19.n.5
3.*Vadam & videbo visionem hanc,* c.57.n.2
4.*Manus Moysis in sinu valida erat,* c.53.n.7
4.*Virga Moysis,* c.60.n.5
4.*Sponsus sanguinum tu es mihi,* c.65.n.1
4.*Moyses faciem velamine operiebat,* c.30.n.8
7.*Sicut Moyses exaltauit serpentem,&c.* c.66.n.8
8.*Musca Ægyptij,* c.35.n.5
9.*Dimitte populum meum,* c.47.n.4
13.*De nocte ignea, de die nubes,* c.50.n.6

Digitized by

13. *Lignum amaras aquas reddidit,* c.2.n.5
15. *Dominus quasi vir pugnator,* c.55.n.8
17. *Percussit petram virga,* c.35.n.5
20 *Non loquatur nobis Dominus, &c.* c.9.n.2
21. *Si bos cornupeta seruum, &c.* c.16.n.1
21. *Seruus libertatem negligens, &c.* c.22.n.2
23. *Non sequeris turbam ad faciendum malum,* c.27. n.3. & c.58.n.3
32. *Moyses pro populo orat.* c.68.n.8
33. *Ostende mihi faciem tuam,* c.13.n.2. & c.30.n.17
33. *Loquere filijs Israel duræ ceruicis,* c.39.n.14
33. *Ecce est locus apud me, & stabis,* c.82.n.5
34. *Facies Moysis erat cornuta,* c.42.n.8

LEVIT.

4. *Vituli sanguine septies irrigata,* c.53.n.5
10. *Offerebant ignem alienum,* c.39.n.4
14. *Alium passerē viuum cum ligno cedrino,* c.65.n.4
16. *Hircus emissarius,* c.65.n.5
21. *De capite suo cidarim non deponet,* c.26.n.7
22. *Onis non immolabitur vna die cum fœtibus suis,* c.73.n.7
23. *Omnis anima quæ non afflicta fuerit,* c.7.n.6
24. *Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur,* c.27.n.4
26. *Respiciam vos, & crescere faciam,* c.37.n.4

NVMER.

6. *Nouacula non ascendet in caput eius,* c.30.n.11
12. *Maria apparuit candens lepra,* c.30.n.2
16. *Immugiens terra in medio plebis,* c.39.n.2
16. *Disrupta est terra,* c.47.n.2
18. *Abortiuum quod proijcitur de vulua matris,* c.53.n.12
20. *Moyses ex lapide scaturire fecit aquam,* c.79. num.3.

Digitized by Google

INDEX LOCORVM

DEVTER.

4. Deus ignis consumens est, c.40 n.7
5. Honora patrem tuum, c.74.n.4
17. In ore duorum vel trium, &c. c.26.n.3
20. Quis est homo formidolosus, &c. c.2.n.10
21. Maledictus omnis qui pendet in ligno, c.48.n.5
22. Non capies in nido matrem cum pullis, c.13.n.11
25. Spuebatur in faciem illius, c.30.n.3
25. Neque addas istis plures, c.51.n.10
28. Et erit pendens vita tua, c.47.n.7.& c.64.n.1
28. Obsideberis intra portas tuas, c.61.n.9
32. Inebriabo sagittas meas sanguine, c.8.n.4
32. Dei perfecta sunt opera, c.69.n.1
33. In dextera eius ignea lex, c.60.n.1

IOSVE.

7. Fili mi da gloriam Domino, c.40.n.12
8. Scutum Iosue in sublime erectum, c.60.n.7. & c.66.n.7
8. Rex Hai in patibulo suspensus est, c.65.n.5
10. Ite & ponite pedes super colla regum istorum, c.23.n.5
10. Stetit sol in firmamento, c.64.n.2

IVDICVM.

1. Adonibezec, c.44.n.1
6. Dominus tecum virorum fortissime, c.9.n.8
7. Gedeon vicit Madianitas, c.66.n.8
7. Gedeon confractis lagenis Madianitas superauit, c.79.n.2
9. Veni & impera super nos, c.55.n.5
9. Quod me videtis facere cito facite, c.60.n.5
15. Ligare te venimus, c.25.n.1
15. En siti morior, c.77.n.2
16. Philisthim super te Samson, c.3.n.5
16. Samsoni oculos eruerunt, c.30.n.7

Digitized by Google

18. *Michas idolo ablato, &c.* c.38.n.7

RVTH.

1. *Noemi vidua,* c.73.n.1

I. REG.

2. *Tecum principium,* c.56.n.2
4. *Arca manibus sacrilegis tractata,* c.23.n.7
7. *Tibi peccauimus Domine,* c.41.n.9
10. *Cum adhuc paruulus esses in oculis tuis,* c.42.n.8
11. *Naas Gabaonitis oculos eruit,* c.30 n.7
12. *Peccaui,* c.71. n.3
14. *Dedit voci suæ vocem virtutis,* c.19.n.3
17. *In funda & lapide,* c.35.n.4
20. *Si est iniquitas aliqua in me, &c.* c.12 n.3
21. *Dauid coram Achis demens habitus,* c 46.n.4
22. *Coniurastis omnes aduersum me,* c. 12.n.2
29. *Scio quia bonus es tu in oculis meis,* c.42.n.6
31. *Arripuit Saul gladium suum, & irruit super eum,* c.27.n.3

II. REG.

4. *Isboseth interfectus,* c.39.n.9
6. *Vox Domini in virtute,* c.19.n.3
6. *Quam glorioſus fuit hodie Rex, &c.* c.1.n.5
7. *Nequaquam vt mori solent ignari,* c.25.n.4
12. *Dominus transtulit peccatum tuum,* c.8.n.5
12. *Et occidisti eum gladio filiorum Amon,* c.12.n.2
12. *Duo viri erant in ciuitate vna,* c.38.n.2
12. *Peccaui Domino,* c.43.n.4
12. *Gladio filiorum Amnon,* c.44.n.4
15. *Reuertere & reduc tecum fratres tuos,* c.2.n.9
15. *Achitophel contra Dauid coniurauit,* c.18.n.2
15. *Vadam & reddam vota mea Domino,* c.20.n.3
16. *Semei maledicebat Dauidi,* c.30.n.9
17. *Absalon ex arbore pendebat,* c. 43.n.5
18. *Fili mi Absalon,* c.8.n.9

18. *Suspensus est in aëre Absalon*, c.39.n.4
18. *Si appenderes in manibus meis mille argenteos*, c.12.n.3
20. *Salue mi frater*, c.20.n.3
21. *Filij Respha per Gabaonitas crucifixi*, c.65.n.4
21. *Respha concubina Saülis*, c.73.n.3
23. *O si quis mihi daret potũ, &c* c.40.n.9. & c.13.n.3

III. REG.

3. *Diuidatur infans*, c 31.n.2
3. *Afferte mihi gladium vt diuidam puerum*, c. 53. num. 5
6. *Non est auditus strepitus mallei*, c.63.n.4
13. *Ieroboam extendit manum, &c.* c 29 n.8
17. *Eliæ sitienti de torrente Carith aqua data est*, c.77.n.2
19. *Altaria tua destruxerunt*, c. 53.n.6
20. *Benadab Rex Syriæ legatos misit ad Achab*, c.53.n. 13
21. *Canes lamberunt sanguinem Achab*, c. 27.n.3
21. *Nonne vidisti humiliatum Achab*, c. 39.n.13
21. *Da mihi vineam tuam, &c.* c.77.n.7

IV. REG.

2. *Eliæ pallium Elisæus accepit*, c. 74.n.6
3. *Facta est indignatio magna*, c.82.n.7
4. *Mors in olla*, c.3.n.3
5. *Naaman à lepra mundatur*, c.14.n.2
6. *Plures nobiscum sunt quam cum illis*, c.7.n.7
6. *Coximus filium meum*, c.61.n.9
14. *Achab demisso capite*, c. 71.n.3
19. *Centum octoginta quinque millia Assyriorum interempta*, c.3.n.2
21. *Sanguinem innoxium fudit*, c.40.n.2
25. *Omnes bellatores qui erant cum eo fugerunt*, c. 24. num.3.

Digitized by Google

II. PARAL.

12. *Cumque roboratum fuisset regnum Roboam, c. 27. num. 31*
20. *Josaphat timoris plenus prostrauit se in oratione, c.5.n.1*
23. *Manasses orauit Dominum Deum suum, c.40.n.2*
36. *Incuruatus sum multo vinculo ferreo, & c.c.25.n.1*

II. ESDR.

1. *Murus Hierusalem dissipatus est, c. 39.n.6*
8. *Stans super gradum ligneum, c.78.n.1*

TOB.

7. *Non dubito quin Deus preces & lacrymas meas in conspectu suo admissurus sit, c.39.n.13*
10. *Ut quid te misimus, c.31.n.2*
12. *Quando orabas cum lacrymis, c.9.n.9*

IVDITH.

8. *Indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus, c.40.n.5*

HESTH.

4. *Extendit Assuerus auream virgam, c.56.n.4*

IOB.

1. *Nudus egressus sum de vtero, c.61.n.16*
1. *Scissis vestibus sparserunt pulverem, c.64.n.5*
2. *Iobo omnia duplicata sunt, c.7.n.7*
3. *Quasi abortiuus absconditus, c.53.n.12*
6. *Nunquid fortitudo mea fortitudo lapidum, c.7.n.8*
6. *Sagittæ Domini in me sunt, c.8.n.4*
6. *Et terrores Domini militant contra me, c.8.n.4*
6. *Quæ est fortitudo mea, c.51.n.3*
10. *Instauras testes tuos contra me, c.8.n.3*
12. *Lampas contempta, c.46.n.3*
14. *Habet lignum spem si præcisum fuerit, cap.61. num.11.*
15. *Tetendit aduersus Deum manum suam, c.29.n.2*

Digitized by Google

16. *Concluſit me Deus apud iniquum.* c.23.n.9
16. *Collegit furorem ſuum in me,* c.29.n.2
16. *Ad Deum ſtillat oculus meus,* c.40.n.5
16. *Terra ne operias ſanguinem meum,* c.51.n.8
16. *Concidit me vulnere,* c.53.n.13
17. *Non peccaui, & in amaritudinibus, &c.* c.53.n.4
19. *Dereliquerunt me propinqui,* c.12.n.1
19. *Noti mei quaſi alieni receſſerunt,* c.18.n.1
19. *Abominati ſunt me,* c.33.n.6
21. *In punctо ad inferna deſcendant,* c.61.n.4
23. *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus,* c.61.n.7
28. *Neſcit homo pretium eius,* c.16.n.4
29. *Cuius lux nunquam in terram cecidit,* c.30.n.5
29. *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes,* c.33.n.7
29. *Conterebam molas iniqui,* c.59.n.8
30. *In faciem meam conſpuere non verentur,* c.30.n.1
30. *Verſa eſt in luctum cithara,* c.84.n.6
37. *Super hoc expauit cor meum,* c.19.n.4
37. *Tonabit Deus in voce ſua,* c.19.n.4
39. *Exultat audacter, &c.* c.15.n.2
39. *Jnduratur ad filios ſuos,* c.26.n.2
41. *Contra eum fulmina mittet,* c.19.n.4
41. *Squama ſe prementes,* c.46.n.6

PSALMI.

2. *Conſtitutus eſt Rex ſuper,* c.67.n.3
2. *Aſtiterunt Reges,* c.46.n.6
5. *Non permanebunt iniuſti ante oculos tuos,* c.19.n.3
5. *Ego vero cucurri in ſiti,* c.77.n.4
6. *Lauabo per ſingulas noctes lacrymis,* c.38.n.6. & c.39.n.15
6. *Laboraui in gemitu meo,* c.40.n.11
7. *Incidit in foueam, quam fecit,* c.43.n.5
7. *Exurge Domine in præcepto, &c.* c.68.n.9
8. *Quid eſt homo, quia memor es eius,* c.36.n.2

Digitized by Google

11. *In circuitu impij ambulant*, c.41.n.3
15. *Quoniam non derelinques in inferno*, &c. c.80.n.1
17. *Circumdederunt me dolores mortis*, c.73.n.6
16. *In Deo meo transgrediar murum*, c.17.n.5
18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, c.29.n.5
19. *Memor sit omnis sacrificij tui*, c.13.n.12
20. *Cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire*, c.53.n.12
20. *Præueniſti eum in benedictionibus*, c.71.n.2
21. *Circundederunt me vituli multi*, c.53.n.4
21. *Aperuerunt super me os suum*, c.48.n.6
21. *Circundederunt me canes*, c.68.n.4
21. *Aruit tanquam testa virtus mea*, c.77.n.1
21. *Foderunt manus meas*, c.78.n.5
22. *Calix meus inebrians*, c.50.n.4
23 *Attollite portas, principes*, c.56.n.2
26. *Insurrexerunt in me testes iniqui*, c.26.n.3
28. *Vox Domini confringentis Cedros*, c.19.n.2
28. *Dilectus quemadmodum filius vnicornium*, c.2.n.5
31. *Conuersus sum in ærumna mea*, c.35.n.9
31. *Multa flagella peccatoris*, c.50.n.1
31. *Quoniam tacui inueterauerunt*, c.53.n.11
33. *Mors peccatorum pessima*, c.2.n.2
33. *Facies vestræ non confundentur*, c.51.n.7
34. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis*, & c. c.62.n.7
35. *Non veniat mihi pes superbiæ*, c.41.n.5
36. *Stridebit super eum dentibus suis*, c.29.n.3
37. *Dolor meus in conspectu meo*, c.40.n.1
37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput*, c.8.n.5
37. *Ego in flagella paratus sum*, c.39.n.7
37. *Quoniam iniquitatẽ meam annunciabo*, c.41.n.10
37. *Ego autem tanquam surdus*, c.42.n.6
37. *Ego in flagella paratus sum*, c.52.n.3

Digitized by Google

37. *Qui peccatum non fecit*, c.81.n.3
38. *Posui ori meo custodiam*, c.39.n.3
39 *Exaudiuit te Dominus*, c.13.n.12
39. *Expectans expectaui Dominum*, c.39.n.11
39. *In capite libri scriptum est*, c.48.n.5
39. *Circundederunt me mala*, c.8.n.3
40. *Qui edebat panes meos*, c.78.n.4
41. *Quemadmodum desiderat cerus, &c.* c.13.n.3
41. *Sitiuit anima mea*, c.24.n.7
41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ*, c.37.n.6
41. *In voce exultationis*, c.40.n.11
43. *Tota die verecundia mea contra me est*, c.49.n.4
43. *Emitte manum tuam, & eripe*, c.53.n.7
44. *Virga directionis*, c.59.n.8
44. *Speciosus forma*, c.51 n.9. & c.52.n.3
45. *Venite & videte opera Domini*, c.55.n 9
49. *Immola Deo sacrificium laudis*, c.40.n.11
49. *Quare tu enarras iustitias meas*, c.53.n.10
50. *Peccatum meum contra me est semper*, c.38.n.2
54. *Quoniam si inimicus meus maledixisset*, c.12.n.2
54. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos*, c.17.n.5
53. *Voluntarie sacrificabo tibi*, c.48.n.5
54. *Conuertantur retrorsum, & confundantur*, c.19.n.3
55. *Miserere eius quoniam conculcauit ipsum homo*, c.23.n.5
55. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, c.40.n.5
58. *Dispergeillos in virtute tua*, c.30.n.3
58. *Gladius eorum in lingua eorum*, c.39.n.3
59 *Dedisti metuentibus te significationem*, c.35.n.7
59. *Lingua eorum gladius acutus*, c.59.n.4
59. *Quorum dentes arma*, c.47.n.6
61. *Mendaces filij hominum*, c.47.n.4
66. *Confiteantur tibi populi Deus*, c.41.n.10
68. *Sustinui qui simul contristaretur*, c.42.n.1

Digitized by Google

68. *Extraneus factus sum, &c.* c.12.n.2
68. *Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt, &c.* c.13.n.12
68. *Laborani clamans, &c.* c.13.n.12
68. *Multiplicati sunt super capillos,* c.13.n.12
68. *Sustinui qui simul contristaretur,* c.17.n.3. & c.27.n.5
68. *Infixus sum in limo profundi,* c.31.n.3
68. *Tu scis improperium meum,* c.50.n.9
68. *Sustinui qui simul contristaretur,* c.53.n.1
68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt,* c.53.n.13. & c.55.n.11
68. *Surrexerunt testes iniqui,* c.78.n.5
68. *Partiti sunt vestimenta mea,* c.78.n.5
68. *Dederunt in escam meam fel,* c.78.n.6
72. *Quid mihi est in cælo,* c.58.n.9 & 39.n.10
74. *Nolite extollere in altum cornu vestrum,* c.39.n.8
76. *Nunquid obliuiscetur misereri Deus,* c.40.n.8
77. *Conuersi sunt in arcam prauum,* c.63.n.5
77. *Quid homo aliud quam spiritus vadens,* c.15.n.3
79. *Ostende nobis faciem tuam,* c.30.n.2
82. *Imple facies eorum ignominia,* c.32.n.2
84. *Veritas de terra orta est,* c.47.n.7
88. *Disposui testamentum electis meis,* c.68.n.1
90. *Cõculcabis leonẽ & draconẽ,* c.23.n.5. & c.55.n.8
90. *Scapulis suis obumbrabit tibi,* c.50.n.5
90. *Flagellum non appropinquabit tabern.* c.51.n.9
90. *Domine refugium factus es nobis,* c.65.n.9
93. *Qui fingit laborem in præcepto,* c.5.n.7
94. *Secundùm multitudinem dolorum,* c.74.n.2
94. *Ploremus ante Dominum,* c.40.n.10
47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis,* c.58.n.4
95. *Regnauit à ligno Deus,* c.67.n.3
98. *Honor Regis iudicium diligit,* c.54.n.6

99. *Ipse fecit nos*, c.39.n.1
101. *Respicis ad orationem humilium*, c.39. n.11
102. *Benedic anima mea Domino*, c.54.n.5
102. *Quomodo miseretur pater filiorum*, c.66.n.10
108. *Oratio eius fiat in peccatum*, c.43.n.4
109. *De torrente in via bibit*, c.2.n.4.5
109. *Dixit Dominus Domino meo*, c.26.n.6
110. *Initium sapientiæ timor Domini*, c.37.n.3
112. *Suscitans de terra inopem*, c 61.n.7
113. *Conuertit petram in stagna aquarum*, c.37.n.13
113. *A facie Domini mota est terra*, c.37.n.13
118. *Exitus aquarum deducant oculi mei*, c.37.n.8
121. *Foderunt manus meas, &c.* c.62.n.4
122. *Oculi mei ad Dominum*, c.39 n.12
124. *Nolite tangere Christos meos*, c.29.n.8
129. *Quia apud te misericordia*, c.13.n.8
118. *Locuti sunt aduersus me lingua dolosa*, c.42.n.3
128. *Maledicent illi, &c.* c.49 n.5
128. *Supra dorsum meum fabricauerunt*, c.51.n.2
130. *Barbam barbam Aaron*, c.30.n.10
131. *Hic habitabo quoniam elegi eam*, c.83.n.3
138. *In libro tuo omnes scribentur*, c. 10. n. 2. & c.66. n.2
143. *Benedictus Deus qui docet manus meas, &c.* c.15.n.6
143. *Quid est homo quia innotuisti ei*, c.56.n.2
145. *Dominus soluit compeditos*, c. 23.n.6
148. *Aqua quæ super cælos sunt. &c.* c.13.n.4

PROVER.

2 *Lætantur cum male fecerint*, c.17.n.3
6. *Testem fallacem odit Dominus*, c. 27.n.3
9. *Alligauit quis ignem*, c.35.n.1
8. *Melior est sapientia cunctis opibus*, c.16.n.4
8. *Qui mane vigilat ad me inueniet me*, c.16.n.4

Digitized by Google

8. *Mecum sunt diuitiæ & gloria,* c.16.n 4
13. *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit,* c. 27. n.1
15. *Oculi Domini contemplantur bonos & malos,* c.30.n.8
15. *Cor gaudens exhilarat faciem,* c.35.n.6
18. *Iustus in principio accusator est sui,* c.37.n.6
24. *Errant qui operantur malum,* c. 68.n.4
25. *Sicut vrbs patens. & absque murorum ambitu,* c.26.n. 5
29. *Qui timet hominem cito corruet,* c.59.n.8
31. *Date siceram mœrentibus,* c.61.n.18

ECCLES.

1. *Ad locũ vnde exeunt flumina reuertuntur,* c.53.n.4
2. *Detestatus sum omnem industriam,* c.8.n.8
3. *Vidi in loco iudicij,* c.58.n.3
10. *Aues cæli portabunt vocem tuam,* c.58.n.3

CANTICA.

1. *Fasciculus mirrhæ dilectus meus,* c. 13.n.8
1. *Osculetur me osculo oris sui,* c.20.n.8.& c.54.n.6
1. *Botrus Cypri dilectus meus,* c. 52. n.3. &c. & c.65. n.1.
2. *En stat post parietem nostrum,* c.17.n.2. & c.49.n 9
2. *Ostende mihi faciem tuam,* c.30.n.4
2 *Dilectus meus mihi,* c.31.n.4
2. *Fulcite me floribus, &c.* c.51.n.5
2. *Vox tua dulcis,* c.54.n.5
3. *Quæsiui quem diligit anima mea,* c.20.n.4
3. *Tenui eum nec dimittam,* c.39.n.10
3. *In diademate quo coronauit eũ mater sua,* c. 55.n.11
3. *Quia eius amore langueo,* c.63.n.1
4. *Vulneraſti cor meum,* c.2.n.7
4. *Veni de Libano sponsa mea,* c.55.n.9
5. *Veniat dilectus meus in hortum suum,* c.3.n.3

5. *Dilectus meus candidus & rubicundus*, c.10.n 5
5. *Anima mea liquefacta est*, c.40.n.9
6 *Reuertere Sunamitis, &c.* c.38 n.5
8. *Aquæ multæ non poterunt charitatem extinguere*, c.3. n. 5
8. *Pone me vt signaculum super cor tuum*, c. 51. n.10. & 61. n.8
8. *Fortis vt mors dilectio*, c.56.n.7
8. *Ego murus, vbera mea turris*, c.66.n.2

SAPIENT.

2. *Coronemus nos rosis*, c.55 n.5
2 *Morte turpissima consideremus eum*, c. 58.n.3
8. *Habebo propter hanc claritatẽ ad turbas*, c.28.n.1
10. *Fuit illis in velamento diei.* c.49.n.1
10. *Cum aqua deleret terram*, c.60.n.5
11. *Dissimulans peccata hominum*, c.15.n.3
11. *Misereris omnium, & nihil odisti*, c. 84.n.3
16, *Ignis in aqua valebat*, c.37.n.10

ECCLES.

3. *Qui amat periculum, &c.* c.41.n.2
4. *Funiculus triplex difficile rumpitur*, c.39.n.8
6. *Est amicus mensæ, & non permanebit*, c.24.n.1
6. *Ne erigaris in cogitatione, &c.* c.41.n.5
7. *Noli quærere fieri index*, c.59.n.8
8. *Sapientia hominis lucet in vultu eius*, c.30.n.4
11. *Oculus Dei respexit illum in bono*, c.37.n.5. & c. 72.n.2
11. *Sapientia humiliati exaltabit caput illius*, c.28.n.1
18. *Magna gloria est sequi Dominum*, c.57.n.8
19. *Ex visu cognoscitur vir*, c.30.n.4
21. *Fili peccasti non adijcies*, c.34.n.1
22. *Luctus mortui septem dies*, c.39.n.5
41. *O mors quam amara est memoria tua*, c.7.n.6
45. *Vide arcum & benedic eum*, c.10.n.5

Digitized by Google

ISAIAS.

1. *A planta pedis vsque ad verticem,&c.* c. 14. n. 2. & c. 48. n. 4. & c. 49. n. 9
1. *Filios enutriui & exaltaui,* c. 33. n. 4
1. *A ſuperbia malum cogitationum veſtrarum,* c. 38. n. 1
1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum,* c. 56. n. 6
1. *Quaſi nix dealbabuntur,* c. 74. n. 2
3. *Væ impio in malum,* c. 53. n. 12
5. *Suſtinui vt faceret vuam, fecit autem ſpinas,* c. 55. n. 1
6. *Excæca cor populi huius,* c. 68. n. 7
7. *Ecce virgo concipiet,* c. 65. n. 1. & c. 68. n. 3
8. *Velociter ſpolia detrahe,* c. 53. n. 2
9. *Ecce natus eſt puer, & datus eſt nobis,* c. 60. n. 5
10. *Conſummationē in medio terræ vidimus,* c. 78. n. 7
11. *Leuauit ſignum in nationibus,* c. 65. n. 5
12. *Haurietis aquas in gaudio, &c.* c. 77. n. 9
14. *Quomodo ceciſti de cælo Lucifer,* c. 61. n. 4
14. *Exaltabo ſolium meum,* c. 65. n. 8
14. *Sterilitate & viduitate in die vna,* c. 84. n. 8
14. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua,* c. 39. n. 4
22. *Aſportari te faciet ſicut aſportatur gallus,* c. 36. n. 5
22. *Reuelabitur operimentum Iudæ,* c. 28. n. 5
25. *Extendit manus ſicut natans,* c. 62. n. 1
26. *Parturitur ſpiritus ſalutis,* c. 37. n. 3
26. *Os ſuum aperuit & attraxit ſpiritum,* c. 37. n. 10
28. *Væ interim coronæ ſuperbiæ,* c. 55. n. 10
36. *Oculi tui videntes ſint præceptorem,* c. 66. n. 3
30. *Scribe ei ſuper buxum, &c.* c. 67. n. 1
30. *Erunt oculi tui videntes præceptorem,* c. 78. n. 4
31. *Sicut aues volantes proteget eos Dominus,* c. 15. n. 5
34. *Quoniam inebriatus eſt in cælo gladius,* c. 65. n. 7
35. *Tunc aperientur oculi cæcorum,* c. 78. n. 3
38. *Recogitabo tibi omnes annos meos, &c.* c. 40. n. 8
38. *Diſpone domui tuæ,* c. 4. n. 3

Digitized by Google

40. *Librat in pondere montes,* c.7.n.6
40. *Quasi stipulam turbine auferet eum,* c.29.n.6
42. *Dominus sicut fortis prœliator,* c.3.n.1
43. *Ego sum qui deleo iniquitates,* c.19.n.4
45. *Testa de Samijs terræ,* c.29.n.4
45. *Deus absconditus,* c.30.n.12
46. *Vocans ab Oriente auem,* c.37.n.4
46. *Qui portamini à meo vtero,* c.83.n.5
46. *Ego feci, ego feram,* c.49.n.7
49. *In vacuum laboraui,* c.8.n.8.& c.50.n.8
49. *In manibus meis descripsi te,* c.10.n.2.& c.49. n.7.& c.66.n.2
49. *Seruus meus es tu Israel,* c.50.n.8
49. *Ecce ego pinxi muros tuos,* c.66.n.2
50. *Et genas meas dedi vellentibus,* c.30.n.10
50. *Quis ex vobis timens Deum,&c.* c.30.n.14
50. *Ecce omnes quasi vestimentum conterentur,* c.47. num.9
50. *Corpus meum dedi percutientibus,* c.78.n.5
52. *Exaltabitur,& eleuabitur,* c.1.n.1
52. *Quemadmodum obstupescent super te,* c.30.n.1
52. *Nomen meũ blasphematur inter gentes,* c.30.n.19
52. *Iste asperget gentes multas,* c.65.n.4
53. *Quis credet auditui nostro,* c.1.n.3
53. *Posuit in eo Dominus iniquitatem, &c.* c.8.n.5
53. *Propter scelus populi percussi eum,* c.30.n.12
53. *Non est species ei,* c.30.n.13
53. *Oblatus est quia ipse voluit,* c.42.n.7
53. *Virum dolorum,* c.51.n.7.& c.63.n.3
53. *Nos putauimus eum quasi leprosum,* c.52.n.3.& c.53.n.7
53. *De angustia, & de iudicio sublatus sum,* c.49.n. & c.50.n.1
53. *Verè languores nostros ipse tulit,* c.53.n.3

53. Gene-

Digitized by Google

53 *Generationem eius quis enarrabit*, c. 74. n. 5. & c. 83. n. 5
53. *Vidimus eum, & non erat aspectus*, c. 78. n. 5
53. *Cum iniquis reputatus*, c. 68. n. 6
53. *Quis credidit auditui nostro*, c. 84. n. 1
58. *Et percutitis pugno impiè*, c. 29. n. 1
58. *Dissoluite colligationes impietatis*, c. 53. n. 7
61. *Spiritus Domini super me*, c. 78. n. 3
61. *Gaudens gaudebo*, c. 57. n. 1
62. *Qui reminiscimini Domini ne taceatis*, c. 33. n. 9
62. *Filij tui de longe venient*, c. 83. n. 5
63. *Quis est iste qui venit de Edon*, c. 49. n. 2
63. *Maxillas meas ad palmas dedi*. c. 70. n. 1
64. *Vtinam disrumperes cælos*, c. 13. n. 2. & c. 84. n. 3
64. *A facie tua montes defluerent*, c. 37. n. 3
65. *Tota die expandi manus meas*, c. 48. n. 8
95. *Expandi manus meas ad populum contradicentem*, c. 62. n. 7

HIER.

1. *Dedi te in murum æneum*, c. 7. n. 9
1. *Quis dabit capiti meo aquam*, c. 81. n. 2
2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*, c. 28. n. 3
6. *Defecit sufflatorium in igne*, c. 8. n. 8
9. *In ore tuo pacem cum amico loqueris*, c. 20. n. 3
31. *Patres vestri comederunt vuam*, c. 3. n. 3

THRE.

1. *O vos omnes qui transitis*, & c. c. 13. n. 4. & c. 30. n. 18. & c. 52. n. 4. & c. 53. n. 2. & 11
1. *Plorans ploraui in nocte*, c. 31. n. 2
1. *Facta est quasi vidua*, c. 84. n. 8
2. *Deduc quasi torrentem lacrymas*, c. 7. n. 6. & c. 37. num. 9
2. *Aperuerunt super me os suum*, c. 30. n. 16
2. *Magna velut mare contritio tua*, c. 31. n. 3

3. *Appropinquasti in die, &c.* c.30.n.15
3. *Impleuit me amaritudinibus,* c. 31.n.1
4. *Filia populi mei crudelis,* c. 26.n.2
4. *Cui ergo te comparabo,* c.31.n.2
5. *Oculus meus afflictus est,* c.40.n.5

BARVCH.

3. *Hic est Deus noster,* c.39.n.1
6. *In horto spina alba,* c.55.n.4

EZECH.

17. *Nunquid prosperabitur qui fecit hæc,* c.34.n.7
18. *Nolo mortem peccatoris, &c.* c.10. n.2. & c.39.n. 13. & c.72.n.2
28. *Non erit vltra spina dolorum,* c.55.n.4
32 *Omnia luminaria cæli mœrere faciam,* c.76.n.4
47. *A latere dextro templi aquæ profluunt,* c.83.n.4

DANIEL.

2. *Caput ex auro,* c.7.n.8
5. *Visa manus scribentis in pariete,* c.4.n.5
5. *Templi vasa profanius contrectans,* c.30.n.5
6. *Daniel in lacu leonum,* c.23.n.10, & c.59.n.1
8. *Daniel arietem percussit,* c.23 n.7
6. *Expletæ sunt hebdomadæ Danielis,* c.78.n.7
10. *Ego relictus solus vidi visionem,* c.19.n.2
10. *Domine in visione tua, &c.* c. 65.n.11
12. *In tempore illo consurget Michaël,* c.9.n.8
13. *Egressa est de Babylone iniquitas,* c.26.n.1
13. *Susannam luxuriosi senes condemnarunt,* c.26.n.8

OSE.

7. *Factus est sicut columba seducta,* c.34.n.5
13. *O mors ero mors tua,* c.56.n.7

IOEL.

2. *Scindite corda vestra,* c.82.n.3

AMOS.

6. *Væ qui dormitis in lectis eburneis,* c.30.n.15

Digitized by Google

IONAS.

2. *Abiectus sum à conspectu oculorum*, c.39.n.2
2. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur*, c.50.n.5
3. *Quis scit si conuertatur* Dominus, c.40.n.11

MICH.

1. *Vadam spoliatus & nudus*, c.61.n.15
6. *Populemeus quid feci tibi*, c.33. n.4. & c.48.n.8. & c.62.n.7

HAB.

.Cibus eius electus, c.6.n.1
12. *Visum scribe, & explana eum*, c.66.n.3
3. *Consideraui opus tuum, & expaui*, c.65.n.10

SOPH.

1. *Dies iræ, dies tribulationis*, c.65.n.7
3. *Igne zeli & amoris mei*, c.84.n.3

ZACH.

2. *Qui tangit vos, tangit pupillam*, c.29.n.8. & c.30. num.5
3. *Vidi Iesum indutum vestibus sordidis*, c.54.n.6
5. *Educam illud, & veniet ad domum iurantis mendaciter*, c.34.n.6
11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis*, c.78.n.4
12. *Ponam Hierusalem lapidem oneris*, c.7.n.8
13. *Erit fons patens*, c.57.n.7. & c.83.n.6
13. *Quæ sunt plagæ istæ*, c.63.n.3

MALA.

1. *Offertis super altare meum panem pollutum*, c.20. num.9

I. MACH.

6. *Sanguinem vua & mori*, c.57.n.6

II. MACH.

3. *Facies eius, & color mutatus*, c.8.n.9

Digitized by Google

3. *Heliodorus flagellatur*, c.30.n.5
7. *Mater bonorum memoria digna*, c.73.n.1

MATTH.

1. *Exultauit in gaudio*, c.38.n.7
3. *Hic est filius meus dilectus*, c.58.n.7
8. *Cæcis visum*, c.48.n.1
7. *Nolite sanctum dare canibus*, c.20.n.10
8. *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem*, c.70. num.9
9. *Non veni vocare iustos sed peccatores*, c.10.n.2
10. *Qui confitebitur me coram hominibus*, c.24.n.1
10. *Omnis qui confitebitur me coram*, c.9.n.3
11. *Jugum meum suaue est*, c.25.n.6
11. *Amicus peccatorum & publicanorum*, c.10.n.2
11. *Nemo nouit filium nisi pater*, c.16.n.4
11. *Regnum cælorum vim patitur*, c.76.n.5
12. *Si satanas satanam eijcit*, c.39.n.9
12. *Noli vltra peccare*, c.71.n.3
13. *Margaritam pretiosam quærit*, c.76.n.4
14. *Domine iube me venire ad te*, c.34.n.2
15. *Fiat tibi sicut vis*, c.7.n.10
15. *Nonne catelli comedunt de micis*, c.39.n.12
15. *Non sum missus nisi ad oues, &c.* c.47.n.5
16. *Tu es Petrus, &c.* c.33.n.7. & c.34.n.3. & c.37. num.12
16. *Beatus es Simon Bariona*, c.34.n.5
16. *Vade post me Satana*, c.39.n.8
16. *Si quis vult post me venire*, c.60.n.5
17. *Hic est filius meus dilectus*, c.9.n.3
17. *Domine bonum est nos hic esse*, c.24.n.5
17. *Prohibuit dare censum Cæsari*, c.42.n.2
18. *Patientiam habe in me, &c.* c.71.n.2
21. *Benedictus qui venit in nomine Domini*, c.25.n.2
21. *Consummatum est*, c.78.n.1

Digitized by Google

22. *Reddite quæ sunt* Deo, *&c.* c.42.n.2
22. *Magister, scimus quia verax es,* c.42 n.3
24. *Qui perseueranerit vsque in finem, &c.* c.68.n.8
25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, c.19. num. 4
26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, c.4. num 1.2
26. *Amice, ad quid venisti,* c.17.n.4
26. *Ecce qui me tradit prope est*, c.18.n.1
26. *An putas quod non possem nunc rogare patrem meum, &c.* c.22.n.1
26. *Principes Sacerdotum, & omne concilium, &c.* c.26.n.1
26. *Dissoluam templum hoc, &c.* c.26.n.3
26. *Adiuro te per* Deum *viuum*, c.26.n.5
26. *Reus est mortis*, c.26.n.7
26. *Alij palmas in faciem dederunt,* c.30.n.6
26. *Prophetiza nobis quis te percussit,* c.30.n.12
26. *Petrus secutus est eum à longe*, c.32.n.1
26. *Nescio quid dicis*, c.33.n.1
26. *Iterum negauit cum iuramento*, c.34.n.2
26. *Egressus foras fleuit amare*, c.37.n.5
26. *Tunc abijt vnus de duodecim,* c.43.n.2
27. *Sciebat quod per inuidiam illum tradidissent*, c.10.n.3
27. *Amen dico vobis, quod vnus vestrum me traditurus est,* c.17.n.4
27. *Concilium inierunt omnes principes*, c.42.n.1
27. *Regnum meum non est hinc,* c.42.n.5
27. *Non audis quanta aduersum te, &c.* c.42.n.6
27. *Peccaui tradens sanguinem iustum,* c.43.n.1
27. *Non licet eos mittere in corbonam,* c.44.n.1
27. *Tenebræ factæ sunt,* c.49.n.4. & c.82.n.1
27. *Et cum gustasset noluit bibere,* c.61.n.18

27. *A sexta hora tenebræ factæ sunt,* c.75.n.1
27. *Deus meus, Deus meus, vt quid me, &c.* c.76.n.1
28. *Hoc autem dicebat quasi nouitatis eum arguens,* c.28.n.1

MARCVS.

5. *Quid mihi, & tibi,* c.24.n.2
10. *Quid tibi vis faciam,* c.5.n.8
14. *Surgite eamus ecce qui me tradet,* c.15.n.6
14. *Tenete eum, & ducite cautè,* c.20.n.1
14. *Petro negante tunc gallus cantauit,* c.36.n.1
15. *Quid vultis faciam Regi Iudæorum,* c.47.n.8
15. *Ponentes genua adorabant eum,* c.55.n.2

LVC.

1. *Cuius regni non est finis,* c.56.n.1
1. *Dabit ei Dominus sedem Dauid,* c.56.n.2
1. *Vxor tua Elizabeth pariet, &c.* c.74.n.5
2. *Fiat mihi secundùm verbum tuum,* c.7.n.10
2. *Qui peccatum nunquam fecit,* c.19.n.1
2. *Stupebant omnes qui eum audiebant,* c.28.n.4
2. *Gloria in altissimis Deo,* c.30.n.18
2. *Tuam ipsius animam pertransiuit doloris gladius,* c.31.n.1. & c.53.n.4
4. *Venisti perdere nos,* c.35.n.3
4. *Obstupesce & exi,* c.39.n.9
7. *Stans retro secus pedes Domini,* c.13.n.4
7. *Osculum mihi non dedisti,* c.20.n.3
7. *Remittuntur tibi peccata tua,* c.40.n.3
7. *Nemo mittens manum suam ad aratrum,* c.34.n.3
10. *Qui vos spernit, me spernit,* c.29.n.8
10. *Volo, vt & ego sum illi sint mecum,* c.71.n.3
10. *Videbam Satanam sicut fulgur,* c.77.n.6
11. *Positus est in signum cui contradicetur,* c.65.n.8
11. *Propter improbitatem eius surget,* c.39.n.11
12. *Baptismo habeo baptizari,* c.1.n.2

Digitized by Goog

12. *Lilia agri sic vestit*, c.49.n.1
12. *Seruus qui facit voluntatem, &c.* c.51 n.9
13. *Pater, dimitte illis, &c.* c.68.n.2.3.4
14. *Qui non baiulat crucem, &c.* c.60.n.5
15. *Hic peccatores recipit, &c.* c.10.n.2
18. *Ecce ascendimus Hierosolymam*, c.1.n.3
18. *Consummabuntur omnia quæ scripta sunt, &c.* c.78.n 2
20. *In quem ceciderit collidetur*, c.7.n.8
22. *Qui non habet vendat tunicam & emat gladium*, c.22.n.3
22. *Respexit Christus Petrum*, c.36.n.1
22. *Domine tecum paratus sum*, c.39.n.9
23. *Tu es Rex Iudæorum*, c.42.n.5
23. *Commouit populum*, c.45.n.4
23. *Herodes viso Iesu gauisus est*, c.46.n.1
23. *Hunc inuenimus subuertentem gentes*, c.47.n.9
23. *Emendatum illum dimittam*, c.47.n.10
23. *Nullam in eo causam inuenio*, c.58.n.2
23. *Sequebatur illum multa turba*, c.61.n.9
23. *Unus de his qui pendebant blasphemabat*, c.69. num.1
23. *Tundentes pectora sua*, c.79.n.3
23. *Pater, in manus tuas, &c.* c.80.n.1
24. *Ego sum, nolite timere*, c.19.n.5
24 Domine, memento mei, c.70.n.4
24. *Inclinato capite emisit spiritum*, c.81.n.1
25. *Percutientes pectora sua, &c.* c.82.n.7

IOANNES.

1. *Ecce agnus Dei*, c 8.n.6
1. *Fecit Deus firmamentum*, c.65.n.13
1. *In principio erat verbum*, c.74.n.4
2. *Cum vidissent aquam factam vinum*, c.40.n.1
3. *Sic Deus dilexit mundum*, c.65.n.11

Digitized by Google

4. *Ego cibum habeo manducare, &c.* c.3.n.4
5. *Probatica piscina,* c.14.n.1
5. *Reus est mortis,* c.27 n.2
5. *Ecce sanus factus es iam noli peccare,* c.50.n.8
6. *Sunt quidam ex vobis qui non credunt,* c.20.n.3
6. *Verba vitæ æternæ habes,* c.24.n.7
6. *Quæritis me non quia vidistis signa,* c.24.n.8
7. *Si quis sitit veniat ad me,* c.13.n.3
7. *Iustum iudicium iudicate,* c.59.n.3
8. *Quæ placita sunt ei facio semper,* c.51.n.9
8. *Mendax est ab initio,* c.48.n.1
8. *Solus non sum,* c.76.n.2
9. *Nemo tollit animam meam, &c.* c.79.n.5
11. *Expedit vobis vt vnus moriatur pro populo,* c. 20. num.3
12. *Fur erat & loculos habens,* c.16.n.1
13. *Dixit hoc non quia de egenis pertinebat ad eum,* c.20.n.3
12. *Quare hoc vnguentum non venit triginta denariis,* c.43.n.2
12. *Nunc princeps huius mundi foras eiectus est,* c.55. num.8
12. *Granum frumenti cadens in terram,* c.79.n.30
13. *Quod facis, fac citius,* c.20.n.6
16. *Confidite quia ego vici mundum,* c.55.n.8
17. *Si me quæritis sinite hos abire,* c. 22. n.3. & c. 23. num.3
17. *Venit hora vt clarificetur filius hominis,* c.47.n.7
17. *Quos dedisti mihi, &c.* c.55.n.7
17. *Non pro mundo rogo, &c.* c.68.n.5
18. *Quem quæritis,* c.16 n.1
18. *Qui non habet tunicam emat gladium,* c.19.n.1.
18. *Pontifex interrogauit Iesum de discipulis suis,* c.28.n.1

Digitized by Google

18. *Quid me interrogas*, c. 28. n. 3
18. *Ecce homo*, c. 58. n. 1
19. *Veste purpurea Christus circundatur*, c. 54. n. 4
19. *Mulier, ecce filius tuus, &c.* c. 64. n. 1
20. *Nisi videro fixuram clauorum*, c. 70 n. 4
21. *Simon Ioannes, amas me*, c. 33. n. 7

ACTA APOST.

2. *Quem Deus suscitauit à mortuis*, c. 61. n. 11
5. *Obedire oportet Deo magis quam homi.* c. 36 n. 9
7. *Dissecabantur cordibus*, c. 26. n. 9
9. *Ego sum Iesus Nazarenus*, c. 19. n. 5
9. *Domine, quid me vis facere*, c. 5. n. 8 & c. 37. n. 3
9. *Circumfulsit eum lux de cælo*, c. 37. n. 1
20. *Per triennium nocte ac die à lacrymis non cessaui*, c. 37. n. 8
20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi*, c. 60. n. 4
23. *Percutiat te Deus paries dealbate*, c. 29. n. 1

ROM.

1. *Traditi sunt in reprobum sensum*, c. 19. n. 7
1. *Virtus Dei est in salutem omni credenti*, c. 25. n. 5
11. *Tu si fide stas*, c. 32. n. 3 & c. 41. n. 4
12. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum*, c. 20. n. 7
12. *Obsecro vos per misericordiam Dei*, c. 62. n. 7
13. *Induimini Dominum Iesum Christum*, c. 54. n. 3
16. *Deus pacis conteret satanam*, c. 55. n. 8

I. COR.

1. *Nos prædicamus Christum crucifixum*, c. 30. n. 13. & c. 84 n. 1
1. *Quod stultum est Deo sapientius est hominibus*, c. 30. n. 13
2. *Si cognouissent nunquam crucifixis.* c. 68. n. 7
4. *Imitatores mei estote*, c. 5. n. 8. & c. 51. n. 8
7. *Bonum est mulierem non tangere*, c. 35. n. 8
8. *Tot lacrymas fudit*, c. 38. n. 7

Digitized by Google

10. *Qui existimat se stare,* c.41.n.4
10. *Petra autem erat Christus,* c.55.n.4
11. *Qui manducat & bibit indigne,* c.20.n.11
11. *Secundus homo de cælo cælestis,* c.10.n.5
15. *Vbi tuus, ô mors, stimulus,* c.55.n.7

II COR.

5. *Qui non nouerat peccatum, &c.* c.48.n.3
8. *Propter nos egenus factus est,* c.66.n.12
12. *Virtus in infirmitate perficitur,* c.35.n.8

GALAT.

3. *Vos omnes non nisi vnum estis,* c.80.n.2
6. *Absit mihi gloriari. &c.* c.78.n.8
6. *Si quis existimat se aliquid esse,* c.34.n.2

EPHES.

2. *Dives est in charitate & misericordia,* c.8.n.9
2. *Propter nimiam charitatem,* c.48.n.5
3. *Supereminentem scientiam,* c.57.n.5
4. *Nolite dare locum diabolo,* c.28.n.4
5. *Sacramentum hoc magnum est,* c.10.n.3
6. *Esto succinctus lumbos in veritate,* c.11.n.1

PHILIP.

2. *Humiliauit semetipsum,* c.1.n.3.5. & c.2.n.5
2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* c.28.n.1
2. *Cum metu & tremore operamini salutem,* c.37.n.3
2. *Vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus, &c.* c.67.n.2
3. *Quorum Deus venter est,* c.61.n.18
4. *Omnia possum in eo qui me confortat,* c.17.n.5

COLOSS.

2. *In eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,* c.26.n.4
2. *Expolians principatus, & potestates,* c.55.n.8. & c.67.n.4

igitized by Google

3. *Mortificate membra vestra,* c.54 n.5

I. THESS-AL.

4. *Voluntas mea sanctificatio vestra,* c. 7.n.9

I. TIMOT.

1. *Christus venit peccatores saluos facere,* c.7.n.9
3. *Sacramentũ quod manifestatũ est in carne,* c.65. n.1
5. *Noli adhuc aquam bibere,* c.54.n.5
6. *Radix omnium malorum cupiditas,* c.17.n.1

HEBR.

2. *Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis,* c.78 n.8
4. *Pertingens vsque ad diuisionem animæ,* c.74.n.2
6. *Terra sæpè venientem superse bibens imbrem, &c.* c.8.n.8
6. *Iterum crucifigentes filium Dei,* c.17. n.3. & c.20. num. 9
9. *Remissio non fit sine sanguine,* c.7.n.9
10. *Irritam quis faciens legem Moysis, &c.* c.17.n.3
10. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis,* c.17.n.3
11. *Æstimauit minores diuitias thesauro, &c.* c.50.n.9
12. *Recogitate eum qui talem, &c.* c.51.n 8
12. *Curramus ad propositum nobis certamen,* c.57.n.6

EPIST. IAC.

1. *Omne gaudium existimate fratres, &c.* c.4.n.7
3. *Lingua inquietum malum,* c.39.n.3
4. *Deus superbis resistit,* c.39.n.8

I. PET. EPIS.

2. *Christus passus est pro nobis, &c.* c.14.n.7
2. *Non tantum bonis, sed etiam dyscolis,* c.62.n.3
4. *Christo in carne passo, &c.* c.59.n.8
5. *Fratres, sobrij estote,* c.15.n.4. & c.36.n.6

II. PET. EPIS.

2. *Rudentibus inferni detractus,* c.39.n.4

Digitized by Google

INDEX LOC. SACR. SCRIPT.

APOC.

1. *Ego sum,*	*c.*19.*n.*2
1. *Facies eius sicut sol,*	*c.*30 *n.*2
1. *Primogenitus mortuorum,*	*c.*30.*n.*13
2. *Esto fidelis vsque ad mortem,*	*c.*10.*n.*1
2. *Memor esto vnde excideris,*	*c.*33.*n.*7
3. *Suadeo tibi emere aurum ignitum, &c.*	*c.*49.*n.*2
4. *In circuitu sedis quatuor animalia,*	*c* 33 *n.*8
5. *Et regnabimus super terram,*	*c.*50 *n.*5
5. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo,*	*c* 54.*n.*4
5. *Dignus est Agnus qui occisus est,*	*c.*65.*n.*6
6. *Tanquam saccus cilicinus,*	*c.*57.*n.*6
22 *Qui sitit veniat, &c.*	*c.*13 *n.*3

INDEX RERVM ET VERBORVM.

C, indicat caput: & N. numerum marginalem.

A

ACHAB aliqua cõmiseratione mouetur, c.53.n.13
Actus tres pœnitentis, c. 41.n.9.10
Adàm ad hortum Getsemani inuitatur, c.13.n.1
Adam ex opposito paradisi à lapsu collocatus, c.38.n.3
Adam sui lapsus memor redditur, ibid.
Adæ & Euæ nuditas, c.49. n.3
Adonibezec pœna, c. 44. n.1
Adulatores fugiendi, c.20. n.12
Agapeti martyrium, c. 57. n.1
Affectus humanº in Christo erat, c.7.n.2
Agnes & Barbaræ nuditas cooperitur, c.49.n.3
Ager figuli cur dicitur, c.44.n.3
Agri huius mira virtus, ibid.
Ager ille Haceldama cur vocetur, c.44.n.4
Agnus ab origine mundi occisus Christus, c.47. n.11

Digitized by Google

Agnus vesperi sacrificatus Christus, c.66.n.5
Agnus & ouis simul immolantur, c.73.n.7
Alapa Christus percutitur, c.29.n.1
Alapam Christo inflictam Angeli non vendicant, c.29.n.6
Alapæ Christo inflictæ figuræ, c.29.n.8
Alapis Christus cæditur, c.30.n.6
Alco peritissimus sagittarius, c.66.n.10
Alexandri fiducia de falso animo, c.18.n.5
Alexandri responsum matri ad necem quendam iniustè expetenti, c.42. n.4
Ambitio Pilati, c.59.n.1. 6. omnia peruadit, ibid. n.6.& 7
Amici perfidia admiranda, c.18.n.5
Amici negatio grauissimũ scelus, c.33,n.5
Amicos infidos Christus arguit, c.12.n.2.& 3
Amoris vulnus grauissimum, c.2.n.7
Amor Christi in nos, c.3. n.2.5
Amore nostri Christus ebrius, c.3.n.4
Amor Christi in nos, c.8. n.7.& c.9.n.2
Amor nostri in Christum sæuit, c.11.n.4
Amoris & doloris excessus, c.13.n.28
Amorem vt Christo rependamus monemur, c. 13. n.9
Amor Christi in sponsam, c.30.n.13
Amor Mariæ in filium, c. 31.n.1
Amor Dei quo se vltra extendat non habet, c. 50.n.4
Amor Christi in nos, c.51. n.5
Amor doloris mensura, c.53.n.2
Amor in nos Christi,c.57. n.5
Amorem nostrum exigit Christus, c.58.n.8
Amor noster sit crucifixus, c.62.n.2
Amor Christi in nos, c.62 n.4.7.& c.46.n.1.& 66. n.11.& c.8.n.5.6
Amoris vulnere cor cruẽtatur, c.84.n.2
Amor Christi cor & ani-

Digitized by Google

mum furatur, c 84.n.3
Amor Lucij in Scipionem, c 3.n. 5
Angelus Christum cõfortat, c 9.n.1
Angeli nobis succurrunt, c.9.n.8
Angeli orantibus adstant, c.9 n.9
Angeli summa legationis, c.10.n.1.2.3. &c.
Angeli euocantur vt succurrant Christo, c.29. n.6
Angeli vindicãt iniuriam fidelibus illatã, c.29.n.6
Angeli obstupescunt viso Christo nudo, c.49.n.2
Angeli Christi mirantur patientiam, ibid.
Angelo viso obstupuit Daniel, c.65.n.11
Anima inuitatur vt Christo succurrat flagellato, c.51.n.10
Anima superiori parte lætitia perfusa, inferior tristitia afficitur, c.6.n.3
Anima deflet bona quæ amisit, c.39.n.9
Animalibus varijs peccator cõparatur, c.49.n.9
Animæ tristitia ob filij absentiam, c.73.n.2
Antithieta de Christi mutatione, c.62.n.7
Apostoli timidi, c.15.n.5
Apostoli viso Iuda cum exercitu contremuere, c.21.n.1
Apostolorum vertex mulieris voce confunditur, c 39.n.9
Apóstrophe ad patrem, c.23 n.5
Aquas amaras lignũ suaues reddidit, c.2.n.5
Aquæ cornu vnicornis à veneno eximuntur, c.2. n.5
Aquam haurire quid ? c. 41.n.9
Aquæ ex maxilla asini egressæ, c.77.n.2
Aquæ ex Christi latere fluxerunt, c.83.n.4
Aqua sine sanguine, & è contra nobis non prodest, c.83.n.6
Arboris foliis inscriptum, ô mors quam amara, &c. c.7.n.6
Arcæ ostium typus Dominici lateris aperti, c. 83.n.3
Arcus cælestis coram patre splendescit, c.65.n.9
Aries inter spinas grata

visio Abrahæ, c.57.n.4
Arma Christi, c.11.n.1.& 2
Armatura Christi qualis, c.57.n.1
Arundo Christo sceptri loco traditur, c.56.n.1
Arũdine verberatur Christus, c.56.n.3
Arundini cõparatur Christus, ibid.
Arundinis mysteria, c.56.n.34
Arundine tanquam armatura, hostes Christus vincit, c.57.n.1
Asini ex maxilla egressæ aquæ, c.77.n.2
Aspectus Christi vis, c.37.n.4
Aspectus Christi teter amorem excitat, c.30.n.13
Aspectus Dei nos conuertit, c.38.n.6
Astra inferiora se primo mobili accommodant, c.5.n.6
Astra inuitantur vt Christi nuditatem tegant, c.49.n.5.6
Auaritia Iudæ, c.16.n.1.2.3.4.5.& c.17.n.1.2.3.4
Auaritia nostra perstringitur, c.17.n.3.4
Auaritia Pilati, c.59.n.2
Auaritiæ sitis, c.77.n.7
Auctor suam excusat in Petrum libertatem, c.34.n.6
Aulæ principum fugiendæ, c.41.n.1.2.3
Auxilium Dei in periculis inuocandum, c.34.n.4

B

BAlista Christus, c.66.n.9
Balneum sanguinis nobis paruerũt Iudæi, c.48.n.7
Barba Christo euellitur, c.30.n.10
Barabbas insignis latro, c.47.n.1
Basiliscus galli cantu fugatur, c.41.n.2
Beatitudinis causa crux, c.63.n.5.&c. & c.65.n.14
Bellum spiritale pauidis non arridet, c.20.n.10
Beneficiorum largitorem persequi iniquissimum, c.28.n.5
Beneficia in Iudæos collata, c.45.n.1
Beneficiis Christi mala rependimus, c.55.n.11
Bernardus deplorat Christi

ſti vices, c.55.n.3
Blaſphemiæ pœna, c.27. n.5
Blaſphemiis Chriſtus oneratur, c.30.n.17
Blaſphemiæ vindicta, c.30 n.17
Blaſphemia in Deiparam, c.74.n.7
Botrus Cypri Chriſtus, c.52.n.3.4
Buxus in quo crucis titulus, c.67.n.1

C

CAïphas per veſtium ſciſſionem infortunia præſagit, c.26.n.7
Caïphæ temeritas perſtringitur, c.28.n.3
Caluaria qualis locus, c. 61.n.17
Capilli Chriſto velluntur, & cur, c.30.n.11
Capite inclinato cur ſpiritum Chriſtus emiſerit, c.81.n.1.2.3
Carni non eſt fidendum, c.35.n.9
Catharina coronam ſpineam elegit, c.57.n.5
Cauſæ ſanguinei ſudoris, c.8.n.1.2.3.7
Cauſæ Petri lapſus, c.32. n.1.2.3
Cauſæ ſolis obſcurati, c. 75.n.1.2
Cauſæ derelictionis Chriſti, c.76.n.4.5
Cauſæ cur latus Chriſti aperiatur, c.83.n.5
Charitas Chriſti in nos, c. 11.n.3.& c.44.n.2.& c. 49.n.7.9.& c.48.n.5.& c.54.n.6
Charitatis officium Chriſto præſtandum, c.53. n.7
Charitatis & humilitatis actus, c.69.n.3
Chirographū diabolo traditum cruci affixum eſt, c.67.n.4
Chlamide coccinea quid adumbratur, c.54.n.4
Chriſti exaltatio humiliationi præmittitur, c.1. n.1
Chriſtus vbique pulcher, c.1.n.2
Chriſti humiliatio, ibid.
Chriſti typus Dauid humiliatus, c.1.n.5
Chriſtus intrepidus paſſionis torrentem aggreditur, c.2.n.1
Chriſti patiendi deſide-

rium, c.2.n.2
Christus labiorum attactu amarum passionis calicem suauem reddit, c.2.n.5
Christus nos ad bibẽdum passionis calicem inuitat, c.2.n.6
Christi sitis patiendo augetur, c.2.n.8
Christum sequamur in vita & morte, c.2.n.9
Christi obedientia, c. 3. n.1
Christus strenuus miles, ibidem.
Christo cum variis pugnandum, c.3.n.2
Christi in nos amor, c. 3. n.2.5
Christus sponsæ blanditiis ducitur ad hortum, c.3.n.3.4
Christus nostri amore ebrius, c.3.n.4
Christus inhumaniter tractatur, c.3.n.5
Christus passus est in omnibus, c.4.n.1
Christus timet, & tristatur, c.4.n.2.3.4
Christus dolendi & flendi causas habuit, c. 4. n.4.8
Christus tristatur vt nos lætos faciat, c. 4. n. 5. 6. 7.8
Christus nostram in se suscepit infirmitatem, c.4. n 7
Christus orat vt virtus calicis in nos transeat, c.4. n.7
Christi tristitia, c. 5. n. 1. 2
Christi oratio prima, c.5. n.1.2.4
Christum peccata in terram deprimunt, c. 5.n. 2
Christus terram amplectitur, c.5.n.3
Christi in oratione resignatio, c.5.n.4
Christi solicitudo de suis, c.6.n. 1
Christi oratio secunda, c. 6.n.3
Christus infirmus secundùm humanitatem, potens secundùm diuinitatem, c.7.n.1
Christi sudor, c. 7.n.1.6
Christi in nos amor, c. 7. n.2.5
Christus peccatis quasi serpentum morsibus dilaceratur, c.7.n.3

Digitized by Google

Christus calicem licet amarum noſtri cauſa ebibit, c.7.n.5
Chriſtus in terra proſtratus omnium peccatis, quaſi tegmine cooperitur, c.7.n.6
Chriſti anguſtias conſideremus, ibidem.
Chriſti quærela, ibidem.
Chriſtus poſtulat vt à ſe tranſeat calix, c.7.n.8
Chriſti caro ænea, ibid.
Chriſtus ſerpens æneus, ibid.
Chriſtus murus æneus, c.7.n.9
Chriſtus excipit iræ paternæ ſagittas, c.8.n.4
Chriſtus in ſe omnium peccata punienda tranſtulit, c.8.n.5.6
Chriſti paſſio meriti infiniti, c.8.n.7
Chriſti in nos amor, c.8.n.7.& c.9.n.2
Chriſti dolor ob hominum perditionem, c.8.n.8.9
Chriſtus omnibus membris fleuit, c.8.n.9
Chriſti humilitas, c.9.n.1
Chriſtus in terra proſtratus qui omnia cum patre condidit, c.7.n.2
Chriſti mœror, c.9.n.1.2
Chriſtus omnium conſolator conſolatur, c.9.n.3
Chriſtus docet nos ad ſpiritalem recurrere conſolationem, c.9.n.3
Chriſto deliciæ pro nobis pati, ibid.
Chriſtus peccatorũ propugnator, c.10.n.2
Chriſto figuræ paſſionis implendæ, c.10.n.3.4.5.6.7.8
Chriſtus iuſtus Noë, c.10.n.4
Chriſtus arcus fœderis, c.10.n.5
Chriſtus vt Iſaac ad immolandum ducitur, c.10 n.6
Chriſti typus Ioſeph, c.10.n.7
Chriſtus ſerpens ſine veneno, c.10.n.8
Chriſti figura Dauid, ibidem.
Chriſtus petra, c.10.n.9
Chriſti arma, caput 11.n.1.2
Chriſtus pelicano comparatur, c.11.n.4

Christus pœnã nobis debitam inter se, & nos diuisit, c.11.n.5
Christus quæritur se ab amicis deseri, c.12.n.1
Christi patiendi desiderium, c.13.n.1
Christus cisterna Bethleemitica, c.13.n.3
Christus dimittit Magdalenam in pace, c.13.n.6
Christus & Maria passionem Deo offerunt, c.13.n.12
Christi animositas, c.15.n.1.2
Christus omnium iniuriarum obliuiscitur, c.15.n.3
Christi de suis cura, c.15.n.5
Christi victoria, c.15.n.6
Christus diuinitatẽ & humanitatẽ semper coniunxit, c.19.n.1
Christus se vltro hostibus offert, c.19.n.3
Christi vox terribilis, c.19 n.3.4
Christi vocis efficacia, c.19.n.3.4.5.7
Christi fortitudo, c.19.n.6
Christus aduersarium in pugnam prouocat, ibid.
Christi erga Iudam mansuetudo, c.20.n.5
Christus scrutator cordiũ, c.20.n.8
Christus pacis signo proditur, ibid.
Christus Apostolos consolatur, c.21.n.1
Christus reprehendit Petrum, c.22.n.1.2
Christus restituit Malcho auriculam, c.22.n.3
Christus variis lacessitur iniuriis, c.23.n.1.2
Christi nomen velociter spolia, c.23.n.2
Christus speciosus forma, c.23.n.3
Christus de discipulorum salute solicitus, c.23.n.3
Christus inhumaniter tractatur, c.23.n.4
Christus vexatur à Iudæis, c.23.n.6
Christi manuum opera, c.23.n.6
Christus catenis ligatur, c.23.n.73
Christo commiserãdum, c.23.n.8
Christus conqueritur de discipulornm fuga, c.24.n.1.2.3
Christo capto discipuli

fugiunt, c.24.n 3
Christus conatur Petrum à fuga reuocare, c. 24. n. 4
Christum in prosperitate sequimur, in aduersitate deserimus, c.24.n.8
Christus ligatur funibus, c.25.n.1
Christus amoris vinculis ligatur, & ad Aman trahitur, c.25.n.1.2.3
Christus nudis pedib⁹ per saxa trahitur, c.25.n.4
Chtisto compati gloriosum, c.25.n.5
Christi vincula nobis desideranda, c.25.n.5
Chtistū damnare Iudęi cupiunt, c.26.n.1
Christus blasphemiæ arguitur, c.26.n.6.7
Christi reus mortis conclamatur, c.26.n.7
Christus examini improborum subditur, c. 28. n.1
Christus suæ doctrinæ rationem reddit, c.28.n.3
Christum contemplemur coram Caïpha, c.28.n.5
Christus alapâ percutitur, c.29.n.1
Christo percusso, pater tacet, c.29.n.8
Christi benigna responsio, c.29.n.34
Christo omnia debemus, c.29.n.10
Christum in tolerandis iniuriis imitemur, c. 29 n.10
Christus contra legē conspuitur, c.30.n.3
Christus male à militibus tractatur, c.30.n.6
Christus ignominiis afficitur, c.30.n.9
Christo barba euellitur, c.30.n.10
Christo capilli velluntur, c.30.n.11
Christus multa passus est trunco ligatus, c.30.n.14
Christus in cloacam conijcitur, c.30. n.15
Christianum pudeat quietem capere Christo in cloaca posito, c.30.n.16
Christus vix agnosci potest, c.30.n.7
Christiani opere Christū ignominiis afficiunt, c. 30.n. 19
Christus ignominiis
cessitur, c.3[illegible] la-
Christus ad Pilat[illegible] .n.18
citur, [illegible]um du-
c.42.n.1

Christum de variis accusare statuunt Iudęi, c. 42. n. 2
Christus tanquam malefactor Pilato sistitur, c. 42. n. 3
Christus instar pilæ exagitatur, c. 45. n. 4.
Christi innocentia, c. 45. n. 2
Christus multis modis cõtemnitur, c. 46. n. 5
Christus in parte lancis suæ omnium peccata secum habet, c. 47. n. 3
Christus nostra soluit debita, c. 48. n. 3
Christus hostia pro peccato, c. 48. n. 3
Christi dorsum tellus fructifera, c. 48. n. 4
Christus pro nobis factus est maledictus, c. 48. n. 5
Christi charitas, cap. 48. n. 5
Christi mortem aliter Iudæi, quam nos, expetunt, c. 48. n. 5
Christi ad Iudæos oratio, c. 48. n. 8
Christus suam erubuit nuditatem, c. 49. n. 3. 4
Christus obijcit se iræ paternæ, c. 49. n. 7
Christi carnificina, c. 50. n. 1
Christi querela ad patrẽ, c. 50. n. 9
Christus passus est pro singulorum peccatis, c. 51. n. 6
Christus quomodo se abiecit, c. 51. n. 7
Christum patiendo imitemur, c. 51. n. 8
Christus ob alienam culpam flagellatur, c. 51. n. 9
Christus botrus Cypri, c. 52. n. 3. 4
Christo condolendum, c. 53. n. 1. 6
Christus vlceratur vestiũ detractione, c. 54. n. 1. 2
Christo illudunt genuflexo, c. 56. n. 5
Christus aliter in cælo honoratur, ibid. n. 6
Christ° subdit varios cruciatus, c. 56. n. 7
Christus spectaculum cælo & terræ, c. 57. n. 2
Christus dæmonem spoliauit, c. 57. n. 3
Christus inter spinas grata visio, c. 57. n. 4
Christus nugax, & stultus censetur, c. 57. n. 6
Christus pretium nostræ

Digitized by Google

redemptionis, c.57.n.7
Christus si quid passus sit consideremus, parua nos pati iudicabimus, c. 57. n.7
Christus in eminentiori loco spectandus proponitur, c.58.n.1
Christus exuit hominis figuram, c.58.n.1
Christus Rex à Deo constitutus, c.58 n.2
Christus cum Magdalena confertur, c.58.n.5
Christi humiliati magnitudo, c.58.n.6.7
Christus virtutum omnium exemplar, c.58.n.8
Christus speciem externam amisit, c.58.n.8
Christus Deiparæ spectãdus proponitur, c. 58. n.9
Christus exuitur chlamyde, c.59.n.12
Christi typus Isaac immolandus, c.59.n.12
Christus visa cruce exultat, c.59.n.12
Christus facinorosus, c. 61.n.12
Christus diaboli victor, c.61.n.1
Christ⁹ fatigatur, c.61.n.6
Christus sub cruce labitur, c.61.n.9.13
Christi imitatores simus, c.61.n.7
Christus sui imaginem nobis imprimere cupit, c 61.n.8
Christus obuiam fit mulieribus lugentibus, c. 61.n.9
Christus si tantus sit passus quid peccatores, c.61. n.12
Christus nudus exhibetur, c.61.n.15.16
Christus clauis configitur, c.61.n.17
Christo vinum felle mixtum offertur, c.61.n.18
Christi obedientia, c.62. n.13
Christi de nobis cura, ib.
Christi vestimenta diuiduntur, c.62.n.3
Christi dolor maximus, c. 62. n.4
Christus crucifixus quid fecit, c.62.n.5
Christus in crucis lecto extenditur, c.62.n.5
Christi dolores contemplemur, c.62.n.6
Christi ad nos clamor, c. 62.n.7

Digitized by Google

Christi in nos amor, c.62. n.7
Christus mala omnia sustinuit nostri gratiâ, c.63 n.3
Christi splendor nullus ignominiis extingui potuit, c.63.n.5
Christus in cruce pendet, c.64.n.7
Christus speculum exemplorum, ibid.
Christi cruciatus, c. 64. n.4.5
Christo condolendum, c. 64. n.5
Christus racemꝰ, c. 65. n.1
Christus serpens æneus, c. 65.n.2
Christus hircus emissarius, c. 65.n.5
Christus virga Moysis, c. 65.n.5
Christum quãtum scelus suspendere. c.65.n.6
Christus contradictiones sustinuit, c.65.n.8
Christus è solis pẽdet vulneribus, c.65.n.9
Christus inter duos latrones suspenditur, c. 65. n.10
Christus contemnitur mirabiliter, c.65.n.11
Christi varius plorandi modus, c.65.n.13
Christus pelicanus, ibid.
Christi figuræ, c.66.n.1
Christus in cruce liber expansus, c.66.n.2.3
Christus omnia vitæ documenta præbet, c. 66. n.3.
Christus profectum omnibus ingerit, c.66.n.4
Christus clypeus, c.66.n.7
Christus induit serpentis formam, c.66.n.8
Christus baliſta, c.66.n.9
Christus sagittarius, c.66. n.11
Christus nos ad se trahit, c.66.n.11
Christo morienti omnia compatiuntur, c.66.n.13
Christus Rex Iudæorum, c 67.n.3
Christus sese non vindicat, c.68.n.3
Christus deplorat peccata vniuersi, c.68.n.4
Christus excusat peccatũ Iudæorum, c 8.n.7
Christus noluit descendere de cruce, c.9.n.1
Christi potentiam ostendit latronis conuersio, c.72.n.1

Digitized by Google

Christus compatitur matri, c.73.n.6
Christus cur matrem mulierem vocat, c.74.n.1.2
Christus matrem Ioanni commendat, c.74.n.3
Christus docuit rationem haberi parentum, c.74. n.4
Christo compatiuntur elementa, c.75.n.3.4
Christus eclypsim sui prę-sentit, c.76.n 1
Christus quomodo delinquitur, — c.76.n.1
Christus cur se derelictũ conqueritur, c 76.n.2
Christus sitit salutem nostram, c.77.n 4
Christo magni constitit hæc consummatio, c.78 n.8
Christus magna voce clamat, c.79.n.12
Christus in se mortẽ prouocat, c.79.n.2
Christi sapientia, c.79.n.3
Christus patibulum glorioſum reddidit, c. 79. n.4
Christus exhausto sanguine clamat, c 79 n.5
Christus spiritum Patri commendat, c.80.n.1
Christus nos patri commendat, c.80.n.2
Christo condolendum, c. 80.n.3
Christus electos patri cõmendat, c.80.n.3
Christus superat dæmonem, & mortẽ, c. 81.n.4
Christus pro nobis factus maledictus, c.84.n.2
Chrysostomus Pauli vincula osculari desiderat, c.25.n.6
Cisternas dissipatas sequimur, c.77.n.9
Citharæ concentus, c.54. n.5
Clauis affigitur Christus, c.61.n.17
Claui Christi dolores clamant, c.62.n.6
Clamor Christi sanguine efficacior Abelis, c. 68. n.2
Clementia Dei in Petrum, c.36 n.2
Clementia Dei, c.72.n.5
Cloaca Christi lectus, c. 30.n.15
Clypeus Christus, c. 66. n.9
Color rubeus animat ad prœlium, c.57.n.6
Color Christũ leprosum

indicat, c.53.n.8.9.11.12
Columnæ applicatur nudus Christus, c.49.n.1.2
Columnæ cur nudus applicatur Christus, c. 50. n.3
Columna si esset sensibilis frangeretur præ compassione, c.50.n.4
Columna ignis per noctem, & nubes per diem Christus, c.50.n.6
Columnæ astrictus, quid cogitabat Christus, c.50. n.7.8
Comminatio in perfidiam Iudicis, & plebis iniquitatem, c.58.n.6
Commiseratio in Christum, c.51.n.9
Commiseratio, c.53.n.13
Conciliatio improborum inter se est in bonos conspiratio, c.46.n.6
Concilium Iudæorũ iniquum, c.42.n.2
Confessio salutaris, c. 41. n.10
Cooperatio nostra ad nostram conuersionem requiritur, c.37.n.1
Conscientia quem arguit fœlix, c.26.n.8. Est carnifex, c.38.n.3
Consolationem spiritalem quærere oportet, c.9.n.3
Consolationem pater negat filio, quam martyrib⁹ tribuit, c. 9.n.4.5 6.7
Constantia Mariæ, c. 31. n.4
Constantiæ exemplum, c. 66.n.3
Consuetudo Hebræorum reos percutere, c.29.n.1
Consuetudo Iudæorum è vinctis vnum dimittere, c.47.n.1
Consummatum verbum plenum mysterijs, c. 68. n.1.2.& c.
Contradictiones Christus sustinuit, c. 65.n.8
Contumelias quia tulit Moyses resplenduit, c. 42.n.8
Cor durum, quid, c. 20. n.5
Cor Christi dulce, c.65.n.1
Corda Iudæorum malitia excæcauit, c.68 n.7
Cor amoris vulnere cruẽtatur, c. 84.n.2
Cor amor Christi furatur, c.84.n.3
Cor Petri in fontem aquarum vertitur, c.37.n.13

Digitized by Google

Corona ſpinea Dominico capiti imponitur, c. 55. n.1.2
Corona in contemptu illi imponitur, c.55.n.2
Corona gloriæ apud patrẽ honoratur, c.55.n.2
Corona doloris & crudelitatis cauſa, c.55 n.3
Corona 71. vulnera capiti Chriſti inflixit, c. 55. n.3
Corona cur aculeatis ſentibus implexa crux, c.55. n.4
Corona ſpinea gaudio fidelibus, impiis ſtupori, c.55.n.6
Corona ſignum victoriæ, c.55.n.6
Coronæ varia acceptio, c. 55.n.7.8 9
Corona ſpinea nobis eligenda, c.55.n.10
Corona ſpinea Chriſtus redimitus, c.57.n.2
Corona triplici ornatur Chriſtus, c.57.n.5
Corona aurea cur noluit Gothofredus ornari, c. 57.n.5
Corpus Chriſti virtutibus inſculpitur, c.63.n.4
Creaturæ inuitantur ad vindictam alapæ Chriſto inflictæ, c.29.n.5
Creaturæ omnes Chriſto morienti compatiuntur, c.66.n.3
Creaturæ præter peccatorem Chriſto compatiuntur, c.75.n.4
Creaturis obſtupeſcentibus parum mouemur, c.82.n 8
Cruciatus Chriſtus varios ſubit, c.56.n.7. & c. 64.n.4.5
Crudelitas militum, c.30. n.15. 16
Crudelitas Iudæorum, caput 54.num.2.& c.56. n.3.7
Crux humeris Chriſti imponitur, c.59.n.12
Cruce viſa Chriſtus exultat, c.54.n.2
Crucis baiulatio figuris adumbratur, c. 60. n. 1. 2.3.4.5.6.7
Crux ſcala Iacob, c. 60. n.3
Crux clauis Dauid, c. 60. n.4
Crux virga Moyſis, c. 60. n.5
Crux ramus Abimelech, ibid.

Digitized by Google

Crux arca Noë, ibidem. n.6
Crux ſcutum Ioſue, c. 60. n.7
Crux candelabrum, ibid.
Crucem Chriſtus baiulat, c 61.n.1
Crucẽ ferre magna Chriſto iniuria, c.61 n.1.2
Crux graue Chriſto onus, c.61.n.3
Crucis longitudo, latitudo,&c. c.61.n.3
Crucis pondus auxit longitudo itineris, c. 61. n 2.5
Crucem vt deſeramus dęmon,mundus,caro ſuadent, c.62.n.2
Crucis in lecto extenditur Chriſtus, c.62.n.5
Crux beatitudinis cauſa, c.63.n.5.& c.65.n.14
Crucis in firmamento inſtar ſolis Ieſus Chriſtus ſtat, c.64.n.1.2
Crucis in firmamento de quinque regibus Chriſtus triumphat, c.64.n.2
Crucifigamur cum Chriſto, c.64.n.4
Crux pertica ex qua dependet racemus, c.65.n. 1. & figuræ crucifixionis, c.65.n.4
Crux nobis ſcala ad gloriam, c.66.n.14
Crucem cõſcendere ſumma exaltatio eſt, c. 66. n.14
Crucis titulus, c.67.n.1
Crucis tituli cauſæ, c. 67. n.4
Crucis è lecto vltima Chriſti verba, c 68.n 1.2
Crux iudicantis tribunal, c.70.n. 4
Crucem tenaciter amplectamur, c.78.n.8
Culpa propria noſtri lapſus cauſa, c.35.n.7
Cura de nobis Chriſti, c. 62.n.1
Curam animarum habẽtes in medio earum eſſe debet, c.33.n.8
Cycnorũ natura in mortem abeuntium, c.2.n.3
Cycno morienti ſe comparat Petrus, c.39.n.13
Cypri qualitates Chriſto accommodantur, c. 52. n.4

D

DElicię Chriſto pro pro nobis pati, c.9 n.3

Dalila decipit Samſonem, c.3.n.5
Daniel viſo Angelo obſtupuit, c.65.n.11
Darius aureis catenis ligatur, c.23.n.7
Dauid humiliatus Chriſti typus, c.1.n.5
Dauidis fletus, c.35.n.6
Dauid ad fontem aquę viuæ inuitatur, c.13.n.3
Dente ex molari egreſſæ aquæ, c.77.n.2
Dentes fons quidem excutit, c.28.n.2
Derelictio Chriſti, quid? c.76.n.1.2
Derelictionis cauſæ, c.76.n.4.5
Deſcriptio percutientis Chriſtum, c.29.n.3
Detractio fugienda, c.28.n.2
Deus homo pro nobis ſatisfecit, c.7.n.1
Deus pœnitentem magni facit, c.13.n.7
Deo accepta ferat ſponſa omnia quæ habet, c.13.n.8
Deus alapa percutitur, c.29.n.6
Deus noſtri curam gerit, c.30.n.5
Deus permittit Chriſtum percuti, qui nos tanquam pupillã oculi curat, c.30.n.5
Dei auxilium in periculis efflagitandùm, c.34.n.4
Deum negamus quolibet peccato mortali, c.38.n.1
Deum nobis perditum lacrimis reperiemus, c.38.n.7
Deus aduerſus ſuperbiam pugnat, c.39.n.8
Deus ex malo elicit bonum, c.41.n.1
Deus occulta manifeſtat, c.44.n.4
Deus abſconditus, c.54.n.1
Deus vt vacuum gratiæ impleret mira geſſit, c.66.n.12
Deus abundãtius dat quã petimus, c.61.n.2.4
Dei clementia, c.72.n.5
Deus nos mouere conatur, c.82.n.7
Deum mori res inaudita, c.84.n.1
Diabolus leo rugiens, c.15 n.4
Diabolus in Chriſtum ſæuiendo amiſit ſuũ prin-

Digitized by Google

cipatum, c.16.n.1
Diabolus in nos irruere nititur, c.14.n.4
Diabolus ad maiora, & maiora peccata nos trahit, c.43.n.1
Diabolus malleus vniuersi, c.55.n.8
Diabolus fraude agit, c. 55.n.9
Diabolus vt crucem deseramus suadet, c.62.n.2
Diabolus in cruce victus, c.64.n.2
Diabolus suã amisit prædam latronem, c.71.n.3
Dies passionis Christo, nobis læta, c.65.n.7
Die sexto opus Redemptionis perfecit Christus, c.78.n.1
Dilemma plenum malitiâ, c.26.n.6
Discipulorum fuga, c.24. n.1.2.3.4
Diuinitas intacta manet natura humana patiente, c.60.n.3
Doctrinæ suæ Christus rationem reddit, c. 28. n. 3
Doctrinam Christi suspicere debuit Caïphas, c. 82.n.4
Doctrinæ Christi ratio ab ijs petenda quibus profuit, c.28.n.4.5
Doec Iudæ typus, c. 18. n 3
Doloris sui testes 3. Christus adhibuit, c.4.n.1
Doloris, ac tristitiæ causæ, c.4.n.1
Dolor Christi ob hominum perditionem, c. 8. n.8.9
Dolor Mariæ ex amore proficiscitur, c.31.n.1
Dolor Mariæ nulli comparandus, c.31.n.2
Dolor Mariæ oceano cõparandus, c.31.n.3
Doloris mensura amor, c. 53.n.2
Dolor Christi & Mariæ, c.53.n.3.4.5
Dolor dolori Christo additur, c. 55.n.11
Dolor Christi maximus, c.62.n.4
Dolores Christi contemplemur, c.62.n.6
Dolor & amor Mariæ, c. 63.n.1
Doloribus ijsdem filius, & mater afflictantur, c. 63. n.2.3
Dolores Christi quomo-

Digitized by Google

do augentur, c. 63.n.5.c. 64.n.4.5
Dolor Deiparæ augetur, c.64.n.6
Dolor Mariæ exaggeratur, c. 73.n.1.2.3.4.5.6.7
Dolor Mariæ, c. 84.n.5.6.7.8

E

EBriosi similes paludibus, c.30.n.20
Ecce homo, c. 58.n.1.4.5.6.7.8.9
Echo filio respondet, c. 7.n.8
Eclypsim sui Christus præsentit, c.76.n.1
Effectus torporis, c. 32.n.1.2
Effectus mali timoris, c. 23.n.5
Effectus contrarij est eadem causa, c.70.n.2
Effectus Dominicæ crucis, c.70.n.3
Effectus pœnitentiæ, c.72.n.3.4
Electos patri Christus cõmendat, c.80.n.3
Elementa clauos Christi sentiunt, c.76.n.3
Elephanti ad bellum morâ, & vua acuuntur, c. 2.n.11
Elephanti potu efferantur, c.57.n.7
Electra Christo comparatur, c.75.n.3
Eliæ pallij vis, c 74.n.6
Examini improborũ subditur Christus, c.28.n.1
Excidium ciuitatis Hierosolymitanæ, c.48.n.6
Exempla eorum quibus Deus succurrit, c.7.n.7
Exempla Angelorum nobis succurrentium, c. 9.n.8
Exemplis Christi dolor viso Iuda latronum anteſignano exaggeratur, c.18.n.2
Exempla humiliantiũ se, c.19.n.2
Exempla magnanimitatis, c.19.n.3
Exempla de Christi comprehensione, c.23.n.8.9
Exempli vis maxima, c.27.n.1
Exempla superiorum praua in rempub. mala inuehunt, c. 27.n.1.2
Exempla sapientum post humiliationem exaltatorum, c.28.n.1

Digitized by Google

Exempla Angelorum iniuriam fidelibus illatam vindicantium, c.29.n 6
Exemplum patientiæ, c. 29.n.9
Exempla labentium ex propria culpa, c.35.n.7.8
Exemplum pœnitentiæ in Petro, c.38.n.1.2
Exemplum pœnitentiæ, c. 41.n.8.& c.71. n.3
Exemplum præclarũ Periclis, c.42.n.4
Exemplo aliorum Iudas non resipiscit, c. 43.n.4
Exemplum Agapeti constantiæ, c.57.n.1
Exempla malorum iudicum eorúmque suppliciorum, c. 59. n.5.6.7. 8.9.10
Exemplum bonis iudicis, ibid.n.10
Exempli vis, c.59.n.11
Exempla quibus ostenditur innocentium interfectores lugendos potius quam ipsos innocentes, c 61.n.10
Exempla tyrannorum qui prosunt persecutione, c. 63.n.5
Exempla patientiæ & mãsuetudinis, c.68,n.8
Exemplũ innocentis Phocionis, c.69.n 4
Exemplum constantiæ, c. 77.n.3
Ezechias cur fleuerit, c.4. n.3

F

FAciem Christi vt contempletur Moyses inuitatur, c.13. n.2
Faciem Christi abiectissimum sputi locum milites iudicarunt, c.30.n.2
Faciei Dominicæ descriptio, c.30.n.2
Faciem Christi velant milites, c.30.n.7
Faciei Moysis splendor, c. 30.n.8
Facies Moysis cur fulgurauit, c.42.n.8
Fiat varia acceptio, c. 7. n. 10
Fides latronis boni, c. 70. n.4.5 6.7.8.9.& c. 71. n. 4.& c.72.n.2
Fiduciam in nobis non esse ponendam, c.35.n.10
Figura Christi Dauid Cedron transiens, c.2.n.1
Figura qua significatur peccata nostra in Christum translata, c.8.n.6

Figuræ Christo in passione implendæ, c. 10. n.3. 4.5.6.7.8.9
Figuris Christi fortitudo ostenditur, c.19.n.6
Figuræ alapæ Christo inflictæ, c.29.n.8
Figuræ Christi in cloacam proiecti, c.30.n 15
Figuræ quibus ostenditur fructus passionis, c.47. n.11
Figuræ crucis baiulationem adumbrantes, c.60. n.1.2.3.4.5.6.7
Figuræ crucifixionis, c.65. n.4
Figuræ suspensionis, c.65. n.4.5.6.10.11
Figuræ Christi, c.66.n.1
Filio pater cõsolationem negat, c.9.n.4
Filij ingrati parentem inhonorant, c.30.n.10
Flagellationis spectaculo adsimus, c. 48. n. 8.& c. 49.n.1
Flagellationis causę, c.48. n.9
Flagellatio, c.49.n.1
Flagellis Christus subditur, c.50.n.1
Flagellatio crudelis, c. 51. n.1.2.3.4.5.6.7
Flagellationi adsit Maria inuitatur, c.58.n.1.2
Flagellationis initium dedit Pilatus, c.52.n.2
Fletus Dauidis, c.35.n.6
Fontium mirabilis natura, c.15.n.3
Fons Germanicus dentes excutit, c.28.n.2
Fons aquæ viuæ Christus, c.28 n.3
Fons patens Christi sanguis, c.57.n.8
Fontem aquæ viuæ relinquimus, c.77.n.9
Fontes Saluatoris bibamus, c.77.n.10
Fontes misericordiæ, sapientiæ, gratiæ, & charitatis, c.77.n.1.&c.
Fõs perennis gratiæ Christus, c.84.n.3
Fortitudo Milonis, c.3.n.6
Fortitudo Christi, fortitudo lapidum, c.7.n.8
Fortitudo Christi, c.19.n.6
Fragilitatem humanã docet Petrus, c.41.n.7
Fuga salubris à muliere, c.35.n.7
Furor cæcus, c.49.n.11
Fur cordis Christus, c.79. n.6

Digitized by Google

G

GAbriel vt consoletur Mariam inuitatur, c.65.n.12
Gallus arguit Petri inconstantiam, c.36.n.1
Gallus Petri admonitor, c.36.n 3
Galli proprietates Petro accommodantur, c.36. n.4.5 6.7
Galli cantus non satis est sine respectu Domini, c.36.n.8
Gothofredus Rex corona aurea noluit insigniri, c. 57.n.5
Gaudiũ conscientiæ, quid? c.35.n. 6
Gaudia Christianis concipienda, c.47.n.11
Genuflexo illudunt Christo, c.56.n.4.5
Gloria magna Christo assimilari, c.57.n.8
Goliath victi pudor excusari potest, Petri non, c. 35.n.4
Gratia Dei quid operetur, c.41.n.7

H

HÆmorrhoidis serpẽtis natura, c.7.n.3
Halec ex aqua, Chameleon ex aëre, Salamandra ex igne, Talpa ex terra viuunt, c.37.n.10
Herodes gauisus est viso Christo, c.46.n.1
Herodi magna gaudij occasio offertur, c.46.n.2
Hircus emissarius Christus, c. 60. n.7. & c.65. n.5
Homeri Iliades nucis putamine concluſæ, c. 78. n.2
Homicidium occultũ detegitur, c.44.n.5
Homo quod committit soluit Deus, c.27.n.5
Homo obliuiosus, c. 36. n.2
Hostia pro peccato Christus, c.48.n.3
Humiliationi præmittitur exaltatio, c.1.n.1
Humilitas exaltat, c. 1. n. 3.4
Humilitas Christi, c. 50. n.3.& c.58.n.6
Hur sputis suffocatur, c. 30.n.4
Hymnum Christus canit, c.2.n.2
Hypocrisis Iudæorum, c. 44.n.1. 2

Digitized by Google

Hypocrisis Scribarum, c. 47.n.9

I

IActantia fugienda, c. 41.n.5
Ieiunium cum Eleëmosyna prodest, c.53.n.7
Ignis Christus, c. 50. n. 6
Ignominiis Christus afficitur, c.30.n.9
Ignominiis saturatur Christus, c.30.n.18
Ignominia grandis, c. 47. n.5
Imaginem sui nobis imprimere Christus cupit, c.61.n.8
Imaginem Christi linteo Veronica impressit, c.61. n.8
Imitatio Christi in patiendo, c.51.n.8
Impatientia nostra perstringitur, c.29.n.11
Impatientia, c.51.n.7
Imperium Christi sublimandum, c.56.n.2
Impietas Iudæorum, c.49. n.11
Inconstantia vulgi, c. 1. n.2
Inconstantia Petri, c. 24. n. 5
Inconstantia Pilati, c. 48. n.1.2.3. 7
Inconstantia populi, c. 48. n.2
Inconstantia Iudæorum, c.59.n.11
Increpatio diserete adhibenda, c.15.n.1
Infamia magna Deum conferre cum latrone, c.47.n.4
Infirmum fortem esse difficile creditur, c.1.n.3
Infirmitatis argumenta, c.1.n.3
Ingratitudo Deo displicet, c.9.n.2
Ingratitudo Iudæ, c. 20. n.2
Ingratitudo Popilij, c.18. n.3
Ingratitudo Iudæorum, c.21.n.2
Ingratitudo Synagogæ, c. 26.n.2
Ingratitudo Iudæorum, c. 47.n.5
Ingratitudo Synagogæ, c. 47.n.8.9
Ingratitudo hominis, c. 75 n.3.& c.76.n.3
Inimici iniuria facilè to-

igitized by Google

leranda, c.12.n.3
Inimici diligendi, c. 68. n. 2
Iniquus peccat, & punitur iustus, c.27.n.5
Iniurias patienter Christus tulit, c.20 n.2
Iniuria Christo illata vindicanda, c.29.n.8
Iniuriæ tolerandæ Christi exemplo, c.29.n.11
Iniustitiæ accusatur Pilatus, c.49.n.10
Innocentes solantur cum vident se cum Christo falso accusari, c.26.n.8
Innocentia Christi, c. 45. n.2
Insensilia Christo compatiuntur, c.76.n.3
Instrumenta passionis adoremus, c.84.n.1
Instrumenta passionis nobis contemplanda proponuntur, c. 50.n.2
Interfectores innocētium lugendi potius, quam ipsi innocentes, c 1.n.10
Ioannes Mariæ cubicularius, c.74.n.4
Ioannes fit Mariæ filius, c.74.n.5
Ioannis Baptistæ conceptio,&c. c.74.n.5
Ioannis Euangelistæ noua conceptio, c.74.n.5
Ioannes dilectionis hæres, c.74.n.6.7
Ioannes felix, c.74.n.7
Ioanni Mariæ commendatur, c.74.n.3
Iob iudicum bonorum idea, c.59.n.8
Ioseph Christi typus, c.61. n.18
Iræ paternæ se obijcit Christus, c.49.n.7
Ira Dei in peccatorem, c. 8.n.4
Isaac Christi typus, c. 60. n.1.& c.62.n.5
Itineris longitudo ad mōtem Caluariæ, c.61.n.6. 7.8.9.13.14.15
Iudas fur, c.16.n.1
Iudæ auaritia, c.16.n.2.3. 4.5. & c.17.n.1.& c.20. n.3.& c. 43.n.2
Iudas malus mercator, c. 16.n.3
Iudas venalem animam habet, c.16.n.5
Iudas ad pœnitētiam frustrainuitatur, c.17.n.1
Iuda auariores nos sumus, c.16.n.3
Iudæ exprobratur perfidia, c. 17.n.5

Digitized by Google

Iudax dux latronum, c.18. n.1.2
Iudas oſculo Chriſtũ prodit, c.20.n.14
Iudas infidelis, ibid.
Iudas oſculo vſus vt proditionem Chriſtum celaret, c.20.n.3
Iudas alter Ioab, ibid.
Iudas ſignum nobis ſuggerit quo Chriſtum ad ſalutem comprehendamus, c.20.n.4
Iudas Chriſti oſculo, & amicitia non emollitur. c.20.n.5
Iudæ cor durum, ibid.
Iudas Caïnum refert, c.20 n.6
Iudas lupus, c.20.n.7
Iudas venenoſus, ibid.
Iudas ſuam condemnat auaritiam, c.43.n.1
Iudæ deſperãdi anſam Iudæi præbent, c.43.n.2
Iudas ſui ſcelerisadmonetur, c.43.n.3
Iudas impœnitens, c. 43. n.4
Iudæ pœnitentiæ cauſa, ibid.
Iudas Dei miſericordiam non expectat, c.43.n.5
Iudas ſe laqueo ſuffocauit, ibid.
Iudæi Chriſto inſultant, c.21.n.3
Iudæi impetum in Chriſtum faciunt, c.21.n.2
Iudæi hirci in arietem Chriſtum inſiliunt, c.23 n.7
Iudæi lupi rapaces, c.26. n.1
Iudæorum crudelitas in Chriſtum, c.30.n.7
Iudæis infauſtum mane, c.42.n.1
Iudæi conclamant, crucifige, crucifige, c.47.n.4
Iudæorum crudelitas, c. 49.n.11
Iudæi ad mortem Chriſtũ experunt, c.58.n.2.3. & c.59.n.1
Iudæorum improperia, c. 64.n.3
Iudæi Chriſto non compatiuntur, c.76.n.3
Iudæi inſenſati, c.83.n.1
Iudęorum ingratitudo, ib.
Iudicem lugubris rei habitus monet miſericordiæ, c.58.n.3
Iudices Iudæorũ iniquiſſimi, c.26.n.1
Iudex Chriſto inſultat, c. 26.n.4

Iudex mollis Pilatus, c.59. n.2
Iudices careant manibus, c.59.n.4
Iudicum Ethnicorum iuſtitia, c.59 n.3.4
Iudicis Pilati in Chriſtum ſententia, c.59.n.5
Iudicum iniquitas, c. 59. n.9.10
Iudicum ſupplicia, c. 59. n.9.10
Iudicis arma quæ ſunt, c. 59.n. 8
Iudicis boni lingua non computreſcit, c. 59. n. 10
Iudicia diuerſa de Chriſto, c.13.n.4
Iudicij, in loco impietas, & iniuſtitiæ iniquitas cernitur, c.58.n.3
Iudicium & veritas, c. 59. n. 3
Iuſtitia Zelenci, c.11.n.5
Iuſtitia efficit vt pro nobis ſatisfaciat Chriſtus, c. 47.n.7
Iuſtitia Iudicum Ethnicorum, c.59.n.3.4
Iuſtorũ recordatur Deus, & filij videtur obliuiſci, c.23.n.10

L

LAcrymarum vis, c.37. n.7.8.9.& c.39.n.15
Lacrymarum vtilitas, c.38. n.4.5.6.7
Lacryma potẽtior ſermone, c.38.n.6
Lacrymis Deum nobis ſublatum proſequamur, c.38.n.7
Lacrymarum hoſpitium Petrus adit, c.40.n.1
Lacrymæ multum valent apud Deum, c. 40. n. 3. 5.6
Laïcis Chriſti corpus indignis non dandum, c. 20.n. 11
Lanceâ latus Chriſti perforatur, c.83.n.1.4
Lancea cur pectus perforatur, c.83.n.5
Lapſus Chriſti, c. 61. n. 9. 13
Lapis miræ conditionis, c.37.n.12
Laqueo qui ſe ſtrangularunt, c. 43.n.5
Latro & Chriſtus in bilance æſtimantur, c. 47. n.3
Latro bonus redarguit

malum latronem blasphemiæ, c.69.n.1.2
Latro bonus primus Dominicę passionis fructus, c.69.n.2
Latro bonus extollitur, c.69.n.3
Latro malus respuit boni consilium, c.69.n.4
Latro malus typus impiorum, c.70.n.1
Latronis boni oratio: Domine, memẽto mei, &c. c.70.n.2.3
Latronem bonũ Christus amplectitur, c.70.n.4
Latronis fides solida, c. 70.n.4.5.6.8.9.& c.71. n.4.& c.72.n.2
Latro bonus quidquid liberum habuit, obtulit Christo, c.70.n.6
Latro prædicator Euangelicus, c.70.n.6.7
Latroni bono patrocinandum, c.70.n.8
Latronis boni non differtur petitio, c.71.n.1
Latro malus ad inferos præcipitatur, c.71.n.2
Latronis boni confessioni gloriæ præmium respondet, c.71.n.3
Latro bonus rapuit paradisum, c.71.n.3
Latronis præsentia honoratur paradisus, c.72.n.1
Latus Christi lancea perforatur, c.73.n.1
Latus Christi templi pars, c.83.n.4
Latus Christi fons, c. 83. n 4
Latere percusso Sacramẽta emanarunt, c.83.n.2
Lectus Christi cloaca, c. 30.n 15
Leo symbolum fortitudinis, c.7. n.1
Leo terretur à gallo, c.7. n.1
Leonis vox animalia terret, c.48.n.6
Leones fugandi modus, c. 65.n.3
Leprosum varius color Christum indicat, c. 53. n.8
Leprosus horrorem ingerit, c.53.n.8.9
Leprosi conditiones, c.53. n.8.9.10.11.12
Liber infamiæ, c.40.n.5
Liber Christus in cruce expansus, c.66.n.2
Libro huic documenta vitæ inscripta sunt, c.66. n.3

Libro ex hoc proficimus, c.66.n.4
Liber hic intus & foris ſcriptus, ibid.
Liber hic manibus ſemper terendus, ibid.
Lignũ aquas amaras dulces reddidit lignum viride, c.61.n.1
Lignum viride,& aridum, quid ſignificent, c. 61. n. 11
Luctus Petri, c.37.n.5.6. 7.8.9
Ludus bonus cum Chriſto illudi, c.1.n.6

M

MAgdalena ad hortum inuitatur, c.13. n.4
Magdalenam Chriſtus defendit, ibid.
Magdalena inuitatur vt obſequia charitatis Chriſto exhibeat, c 13.n.5.7
Magdalena dimittitur in pace, c.13.n.6
Magdalenam pœnitẽtem magni facit Chriſtus, c. 13.n.7
Magdalenæ Chriſtus confertur, c.58.n.5
Malchus merito reprimitur, c.22.n.2
Malchus percuſſor Chriſti, c.29.n.2
Malchus acerbe perſtringitur, c.29.n.4
Maledictus pro nobis factus eſt Chriſtus, c.48.n. 5.& 84.n. 2
Malitia excæcauit corda Iudæorum,c.68. n. 7. & c.59.n.11
Manſuetudo Chriſti, c.68 n.9
Manibus careant iudices, c.59.n.4
Manu armata Chriſtus percutitur, c.29.n.2
Manus lauiſſe nihil Pilato profuit, c.49.n.10
Maria ad hortum inuitatur, c.13.n.10
Mariam ad hortum venire non vult Chriſtus,c.13. n.11
Mariam mente adeſſe voluit, c.13.n.12
Maria & Chriſtus paſſionem Deo offerunt, ibid.
Maria pudori ſuo conſulit, c.17.n.2
Maria inuitatur vt redimat filium, c.17.n.2.3
Maria vt ipſum Iudam

Digitized by Google

adeat inuitatur, c.17.n.4
Mariæ ardens in filium amor, c.31.n.1
Maria pluſquàm martyr, c.31.n.1
Maria maximè dolet, ib.
Mariæ dolor nulli comparandus, c.31.n.2
Mariæ dolor oceano cõparatur, c.31.n.3
Mariæ conſtantia, c.31.n.4
Maria electioni latronis, & Chriſti inuitatur, c.47.n.2
Maria ad flagellationem inuitatur, c.52.n.1.2
Maria contemplatur filium verberibus conciſum, c.52.n.2.3
Mariæ & Chriſti mutuus ploratus, c.53.n.1.4
Mariæ dolor, c.53.n.2.3.4.5
Mariæ Chriſtus proponitur ſpectandus, c.58.n.9
Mariæ in filium affectus, c.58.n.9
Mariæ triſtitia, c.61.n.5
Mariæ & Chriſti vna voluntas offerendi holocauſtum, c.61.n.5
Mariæ dolor, & amor, c.63.n.1.
Maria ijſdem cum filio afflictatur doloribus, c.63.n.2.3
Mariæ dolor exaggeratur, c.64.n.6
Maria humani generis ſalutem dilexit, c.65.n.11.&12
Mariæ dolor, c.65.n.13
Maria ſemper conſtans, ibid.
Mariæ dolor exaggeratur, c.73.n.1.2.3.4.5.6.7
Maria ad lamentationem inuitatur, c.84.n.4
Mariæ animam doloris gladius pertranſijt, c.84.n.4
Mariæ dolor, c.84.n.5.6.7.8
Matri compatitur Chriſtus, c.73.n.6
Matrem Ioanni Chriſtus commendat, c.74.n.3.&c.4.n.7
Martyres cõſolatur Deus, c.9.n.4.5.6.7
Maxillæ dormientium raduntur, c.3.n.6
Maxillæ percuſſio ignominioſa, c.29.n.2
Mendaces filij hominum in ſtateris ſuis, c.47.n.4
Miles pauidus eſſe non

debet, c.2.n.10
Milonis fortitudo, c. 3. n.6
Misericordia Christi in nos, c.7.n.2
Misericordiam Dei expetit Petrus, c. 40.n.6.7.8
Misericordia rigorem iustitiæ temperat, c. 47. n.7
Misericordiæ saccus Christus, c.57.n.6
Misericordia Domini magna, c.72.n.1.2.3.4.5.6
Misericordię fontes, c.77. n 10
Miseriæ hominis Christi, comparatæ nihil sunt, c.50.n.9
Monumenta aperta quid volunt, c.82,n.6
Mors piorum & impiorum diuersa, c.2 n.3
Mortis memoria magnũ incutit terrorem, c. 4. n.5.
Mortem in se Christus prouocat, c. 79.n.2
Mortificationis musica Deo grata, c. 54.n.6
Moyses vt faciem Christi contempletur, in horto inuitatur, c.13.n.2
Mœror & liuor Christi pingi non potuit, c. 29. n.7
Mulieres periculosæ, c.33. n.2
Mulier flatu Petrum prostrauit, c.33.n.7
Mulier causa omnis mali, c.35.n.7
Mulierum cõsuetudo fugienda, c.35.n.7.8.9
Mulieribus lugentibus obuiam fit Christus, c. 61.n.9
Mulierem cur Christus matrem vocat, c.74.n.1
Mulieris appellatio Mariæ pectus penetrauit, c.74.n.2
Musica virtutum quam grata, c.54.n.5
Musica mortificationis Deo grata, c.54.n.6
Mysterium in vestium expoliatione, c.54.n.3
Mysteriũ chlamidis coccineæ, c.54.n.4
Mysteria Dominici ornamenti, c.57.n.3

N

NAtura humana patiente, diuinitas intacta manet, c.60.n.2

Digitized by Google

Negatio amici graue ſcelus, c 33.n.5
Noë Chriſti typus, c. 61. n.14
Nomé dulce pater ad impetrandum, c.68.n.5
Nucis in putamine Iliades Homeri, c.78.n.2
Nuditas Chriſti in flagellatione cauſa verecundiæ, c.49.n.3
Nuditas Chriſti vt tegatur cæli, ſol, & luna inuitantur, c.49.n.5.6
Nuditas Noë typus Chriſti nuditatis, c. 61. n. 14. 15. & 16
Nuditas Barbaræ & Agnetis cæleſti lumine abſconditur, c. 49. n.3
Numerus verberum Chriſto inflictorum, c. 51. n. 10

O

OBedientia Chriſti in obedientiam Adæ reparauit, c.3.n.1
Obedientia Chriſti, c. 62. n.1.3
Oblatio infiniti pretij Chriſtus, c.66.n.6
Obliuio eorum quæ Chriſtus prædixerat ſecundus Petri lapſus gradus, c 32.n.3
Oculi inſtar noſtri curam Chriſtus gerit, c.30.n.5
Oculis Dei omnia patent, c.30.n.8
Oculorum Dei vis, c. 37. n.3
Oculorum Caladrij, vis c.37.n. 4
Oculorum reſpectus penetrat cor Petri, c. 40. n.4
Oculi Domini cometæ, c. 40.n.6
Oculi Chriſti viuaces, c. 40.n.7
Odio inardeſcunt in Chriſtum tortores, c. 30. n. 18
Odor ſuauis è Chriſti vulneribus, c.52.n.4
Officia charitatis quomodo Chriſto exhibenda, c.53.n.7
Oneris grauitatem auxit itineris longitudo, c. 61. n.5
Opera diuinitatis & humanitatis ſemper coniunxit Chriſtus, c. 19. n.1
Opera manuum Chriſti, c.23.n.6

Digitized by

Opere vel Deum laudamus, vel blasphemamus, c.30.n.9
Oratio Christi prima, c.5. n.1.2.3.4
Oratio Christi secunda, c.6.n.3
Orantibus Angeli adstãt, c.9.n.9

P

PEtri luctus, c.37.n.6. 7.10
Petri conuersi fructus, c. 37.n.11
Petrus simul igne accenditur, & lacrymis circumfunditur, c.37.n.12
Petrus Petra radiis solis percussa lacrymatur, c. 37.n.13
Petrus serenitatem conscientiæ recuperauit, c. 37.n.13
Petri cor gratiæ radiis ictum in aquarũ fontem conuertitur, c.37.n.13
Petræ cuiusdã natura mirabilis, c.37.n.13
Petræ scissæ quid indicãt, c.82.n.5
Perfidia cuiusdam Philippi in Alexandro, c.18.n. 5.& c.12.n.2.3
Philoxeni gulæ cupiditas, c.61.n.18
Pilatus redarguit Iudæorum calumniam, c.42.n. 4
Pilatus humanior Iudæis, c.42.n.5
Pilatus Christi responso pungitur, c.45.n.1
Pilatus Christi innocentiam asserit, c.45.n.2
Pilatus causæ Christi suffragatur, c.45.n.3
Pilatus bene incipit, c 45. n.4
Pilati inconstantia, c.47. n.6.10. & c.48.n.1.2 3.7
Pilatus modestior Iudæis, c.47.n.8
Pilatus ad flagellationem instigatur, c.48.n.4
Pilato manus lauisse nihil profuit, c.49.n.10
Pilatus Christum eximere conatur, c.58.n.1.2
Pilati potestas à Deo, c. 58.n.4
Piscinæ Hierosolymitanæ vis, c.14.n.2.3.4.5.6
Piscinæ quinque porticus, c.14.n.3
Piscina adumbrat sudorẽ sanguineum, c.14.n.4

Digitized by Google

Piſcina ſanguinis Dominici omnes ſanat, c. 14. n. 4. 5. 6. 7
Pœna rebellionis, c. 39. n. 2
Pœna talionis, c. 27. n. 4
Pœna falſi teſtimonij, c. 27. n. 3
Pœna blaſphemiæ, c. 27. n. 5
Pœnitentiæ vim Chriſtus indidit, c. 4. n. 8
Pœnam nobis debitã Chriſtus inter ſe, & nos diuiſit, c. 11. n. 5
Pœnitentem magni facit Deus, c. 13. n. 7
Pœnitentiæ exemplum Petrus, c. 78. n. 1. 2
Pœnitentia agenda in eo loco, in quo quis peccat, c. 38. n. 2
Pœnitentia flectit Dei miſericordiam, c. 39. n. 13
Pœnitentia Petri, c. 39. n. 13. 14. 15
Pœnitẽtia Dauidis, c. 39. n. 15
Pœnitentiæ exemplum, c. 41. n. 8
Pœnitentiæ figura, c. 41. n. 9
Pœnitentia Niniuitarum, c. 50. n. 5
Pœnitentia aperuit paradiſum, c. 72. n. 1. 2. 3
Pœnitentiæ effectus, c. 72. n. 3. 4
Pœnitentia non differenda, c. 72. n. 6
Ploratus Mariæ, & Chriſti, c. 53. n. 1. 2
Pondus peccati grauiſſimũ, c. 61. n. 4. 5
Pontifex adiurat Chriſtum, c. 26. n. 6
Populi inconſtantia, c. 48. n. 2
Populi ingratitudo, c. 18. n. 3
Populi ob ſcelus Chriſtus percutitur, c. 30. n. 12
Poteſtas Pilati à Deo, c. 58. n. 4
Pretium ſapientiæ non inuenitur in terra, c. 16. n. 4
Præmium præclaræ confeſſionis, c. 71. n. 3. 4
Præſumptio de Dei miſericordia, c. 72. n. 6
Pretium noſtræ redemptionis Chriſtus, c. 57. n. 7
Principe percuſſo diffugiunt milites, c. 24. n. 3
Principiis obſtandũ, c. 35. n. 1
Principum aulæ fugiendæ, c. 41. n. 1
Protectioni diuinæ nos cõmittamus, c. n. 15. 2
Proſperitate gaudemus, aduerſitate contrahimur, c. 24. n. 8

Digitized by Google

Prudentia neceſſaria, c.15. n.4
Pueri & matris conſtantia, c.77.n.3
Pudorem conſcientiæ prouocat Petrus vt ſuam infamiam manifeſtent, c. 48.n.12
Pudor Goliath excuſare poteſt, Petrum non, c.35. n.4
Pugna appetitus ſenſitiui cum ratione, c.7.n.4.5
Pugil in verbis Petrus, ſed pumilio in factis, c. 33. n.4

Q

QVerela Chriſti, c. 7. n.6
Querela Chriſti ad patrem, c.7. n. 7. & c. 50. n.5
Querela Chriſti de amicis, c.12.n. 1
Querela Chriſti de nobis, c.77. n.9
Quatuor ſanguinis flumina animas irrigant, c. 64.n.3

R

RAcemus Chriſtus, c. 65.n.1
Redemptio humana quantæ molis, c.49.n.8
Rei lugubris habitus mouet iudicem, c.58.n.3
Regina Saba miratur Salomonis maieſtatem, c. 65.n.10
Reſignatio, c. 5. n.4.5.6.7. 8.& c.7.n.5
Reſignatio Pauli, c.5.n.8
Reſponſio Chriſti manſueta, c.29.n.10
Reſpha triſtatur ob filios ſuſpenſos, c.73 n.3
Rex Iudæorum Chriſtus, c.67.n.3
Regis terreni iniuria vindicatur, c.29.n.8
Rhamnus lignorum Rex, c.55.n.5
Rhamnus fidelibus munimen, infidelibus inimicus, c.55.n.6

S

SAcerdotes polluti Iudę ſimiles, c.20.n.9
Sacerdotes caueant corpus

Digitized by Google

Christi dare indignis, c. 20 n. 2
Sacerdotes cur tondentur, c. 30. n. 11
Sacramenta è Christi latere profluerũt, c. 83. n. 2
Sacrificium cruentũ vespertinũ, maturinum lætum, c. 66. n. 6
Sagittæ irędiuinę in Christum collimantur, c. 8. n. 4
Sagittarius peritissimus Alco, c. 66. n. 10
Salutem nemo desperet, c. 71. n. 3. & c. 72. n. 2
Samson decipitur à Dalila, c. 3. n. 5
Sanguinis pluuia præsagium flagellorũ, c. 14. n. 1
Sanguinis Christi vis, c. 14. n. 4. 5. 6. 7
Sanguis Christi electorũ pretium, c. 44. n. 2
Sanguis super nos, c. 49. n. 11
Sanguinę Christi corroboramur, c. 57. n. 7
Sanguis Christi fons patens, c. 57. n. 8
Sãguinis flumina animas irrigant; c. 64. n. 3
Sanguinis Dominici clamor, c. 68. n. 2
Sanguine exhausto Christus clamat, c. 79. n. 5
Sancti ceciderunt in terra obiecta Dei maiestate, c. 19. n. 2
Sapientia Christi, c. 79. n. 3
Sapiens post humiliationem exaltatur, c. 28. n. 1
Scala Iacob crux, c. 60. n. 3
Scelus ingens Christum suspendere, c. 65. n. 6
Scipio à Lucio quomodo amatur, c. 3. n. 5
Scommata in Christum coniecta, c. 54. n. 5
Sermo qualis quisque sit indicat, c. 35. n. 2
Sententia Pilati in Christum, c. 59. n. 5
Serpens æreus Christus, c. 65. n. 2
Serpentis formam induit Christus, c 66. n. 8
Seraphim vultum Christi alis tegunt, c. 29. n. 7
Signa in Christi morte, c. 81. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6
Silẽtium Christi, c. 26 n. 4
Silentij vtilitas, c. 26. n. 5
Silentium Christi præfiguratur in Dauide, c. 42. n. 6

Digitized by

Silentium Christi Pilatus miratur, c.42.n.2
Silentiũ Christi iam olim vaticinatus est Isaias, c. 42.n.7.
Silentium sæpè perutile, c.42.n.8
Silentium Christi apud Herodem, c.46.n.3
Silentij causæ, ibid.
Sitis inextinguibilis militum ad Christum torquendum, c.30.n.18
Sitis Christi duplex, c. 77. n.1
Sitibundis creaturis aqua suppeditatur, Christo minimè, c.77.n.2
Sitis salutis nostræ, c.77. n.4
Sitis nostra est vindicta, c. 77.n.5
Sitis nostra nominis gloria, c.77.n.6
Sitis nostra de rebus terrenis, c 77.n.7
Sitis nostra de turpi voluptate, c.77.n.8
Sitis Christi animarum lucrum, c.77.n.9
Solis obscurati causæ, c. 75.n.1.2
Sol obscuratus quid innuit, c.82.n.2
Sol,cæli,&c.vtChristi nuditatem tegant inuitantur, c. 49.n.5.6
Somnus Petri reprehenditur, c. 6.n.1.2
Somnus intempestiuus redarguitur, c 15.n.1
Splendor faciei Moysis,c. 30 n.8
Splendor Christi extingui non potuit, c.63.n.5
Spinis corona Christi cõstat, c.55.n.1.2.3.4.5
Spinis suprema pars templi Salomonis circundatur, c.55.n.5
Spinæ in rosas conuertendæ, c.57.n.2
Spiritum Patri Christus commendat, c.80 n.1
Spiritus Christi nos sumus, c.80.n.2
Spiritum nostrum Trinitati commendemus, c. 80.n.4
Sponsa Christum blanditiis ducit ad hortum, c.3. n.3.4
Sponsa ad hortum vocatur, c.13.n.8
Sponsa accepta. Deo ferat quocumque habet,c.13. n.8
Sputis Christum milites onerant,

Digitized by Google

onerant, c.30.n.1.4
Sputa in abiectiſſimum locum conijcimus, c. 30.n.2
Sputum in faciem illius conijciebatur qui nolleret ſuſcitare ſemen fratris ſui ſine liberis mortui, c.30 n.3
Sputis Hur ſuffocatur, c. 30.n.4
Statuæ Nabuchodonozor deſcriptio, c.7 n.8
Stephanum Iudæi exagitant, c.26.n.9
Stephani accuſatio Chriſti ſimilis, c.26 n 9
Struthionis natura, c. 26. n.2
Sudor Chriſti, c. 7.n.1.6
Sudoris ſanguinei cauſa, c.7.n.1.2. 6
Sudoris ſanguinei cauſæ, c.8.n.1.2 3.7
Superbis vtile eſt aliquando labi, c.32.n.3
Superiorũ malum exemplum Reip. nociuum, c. 27.n 1.2.3
Supplicium læſæ maieſtatis, c.23.n.6
Supplicia malorum iudicum, c.59.n.9.10
Supplicio afficiendis vinum datur, c.61.n.18
Synagoga ſimilis Struthioni, c.26.n.2
Synagoga omnibus ſpoliatur ornamentis, c.30. n.3
Syrenum natura in mortem abeuntium, c. 2.n.3

T

TEmpli Salomonis pars erectis circundatur ſpinis, c.55.n.5
Terra ingrata paſſionis inſtrumenta ſuppeditat, c, 5.n.3
Terra mota quid ſignat, c.81.n.4
Teſtes ſui doloris Chriſtus adhibuit tres, c. 4. n.1
Teſtes falſi producuntur, c.26.n 3
Teſtis falſidicus tribus eſt obnoxius, c. 27.n.4
Teſtes falſi, ibid.
Teſtimonia falſa contra Chriſtum, c.26.n.
Teſtimonia falſa, c. 261 n.4
Timantes egregius pi-

ctor, c.29.n.7
Timoris mali effectus, c. 35.n.5
Timor Dei vtilis, c. 35. n.10
Timor vanus & perniciosus Pilati, c.59.n.1
Tinea damnum facit & sonitum non facit, c. 30. n.14
Titulus crucis cur tribus linguis, c 67.n.2
Titulus crucis in buxo inscriptus, c. 67.n 1
Tituli crucis tres causæ, c.67.n.4
Torpor primus gradus ad lapsum, c.32.n.1
Torporis effectus, c. 32. n. 1.2
Torrentis aqua cum Christo bibenda, c.2.n.4
Tortores flagellationi accinguntur, c. 51. n. 1.2.3. 4 5.6.7
Trinitati spiritum nostrũ commendemus, c. 80. n.4
Tristitia Christi in horto, c.4.n.1.2.3.& c.5.n.1. 2
Tristitiæ causæ, c. 4. n.2.3. 4.5.& c. 5. n.1
Tudippi supplicium, c.69. n.4
Typi varij Christi sese vltro hostibus obijcientis, c.19.n.3
Typi de Christi comprehensione, c.23.n.8.9
Typus Christi Isaac immolandus, c.59.n.12
Typus Christi Noë, c. 61. n.14
Typus impiorum malus latro, c.70.n.1
Typus lateris Christi ostiũ arcæ, c.83.n.3
Tyrãni persecutione prosunt nobis, c.63.n.5

V

VAcuum gratiæ vt impleret Deus mira gessit, c.66.n.12
Venia peccatorum speranda, c.72.n.5
Verba blasphema in Christum euomuntur, c. 30. n. 12
Velum tẽpli scissum quid adumbrat, c.81.n.3
Verba Christi vltima, c. 68.n.12
Verbum consummatum plenum mysteriis, c. 78. n.1.2.3.4.5.6.7.8
Verberum Christo infli-

ctorum numerus, c. 51. n. 10
Verecundia Christus afficitur, c. 49. n. 3
Veronica Christi effigiem excipit linteo, c. 61. n. 8
Vestiũ detractione Christus exulceratur, c. 54. n. 1. 2
Vestium expoliatio quid innuit, c. 54. n. 3
Veste alba Christus illuditur, c. 46. n. 4.
Vestimenta Christi diuisa, c. 62. n. 3
Victimæ coronantur, c. 57. n. 4
Victima non inuita placet Deo, inuita displicet, c. 20. n. 1
Victoriæ signum victos calcare, c. 23. n. 5
Victores cedendo efficimur, c. 30. n. 9
Victoria mulieris de Petro maior quàm muscarum de Pharaone, c. 35. n. 5
Victoria Christi, c. 13. n. 6
Victoria de dæmone, c. 81. n. 4
Vigilantiæ monemur, c. 15. n. 4
Vincula Pauli extolluntur, c. 25. n. 4. 5. 6
Vincula mala Iudæorum, c 28 n. 5
Vindicta in Synagogam, c. 30. n. 3
Virtutes Christi nobis insculpendæ, c. 63. n. 4
Virga Moysis Christus, c. 65. n. 5
Vinum felle mixtũ Christo offertur, c. 61. n. 18
Vis oculorum Dei, c. 37. n. 3
Vis oculorum Caladrij, c. 37. n. 4
Vis lacrymarum, c. 37. n. 7
Vis magna latet in Christo excarnificato, c. 58. n. 8
Vis pallij Eliæ, c. 74. n. 6
Virtutum musica grata, c. 54. n. 5
Visionem rubi adumbrat Christus, c. 57. n. 2
Visioni magnæ adsimus, c. 57. n. 5
Vitæ humanæ descriptio. c 35. n. 3
Vnicornis filius Christus, c. 2. n. 5
Vnicornis cornu attactu aquas veneno infectas purgat, c. 2. n. 5
Voluntas vltima Christi attendenda, c 68. n. 3

Digitized by Google

Voluntas noſtra diuinæ conformanda, c. 5. n. 6. 7.8
Voluntatis oblatio Deo grata, c.7.n.10
Voluntas Chriſti & Mariæ offerendi holocauſtum, c.61.n.5
Voluptatem potius quàm virtutes amplectimur, c.61.n.18
Voluptas carnis ſitis noſtra, c.77.n.8
Vota Deo offerenda, c.72. n.4
Vox concionatoris parum prodeſt ſi deſit Chriſti inſpiratio, c.36.n.8
Vocis Dominicæ vis, c.19. n.3.4.5.7
Vox leonis terret animalia, c.48 n.6
Voce magna clamauit Chriſtus, c.79 n.1
Voce magna cur clamauit, c.79.n.2
Voce magna ſuã oſtendit fortitudinem, c.79.n.6
Vulgi inconſtantia, c. 1. n. 2
Vulgi mobilitas, c.15.n.3
Vulgus mobile, c.59.n.11
Vulnus amoris maius quã corporis, c. 2 n.7
Vulnera duo in vno corde, c.83.n.4
Vultum Chriſti milites ſputis deturpant, c. 30. n.1.4
Vultum Chriſti abſcondunt vt in eum ſæuiant, c.30.n.12
Vultus Chriſti abſconditus, c.58.n 9
Vxor Pilato bene conſulit, c.47.n.10

X

XErxes cur fleuerit, c.4.n 5.

Z

ZEleuci iuſtitia, c. 11. n.5

Errata ſic corrigenda.

PAg. 48 lin 31 lege infligendorum. p.84.l. 4 l obverſabantur. p 136.l 30. lege oalantem p.153.l.6.lege poculi. p 600. l.1. lege locupletes. p. 604. l.26. feſtinat adde tegete p. 994.l.1.dele, & lege peccatur.

In cæteris, ſi quæ occurrerint, Lector benevolus, corrigendis æquore animo operam ponet.

FINIS.

Digitized by Google

SANTIN OTTAVIA
RESTAURO

Digitized by Google

IHS